
THESAVRVS ANTIQVITATVM ET HISTORIARVM ITALIAE,

MARI LIGVSTICO & ALPIBVS VICINAE.

TOMI PRIMI PARS POSTERIOR.


ANDREA DORIA
THESAVRVS
ANTIQVITATVM
ET
HISTORIARVM
ITALIAE
MARI LIGVSTICO ET ALPIBVS VICINAE
TOMI PRIMI PARS POSTERIOR
J. Goeree In.
LVGD. BATAV:
Apud PETRVM VAN DER AA.
MDCCIV.

THESAVRVS ANTIQVITATVM ET HISTORIARVM ITALIAE, MARI LIGVSTICO & ALPIBVS VICINAE;

quo continentur

Optimi quique Scriptores,

Qui

LIGVRVM ET INSVBRVM,

Seu

GENVENSIVM ET MEDIOLANENSIVM,

Confiniumque Populorum ac Civitatium Res Antiquas, aliasque vario tempore gestas, memoriae prodiderunt:

Collectus Cura & Studio

JOANNIS GEORGII GRAEVII.

TOMI PRIMI PARS POSTERIOR.



LVGDVNI BATAVORVM,

Excudit PETRVS VANDER AA, Bibliop.

MDCCIV.

VBERTI FOLIETAE,

PATRICII GENVENSIS,

CLARORVM LIGVRVM ELOGIA.

AD

JOANNEM ANDREAM AVRIAM,

DVCEM CLARISSIMVM.

Juxta postremam Editionem, Romæ MDLXXVII. *ceteris auctiorem ac emendatiorem, paucisque visam; quippe cujus nulla fit mentio in Catalogis celebriorum Bibliothecarum.*

VBERTI FOLIETAE
AD
JO. ANDREAM AVRIAM,
DVCEM CLARISSIMVM,
PRAEFATIO.

MAGNO animo & excellenti ingenio viri, JOANNES ANDREA AVRIA, eam esse Patriæ charitatem statuerunt, quæ nullis injuriis posset exhauriri: egregiosque homines nullis quamvis gravibus offensionibus à Republica debere abduci, existimarunt. Illorum ego vestigiis insistens is semper fui, cujus incensa in Patriam studia exsilii pœna, qua me cives mei affecerunt, numquam aut exstinxerit, aut labefactarit; quin contra omnes curæ in ejus salutem & dignitatem tuendam, augendam, ornandam, quantum pro virili parte possem, perpetuo fuerint intentæ: quamquam facere non poteram, quin vicem meam interea dolerem, quod me ita omnia fefellissent, ut quam rem mihi laudi & præmio putaram fore, in ea crimen vel gravissimum perduellionis constitutum esset. Verum perpetui mei in Patriam studii haud contemnendum, ni fallor, inter cetera specimen fuerint hæc, quæ nunc edere decrevi, *Clarorum Ligurum Elogia:* ad quæ scribenda illa me in primis impulit caussa, quod ad invidiam, quam civitati nostræ nonnullorum malevolentia & obtrectatio conflare studet, levandam & exstinguendam id plurimum valere existimavi. Sunt enim, qui Genuenses homines totos mercaturæ & quæstui deditos nihil magnum aut amplum spectare, nihilque nisi humile & submissum habere contendant; eaque ratione de nationis nostræ nobilitate, quantum possunt, detrahere nitantur. Quorum malevolentia & inscitia cum testimonio nostræ ætatis, quæ tot claros Duces, totque amplissimos Antistites tulit, tum omnium temporum contestata Genuensium virtute refellitur. Illud enim plane constat, in nulla Italiæ civitate bellica studia aut vehementius, aut diutius, quam Genuæ viguisse; nullamque esse nationem de Italis, quæ post occasum Romanæ virtutis ad navalem Genuensium gloriam, rerumque gestarum magnitudinem (absit verbo invidia) possit adspirare. Venetias clarissimum Italiæ lumen semper excipio: cui nunc urbi, ut de imperio & de dignitate facile concedimus, ita in pari cum illa bellicæ virtutis & rerum gestarum gloria nos versari, ne ipsi quidem Veneti magnopere abnuunt, aut iniquo animo ferunt: illa tantum re inferiores sumus, quod res Genuensium magnæ ac præclaræ luce historiæ & egregii Scriptoris ingenio carentes obscuriores sunt: cui civitatis nostræ parti claudicanti ego quantum ingenio & eloquentia possem (utramque autem rem exilem & pertenuem in me esse intelligo) subvenire, sæpe in animo habui: verum omni opera occupata, totoque animo intento in universa nostrorum temporum Historia conscribenda, quæ res immensi operis ac laboris est, fit, ut in tot partes nostra distrahi non possit industria. Sed tamen non ita omni opera mea Patriam desertam volui, ut quod tempus majoribus occupationibus, quamque operæ subsecivæ partem eripere potui, eam non illi tribuerem, quique universam illius Historiam amplecti non potui, hos tamquam flosculos carptim collegi; in parvoque hoc opere Ligurum, qui vitæ sanctitate, Divinisque meritis in Divorum beatas sedes sunt recepti, quique ad summum in rebus

bus mortalibus faſtigium conſcenderunt, ad hoc qui militari gloria, quorum maximus eſt numerus, clari fuerunt, præterea qui civilibus artibus & togæ honoribus ac litterarum commendatione floruerunt, qui denique ad ſummas opes, populorumque dominatus pervenerunt, veluti in exigua tabella adumbratas imagines ante oculos hominum poſui, quaſque Majorum res geſtas plane explicare, juſtæ hiſtoriæ opus fuerit, eas hac *Elogiorum* brevitate attigiſſe, ac veluti indicaſſe, haud leve operæ pretium putavi. Ut & Clarorum Virorum memoria ab hominum oblivione ſcriptis noſtris vindicaretur; nec Patria noſtra ea laude, quam illi tot civium ſuorum virtus & ingenium conciliat, omnino careret: hocque exſtaret ſingularis noſtræ pietatis in illam monumentum, cum de militaribus viris eos tantum hoc honore comprehenderimus, quorum nomen rerum geſtarum magnitudine, clariſſimarumque victoriarum gloria, aut magno aliquo memorabilique facinore præfulget: præter quos plus ſeptingenti Ligures cum apud Annalium noſtrorum, tum apud exterorum Scriptorum incorrupta monumenta numerantur belli paciſque artibus conſpecti: innumeri enim fuerunt haud parvarum claſſium, haudque contemnendi navium numeri Præfecti; ad hoc non pauci ſuperioris generis ordinum Ductores, aliiſque honorificentiſſimis terreſtris militiæ muneribus uſi. Vel una gens tua Auria præter eos, quos ſuis ſigillatim Elogiis decoravimus, ſummi faſtigii viros, plus ſexaginta tulit terra marique inſignes homines, qui conſilio, qui virtute, qui audacia, qui rebus geſtis nomen ſuum immortalitati commendarunt. Ut gens Auria ex omni temporum memoria Civitati noſtræ feraciſſimum Ducum & Præfectorum ſeminarium fuerit. De togatis vero Liguribus quadringenti amplius Epiſcopi recenſentur. Atque ego credo, nonnullos non de ceteris modo nationibus, ſed de civibus ipſis quoque noſtris fore, qui Civitatis noſtræ priſcorum temporum potentiam mirentur, quæque de Majorum noſtrorum rebus traduntur, ea vix credibilia putent: magnopereque ex nobis quærant, quî fieri poſſet, ut Civitas tum dimidio, quam nunc eſt, minor, longeque minore civium & incolarum numero frequentata, eorumque minus locupletium; ad hoc anguſtioribus finibus utens, cui præterea publica vectigalia multis partibus eſſent tenuiora, quî igitur fieri poſſet, ut Civitas, apud quam omnia, quæ ad magnas claſſes parandas & inſtruendas, parataſque & inſtructas tuendas neceſſaria ſint, tam exilia eſſent, tantas, tam validas, tam crebras claſſes, idque tam facile, tamque brevi tempore compararet, & ornaret. Illud enim conſtanter traditur, in prima expeditione ſacri belli, cujus Dux fuit Gotofredus Bollionius, ſeptem ingentes & prævalidas claſſes, omni nautico inſtrumento, omnique bellico apparatu inſtructas, ad hoc ingenti egregiorum bellatorum copia refertas, tredecim annorum curriculo ſubſidio Chriſtianis rebus in Syriam ſubmiſſas. Et in uno ex bellis Piſanis ſeptem annorum ſpatio, quod bellum illud duravit, ſexcentas viginti ſex naves longas varii generis è portu Genuenſi pluribus commeatibus exiiſſe: quam rem graviſſimus illorum temporum æqualis & Scriptor Jacobus Auria, cui negotium ſcribendorum Annalium publice datum eſt, pro explorata & comperta tradit, cum ſibi ſtudium fuiſſe dicat, numerum navium recenſendi. Jam vero quis non horreat ſecum reputans, menſis ſpatio claſſem centum ſexaginta partim triremium, partim majoris formæ longarum navium, quas tunc *Taridas* vocabant, nunc *Galeatias* appellamus, comparatam & inſtructam? quam plus quadraginta bellatorum millia omnes Liguſtici nominis conſcenderunt: quam rem Varagineus tradit certiſſimus Scriptor, & ſanctiſſimus Antiſtes, qui rei interfuit, numerumque navium ſeſe iniiſſe ſcribit, gentili tuo Vberto Avria,

eo qui memorabili illa clade Pisanorum opes fregit, Præfecto, è portu Genuensi contra Venetos emissam? Auget admirationem ac fidem labefactat nostrorum temporum comparatio: in quibus non modo Civitas nostra quamvis frequentia civium, omnique opum copia, ad hoc finium lätitudine longe superior, sed ne opulentissima quidem Regna tantas classes possint armare, aut armatas diu tueri. Vel ipsæ Venetiæ, quæ civitas tot opulentas ac claras Italiæ urbes imperio subjunctas habet, præterea latissime patentem Illyrici oram, simul quamplurimas insulas oppidis, & vicis, ac populis frequentissimas, ad hoc locupletissima vectigalia possidet, tum autem amplissima habet navalia navigiis omnique bellici apparatus copia referta; quodque caput est, navalem rem præ ceteris colit, in eaque gloria sibi primas vindicat, perraro atque omnibus viribus connixa tantum navium numerum vix conficere potest. Quæ singula secum animo agitantes multos, ut dixi, video fore, qui scriptis nostris fidem abrogent, idque non omnino temere, cum ea res me quoque dubium sæpenumero & nutantem fecerit. Verum cum animum in eam cogitationem & investigationem acriter intendissem, Veterumque scripta diligenter considerassem, exterorumque monumenta multis ex locis collecta cum nostris Annalibus accurate contulissem, re diu ac multum quæsita, animoque agitata ad veritatem me pervenisse credo, eaque allaturum spero, quæ omnem prorsus dubitationem tollant, scriptisque nostris stabilem fidem adjungant. Petimus igitur ab iis, qui scripta hæc nostra in manus sument, ne susceptæ contrariæ opinionis, si forte menti hæsit, pertinaciter retinentes sint, candidoque animo rem mecum momentis suis ponderare ne graventur. Principio cum tres omnino sint quærendi victus viæ, tresque rei familiaris tuendæ & augendæ rationes, agricultura, opificium, mercatura, à duabus superioribus Genuenses & Ligures homines olim plane abstinebant: neque enim durum & asperum solum, regioque sterilis, ac nullius fere rei victui & quotidiano cultui necessariæ ferax agriculturæ magnopere locum dabat: & opificia tamquam sordidam rem & libero homine indignam aspernabantur: quare textrina & cetera sellulariorum artificia ab exteris Genuam ea de caussa commigrantibus exercebantur: cujus rei etiam ætate nostra illa non levia exstant vestigia, quod textrinam facientes Tusci; rerumque ad muliebrem ornatum & ad elegantiorem cultum pertinentium opifices Mediolanenses vocantur, nominibus videlicet nationum, quæ ejusmodi opificia à Genuensibus spreta Genuæ tractabant, ad opificia ipsa translatis. Mercaturæ porro duo sunt genera, alterum, quod in re nummaria & fœnebri tractanda, pecuniariis permutationibus faciendis, vectigalibus publicis conducendis & exercendis versatur: quarum rerum caussa societates instituuntur, domiciliaque in exteris Provinciis collocantur: à quo genere Majores nostri semper abhorruerunt; nullaque illis erant in alienis Provinciis negotiationis mercatoriæ domicilia, præter perpauca in nonnullis maritimis urbibus ad ea, quæ ad commeatus & maritima commercia expedienda pertinebant, instituta. Quocirca à cetero omni exercitationum & quæstuum genere libera Genuensium opera tota in re navali ponebatur, huicque uni studio Genuensium ingenia erant intenta, atque huic uni operi & labori omnis illorum insudabat industria, cujus nemo omnino optimis illis temporibus expers erat; simileque quiddam ejus, quod in Romanis olim valebat, in Liguribus tum suscipi poterat, ut quemadmodum qui Romanus, idem miles esset, ita qui Ligur, idem quoque esset nauticus. Quo fiebat, ut quemadmodum nunc publicanis & opificibus urbem refertam habemus, ita tum nautarum omnia plena essent; Genuensesque homines, qui nunc textrinam, aut nummulariam faciunt, omnes tum navicula-

culariæ ſe dederent. Illud porro erat nauticæ hujus exercitationis genus, quod homines non minus bello quam nauticæ induſtriæ aptos faceret: nam cum quattuor tum populi Mediterranei maris potentes eſſent, Venetus, Genuenſis, Piſanus, Catalanus, ingenteſque claſſes ſinguli armarent, fiebat, ut æmulæ virtutis & ejuſdem profeſſionis ſtimuli odia & inimicitias inter eas nationes alerent & incenderent, quæ ipſas in armis perpetuo habebant, ac non claſſes modo ad bellum armatas, ſed naves etiam privatæ negotiationis cauſſa domo profectas præliis ſæpenumero inter ſe committebat; ad hoc mare piratarum excurſionibus & latrociniis continenter infeſto fiebat, ut illorum temporum negotiatoribus altera manu clavus eſſet regendus, altera gladius ſtringendus: quibus exercitationibus homines aſſuefacti, quemadmodum ex bonis olim agricolis, ita ex bonis tum nautis boni milites fiebant: quæ res acriter in illam intuentibus admirationem illam de numero nautarum & bellatorum plane tollit, docetque liquido, pro ſingulis nunc hominibus rei navali ac bellicæ aptis centenos tum Genuæ & in ora Liguſtica numerari potuiſſe. Remigium porro, quæ res difficilis in primis nunc eſt, præſto & ad manus affatim erat, cum infimi homines in ſuæ ſortis miniſterium Reipublicæ operam navare non gravarentur, cum præſertim neque loris aut fuſte cæderentur liberi videlicet homines, ac voluntariam operam Reipublicæ profeſſi, neque iis iniquitatibus, quibus nunc ſervi remo alligati premuntur, tum vexarentur, neque gravior aut laborioſior eſſet remi quam ligonis aut pectinis tractatio, fructuoſiſſimuſque eſſet is quæſtus præda & ſpoliis inter omnes pro fortunæ & miniſterii portione dividi ſolitis; nullumque fere aliud eſſet tenuiorum hominum opus, quo vitam tolerarent. Navium vero numerus, quæ altera fuerat maxima admirandi cauſſa, multo minus dubius eſſe poteſt, ſi quis cogitaverit, privatam negotiationem non tum onerariis & corbitis, ut nunc, ſed navibus longis omnis generis fere exerceri ſolitam: quarum maxima pars triremes erant, aut etiam majoris formæ Taridæ. Eæ à privatis hominibus privato ſumptu parabantur, quarum ingentem fuiſſe numerum, haud dubitandum eſt, quippe quæ minoris oneris capaces eſſent, cum oneraria mediocris quattuor aut quinque & eo amplius triremium onus vehat: quo fiebat, ut minor capacitas numero ſuppleretur, cumque patrum & noſtra quoque memoria plus centum quinquaginta onerarias in Liguſtica ora ipſi viderimus, quis ſano judicio utens negaverit, plus ſexcentas longas naves, quarum haud exigua pars triremes eſſent, in Liguſtica ora, ut minimum, fuiſſe? cum nullum eſſet tam exiguum oppidum ac tenue, quod non unam ſaltem aut alteram triremem armaret, id quod ex innumerabilibus Annalium monumentis perſpicuum eſt: quæ res eo etiam minus mira videri debet, quod longe minoris triremes quam onerariæ conſtabant; tum cum nullus eſſet bombardarum uſus, neque ſervis in remigium uti ſoliti eſſent Majores noſtri, quæ duæ res impenſo parantur pretio, illiſque demptis minimi impendii ſit præ oneraria & corbita triremis comparatio & inſtructio. Neque vero ea nos moveat res, quod oram Liguſticam, id quod non in poſtremis mirum videbatur, non niſi minima ex parte imperio poſſidebamus, quæ compluribus Dominis parebat. Omnia enim Liguriæ oppida, quæcumque Varo & Macræ fluviis interjectum accolunt mare, Cæſarum lege & decreto Civitati noſtræ, cum inſtruenda & armanda eſſet claſſis, contributa erant, gravi fraude Dominis conſtituta fiduciario jure & dominatu excidendi, ſi impedimento fuiſſent: & ipſi ſuis privatim viribus infirmi ſinguli populi, atque ideo exterorum injuriis obnoxii & expoſiti ſeſe in fidem præpotentis Civitatis ultro tradebant,

bant, vireſque cum illa libenter, nulloque adacti imperio conjungebant, quæ ipſos, ipſorumque commercia tuta redderet: quam rem olim maritimas Græciæ civitates feciſſe accepimus, viribus cum Athenienſi populo conjunctis, ut impotenti Lacedæmoniorum dominatu ſeſe eximerent. Jam vero pecuniarum ratio, quæ perdifficilis & impedita ſemper fuit, ut non parvam, atque haud ſcio, an omnium maximam admirationem, ita perfacilem habet reſponſionem: neque enim ingentes illæ claſſes ære publico, niſi parva ex parte parabantur, aut alebantur, ſed à privatis hominibus tam principis urbis quam ceterorum oppidorum armabantur, ac Reipublicæ commodabantur: quibus civitatis Magiſtratus Præfectos & Duces Genuenſes cives præficiebat, quibuſque civitas, cum tempora Reipublicæ & uſus belli poſtulabant, pro ſuis utebatur, omnibus certatim ac libenter vires conferentibus, cum non decus tantummodo, & officium, ac communis Patriæ charitas, ſed privatæ quoque utilitatis ratio homines ad operam Reipublicæ alacriter navandam incitaret, quippe quod ex victoriis partis, hoſtilibuſque conatibus compreſſis tutior & minus infeſta redderetur privata navigatio: neque tum ſtipendiis merebant homines, ſed gratuitam operam, quæ privatim quoque utilis eſſet, Reipublicæ navabant: quod non novum, neque primi fecerunt Majores noſtri, ſed is mos vetuſtiſſimus fuit apud eos fere populos, qui impetu, & non perſeverantia, bella gerebant, quemadmodum omnes erant Majorum noſtrorum unius æſtatis expeditiones. Quare Romani milites non prius ſtipendia acceperunt, quam ultimo bello Vejenti, quod fuit trecentis quinquaginta circiter annis poſt Romam conditam, quod creſcente imperio bella diutius duci neceſſe eſſet, cum prius in brevibus illis expeditionibus gratis meruiſſent: quem morem, quodque inſtitutum à nonnullis Europæ Regnis & Provinciis adhuc retineri, nemo eſt qui neſciat. Ut nemini mirum videri debeat, illorum temporum Genuenſes cives bimeſtrem, aut ſummum trimeſtrem operam, quæ in privatam quoque utilitatem tantopere redundaret, Reipublicæ gratuitam haud gravate commodare ſolitos. Quæ ſingula ſi quis animo & cogitatione circumſpexerit, contrariam opinionem, quamvis animo penitus comprehenſam, facile ac non retractanter deponet, neque nos in Patriæ laudibus plus illius amori indulſiſſe, quam veritati tribuiſſe exiſtimabit. Longe autem omnium difficillima noſtra ratio fuit; eoque iniquiore conditione hoc opus agreſſi ſumus, quam ceteri, qui ætate noſtra ſimile argumentum tractarunt, quod illi omnem terrarum orbem, omniumque nationum, atque omnium profeſſionum homines amplexi materiam amplam & copioſam habuerunt, in qua ipſorum ingenium & induſtria exſpatiari, ipſorumque eloquentia poſſet excurrere, cum noſter contra labor anguſtis finibus incluſus una civitate, atque una natione terminetur: ad hoc illi non unum aliquod tantummodo clarorum virorum factum illuſtrandum ſuſceperunt, ſed ſimul illorum vitam, illorumque caſus brevi narratione perſtrinxerunt: quo fit, ut opus tam varium, ac multiplex, totque veluti amœnitatibus refertûm & diſtinctum miras habeat delectationes, jucundaque quadam ſuavitate legentium animos perfundat: contra nos, qui vitas exponendas non ſuſcepimus, neque enim nobis illæ præter paucas notæ eſſe potuerunt, quique in eodem fere argumento in ſingulis claſſibus verſamur, quibuſque de rebus tanta ſimilitudine inter ſe conjunctis, ut eædem pene eſſe videantur, perpetuo ſcribendum fuit, tantum abeſt, ut ulla varietate animos legentium tenere poſſe ſperemus, ut præclare nobiſcum actum putemus, ſi ſatietatem vitaverimus. Petimus igitur ab iis, qui ſcripta hæc noſtra legere non gravabuntur, ne quod in re ipſa eſt incommodum, id ingenii vitio &

ora-

orationis jejunitati tribuant: quam rem nos ab illorum æquitate facile impetraturos confidimus, si in scripta nostra perpendenda animum acriter intenderint. Nemini autem, quam tibi, JOANNES ANDREA, hoc Opus inscribi verius fuit: neque enim ullius familiæ virtus in Patriæ salute & dignitate tuenda & amplificanda magis quam gentis Auriæ eluxit, aut majora sunt omnium temporum in Patriam merita; pluraque in hoc Opere Auriæ domus quam ceterarum familiarum Elogia legentur. Ex ipsis porro Auriis multis de caussis te potissimum delegi, cui librum hunc nuncuparem: nam plus privatæ domui tuæ quam ceteris Auriis civitas nostra debet, ab Andrea patruo magno tuo tanto tamque immortali beneficio affecta; & tu is exstitisti, qui in ipso ineuntis adolescentiæ flore tot Majorum indolem præclaris consilii, fortitudinis, virtutis multis locis editis facinoribus expresseris. Ut gentis Auriæ numquam senescens gloria nunc, ut cum maxime, in te vivat ac vigeat: appareatque, te non minora ornamenta Majorum tuorum nomini, si vita suppetet, redditurum, quam quantum ipse ab illorum memoria acceperis splendoris. Accedunt egregia tua in me merita, susceptaque salutis & afflictæ fortunæ meæ propugnatio, ut tantam in me tuendo atque ornando voluntatis tuæ significationem sempiterna recordatione mihi colendam intelligam. Si quis autem hujus nostri laboris futurus est fructus, ejus gratia non tam mihi, quam viro amplissimo Hippolyto Estio Cardinali Ferrariensi debetur. Cujus, ut omittam in præsentia reliquas præstantes virtutes, atque eximias ingenii & prudentiæ laudes, Italiæ & Galliæ, atque adeo toti Europæ in multis ac gravibus Reipublicæ partibus administrandis cognitas & perspectas, Regia liberalitas cum in omni magnificentiæ genere sese copiose ostendit, tum vero in præclaris artibus fovendis & amplectendis veluti clarissimum lumen in his sæculi tenebris elucet, ejusque domus omnium hominum egregia aliqua in re præstantium, in primis vero doctrinæ & eloquentiæ gloria commendatorum receptaculum semper fuit: in quibus ille mea studia complexus, meque in familiarium numerum receptum liberalitate sua sustentat.

PAVLVS MANVTIVS
VBERTO FOLIETAE
S. D.

ET si tu is es, cujus ingenium & virtus neque meum, neque cujusquam omnino testimonium desideret, me tamen vel amor in te meus, vel ipsa veritas adduxit, ut exstare vellem de tuis Elogiis *judicium meum, non tam apud te, qui te ipsum egregie nosti, quam apud omnes gentes, atque adeo apud ipsam posteritatem, quæ de studiis ingeniisque nostris expers amoris & odii, pro cujusque merito sententiam feret. Ego enim tua scripta & legeram ante multos annos, & ita probaram, ut ex iis, qui tunc excellere putabantur, tibi neminem anteferrem: nunc, ut vere dicam, non ut gratiæ caussa tuis auribus largiri quidquam velim, hæc de tuis Liguribus illustris, & diligens, & ornata commemoratio ita mihi placuit, ut qui conferri tecum hoc in genere possit, prorsus neminem esse judicaverim: nam ex universa Italia, aut ex multis Provinciis multarum virtutum exempla colligere, id quod ex Veteribus multi, ex Recentioribus nonnulli fecerunt, haud sane magni negotii videtur esse: ex una vero civitate, & ex una satis angusta regione tamquam ex uberrimo fonte multos haurire, qui vitæ sanctitate, qui militari gloria, qui Reipublicæ administrandæ scientia, qui sollertia, & investigandi rerum novarum, novarumque gentium studio, qui etiam litteris & eloquentia flore-*

ruerint, hodieque floreant, & admirandum quiddam est, & immortali laude dignissimum: in qua cogitatione dum versor, non tam equidem patriæ tuæ gratulor, quod eos cives tulerit, qui tantas res gererent, aut qui insigni aliqua laude inter ceteros eminerent, quam quod tu incredibili quodam erga tuos amore incensus ad eorum memoriam ab interitu vindicandam ingenium artemque contuleris. Vivunt enim nomina consumptis corporibus excellenti Scriptorum industria, & si præconem virtus invenit, elucet, eo si caret, obscuratur & exstinguitur. Quocirca vel iis ipsis, qui ornati à te sunt, quorum hodie nonnulli sua gloria vivi perfruuntur, vel eorum posteris tanti debet esse munus officiumque tuum, quanti semper à fortibus ac sapientibus viris æstimatam nominis æternitatem videmus, qui eam non modo laboribus ac periculis, verum etiam vita ac sanguine quærendam putarunt. Et ut aliquid de meo sensu, cum Matthæum Senaregam alumnum disciplinæ meæ præstanti virum ingenio, natum maximis rebus, dicendi scribendique facultate nemini prorsus ætate nostra concedentem proprii Elogii laude decorasti, etsi debitum in eo virtuti præmium persolvisti, me tamen pro mea in illum singulari benevolentia qua voluptate lætitiaque affeceris, quo tibi beneficio devinxeris, nec mihi verbis exprimere, nec tibi cogitatione consequi facillimum sit. Ac tu quidem materiam cepisti nobilem & præclaram. Sed ut ea speciosior, & jucundior, &, ut ita dicam, se ipsa major sit, eloquentiæ tuæ præstantia consequeris. Omitto reliqua, ne sim nimius: nam sua quidque laude dignum est, sed in principiis tam multis tantam varietatem, tam splendidam, tam elegantem quis non admiretur, aut quis vidit umquam? in ceteris enim Elogiorum *partibus tui numquam non similis, id est, gravis, & sublimis, & ornatus, in hac vero tantus es, ut in illis certare cum aliis, in hac te ipsum vincere voluisse videaris. Macte vir ingenio atque virtute, optime de Patria merite, cui tot cives, tot heroes, tot Principes communi fatorum lege ereptos, vel temporis injuriam timentes restituis atque conservas: nunc illa te suæ studiosum dignitatis, publici cupidum commodi, vereque suum alumnum agnoscit: nunc amplectitur absentem, nunc incolumem, florentem, beatum exoptat: quæ tibi merces una pietatis in illam perpetuæ præstantissima videtur. Vale. Romæ ex ædibus pridie Kal. Dec. M.D.LXXII.*

HIPPOLYTI CAPILVPII,
EPISCOPI PHANENSIS.

ILLVSTRES animæ Ligurum, quas Martia virtus
  Nota mari & terra sydera ad alta tulit,
Quæque sacrum Musis potuistis scandere montem,
  Et celeri immensum currere mente polum.
Vestra Ligur chartis intexuit acta Latinis,
  Et vigil æternum reddidit auctor opus.
Sic docta artificis gemmas manus inserit auro,
  Atque illis ingens adjicit arte decus.
Quo civem Patria ergo suum celebrabit honore,
  Qui vetat illius splendida facta mori?

JO. FRANCISCI FERRARII.

VRBS invicta caput Ligurum, illustrata quæ alumnis
  Tot tantisque parens clarior usque micas.
Egregiis hominum virtutibus inclyta debes,
  His tibi non parvum nam pepere decus.
Et pace, & bello quoniam castrisve, forove
  Quæ gessere, tuum nomen in astra ferunt:
Non minus at docto FOLIETAE excelsa teneris,
  Qui Ligurum cecinit tot benefacta Ducum.
Quin magis huic uni debes obnoxia alumno,
  Quam reliquis, de te qui meruere boni.
Parta tibi est etenim mortalis gloria ab illis,
  Et quæ Lethæis mersa feratur aquis.
Iste sed immemori scriptis felicibus ævo
  Hanc rapit æternus, perpetuamque facit.

IN-

INDEX
CLARORVM LIGVRVM,
qui Elogiis in hoc libello decorantur.

A.

Adornius (Georgius)
—— (Hieronymus)
—— (Raphael)
Auria (Andreas)
—— (Ansaldus)
—— (Antonius)
—— (Aurieta)
—— (Brancas)
—— (Conradus)
—— (Hieronymus)
—— (Joannes)
—— (Joannes Andreas)
—— (Lambas)
—— (Lucianus)
—— (Paganus)
—— (Petrus)
—— (Philippus)
—— (Raphael)
—— (Roscius)
—— (Vbertinus)
—— (Vbertus)
—— (Violantis)
Axeretus (Blasius)

B.

Balduinus.
Bassus (Hieronymus)
Biassia (Balthasar)
Bracellius (Jacobus)
Bucccanigra (Ægidius)
—— (Simon)

C.

Caballus (Emanuel)
Caffarus.
Cagnatius (Joannes)
Calandrinus (Philippus)
Cambiasius (Lucas)
Carrettus (Carolus Dominicus)
—— (Fabritius)
—— (M. Antonius)
—— (Opicius)
Catalusius (Franciscus)
Centurio (Adamus)
—— (Paulus)
Cibo (Albericus)
—— (Aranus)
—— (Innocentius)
—— (Lambertus)
—— (Laurentius)
Cicada (Joannes Baptista)
—— (Vicecomes)
Clavarus (Albertus)
Columbus (Christophorus)
Contardus (Cæsar)
—— (Inghetus)
Cucurnus (Barptolomæus)

D.

Desiderius, Divus.
Dolera (Clemens)

E.

Embriacus (Ansaldus)
—— (Guilielmus)
—— (Hugo)

F.

Facius (Barptolomæus)
Fallamonica (Barptolomæus)
Felix, Divus.
Ferrerius (Antonius)
Flisca (Elisabella)
Fliscus (Georgius)
—— (Gulielmus)
—— (Jacobus)
—— (Joannes)
—— (Lucas)
—— (Ludovicus)
—— (Nicolaus)
—— (Principalles)
—— (Sinibaldus)
Folieta (Augustinus)
—— (Laurentius)
—— (Paulus)
Fulco.
Fulgosius (Aurelius)
—— (Baptista)
—— (Cæsar)
—— (Fridericus)
—— (Joannes)
—— (Janus)
—— (Nicolaus)
—— (Octavianus)
—— (Paulus)
—— (Petrus)
—— (Raphael)
Furnarius (Octavianus)

G.

Gabernia (Gulielmus)
Genuensis Populus.
Gibertus (Joannes Matthæus)
Grillus (Amicus)
Grimaldus (Antonius)
—— (Hieronymus)
—— (Joannes)
—— (Nicolaus)
—— (Renatus)
Guarcus (Isnardus)

H.

Hadrianus quinctus.

I.

Imperialis (Davides)
Ingo.
Innocentius quartus.
—— octavus.
Julius secundus.
Justinianus (Angelus)
—— (Augustinus)
—— (Baptista)
—— (Britius)
—— (Galeatius)
—— (Joannes)
—— (Othobonus)
—— (Stephanus)
—— (Vincentius)

L.

Lazaria (Joannes Baptista)
Lercarius (Megolus)
Levantus (Jacobus)
Lomellinus (Benedictus)
Longus (Philippus)

M.

Marabottus (Fridericus)
Marchesius (Franciscus)
Marinus (Leonardus)
—— (Pileus)
—— (Thomas)
Marius (Andreolus)
—— (Ansaldus)
—— (Gandus)
—— (Henricus)
Marocellus (Jacobus)
Marruffus (Matthæus)
Montaltus (Raphael)
Murchius (Thomas)
Mutinus (Laurentius)
—— (Stephanus)

N.

Nicolaus quinctus.
Nigrius (Ambrosius)
—— (Andalous)
—— (Salagrus)

P.

Palavicinus (Antoniottus)
—— (Christophorus)
—— (Joannes Baptista)
Pasqua (Simon)
Passanus (Jacobus)
—— (Joannes Joachimus)
Pertinax (Ælius)
Pinellus (Baptista)
—— (Galeatius)
Pizo (Ansaldus)

R.

Riarius (Hieronymus)
—— (Petrus)
—— (Raphael)
Roborejus (Clemens)
—— (Franciscus Maria)
—— (Galeottus)
—— (Joannes)
—— (Leonardus)
—— (Xystus)
Rodoanus (Gulielmus)
Romulus, Divus.

S.

Salvagus (Porchetus)
Saulius (Bendinelus)
—— (Dominicus)
Senarega (Matthæus)
Soldanus (Ansaldus)
Spinula (Argentina)
—— (Augustinus)
—— (Conradus)
—— (Franciscus)
—— (Franciscus, cognomento Maurus)
—— (Gaspar)
—— (Gerardus)
—— (Guido)
—— (Nicolaus)
—— (Opicius)
—— (Paulus Baptista)
—— (Petrus)
—— (Porchetus)
—— (Quiricus)
—— (Thomas)
—— (Vbertus)
—— (Zacharias)
Squarciaficus (Stephanus)

T.

Turrius (Vbertus)

V.

Valentinus, Divus.
Vigerius (Marcus)
Vignosius (Simon)
Vivaldus (Luchinus)
Vsusmarius (Lanfrancus)
—— (Stephanus)

X.

Xystus quartus.

Z.

Zacharias (Martinus)

VBERTI FOLIETAE,
PATRICII GENVENSIS,
CLARORVM LIGVRVM ELOGIA.

DE IIS, QVI IN DIVORVM NVMERVM SVNT RELATI, QVIQVE AD SVMMVM RERVM FASTIGIVM PERVENERVNT.

DIVVS VALENTINVS.

A quibus felicioribus augustioribusve initiis nostra *Clarorum Ligurum Elogia*, quam à cælestibus & Divinis Viris auspicari possumus? Docuerunt VALENTINVS, FELIX, SYRVS, ROMVLVS, Genuenses cives, iidemque Pontifices in Beatorum sedes recepti, Genuensium hominum virtutem non humanis tantum rebus fluxis & caducis, ac vitæ hujus gloria brevi interitura terminari, sed cælum ipsum quoque conscendere: Virorum sanctorum continentia, innocentia, pietas, religio, perpetuusque vitæ cursus ab omni vitiorum contagione puræ atque integræ, quam Divino Numini fuerit acceptus, illud ipsum Numen multis insignibus miraculis declaravit: quæ per viros beatos non viventes modo, sed post eorum quoque obitum edidit. Quorum ordine & tempore princeps VALENTINVS inter cetera multa à vivente edita miracula, cum humanis excessisset, puellam claudam, cum illa ipsius opem apud Divinum Numen precibus & votis implorasset, insanabili vitio liberavit.

DIVVS FELIX.

At FELICI Divinæ gratiæ in hac vita, & destinatæ post mortem gloriæ clarissimum testimonium dedit ipse Spiritus Sanctus adspectabili specie flammæ edita olim in Apostolos, ac tanto sæculorum intervallo repetita sacrificanti cælo illapsus.

DIVVS SYRVS.

NVLLIVS vero memoria clarioribus ac crebrioribus miraculis nobilitatur, quam SYRI, ab eo per omnem vitam editis, quemadmodum totus cursus vitæ sanctissimus fuit. Nam & in prima adolescentia defunctam avunculam ad vitam revocavit: & ætate confirmata portentosæ speciei & magnitudinis exortum serpentem, quem basiliscum fuisse scribunt, mortifero veneno ac lethali morsu miserorum funera alia super alia edentem omnibus humanæ opis argumentis adversus perimentem pestem frustra expertis, precibus necavit. Neque vero una cum vita miraculorum virtus & gloria exstincta est, cujus mortui cruore panniculus adspersus compluribus ægrotantibus amissam valetudinem restituit.

DIVVS ROMVLVS.

POSTREMVS Genuensium Episcoporum est ROMVLVS. Vivens quidem miraculis ipse quoque illustris, ceterum mortuus illustrior. Cujus tumulus in vico Mauriciano, in quo diem extremum obiit, compluresad eum delatos insanabilibus omnis generis morbis & vitiis corporis solo contactu liberavit. Qua re factum est, ut vicus splendido ac perpetuo sanctissimi Viri nomine, veteri omisso, nobilitatus sit.

FVLVII CARDVLI.

Ante potens opibus Genua, & victricibus armis
Implerat terras nomine & alta suo.
Sanctorum nunc illa parens fœcunda virorum
Implebit terras nomine, prole polum.

DIVVS DESIDERIVS.

At in DESIDERIO ad superiorum virtutes, atque ad miraculorum splendorem, quibus non minus ipse quoque clarus fuit, multa eximia addita sunt, quibus sanctissimi viri gloria præfulget. In ignobili enim pago prope Genuam urbem ortus à Lingonibus Galliæ populis, quos nunc Burgundos appellamus, tanto terrarum tractu ad Pontificatum adscitus est, cum illis de Pastore in demortui locum sufficiendo sollicitis Divinum responsum clarissimis verbis redditum esset, Desiderium Episcopum longe alia regione illis esse quærendum. In quem diu errabundi, atque ignari, quem Desiderium, aut quo loco peterent, cum eodem ipso Numine duce tandem incidissent, Divino mandato exposito, ab aratro ad Pontificatum translatus est Desiderius: cujus in commisso populo regendo ita omnia Pastoralis muneris, multiplicisque ac Divinæ virtutis officia constiterunt, ut Lingones ad nostra usque tempora viri sancti memoriam omni veneratione colentes Desiderium cum Apostolorum ipsorum fere laudibus conjungere non dubitent: neque id ea solum de caussa, quod pro Christiana religione confitenda & defendenda extremum supplicium fortissime subiit, omnibus prius intolerandis patientiæ humanæ cruciatibus ab immanissimis Barbaris laceratus, sed quod ex indocto agricola, omnisque eruditionis experte, atque in omni litterarum genere ita rudi, ut ne prima quidem elementa nosset, subito clarissimus Divinæ Legis Doctor, ac sacrorum Mysteriorum egregius interpres evaserit; doctrina videlicet purissimæ menti, id quod post ipsos Apostolos aut nulli, aut quam paucissimis accidit, Divinitus indita.

PETRI MAGNI.

Quis DESIDERIO *similis? quem rure paterno*
Ignotum sibi Rectorem Burgundia poscit?
Quem non pervigili studio, non arte magistra
Erudiere homines, sed cælo infusus ab alto
Spiritus omnigenas docuit Divinitus artes.

INNOCENTIVS QVARTVS.

PROXIMVM à viris Divinis locum tenent ii, qui ipsius Divini Numinis locum & potestatem inter

ter mortales obtinuerunt. In quibus INNOCENTIVS quartus è nobili Fliscorum gente, vetusto Lavaniæ Comitum titulo insigni, multorum Romanorum Pontificum laudes, quorum pietas & prudentia in Republica gerenda enituit, profecto superavit. Siquidem illorum duntaxat viventium merita rebus Ecclesiæ profuerunt, INNOCENTII virtus & ingenium non viventis modo, sed mortui quoque omnibus sæculorum ætatibus Pontificio solio summo usui & decori fuit, atque erit. Et multorum nomen alterutra tantum laude, hoc est, vel virtutis & probitatis, vel doctrinæ fere clarum est; in INNOCENTIO eximia utraque res fuit: nam nemo illo acrior Pontificiæ & Sacerdotalis dignitatis ac libertatis propugnator & assertor fuit; illiusque potentissimis oppugnatoribus constantius restitit: quippe qui privatæ necessitudinis caussis Rempublicam præferens FRIDERICVM secundo rerum cursu elatum, immodicisque fortunæ opibus inflatum in res Ecclesiæ grassantem compescuit: quem in Concilio Lugdunensi gravissimis criminibus accusatum, & compertum è piorum cœtu exterminavit: tandemque ad errata agnoscendi, veniamque efflagitandi necessitatem adegit. Ingenio vero & doctrina, quæ non vivo illo tantum viguit, sed litterarum monumentis æternitati consecrata est, ita Pontificias leges illustravit, ut nullius auctoritas ad hæc usque tempora in forensibus causis sacrarumque rerum judiciis majoris esse ponderis existimetur. Quibus ille virtutibus & meritis id assecutus est, ut Friderico mortuo nobilissimum & opulentissimum Neapolitanum Regnum in Romanæ Ecclesiæ imperium cessurum fuerit summa Procerum voluntate: qua de caussa cum Neapolim sese contulisset, multæque jam urbes atque oppida in illius ditionem & potestatem venissent, luctuoso Romanæ Ecclesiæ casu tantarum rerum inchoata & ad exitum haud dubie perducenda initia ejus obitu conciderunt; tantæque gloriæ cursus est interruptus.

PETRI MAGNI.

FLISCE, decus patriæ, CHRISTI gregis optime vindex,
Justitiæ legumque opifex, terrorque Tyranni.
Te Capuæ soboles, te pulchra Neapolis unum
Invocat, agnoscitque Ducem, ni linquere terras,
Ni partum meritis properes adscendere Olympum.

HADRIANVS QVINCTVS.

GENTILITII decoris æmulus profecto futurus fuit HADRIANVS quinctus, eadem Fliscorum familia ortus, atque INNOCENTII patrui memoriæ non minora ornamenta virtute sua redditurus, quam quantum ipse ab illius gloria commendaretur. Ea enim in Cardinalatu sui documenta dederat, is in gravibus & arduis negotiis tractandis, maximis legationibus obeundis exstiterat, ut quem immensæ opes, atque ingentis patrui venerabile nomen conspectum faciebat, eundem virtutis & ingenii fama longe faceret illustriorem, magnique ac justi Principis in illo indoles appareret, si præclara consilia explicare potuisset, ac ni mors immatura tantam commotam exspectationem in ipso Ponficatus limine præcidisset, HADRIANO intra quadragesimum diem sublato.

Te ostendere, simul rapueruntque invida fata,
Nec gentis sinunt, FLISCE, referre decus.

NICOLAVS QVINCTVS.

EO magis in NICOLAO quincto præstantium virtutum & ingenii gloria suspicienda est, quod is nullo Majorum splendore commendatus, nullisque fortunæ opibus subnixus, sed suis ipse meritorum momentis ad celsissimam illam honoris & dignitatis sedem conscendit. Sergianæ enim Lunensis Liguriæ oppido, loco ita obscuro, ortus est, ut cum nomen familiæ ignoraretur, nullumque esset gentis insigne, ab oppido Thomas Sergianus appellaretur: Pontifexque factus claves Pontificias pro gentilitio insigni ediderit. Thomas igitur cum litterarum studiis sese dedidisset, eos in omni genere eruditionis progressus fecit, ut profitendi munus illi publice sit mandatum: in quo multa cum ingenii & doctrinæ laude aliquandiu versatus Romam ad amplioris fortunæ initia Numine ducente commigravit. In qua urbe viri industria ab inferioribus procurationibus exorsa per omnes munerum gradus brevi in notitiæ & familiaritatis jura apud Eugenium pervenit: à quo multas & graves Reipublicæ partes sibi mandatas magna cum prudentiæ, & integritatis, ac doctrinæ laude sustinuit. Nam doctrinæ clarissimum specimen in Concilio Florentino eluxit in controversiis de religionis rebus inter Latinos & Græcos. Et prudentiam ostenderunt duæ Legationes; altera in Germaniam ad Schisma tollendum, Germanosque, qui medios sese inter Eugenium & Felicem gerendo neutras partes profitebantur, ad Eugenii cultum & obedientiam traducendos; altera Ferrariam ad pacem inter Principes Italos, quorum Legati in eam urbem convenerant, componendam. Quæ utraque legatio quamvis effectu caruerit, tamen omnia illarum munera Thomam cumulate implesse, declaravit summus honor redeunti à Pontifice habitus: qui advenientem in sacrum Senatum legit amplissimi ordinis vestibus & insignibus illi ad portam missis, in quibus conspectus urbem ingrederetur. Divino autem consilio legationis effectum frustratum credo, ut uterque honos ipsius Pontificatui reservaretur. Ad quem mox pervenit mortuo Eugenio succedens. In qua re duo fuerunt ad omnem posteritatis memoriam insignia; alterum incredibilis moderationis, ac neutiquam vulgatæ virtutis specimen, quod retractans ac diu recusans ad Pontificatum à Cardinalibus pertractus est, cum sese tanto muneri parem constanter negaret; Cardinalesque sedulo moneret, ut rebus Ecclesiæ melius consulerent: alterum, quod anni curriculo ex privata sorte ad Episcopatum Bononiensem, Cardinalatus honorem, & Pontificatum Maximum pervenit, benigni Numinis favore virtutum & meritorum gratiam prosequente. Tantam clarissimis virtutibus excitatam exspectationem Pontificatus egregie sustinuit: in quo quæ plurima edidit documenta pietatis, religionis, continentiæ, mansuetudinis, justitiæ, comitatis, in primis vero multiplicis liberalitatis in egentium inopia sublevanda, in magnificis sacrarum ædium & aliis substructionibus, in amplissimis templorum donariis, in litterarum studiis fovendis, in præstantium virorum ingeniis amplectendis, ac præmiis & honoribus extollendis; diligentiæ vero, consilii, prudentiæ in Schismate exstinguendo, intermissisque pacis consiliis repetendis, & ad exitum perducendis, hæc singula persequi infiniti & supervacanei operis fuerit, cum omnia ex historiis, ejusque vita cognosci possint: obiisse vir pius constanter creditus est mœrore ex Constantinopoli à Turcis capta confectus.

JOANNIS BAPTISTAE FONTEII,
PRIMIONIS.

Obscuri generis cum falsa insignia, THOMAS
Magnanime, ac fastus temneret arma levis,
E cælo virtus, sic fies nobilis, inquit:
Jam cape clavigeri stemmata sola Petri.
Tum sacro tristes dejecit culmine mores
Vox quinctum ingeminans optima Nicoleon.
Non docto ignaros potis exsul gratia turpis,
Pontificive malos insinuare probo.
Illius ornarunt ergo inclyta tempora Regum
Hinc pietas, illinc ars nova chalcotypa.

XYSTUS QUARTUS.

ADMIRABILES multiplicesque XYSTI QUARTI laudes eæ fuerunt, ut in illo ornando cum Divina voluntate Natura conspirasse videatur: adeo omnia bona in illum cumulate congesta sunt. Divini enim Numinis benignitas hominem ad summum rerum fastigium extulit: neque ea res fortunæ est assignanda, quin potius ipse suo sibi ingenio & industria fortunam fecisse dicendus est. Quippe qui Cellis obscuro Ligusticæ oræ vico cive Saonensi in tenui & humili sorte ortus, quamvis gens Roboreja nobilis ac pervetusta sit ex Subalpinis Taurinis oriunda, unde Majores Xysti Saonam commigrarunt, in eaque urbe sedes ac domicilium sibi constituerunt: humili igitur loco ortus Xystus, atque in Franciscanorum disciplinam pueritiæ annos nondum egressus à parentibus traditus, ac cum in ætatem venit, Franciscana instituta ex voto professus, tantam animi contentionem in sapientiæ & sacræ doctrinæ studiis adhibuit, ut brevi ad altissimum in illis famæ & gloriæ locum pervenerit; adolescentiamque nondum egressus profitendi publice impositum munus in celeberrimis Italiæ Gymnasiis ea cum ingenii & doctrinæ laude exercuit, ut fama nominis sui omnem Christianum orbem implerit: quod non vivi tantum enituit, sed eo quoque mortuo vivit ac vigebit doctissimis scriptis æternitati consecratum. Universi denique Franciscani Ordinis summus Minister creatus vividi animi impetu ad maxima quæque illum ducente, ac viam expediente, brevi temporis curriculo à primo hoc honoris initi gradu, Cardinalatus titulo medio, ad summum Pontificatum adscenderit. At Natura acerrimam ac prope Divinam ingenii vim, eximiam animi magnitudinem, Regiam magnificentiam & liberalitatem, singularem religionem dedit. Quarum virtutum cum in omni vita, tum vero in Pontificatu innumerabilia edita sunt documenta. Atque ingenium quidem in doctrinæ studiis, ut diximus, in primis apparuit: animi vero magnitudo ac pietas cum in ipso statim initio, tum in toto Pontificatu conspecta est. Qui simulac Pontificatum iniit omnes curas & cogitationes in Turcarum impetus compescendos contulit, Legatosque ipsa Senatus lumina in omnes Europæ Provincias circummisit ad dissidentes Regum Christianorum animos inter se conciliandos, atque in Turcam incitandos, ictoque cum Venetis & cum Neapolitano Rege fœdere compluries expeditiones in Turcas cum infinito sumptu fecit. Jam vero dignitatis jurisque Pontificii constantissimus ac perpetuus assertor fuit, contemptusque sui acerrimus vindex, gravissimis bellis ea de caussa tam contra exteros Principes, quam contra contumaces ac parum imperiis obedientes susceptis. At vero Regia magnificentia cum summa religione conjuncta eluxit, cum in pauperum inopia sublevanda, valetudinariis reficiendis, & amplissimis vectigalibus dotandis, litteratis hominibus amplectendis, ac fortunis honestandis, amicis ditandis, beneficiis etiam in humiliore fortuna acceptis ac meritis vel tenuissimis large remunerandis illorum memoria grato animo longe repetita, tum vero in immanibus sacrarum ædium, bibliothecarum, pontium, aliisque publicis exstructionibus, quibus urbem mire exornavit, ac veluti è cœno & sordibus extractam in augustam speciem ac nitorem redegit, viis etiam directis & stratis. Ut jure in Bibliotheca Vaticana hoc carmen ejus imagini subscriptum sit:

Templa, domum expositis, vicos, fora, mœnia, pontem,
Virgineam Triviæ quod repararis aquam,
Prisca licet nautis statuas dare commoda portus,
Et Vaticanum cingere, XYSTE, jugum,
Plus tamen urbs debet: nam quæ squalore jacebat,
Cernitur in celebri Bibliotheca loco.

INNOCENTIUS OCTAVUS.

INNOCENTIUM octavum, è nobili gente Cibo, moderationis, clementiæ, animi ab omni contentione remoti, ac pacis & concordiæ studiosi fama ad Pontificatus Maximi honorem omnium humanorum altissimum extulit: quem ille iisdem artibus exercuit, quibus per omnes honorum gradus conscendens adeptus est. Duæ enim inter se contrariæ insignesque virtutes in eodem ornando convenerunt, summa severitas, & ea, quam diximus, eximia clementia: nam nemo acrius maleficia punivit, sub nulloque Pontifice urbs pacatior aut quietior fuit, minusque furtis, cædibus, maleficiis infesta: ingenio vero ita miti ac clementi fuit, ut Joannem Balvum Cardinalem Andegavensem ab ipsomet in Senatum lectum, à quo per summam perfidiam oppugnatus est, quippe qui Concilium contra ipsum conflare studuerit, tantæ injuriæ oblitus veniam petentem nihil retractans in gratia receperit. Ut merito nullius Pontificis mors ex multorum sæculorum memoria majori luctui ac mœrori toti Aulæ, omnibusque piis fuerit; cum ob incredibilem humanitatem, morumque suavitatem, ac singularem innocentiam omnibus summis & infimis æque charus ac venerabilis esset. Initia Pontificatus nonnihil inquieta & infesta habuit ad bellum Neapolitanum à Proceribus illius Regni attractus, inani spe ostensa ditionis & dignitatis Pontificiæ amplificandæ: qua spe elusus molestum negotium, ab ipsiusque natura & professione alienum, mox deposuit; posteaque ab omni armorum tractatione perpetuo abhorruit; totaque Pontificatus mens fuit, pacem & concordiam inter Christianos Principes conciliare: in quibus in Turcas Christiana Regna occupantes assidue incitandis, nullum umquam optimi parentis ac seduli Pastoris officium prætermisit.

JOANNIS CASANAE,
MONTERUBRENSIS.

Maxime ô Heros, Ligurum propago
Maxima, ingenti gravitate morum
Maxime, en Diis te probitas amicum
Maxime fecit.

Pontifex alto solio verendus
Sceptra gestabas superûm Deorum,
Hac regens tanta pietate, quanta
Quilibet umquam.

Alma pax, jus, relligio, fidesque
Tecum erant, te te merito Quirites
Alterum Augustum veluti colebant,
Pompiliumque.

Aurea, ô CYBO, *tenebris fugatis*
Sæcla condebas Latium per omne,
Sæcla, queis pleno locuples fluebat
Copia cornu.

Te Deus nobis utinam dedisset
Sospitem æternum: fera nam Tyrannos
Monstra pacatis procul hinc fugasses
Undique terris.

Quam foret Respublica Dii beata
Orbe nunc tota super aucto Regnis,
Rebus immensis, populis, trophæis,
Imperiisque.

Constat in Turcas cupiisse Reges
Te pii bellum gererent ut icto
Fœdere, & cunctis Scythicum domarent
Viribus hostem.

Parce te haud jactes adeo Selime
Proh scelus; te jam miseratus ipse
Dat jugo CHRISTUS, *tua vota* CYBO
Subdere collo.

Euge tu, ô Heros, meritis per ævum
Roma quem tollit super astra, felix
Vive cum Diis sæcla nunc beata
Terque quaterque.

JVLIVS SECVNDVS.

Ego vero te clarissimum Italiæ lumen, Juli Maxime, quem eadem, quæ Xystum patruum, Roboreja gens tulit, quo nomine appellem, incertum habeo; tot illud meritorum ac multiplicis virtutis tituli insigne faciunt. An Italicæ libertatis acerrimum vindicem vocem? an Pontificiæ dignitatis constantissimum propugnatorem? an Sacerdotalis dignitatis perpetuum assertorem? an ditionis Romanæ Ecclesiæ omnis fere amissæ recuperatorem? an Pontificii imperii propagatorem, duabus opulentissimis & nobilissimis Cispadanæ Galliæ urbibus Parma & Placentia illi adjectis? Quid vero magis miremur, rerum ne gestarum magnitudinem, an Divinam & multiplicem in illis gerendis virtutem, tot consilii, fortitudinis, audaciæ, constantiæ, animi nullis terroribus infracti, nullisque periculis umquam deterriti, editis exemplis? Nec minor continentiæ animique ab omni sorde liberi laus, quam heroica hæc virtus, ac rerum gestarum gloria nomen tuum nobilitat, qui bonorum publicorum tam diligens & religiosus custos & conservator fueris, nullis umquam largitionibus in tuos factis. Jam vero innumeræ cum omnis generis, tum in primis arcium substructiones regio sumptu excitatæ, quibus ditionem Pontificiam ubique firmasti & ornasti, quam tandem gloriam nomini tuo conciliant? in quibus Vaticanum templum à fundamentis excitatum, quod contemplantium animos horrore perfundit, declarat, te priscam Romanorum animi magnitudinem, quæ duabus rebus, hoc est, virtute bello invicta, atque immanium substructionum portentosa specie, in primis conspecta est, hac quoque parte tanto sæculorum intervallo unum nobis rettulisse. Beatam vero Italiam, ac beatum Pontificium solium, in quod augendum & ornandum omnes curas perpetuo intendisti, nisi nos Divina virtute tua humanæ conditionis necessitas nimis cito orbasset. Profecto ad summum aliquod rerum fastigium illud extulisses: quam rem te moliri, incredibilis animi tui magnitudo, ardensque Patriæ charitas haud dubium faciebat. Uno igitur nomine laudes tuas complectar: teque Italiæ ac Romanæ Ecclesiæ parentem jure nominabo; omnisque nobis ac posteris nostris tantis à te beneficiis acceptis ætas erit in meritis ac laudibus tuis prædicandis, memoriaque tua veluti Numinis cujusdam colenda.

PETRI MAGNI.

Julius haud ulli Ligurum virtute secundus,
Seu pacem, seu bella gerens, acerrimus hostis
Desidiæ, probrique, urbes ditione tuetur,
Amissas recipit, captas instaurat, & auget,
Invictus, sollers, observantissimus æqui.

AELIVS PERTINAX.

Sacrosanctos Christi Vicarios subsequuntur ii, qui ad summum rerum humanarum fastigium, atque ad orbis terrarum imperium elati sunt: quod Ælio Pertinaci in Martis villa haud procul à Vadis Sabatiis humili loco orto virtus per omnes publicorum munerum ac militiæ gradus & dedit & ademit. Optimum enim Principem ac priscam disciplinam severitate, parsimonia, continentia, justitia longo intervallo referentem cum corrupta sæcula non ferrent, Prætoriani conscelerata conspiratione interfecerunt, cum quinque & octoginta tantum dies in imperio fuisset. Ceterum clarissimarum virtutum memoria Divinitate à Senatu decreta, quem exsecrabilem morem occæcatis animis prava quoque religio invexerat, Flamineque & Ælianis Sodalibus additis decorata est.

ANTONII VACCAE.

Sancte senex, sub quo antiquis virtutibus olim
Romanam rem restitui, quæ fœda jacebat,
Et collapsa malis, spes certa illuxerat orbi.
Quid prius, aut quid posterius mirarier in te
Mens valeat, tamquam solis stupefacta nitore?
An suprema loco ex humili ad fastigia vectum
Te rerum? an corpus tolerans animumque laborum
Cunctorum? an parcam & sollertem ante omnia vitam?
Ut tibi avaritiæ male nomen inureret id, quod
Laus propria, atque bono virtus in Principe habetur.
Tu leges, tu militiam, tu munera pacis,
Ac belli, tu justitiæ & pietatis honorem
(Quod caput est) Princeps sic & privatus obisti,
Sanctius ut nemo quam tu, aut sollertius umquam.
Invidia ingratis velut ignis in alta penetrans
Testata id scelere est, testatur gloria gratis,
Immortale tibi servans per sæcula nomen.
Illa necem, hæc desiderium, famamque rependit
Æternam, ac tantum se auget, quantum illa senescit.
Propensi in Ligures salve decus Apennini.
Quo se cumque addant natæ ad miracula gentis.
Temporis exigui imperio qui plura dedisti,
Et majora, alii multo quam tempore multi.
Fortuna ab tenui tibi scilicet imperitare
Nec mala perfrangi teneris bene doctus ab annis,
Dum fortis tendis, dumque assuetudine vincis.
Unde tibi ex vero & dictum cognomen adhæret.
Nempe bonæ exemplum ut patriæ moremque secutus
Cunctorum fieres meritus composque bonorum,
Perpetuaque ausint petere idem sorte nepotes.

CHRISTOPHORVS COLVMBVS.

Te quoque Ligurum & Genuæ patriæ sempiternum decus, Christophore Columbe, huic primæ classi inserunt cæleste ingenium & Divina virtus tua, ac neutiquam comparabile in Christianam Ecclesiam promeritum: quam tu in longe remotissimas regiones per immensa terrarum ac marium spatia protulisti, innumerabilibus populorum millibus ab immani ferarum vita exsecrandisque Cacodæmonum superstitionibus ad veri Numinis cognitionem, sacræque ac cælo demissæ religionis cultum traductis. Tibique tanto celsior locus gloriæ debetur, quam Libero, Herculi, Æsculapio, & ceteris, quos Antiquitas accepta beneficia grata recordatione remunerans in cælum extulit, quanto immensius ac Divinius virtutis opus fuit, novum atque alterum orbem invenisse, quam inventum legibus, institutis, variisque artibus excoluisse. Quin etiam si quis rem vere existimare velit, non unius tantum orbis, sed duorum inventor fuisse dicendus es: neque enim minus illi invento à te orbi nostrum orbem, quam nostro illum adjecisti: nec minus illius incolis nostrum, quam nobis illorum orbem aperuisti, & in lucem protulisti: cum iis quoque laudibus, quibus veterum Heroum nomen ac fama cælum conscendit, tantum absit, ut careas, ut illos etiam longe superes: atque uterque orbis summa tibi beneficia sigillatim debeat; ille, quod ad humanum cultum atque ad sacram, humanæque salutis præsidem religionem, aditum, ut diximus, ipse primus patefeceris, quo beneficio nullum excogitari potest majus: at noster, quod tantorum commerciorum, ac tantarum opum, quantas ne Romani quidem ipsi omnibus triumphis suis in Italiam congesserunt, nos compotes feceris: eo etiam majore cum emolumento, quod opes à Romanis invectæ brevi finem invenerunt, cum orbe perdomito victoriarum ac triumphorum materies defuit: at quæ te auctore continenter importatur auri & argenti immanis vis nullis sæculis exhaurietur. Jam vero quantum Deus immortalis ingentium meritorum gratiam cumulant ea, quæ in præclaro consilio exsequendo pertulisti? ad quæ ut mentem & cogitationem convertamus, cujus animus non horreat immensos à te exhaustos labores? cæli injurias, atro-

atrocissimas tempestates, quibus sæpe pene es obrutus? assiduas vigilias, quibus usum luminum sæpe amisisti? Quis non admiretur incredibilem audaciam, constantem patientiam, numquam infractum animi robur, secum ipse reputans prælia cum barbaris & ignotis gentibus commissa? amicorum & sociorum infidelitates, quibus perpetuo conflictatus es? partim ab illis in mediis discriminibus satietate & tædio deficientibus desertus, partim insidiis & consceleratis conspirationibus appetitus? invidorum & obtrectatorum perpetuas calumnias, quæ te rerum gerendarum cursu interrupto ad caussam dicendam tanto maris ac terrarum tractu in Hispaniam nonnumquam avocarunt? Adversus quæ omnia invicta stetit virtus tua; omnesque hominum & cæli injurias vivida vi sua prostravit & perfregit. Quas res si quis animo circumspiciat ac momentis suis ponderet, profecto statuat cum sollertis ac Divini ingenii acie constantem virtutem in te certasse. Ac ne quid tibi de summis laudibus deesset, Patriæ charitas, quam etiam extremo spiritu retinuisti, Divinarum virtutum gloriam comitatur: quippe qui amplissimarum opum tuis laboribus partarum decumam partem Reipublicæ Genuensi legaveris, id quod Antonius Gallus egregius Historiarum Scriptor, qui æqualis illorum temporum fuit, quique Vitam tuam conscripsit, testatur. Præclaram vero gratiam tantis meritis Patria rettulit: quæ quo statuæ honore complures cives levissimis sæpe de caussis decorandos duxit, eo te fraudare non sit verita. Ut nomen tuum, quo nihil est omnium nationum sermonibus, scriptis, laudibus magis usurpatum aut celebre, in una patria tua turpis silentii oblivione comprimatur; memoriaque tua, quæ omnium mentibus insidens Numinis pene venerationem apud exteros obtinet, nullum in patria inveniat locum; à qua sit veluti perpetuo exsilio ablegata. Qua in re non ego tuam, sed patriæ ipsius vicem doleo: tua enim gloria ita alte adscendit, ut neque illi honor decretus ullus addere, neque negatus demere quidquam possit. Sed civium tuorum supina negligentia incredibili cæcitate conjuncta lugenda est, qui tantum ipsi sibi & patriæ honorem invideant: cum quibus ego consilia consociare nefas duxissem. Quare sanctissima mens è cælestibus sedibus hujus civis tui accipe studium, qui ceteris tanto officio indormientibus, quam unam gratiam potest, tibi stilo atque hoc Elogio persolvit: cujus ea erit clausula, Nullarum gentium, nullorumve temporum gloriam tuæ æquatum iri, quæ eo etiam est celebrior, quod ceterorum hominum nomen & merita angustis Herculei freti terminis includuntur, tua fama tuaque beneficia utrumque orbem complexa, nullisque coercita finibus omnes maris ac terrarum tractus, omniaque cæli climata magnitudine sua complerunt.

HIPPOLYTI CAPILVPII,
EPISCOPI PHANENSIS.

O Ligur Italiæ decus, & lux certa, COLVMBE,
Heu brevis exstinctum te quoque testa capit.
Te modo non potuit terras qui amplectitur omnes
Oceanus magno continuisse sinu.
Illius es fines ultra rate vectus ad Indos,
Quo prius haud pennis fama tetendit iter.

DE VIRIS MILITARI VIRTVTE ILLVSTRIBVS.

ANTONII HORTENSII.

Magnanimi Heroes Ligurum, quos inclyta virtus,
Magnus & in patriam nobilitavit amor:
En vos Ubertus scriptis intexuit aureis,
Ut vis nulla queat, nulla abolere dies.
Ergo vos illi debetis, patria vobis,
Vel potius vobis patria eique simul,
Vos patriam auxistis meritis, Ubertus & illam
Et vos æterno consecrat eloquio.

POPVLVS GENVENSIS.

NE hujus quidem secundæ classis, quam militari virtuti assignavimus, ullum splendidius exordium, quam à pietate & religione duci potuit. Bellica enim Genuensium virtus non modo ad gloriam nomini conciliandam, & ad Rempublicam tutandam atque amplificandam valuit, sed, quod longe præstabilius est, in Christiana religione propaganda in primis conspecta est. Genuenses enim classe & viribus cum Pisanis conjunctis (neque enim quamvis æmulum populum debitæ laudis præconio fraudare candoris nostri fuerit) Genuenses igitur Pisanis adjunctis Sardiniam insulam perdomuerunt; Mosaitoque Rege Mauro victo ac capto, Genuamque adducto, atque inde ad Cæsarem misso, non modo tantam insulam ditioni cum Pisanis communicatæ adjecerunt, quæ res postea (ut parum fida, parumque stabilis imperii societas semper fuit) præpotentes & vicinos populos diuturnis internecinisque bellis inter se commisit, verum, quæ longe præstantior meriti gratia fuit, impia Mahumetana superstitione exterminata Christianam religionem in eam insulam induxerunt. Qui Dux tantæ rei gerendæ præfuerit, temporum vitio, quæ diligenti Scriptore caruerunt, incompertum est: quæ res in bonum vertere censenda est, ut tanta laus cunctæ civitatis potius sit, quam uni nominatim viro, aut uni familiæ assignetur. Neque nos ullo modo hanc historiam omittere debuimus: nam præterquam quod in patriam ipsam ingrati & injuriosi plane fuissemus, si qui tot civium nostrorum virtutem suis sigillatim laudibus pro cujusque merito persecuti sumus, universam ipsam civitatem debito præconio præteriissemus, privatam quoque singulorum gloriam haud parum imminuisse existimaremur: quæ mirum quantum à civitatis dignitate augeatur & illustretur.

FVLVII CARDVLI.

Subjicit imperio, ac cœlo populosque feroces
Urbs Ligurum princeps, magnanimosque Duces.
Dicere sic non est, fuerit studiis ne Gradivi,
An Christi major religione Ligur.

GVLIELMVS EMBRIACVS.

NOBILIS & pervetusta Embriacorum gens fatali humanarum rerum conditione exstincta quidem est, ceterum gloria viget, ac perpetuo vigebit clarorum virorum, quos permultos tulit, laboribus & rebus gestis immortalitati consecrata: quorum virtus cum multis locis enituit, tum vero in bello sacro maxime conspecta est: in quo GVLIELMI nomen in primis clarum fuit: qui prævalidæ Genuensis classis Præfectus cum classe in terram subducta ipse cum omnibus tam militum, quam sociorum navalium copiis, omnique bellico apparatu & machinarum genere, quibus rebus classis instructissima fuit, ad exercitum sacram urbem circumsidentem se contulisset, fortissimam operam Christianæ Reipublicæ navavit; magnaque in illo & in adductis copiis toto oppugnationis tempore opportunitate...

portunitatis pars, plurimusque usus rebus gerendis fuit. Ejus enim in primis consilio, Genuensiumque opera & industria sacram urbem captam non Genuensium modo Annales, sed exteri quoque illorumque temporum Scriptores tradunt, turri ingentis magnitudinis mirique artificii ipso auctore & Genuensium industria fabricata, cujus cacumen, cum libuisset, flecteretur, ac stabilis pontis usum pugnantibus præberet: ex qua mœnibus admota in urbem transcensum est; illaque tandem Christiani potiti sunt. Ab eodem Gulielmo tertio post anno alterius præpotentis longarum & onerariarum navium classis Præfecto, quæ octo bellatorum millia vexit, in minore quidem re, ceterum in majore discrimine, ut non minus clarum, ita magis audax facinus editum est ad Cæsaream urbem Palæstinæ: quæ ejus virtute, ac vivido & imperterrito animo expugnata est. Nam cum princeps mœnia conscendisset; scalæque muro admotæ scandentium onere prægravante perfractæ ruina sua superstantes secum traxissent, Gulielmus, ut se solum & à suis desertum vidit, ab audacia, quod unum reliquum erat, præsens mutuatur consilium: proximam enim turrim conscendit, Saraceno quodam, quem descendentem è turri obvium habuit, deturbato: cumque cacumen tenuisset, nudato gladio magna voce suos inclamans ad mœnia mox scandenda hortatus est: qua viri audacia & hostes obstupefacti intra secunda mœnia (duplici enim muro ea urbs cincta est) se receperunt; & Genuenses confirmati prima mœnia transcenderunt: indeque in secunda mœnia palma arbore subnixi transgressi acriter primo resistentes hostes tandem averterunt, ingenti illorum edita cæde, civitatisque compotes facti sunt. Opulenta fuit hominum & rerum præda: quam Præfectus inter milites large partitus triumphans Genuam reversus est. Hunc Gulielmum plerique Annales *caput mallei* vocant, indito videlicet à fortitudine cognomine.

ANGELI FOSCARDI.

Discite nostra viri bello quos parturit ætas,
Infestum Christo vincere posse genus.
Hujus nam tandem indefesso pectore & armis
Sancta olim nobis reddita terra fuit,
Turribus & ponte superatis oppida muris
Sternere quem docuit religionis amor.

ANSALDVS ET HVGO EMBRIACI.

GVLIELMI gloriam ANSALDVS & HVGO EMBRIACI fratres gentilitiæ virtutis æmuli rebus à se gestis subsecuti sunt: incredibilique hujus gentis felicitate factum est, ut cum bellica virtute pietatis quoque & religionis commendatio conjungeretur. Hi etenim viri classis septuaginta triremium Præfecti præter multa alia insignia edita facinora urbem Biblium in Phœnicia ad deditionis necessitatem adactam Genuensi ditioni adjecerunt. Quæ amborum & ceterorum Embriacorum merita amplissimis præmiis Patria remuneranda duxit, omnibus urbibus atque oppidis, quæ in ora Syriæ possidebat, Embriacorum virtute in primis partis, nobilissimæ genti omnique posteritati fiduciariis concessis.

FVLVII CARDVLI.

Vestra quoque Embriacæ genti, patriæque pararunt
Ansalde atque Hugo facta perenne decus.
Publica vos pietas sævos armavit in hostes,
Credidit & fidei robur, opesque suas.
Tum vires Ligurum & validas Phœnicia puppes
Sensit, & Embriacum nomen & imperium.

POPVLVS GENVENSIS.

QVAE tres res ad magnas urbes illustrandas plurimum valent, religio, potentia, virtus, eas omnes civitas nostra cum multis locis, tum vero in hoc ipso bello sacro, quod in manibus habemus, declaravit: nam & religio in nullis laboribus, nullisque discriminibus pro Christiani nominis gloria, proque Christiana re augenda recusandis conspecta est; & eximiæ potentiæ argumento fuerunt septem ingentes classes cum magno bellatorum numero tredecim annorum curriculo Christianis rebus subsidio Genua submissæ; & virtutis in præliis atque urbium expugnationibus clarissima ac quamplurima documenta edita sunt. Præter enim eas urbes, quæ in Elogio, quod nationi nostræ à Balduino Rege datum hic adscribemus, nominantur, Tripolim quoque, Berytum, Aconem, Biblium majorem, Joppam, Ascalonem à Genuensibus partim solis, partim copiis Balduini Regis adjunctis, fuisse expugnatas constat. Diploma autem in Genuensi Tabulario adservatum ipsi vidimus. Neque vero consilium nostrum reprehendendum putamus, aut fidem nobis abrogatum iri speramus, quod Elogium ipsum paulo jejunius, incomptoque illo, & rudi eorum temporum orationis genere conscriptum copiosius & politius sententia nihil mutata aut variata explicaverimus. Est autem hujusmodi:

Quod populus GENVENSIS *pro ejus perpetua & contestata pietate ac religione, toto sacro bello præpotentibus classibus, firmissimisque terrestribus copiis Christianam rem juverit, in sacraque urbe Hierosolyma, Antiochia, Laodicea, Dertusia expugnandis plurima opportunitatis atque operæ pars in illius virtute & industria fuerit, solique Genuenses celebres urbes Cæsaream, Ascalonem, Solimum, Biblium Hierosolymitano imperio ac sacro Christi sepulchro adjunxerint, summos labores exhauserint, maxima discrimina subierint, sanguinem profuderint, mortem fortiter oppetierint, nullis impensis pepercerint, nullis difficultatibus sint debilitati, nullis jacturis infracti; sed adversus omnia mala invictam virtutem & patientiam præstiterint, ut à nullo omnino Christiano populo promptior, fidelior, constantior, magis multiplex opera Christo Domino, Christianæque Reipublicæ navata sit. Hæc tot ac tanta merita Balduinus Rex invictus Damberto Patriarcha laudante atque approbante, & præclaro Elogio ad memoriæ æternitatem testanda, & amplissimis præmiis remuneranda censuit, tertia Ditionis & vectigalium parte urbium Cæsareæ, Aconis, Assuris in perpetuum concessa, ad hoc singulis vicis in urbibus Hierosolyma & Joppa cum jurisdictione illi tributis. Datum in urbe sacra* X. *Kal. Majas anno à Verbo homine facto M. C. V.* Hocque Elogium non ex Tabulariis eruendum, sed in oculis hominum sacram urbem ac sacrum sepulchrum adeuntium positum est, in fornice altari ejusdem sacri sepulchri superstante aureis litteris incisum, *Præpotens Genuensium Præsidium.*

VBERTI FOLIETAE,

AVCTORIS.

Te pietas, te relligio, te Martia virtus,
Civilesque artes sydera ad alta ferunt.
Te summi Reges ornant, nomenque verendum est
Omnibus in terris urbs veneranda tuum.
Tu late imperium profers, te Numina, sollersque
Ingenium æternis amplificant opibus.
Tu salubri cœloque aurisque salubribus utens
Fata hominum extremum protrahis in senium.
Littora perpetuo viridantia, floribus horti
Vernantes violisque ipsa hieme in media.
Immanes moles, & tecta æquantia cælum
Defigunt oculos, qui te adeunt, hominum.
Si nihil, ô Patria, hæc possunt incondita scripta
Nostra tuis tantis laudibus adjicere,
Ast eadem studium saltem testantia nostrum
Accipe tu, pietas quæ tibi nostra dicat.

PO-

POPVLVS GENVENSIS.

Multis de caussis, multisque utrinque illatis injuriis Genuensium & Pisanorum animis inter se irritatis, cum non de prophanis modo rebus, sed de sacris quoque esset contentio, utroque populo jus inaugurandi Corsos Episcopos ac Metropolitanam jurisdictionem suo Antistiti in sua urbe vindicante; Romanorumque Pontificum favore modo in hunc, modo in illum propendente, quam rem claris populis multo sanguine stetisse Calistus Pontifex tradit, cum diu compressa odia in apertas inimicitias tandem erupissent, illasque primo populationibus, direptionibus, rapinis, excursionibus, quibus omnia circa maria late fuerunt infesta, exercuissent; ad extremum, Genuenses omnibus viribus connixi classem navium & bellatorum numero ac genere prævalidam compararunt. Octoginta enim triremes fuerunt, ac quattuor ingentis magnitudinis corbitæ, ad hoc amplius sexaginta minora varii generis variique nominis rostrata navigia, ac duo & viginti bellatorum millia: cumque nullam Pisanorum classem obviam habuissent, copiis in terram expositis Pisanos intra mœnia compulsos arctissima annua obsidione, ut Volaterranus tradit, pressos ad pacem petendam, & ad suas conditiones de omnibus controversis rebus adegerunt: quos etiam ad ignominiæ testimonium humilioribus ædibus uti voluerunt, superioribus cœnaculis dejectis: cujus tantæ rei gestæ laus, cum nullus unus certus Dux ab Annalibus prodatur, tota populo ipsi universo ipsa quoque tribuetur.

HORTENSII TORCELLINI.

Non tulit injuriam Ligur, ac jus quæsiit armis;
Arma dabunt, inquit, quod dare jura negant.
Improvisus adest, inimicamque obsidet urbem,
Nec prius oppressos obsidione levat,
Quam litem incidit, quam culmina summa domorum
Disturbat, quam hostis corda superba domat.
Sic decuit Pisani animos domuisse superbos,
Ne se humili in tecto tollere deinde queat.

ANSALDVS AVRIA, VBERTVS TVRRIVS, PHILIPPVS LONGVS, ANSALDVS PIZO, BALDVINVS, INGO.

Vt res communiter gestæ sunt, ita clarorum virorum laus uno communique Elogio nobis comprehendenda fuit; neque multitudine minuitur compotum gloria, sed civitatis nostræ mirifice augetur dignitas, quæ egregiorum virorum copia tam dives semper fuisse appareat: nam quamquam splendor in unum collectus fulgentior est, idem partitione subobscurari, & veluti hebescere videtur, tamen ingentis apparatus, rerumque gestarum magnitudo tanta est, quæ vel in multos distributa singulos memorabiles atque Elogio dignos faciat. Hi fuerunt Ansaldvs Avria, Vbertvs Tvrrivs, Philippvs Longvs, quæ gens nunc Jvstiniana est, Ansaldvs Pizo, Baldvinvs, Ingo, qui duo postremi familiæ nomine apud Annales carent, ingentis ac præpotentis classis Præfecti: tres enim & sexaginta triremes fuerunt, quibus addita sunt centum & sexaginta alia minora navigia. Commeatuum vero ac nautici instrumenti, ad hoc machinarum & tormentorum ad expugnandas urbes, omnisque bellici apparatus tanta copia, quodque caput est, tantus delectorum bellatorum numerus, ut nullam classem validiorem aut instructiorem ad eum diem à Genuensibus littoribus solvisse constet. Tantis conatibus digni exitus responderunt, Almeria maritima Regni Granatæ, & Dertusia citerioris Hispaniæ opulentis urbibus, quæ à Mauris tenebantur, post longos exhaustos labores expugnatis, cum expugnatio Dertusiæ sex menses extracta sit, ac multo sanguine Genuensibus steterit, ingentique hostium multitudine cæsa: quibus urbibus altera Castellæ Regi, altera Comiti Barchinonensi ex pacto traditis, ipsi pleni gloriæ atque ingenti onusti præda Genuam reversi sunt.

ANTONII FOSCARDI.

Cui pareant acies, poscit cum prælia Mavors,
Vrbs uni confert quælibet arma Duci.
At Ligurum urbs Senos armat, qui tergore cæso
Maure tuo in patriam spolia opima ferant.
Scilicet ut doceat (tanta illi bellica virtus)
Agmina magnanimûm mittere posse Ducum.
Felix prole virûm, proles atque aurea felix,
Quam virtus recto tramite ad astra vehit.
Atque ô bis felix, famam nam dentibus ævi
Divino Vbertus eripit eloquio.

POPVLVS GENVENSIS.

Portentosa Guelpharum & Gibellinarum partium rabies animos hominum multa sæcula ita agitavit, ut tota Italia omni generis cladibus grassata compluribus populis miserabili exitio fuerit: quippe quæ non modo ejus Provinciæ urbes acerrimis internecinisque bellis inter se committeret, sed unius ejusdemque civitatis incolas, quinetiam ejusdem cognationis, uniusque & ejusdem domus & familiæ homines in contraria studia distraheret: quo fiebat, ut animis civium hostili atque exsecrabili odio inter se diffidentibus, omnia turbis, seditionibus, rapinis, direptionibus, cædibus, domorum eversionibus, sacrarum ædium incendiis miscerentur, cum vesanus furor non modo alteram Factionem in alteram incitaret, sed omni pietatis & humanitatis jure perfracto fratrum in fratres, atque ipsorum parentum in filios, filiorumque in parentes dextras armaret; pluraque inhumanæ crudelitatis facinora ejusdem urbis inter se ederent incolæ, nulla patrii soli charitate inexpiabilia ardentiaque odia mitigante, quam ulla immanis barbaries ardore pugnæ irritata in victos edidisset: quæ diffidia & insanientium animorum certamina cum nullis non locis aut temporibus exercebantur, tum vero in honorum & magistratuum contentionibus in primis apparebant: qui non jam prensationibus, suffragationibus, allegationibus, largitionibus, sed ferro & sanguine petebantur; resque sæpe à jurgiis ac verborum certaminibus ad manus revocabatur, omnia Factionibus ad se & ad suos trahentibus. Cui malo unum illud salubre quidem, ceterum parum honorificum, remedium inventum est, ut ipsi se cives Reipublicæ administratione atque honoribus privarent, peregrinumque Prætorem sibi adsciscerent, cui summam Rempublicam, summumque in civitate imperium committerent: quæ contagio cum omnes fere Italiæ urbes infecisset, nemini mirum videri debet, si illa ne civitas quidem nostra intacta fuerit; eidemque necessitati peregrino homini annuam Reipublicæ administrationem tradendi parere coacta. Neque tamen res à populo Genuensi exteris Prætoribus res urbanas moderantibus & regentibus gestæ, victoriæque nostris hominibus, armis, classibus, opibus, consiliis, laboribus, discriminibus partæ, peregrino homini ad eam tantummodo rem adscito, ut discordiarum nostrarum arbiter & disceptator esset, potius, quam ipsi civitati sunt assignandæ, quamvis Genuensi homine summo Duce caruerint: quales fuerunt duæ expeditiones, quas mox suis singulas Elogiis prosequemur. Genuenses igitur cum amicitia, tum precibus & ingentibus pollicitationibus Henrici Cæsaris inducti, qui ea de caussa Genuam sese contulerat, omnemque victoriæ fructum cum Genuensibus partiturum fidem dederat, ingentem classem armarunt, cujus navium & bellatorum numerus ab auctoribus non traditur, sed ingentem fuisse ex rebus gestis haud dubitandum est. In expugnatione igitur urbis Cajetæ, quod primum illius expeditionis

nis opus fuit, tanta in Genuensi classe, & in adductis copiis momenta fuerunt, ut Cajetani urbem tradentes non in Cæsaris modo, sed in Genuensis quoque populi imperia Vicario ipso Cæsaris præsente, remque æquo animo ferente & ratam habente, jurarint. Ad hoc in Sicilia Catinæ urbis, quam jam in ditionem Henrici concesserat, obsidionem solverunt Mauris fusis & fugatis, qui eam urbem pro Regina Tancredi Regis mortui uxore repetebant. Postremo nobilissimam celeberrimique nominis urbem Syracusas expugnarunt. Quorum laborum & impendiorum eum fructum perceperunt, ut ingentia merita Henricus, (id quod plerumque fit) fidei & promissorum oblitus, ingenti memorabilique ingrati animi exemplo remuneratus sit, nihil non modo promissorum faciens, sed Genuenses omnibus iniquitatibus omnibusque injuriis ultro afficiens. Quas tamen injurias Genuenses haud multo post ulti sunt, eadem urbe per occasionem Henrico, iisque, quibus illam Henricus fruendam dederat, adempta, & Alemano Comiti populi Genuensis fiduciario tradita.

HORTENSII TORCELLINI.

Elatus Theuto successu pacta negavit,
Præmiaque, immeritos expulit & Ligures.
Verum quæ potuit virtuti pacta negare,
Tollere non potuit dextra maligna decus.

POPVLVS GENVENSIS.

NE hujus quidem anni rerum gestarum gloriam unius alicujus privatim hominis, sed universæ civitatis eadem de caussa esse necesse est. FRIDERICVS secundus CAESAR, idem Romanæ Ecclesiæ Genuensisque nominis infensissimus hostis, validis maritimis ac terrestribus copiis Genuenses urgebat; jamque maximam partem maritimæ oræ, quæ ad Orientem spectat, occuparat. Contra quem ingens classis trium & octoginta triremium ac tredecim Taridarum (eas esse naves longas majoris formæ, quas nunc *Galeatias* appellamus, supra jam diximus) educta est delectis bellatoribus referta: quæ non modo hostem finibus Genuensibus expulit, amissaque loca recuperavit, sed hostilem classem in fugam versam, certamenque detrectantem usque ad Stœchadas insulas insecuta est: neque insequendi finem prius fecit, quam hostis sese in portum Saonæ, quæ urbs toto eo bello sedes belli fuit, recepisset, ac vallis ostio portus clauso aditum Genuensibus irrumpentibus exclusisset: qui pugnæ spe dejecti in sua concesserunt. At hostis metu liberatus è portu iterum cum exiisset, circumjectaque maria excursionibus & rapinis infesta faceret, extemplo altera septuaginta triremium classis è Genuensi portu prodiit; hostisque congressum vitans classem iterum intra vallum Saonensis portus subduxit.

SIGISMVNDI DONATI.

In te dum nemo contraria tela ferebat,
Sulcabas tumidus cærulei alta maris.
At cum vidisti Ligurum, FRIDERICE, cohortes,
Diceris effusa terga dedisse fuga.
Siccine te inducto certamine posse putabas
Victorem hostili ponere castra solo?
Sic puto totum orbem domuisses viribus istis,
Si nullus toto miles in orbe foret.

VBERTVS AVRIA.

NEMO omnino de Genuensibus bellica virtute & rerum gestarum magnitudine claris altiorem gloriæ locum VBERTO AVRIA: qui idem imperium Genuæ obtinuit, navali prælio ad portum Pisanum cum Pisanis commisso victor: in quo utraque præpotens classis, quæ præter cetera varii generis navigia amplius octogenarum triremium fuit, quidquid floris, quidquid roboris, quidquid nobilitatis in utraque natione fuit, in armis habuit, cum etiam aureis & purpureis vestibus omnique splendidæ fortunæ opulentia rem nobilitassent: atque ingentes globorum cumuli purpurea fascia velatorum in classe Pisana sint reperti, quos illi à superbia & contemptu sese in portum Genuensem jaculaturos non minus ridiculo ac puerili consilio, quam vana ferocia jactaverant: quod prælium diu anceps ita atrox & cruentum fuit, ut mare ab immensa effusi cruoris vi late circa rubrum factum sit; natantiumque passim scutorum, galearum, telorum, cadaverum, confractorum remorum, & omnis generis navalium armamentorum fuerit conspersum. Septem hostium triremes suppressæ sunt, octo & viginti captæ; tantusque captivorum numerus Genuam adductus est, ut una cum reliquis, qui variis casibus multisque temporibus antea capti fuerant, & in custodia adservabantur, ad novem Pisanorum millia carcere inclusi sint. Ut non minus vere quam contumeliose in Pisanos dictum illud apud Hetruscos multis sæculis usurpatum sit, *Genuam eundum, si quis Pisas cernere cupiat.* In captivis fuit Ubertus Maurocenus Venetus, quem Pisani ob virtutis rerumque navalium famam Prætorem sibi ac classis Præfectum ultimam spem tentaturi, omniaque extrema conaturi, adsciverant. Sacro igitur sollemni anniversario ad Ædem Xysti, atque aurei aulæi dono tantæ victoriæ memoriam perpetuo colendam esse decretum est.

IDEM VBERTVS AVRIA.

CUM hominis, tum rei magnitudo fecit, ut unus VBERTUS AURIA inter ceteros Ligures duplici Elogio à nobis ornandus visus sit: vir re quidem gesta, clarissimaque victoria de Pisanis parta, quam modo suis laudibus prosecuti sumus, memorabilis, ceterum re non gesta (neque id quisquam miretur, priusquam quale sit cognoverit) memorabilior: de quo viro Patria ita ampla judicia fecerit, ut illum præ ceteris elegerit, cujus spectatæ virtuti, rei bellicæ scientiæ, consilio non modo quidquid virium, quidquid opum habuit, atque adeo totam se ipsam omnemque Rempublicam, sed quod longe majus & præstabilius est, famam & existimationem suam crediderit. Nam cum Veneti clade à Spinula accepta ira & indignatione ardentes, sese omnia Liguriæ littora navibus completuros, eaque classe ostium ipsius Genuensis portus infessuros, cujus Genuenses non modo impetum, sed ne adspectum quidem possent ferre, contemptim superbeque jactassent; Genuenses verborum ferociam rebus retundendam censentes, extemplo certo homine misso, Venetis nuntiarunt, lætari se vehementer, illorum verbis sibi occasionem dari, prælio experiendi, utra natio bello sit melior; seque laborem longioris itineris illis adempturos. Siciliam enim insulam utrique urbi interjectam, parique fere ab utraque distantem intervallo, campum delegisse, in quo præclaram hanc æmulæ virtutis & potentiæ contentionem communis Mars decerneret. Quare navibus ex omni Ligustica ora corrogatis classem centum & sexaginta triremium mensis curriculo compararunt, omnique nautico instrumento atque omni bellico apparatu instruxerunt: in quam duo & quadraginta hominum millia conscenderunt: qui omnes Ligures fuerunt, omnibus alienigenis, quos generosæ expeditionis celebris fama Genuensisque nominis amicitia & cupido ostentandæ virtutis Genuam attraxerat, in tam splendidum certamen nomina certatim dantibus, repudiatis: quam rem Jacobus Varagineus illorum temporum æqualis gravissimus & sanctissimus Antistes, idemque certissimus Scriptor tradit, qui rei interfuit, & classem ipsam conspexit, numerum-

merumque navium sese recensuisse affirmat. Cum qua classe VBERTVS cum insulam certamini destinatam tenuisset, ac circiter mensem in ancoris stetisset hostem exspectans, suosque ad optatam pugnam omnibus incitamentis exacuens, Venetique nusquam apparerent, Genuenses Divos hominesque, ac cælum ipsum & maria contestati, certamen ultro à se oblatum, ab hostibus detrectatum, Genuam reversi sunt tanto pleniores gloriæ ex hoste non conspecto, quam si idem prælio victus esset, quanto ingentius fortitudinis specimen fuit, ipsorum virtutem adeo hosti terribilem fuisse, ut is illam prælio attingere ausus non sit, quam si congressus fusus aut captus fuisset.

Aliis item compluribus haud contemnendis expeditionibus præfuit summa semper cum laude: quas si suis singulas Elogiis persequi velimus, innumeris præconiis vir clarissimus ornandus fuerit: duas ceteris multis omissis strictim attingemus. Prima fuit in ipso juventutis flore ante Principatum in patria adeptum decem octo annis ante Pisanam cladem adversus Venetos: qua in re operæ pretium est civitatis nostræ illorum temporum animum & potentiam considerare, quæ finitimo bello Pisano maximo & internecino implicita, eoque tum, ut cum maxime, ardente, quod tanto sanguine, totque cladibus utrique civitati stetit, urbem Venetias veteris fortunæ opulentia abundantem, & perpetua navali gloria ac rerum gestarum, imperiique late patentis viribus cunctis gentibus formidolosam hostem sibi adjungere, novoque sese bello onerare non expaverit: eodemque tempore cum duobus præpotentibus populis acerrima & continenti dimicatione parique atque, haud scio an dicere ausim, superiore Marte, pluribus illatis, si Annalibus credimus, quam acceptis cladibus contenderit. Vbertus igitur quinque & triginta triremium Præfectus cum sinum Hadriaticum ingressus, cunctaque excursionibus & populationibus infesta faciendo Venetos ad certamen attrahere frustra esset conatus, in Cretam iter avertit; Ceteamque oppidum cepit & incendit; plenusque gloriæ Genuam rediit. Altera expeditio fuit septuaginta triremium post nobilissimam Pisanam pugnam. Ut appareat, rem Genuensem illis temporibus ejus virtute & consilio in primis stetisse.

POMPEII ARNOLPHINI.

Clara Jovis soboles, & vivida Martis imago,
VBERTE, antiqua quem nobilitate decora
Auria gens auro insignem sceptroque potentem
Regnasse, & patriæ vidit dare jura volenti.
Unde tuas canere incipiam, Dux maxime, laudes?
Justitiam ne prius & sacræ munera pacis,
Queis olim grata cives ditione regebas,
Commemorem, & sacra intexam tua tempora oliva?
An potius ductos Pisano ex hoste triumphos,
Quos non ulla queat sæclorum abolere vetustas,
Expediam, & viridi cingam tua tempora lauro?
Tu patriæ charus pariter, pariterque tremendus
Hostibus æternis, illam clarisque trophæis
Ornasti, atque horum fastusque animosque minaces
Fregisti, & victos ingenti clade domasti.
Testis Tyrrhenis Arnus qui illabitur undis.
Quem referunt rubro stupefactum gurgite aquarum
Frenasse irriguæ sinuosa volumina Lymphæ,
Atque iterum à tergo fontes petiisse relictos;
Gorgonis & testis, proprio quæ in littore vidit
Mucrones, galeasque leves, clypeosque natantes,
Armatosque humeros, & pectora luce carentum.

LAMBAS AVRIA.

NON minore quam Ubertus victoria, atque haud scio an ideo majore, quia de clariore hoste parta est, nomen suum illustravit, ac familiæ decus cumulavit paucis post annis, ut eorundem temporum æquales fuisse ambo dicendi sint, LAMBAS AVRIA in eodem, in quo Ubertus, imperio, in eodemque titulo positus. Is igitur octo & octoginta triremium Præfectus Hadriaticum sinum ingressus ad urbem Cursulam cum Venetorum classe numero superiore (septem enim & nonaginta triremium fuit) congressus longo & cruento prælio illos tandem vicit; tota fere classe capta, cum duodecim tantum naves fuga sese exitio subtraxissent: ex qua septem & sexaginta jussu Lambæ combustæ sunt; reliquæ decem & octo Genuam cum captis in prælio adductæ: fuerunt autem septem millia quadringenti; in quibus fuit ipse classis Præfectus, quem Annales tradunt, à rabie capite ad asserem illiso ignominiæ dolorem morte finivisse. Anniversario igitur perpetuo sacro ad ædem Matthæi, atque aulæi aurei dono tantæ victoriæ memoria decreto publico ipsa quoque decorata est. Quæ hoc quoque addito carmine ab homine mihi amicissimo est ornata:

Qualis præcipiti corusca flamma
Rumpit fulmineo fragore lampas,
LAMBAS AVRIA præpotentiorem
Irrupit Venetûm repente classem,
Ipsoque in propriam necem coacto
Hostium Duce, patrias in oras
Captivûm innumeras agens catervas
Victricem spoliis refersit urbem.

PAGANVS AVRIA.

DVOS præstantes Duces cum iisdem ambos justitiæ & continentiæ laudibus insignes, tum bellica gloria in primis claros eadem ætas tulit PAGANVM AVRIAM & SIMONEM VIGNOSIVM: quorum singulorum egregias virtutes, egregiasque res gestas singulis Elogiis persequemur, initium facientes à PAGANO. Cujus nomen non minus clarum facit excelsus animus adversus assiduum & intestinum cupiditatum bellum perpetuo invictus, divitiarumque adeo contemnens, ut mortuus de publico sit elatus, quam duabus clarissimis victoriis partis bis triumphasse. Altera fuit in Hellesponto prope urbem Constantinopolim, classe Venetorum, Catalanorum, ac Græcorum fœderatorum unius & octoginta triremium profligata & deleta, octo & quadraginta ex illis captis, reliquis partim suppressis, partim in fugam conjectis; hostiumque plus quattuor millibus cæsis, cum de Genuensibus non plus septingenti ceciderint, ac perpaucæ naves sint desideratæ. Victoriæ gloriam auget, quod numero navium inferior (sexaginta enim tantummodo habuit) congressus est longo & atrocissimo prælio, quod ingentibus animis accensum, ipsoque certamine crescens, cum veteris odii & perpetuæ æmulationis acres stimuli utriusque partis animos incitarent, ne nox quidem interveniens diremit. Postmeridiano enim tempore commissum ad insequentem primam lucem varia fortuna extractum est, cum initia Fœderatis secundiora fuissent. Altera fuit in Ionio ad Oenusas, quam insulam Sapientiæ posteriores appellarunt, haud procul Messeniaco sinu, de eisdem hostibus minore mole, minoreque discrimine, minusque obstinato prælio parta, cum pari utrinque quinque & triginta triremium numero concursum sit, quamvis Fœderati quinque onerariis ingentis magnitudinis superiores essent: tota classe hostium capta, Nicolao Pisano Præfecto, ac quinque hostium millibus Genuam captivis adductis. Quarum victoriarum memoriam sacro anniversario sollemni in Æde Matthæi, aureique aulæi dono à Magistratu publice deferendi quotannis recoli placuit.

THOMAE CORREAE.

O quem triremes æquoris arbiter
Vidit prementem fluctibus Hadriæ,

Dum

Dum vela contra vertit in te
Dux Venetus, sociique ad arma
Acciti Hiberi fluminis accolæ.
Ærata nec tot carbasa sufficis
Contra moventes bella, cum sis
Tu numero inferior quid audes?
Tunc signa Triton classica, & hostium
Vidit natare cæsa cadavera, &
Colla reluctanti catenas
Injicere, & Genuam reduci.
Tunc fama vera utraque littora
Neptuni, & oras latior ultimas
Telluris implevit trophæis,
Et varios rettulit triumphos.
At tu superbos nil titulos stupens
Gazasque, honoresque exiguo cubas
Tectus sepulcro: namque egenti
Ære dato posuit Senatus.

SIMON VIGNOSIVS.

PAR continentiæ & justitiæ, animique ab omni sorde integri specimen in omni vita præbuit SIMON VIGNOSIVS; (ea fuit postea gens FRANCA) cujus duo illa in primis memorabilia prætereunda non sunt: alterum, quod cum Genuensis classis novem & triginta triremium Præfectus ad Eubœam insulam in classem sex & viginti navium, quarum maxima pars Venetæ erant, incidisset, quam Ingibertus Delphinus Viennæ ducebat: Delphinusque oratione primo & precibus, deinde magnifico promisso anniversarii vectigalis decem millium aureorum nummûm revocare Simonem contendisset ab incœpto celebris nominis insulæ Chii, quam una cum Smyrna Asiæ urbe Michael Palæologus Genuensi populo donarat, armis repetendæ; cujus insulæ commerciis tam opportunæ imperio ipse quamquam alia in speciem præferens hianti cupiditate imminebat, Simon fœdæ rei mentionem auribus adspernatus in incœpto perstitit, institutumque iter prosecutus est: alterum, quod cum urbe Chio potitus ingressum in civium prædia militibus edicto interdixisset, unicus filius paterna indulgentia sese adversus edicti severitatem satis munitum ratus; cujusdamque civis fundum temere ac per lasciviam ingressus nonnullis uvæ racemis adsportatis, comprehensus, racemisque collo ad majorem ignominiæ notam suspensis, palam virgis cæsus tota urbe jussu parentis circumductus est, memorabili rigidi atque invicti animi exemplo, omnemque paterni amoris sensum in Ducum imperiis, militarique disciplina & obedientia sancienda superantis. Bellicæ vero laudes Simonis eæ fuerunt, ut si rerum gestarum magnitudo publicæ utilitatis momentis est ponderanda, perpauci illius gloriæ possint æquari: quippe qui urbem Chium post longam & difficilem oppugnationem captam, nobilissimamque insulam, ad hoc utramque Phocæam, quæ Ioniæ urbes Foliæ novæ & veteres vulgo appellantur, Genuensium imperio adjunxerit.

BAPTISTAE GVARINI.

Argolicis clarus spoliis Vignosius heros,
Nec minus eloquio clarus, Vberte, tuo,
Phocæam patriæ subjecit victor utramque,
Claraque in Ægeo est hoc Duce parta Chios.
At non parta foret, si ferro invicta, fuisset
Auro magnanimi dextera victa Ducis,
Supplicio nati nec jus violavit amoris,
Ausus enim fuerat jus violare patris.
Dura quidem pietas, nimio quæ indulget amori,
Si magis ille pius, non pius ille foret.

PETRVS FVLGOSIVS.

NON decori modo & ornamento genti suæ & Genuæ Patriæ, sed magno quoque fructui & emolumento PETRI FVLGOSII dupliciter virtus fuit: quippe qui gravissimas civium suorum injurias ultus nationis Genuensis incolumitatem memorabili documento sanxerit, & opulentæ urbis ditione adjecta imperium populi Genuensis propagarit. Contentione enim in Insula Cypro in sollemni Regii diadematis accipiendi de superiori honoris loco inter Venetos & Genuenses orta cum instinctu faventium rebus Venetis Rex Petrus secundum Venetos decrevisset, Genuenses acceptæ contumeliæ intolerantes cum dignitatem suam armis, quando in judicii æquitate parum præsidii experti essent, vindicare decrevissent, occultis gladiis se præcingunt, ut Venetos se præferentes interficiant: quam rem rescientes Veneti factum Regi aperiunt, Genuensesque in ipsius Regis caput & vitam arma sumpsisse criminantur. Facile fuit puerilem ætatem cum sua sponte infirmam & credulam, tum ab obtrectatoribus Genuensium obsessam circumvenire. Quare ingenti ira commotus Rex Genuenses Regiam ingressos cum armis tectis comprehensos non quæsito, qua de caussa sese gladiis cinxissent, sed tamquam manifesti parricidii ac majestatis compertos crudelissimo mortis genere affecit è summa turri præcipitatos, suppositarumque hastarum erectis cuspidibus indutos: omnes quoque Genuenses tota insula conquisitos necari jussit. Qua re cognita Genuenses dolore civium suorum necatorum ardentes, tantæque atrocitatis injuriam haudquaquam inultam sinendam statuentes, præpotentem classem trium & quadraginta triremium ac magni navium corbitarum numeri brevi compararunt: in quam quattuordecim bellatorum millia conscenderunt. Cui omnibus rebus instructæ, omnique machinarum & bellicorum apparatuum copia refertæ præfectus est PETRVS FVLGOSIVS, Dominici Ducis frater. Is igitur magna celeritate tantum maris spatium emensus cum insulam tenuisset, copiis expositis Famagustam urbem Regni emporium circumsessam primo adventu ad deditionis necessitatem adegit, Regina Regis pueri matre urbem tradente, cum non suarum virium eam dimicationem cerneret. Qua urbe potitus PETRVS morte trium ex primoribus Proceribus, quibus instigantibus Rex in Genuenses sævierat, necatorum civium injuriam ultus est. Totamque insulam cum victore exercitu pervagatus cum omnia loca, quæcumque adiret, Genuensium ditionis faceret, Regem in angulum Regni compulsum, & in summas angustias adductum, intelligentemque non sibi esse cum Genuensi præpotente populo par certamen, ad suas conditiones adduxit. Famagusta enim urbe Genuensibus cessit; vectigalque insuper in multos annos Regno impositum gemens & mœrens accepit. PETRVS tanta victoria parta plenus gloriæ cum Jacobo Lusiniano uno ex Regis patruis, duobusque parvulis filiis Principis Antiocheni, qui alter erat Regis patruus, captis & obsidibus Genuam revertitur. At Genuenses clarissimæ victoriæ memoriam anniversario sacro sollemni ad Ædem Divi Francisci decreto cum dono aurei aulæi consecrarunt. Jacobus tam diu Genuæ in custodia est adservatus, donec Petro mortuo ipse in Regnum successit: tum à Genuensibus dimissus pacta & fœdera cum illis renovavit, filiumque Genuæ natum, ut amicitiam & animorum conjunctionem nomine ipso præferret, Janum appellavit. Corruptus enim Genuensis populi multorum sæculorum usus Genuam urbem veluti à Jano conditam Januam appellavit. Genuensium Annalium fidem secutus à Genuensibus civibus munere publico mandato conscriptorum, qui æquales illorum temporum Jacobum ipsum Genuæ viderunt, sæpeque cum illo collocuti sunt, Jacobum Genuam adductum scripsi, non autem Regem ipsum, ut Pius secundus tradit. Cum etiam pacis & amicitiæ fœde-

fœdere cum Rege sancito nulla caussa reliqua esset, cur Regem captivum tenerent, veroque propius sit, propinquos Regis observandæ pacis obsides retentos: nam quæ tandem pax & amicitia cum Rege convenire potuisset, ipso non liberato ac dimisso?

RAINALDI CORSI.

Fulgosius ipse Venerem alloquitur.

Quod tua Regna petam fax ô pulcherrima, amorque
Cælicolûm, atque hominum, tuus idem me trahit ardor,
Ac flamma in patriam, quæ me feliciter urit.
Non odio certare velim, non sanguine Regis
Tingier antiqui, non claram exscindere gentem,
Quamquam nos Procerum cumulata injuria pulsat.
Virtutem Ligurum egregiam, quæ nescia prorsus
Turpe pati, aut aliis inferre, & fortia facta
Extendisse sat est. Salamin, Amathunta, Cytheram
Et florens quidquid Cypri complectitur ora,
Præclaro Genuæ Jacobus munere habeto.

BLASIVS AXERETVS.

Sive hostis, cum quo dimicatum est, nobilitatem spectes, sive virtutem & fortitudinem in memorabili re gerenda tecum reputes, sive rei gestæ & victoriæ splendorem intueare, quem tandem Ducem ex multorum sæculorum memoria cum Blasio Axereto conferre ausus fueris? Hostis enim inclytus Alphonsus Aragonius fuit, tot Regnorum, quibus imperabat, opibus conspectus, ceterum rerum gestarum & clarissimarum virtutum gloria longe conspectior. Neque in re gerenda majus virtutis documentum edi potuit, quam præpotentem classem numero navium superiorem, ad hoc omni bellico apparatu instructissimam (quodque caput est) tanta clarorum Ducum summorumque Procerum, ac primæ nobilitatis virorum copia, tantaque acerrimorum bellatorum multitudine refertam à privatæ ac tenuis sortis civibus pauperibusque nautis ad insulam Pontiam longo atrocissimoque prælio victam. Jam vero clarissimæ victoriæ fulgor an non lumine suo multarum splendorem præstringere censendus sit, si quis animo & cogitationi pulcherrimam speciem subjiciat Alphonsi ipsius, ac duorum Regis fratrum, quorum alter Joannes fuit ipse quoque Rex Navarræ, alter Henricus magnus Magister sancti Jacobi, Regibus ipsis majestate æquandus; simulque tantæ illustrium Heroum multitudinis captæ: in quibus fuerunt Joannes Antonius Princeps Tarentinus, Joannes Antonius Dux Suessanus, ac centum amplius Proceres dominatu populorum insignes. Quo loco illud genti Justinianæ ad posteritatis memoriam perhonorificum nullo modo prætereundum fuit, quod Rex Navarchorum conditione, qui ex omnibus ordinibus fuerunt, diligenter cognita, Jacobum Justinianum delegit, cui deditionem faceret. Ceterum Blasius navalem triumphum omnium, qui umquam acti sint, speciosissimum acturus fuit, si aut is mos ea ætate fuisset, aut Patriæ afflicta fortuna ejusmodi spectaculo locum dedisset. Par deinde tantæ partæ gloriæ per omnem vitam fuit egregia ac forti opera Philippo Mediolanensium Duci adversus Venetos in navalibus pugnis perpetuo navata. Quæ merita Philippus amplissimis remunerans præmiis, in quibus fuit ditio & celebris nominis arx Serravallensis, nomen gentis insigni titulo nobilitavit. Omnibus igitur summis studiis ac sempiterna veneratione Blasii Axereti memoriam Genua Patria colere debet, qui Genuensium gloriæ tot victoriis diu paullatimque collectæ clarissimum celsissimorum Regum captorum fastigium imposuerit.

BAPTISTAE GVARINI.

Axeretus Patriæ gremio dum sedet inermis,
Sic Martem fama est increpuisse virum.
Quid mea cura trahis validos inglorius annos?
Nil juvat imbelli parta quiete quies.
Erubuit monitus, Divino & concitus œstro
Arma animo versat, versat & arma manu.
His Regum domitor Tyrrhenis imperat undis,
Et ducit ad patrios bina trophæa lares.
Tanta tamen virtus tenebris obscura jaceret,
Erueret scriptis ni Folieta suis.

LAMBERTVS CIBO.

Quis civitatis nostræ priscorum temporum potentiam miretur, cum ipsorum privatorum civium tantæ essent opes, quæ ad justas classes comparandas & instruendas sufficerent? Id quod Lambertus Cibo docuit. (eam gentem nobili Græcia oriundam, ac Cubeam olim vocatam Genuam commigrasse ferunt) Qui Mauris piratis mare circum excursionibus & latrociniis infestum facientibus, classe valida armata Mauros profligatos & fusos, atque in insulam Caprariam, quam sibi arcem delegerant, compulsos expugnavit ac delevit; eamque ac circumjectas insulas sibi imperio subegit. Quam rem ab Annalibus nostris, ut multa alia, silentio præteritam Eleutherius Mirabellus illorum temporum æqualis & Scriptor, atque Annales Pisani tradunt.

CAFFARVS, VBERTVS TVRRIVS.

Miretur quisquam illorum temporum Scriptores tam supine negligentes fuisse, ut nomina familiarum in claris viris commemorandis omitterent: cum in maximis victoriis nulla omnino Ducum ipsorum mentio interdum fiat. Hoc igitur stemmate carebit, quæcumque illa est familia, quæ Caffarum unum ex Consulibus habuit, (is tum erat summus civitatis Magistratus) qui unaque illi adjunctus socius Vbertus Turrius viginti duarum triremium & sex Golabiorum (id tum erat navigii genus) Præfecti detrimenta accepta à Mauris Balearicis & Almeriensibus, qui eo tempore piraticam facientes mare excursionibus & prædationibus late infestum faciebant, illis reddiderunt, minore Balearica ferro & igni late vastata, urbeque ipsa capta & direpta; exscensioneque in continentem facta cum egregiam equitum alam secum haberent, Almeriaque circumsessa Regem ad necessitatem sese pecunia redimendi obsidibus acceptis adegerunt: nec minus gloria conspecti, quam præda onusti Genuam redierunt.

AMICVS GRILLVS.

Egregios Amici Grilli conatus quamvis effectu caruerint, meriti tamen Elogii testimonio carere haud æquum est. Neque enim clari viri fortunam, quæ in manu nostra non est, sed fidem, diligentiam, vigilantiam, audaciam, consilium, virtutem præstare debent. Quarum omnium rerum egregia documenta in Amico Grillo conspecta sunt. Bello enim Pisano tum, ut cum maxime, ardente, quod Sardiniæ & Corsicæ ante oculos positarum insularum cupiditas per varias in speciem confictas caussas excitabat, quodque sæpe pace numquam tamen fida intermissum per levissimas occasiones renovabatur, utroque præpotente populo insularum imperio imminente, Amicus Grillus ob spectatam virtutem in altera ejusdem anni expeditione quinque & triginta triremium Præfectus adversus eosdem Pisanos missus, qui urbem Ingaunorum improviso adorti diripuerant & incenderant, indeque sese in Provinciam contulerant, & classem in fluvium Rhodanum subduxerant, eundem amnem ingressus ad opidum sancti Ægidii penetravit, omni-

omnibus discriminibus sese objiciens. Cumque omnia summa fecisset, ut hostem ad pugnam eliceret; ad extremumque pro comperto cognovisset, oppidanos, Comitemque ipsum, atque eos, qui ad mercatum convenerant, occulta consilia cum Pisanis conjunxisse, insidias, ac ne circumveniretur veritus, ignavia hosti exprobrata, qui sese in apertum committere, fortunamque pugnæ experiri ausus non esset, egregia audacis & experientis Ducis parta laude in Patriam reversus est.

SIGISMUNDI DONATI.

Est aliquid cautas inimico texere fraudes,
Atque hostem tectis vincere posse dolis.
Sed tamen est majus tectas cognoscere fraudes,
Nauta velut fluctus prospicit horribiles.
Plus ergo meruit veri tum GRILLUS *honoris,*
Cum victor Gallis cessit AMICUS *agris.*
Quam qui tum frustra tentarunt arte Pelasga
Insidias cauto composuisse Duci.
Ergo fuit potius fraudes aperire dolosas,
Non fuit hostiles id trepidare minas.

NICOLAUS SPINULA.

HAUD obscuras aut contemnendas res gessisse existimandus est NICOLAUS SPINULA, unus ex septem clarissimi Uberti filiis, quem Ubertum in classe Togatorum suo Elogio ornandum nobis reservamus, Setta urbe Mauritaniæ Tingitanæ ad fretum Herculeum posita ditionis Regis Marochi ab impetu Helimelmis Muleasis Murciæ ac Carthageniæ Regis defensa, obsidioneque tandem soluta, cui urbi præsidio à civitate nostra una cum Carbone Marocello missus est, cum quindecim navibus, quarum decem longæ triremes fuerunt. Quod egregium facinus alio neutiquam vulgato in patriam merito cumulavit, cum præpotenti Hispalis Rege Mauro amicitiæ fœdere icto commerciis Genuensibus in primis utili: quod quam avide à se expetitum sit declaravit Maurus amplissimo dono octo Byzantiorum millium, quæ summa, ut illis temporibus immanis fuit, atque eximii equi textili aureo instrati cum argenteis ephippiis ac soleis: qui plausibus & lætis acclamationibus Genuæ exceptus veluti faustum signum amicitiæ Genuensium à magnis Regibus impenso pretio expetitæ tota urbe triumphantium more circumductus est. Multa & præclara alia à Nicolao gesta fuisse verisimile est: quæ vitio Scriptorum illius ætatis ignota sunt: quibus inductus Fridericus Cæsar tantis opibus, tanta potentia Imperator, idemque rerum gestarum magnitudine, ac clarissimarum virtutum gloria præfulgens, Nicolao alienigenæ homini ultro evocato summam navalium rerum cum Halmirotis titulo commiserit. Eandem urbem Settam quarto post anno, quam superiora gesta sunt, Lanfrancus Spinula Præfectus Genuensis classis, quæ pluribus commeatibus præsidio submissa est, à Calcurinis invadentibus defendit, ac Regi conservavit.

ANDREAE SPINULAE.

Cum torpere gravi Scriptorum corda veterno
Spinulidæ virtus NICOLEI *adspiceret.*
At, dixit, Cæsar Fridericus magnus in armis
Imperium vasti cum tibi det pelagi,
Te quoque, ne dubites, aliquis mirabitur olim,
Et verum huic dicet nominis omen erat.

NICOLAUS SPINULA SECUNDUS.

NOBILE fratrum par NICOLAUS & THOMAS Spinulæ Gulielmi filii ut conjuncti sanguine fuerunt, ita uno eodemque Elogio complectendi videbantur: cæterum egregia & memorabilia utriusque facinora ea fuerunt, quæ suis singuli præconiis fuerint decoranda. Victoria igitur de Venetis à Nicolao parta non tam numero navium & copiarum multitudine, quam rei gestæ magnitudine admirabilisque virtutis edito facinore clara in primis & memorabilis est. Is enim cum legationis munere apud Græcum Cæsarem fungeretur, auditumque esset, tres onerarias Genuenses à classe Venetorum octo & viginti triremium, quattuorque præterea minoris formæ navium, quæ octogenis remis agebantur per induciarum tempus, captas decem & octo triremium & duarum navium, quæ octogenis remis agebantur, quæ Genua negotiationis & mercatorii quæstus gratia profectæ Duce belli carebant, in urbe Pera à classiariis ipsis & tota Genuensi colonia ob spectatam virtutem Præfectus creatus, classe conscensa mercibusque exoneratis injuste raptas res à Venetis per nuntios petiit, qui hominem ultro irridentes sese ad ipsum quoque Ducem & classem Genuensem numero longe inferiorem capiendam compararunt: quam adepti magno impetu in illam feruntur. At Præfectus detrectans & cedens, ne tanto viribus inferior tot civium suorum salutem in præcipitem casum daret, tandem Venetis nullum urgendi finem facientibus, ad necessariam pugnam attractus virium defectum consilio supplendum intelligens, in altum evectus, classeque ad pugnam omni bellica ratione firmata, congressus est. In quo prælio acerrimo & atroci ita Nicolai enituit virtus, illudque Genuenses haudquaquam comparabilis fortitudinis specimen præbuerunt, ut cum Veneti superioribus viribus freti non tamquam ad dubiam pugnam, sed tamquam ad certam prædam properantes, incompositi & inordinati in prælium ruerent, contra Genuenses ordines servantes, iraque & indignatione violatarum induciarum ardentes, ultimaque necessitate animos acuente pugnarent, hostilis classis fusa sit, quinque & viginti triremibus ingentique hominum numero capto, cum septem tantummodo naves evasissent. Quam victoriam quanti uterque populus fecerit declararunt. Nam Veneti tantæ cladis ac tanti accepti dedecoris dolore incensi, simul cupiditate delendæ ignominiæ damnique resarciendi inflammati edixerunt, ne quis vir, neve qua navis Venetiis exire auderet, sed ad Genuenses ulciscendos se quisque compararet. At Genuenses sacro & anniversario aurei aulæi dono decreto publico victoriam hanc maximis illis æquarunt.

THOMAS SPINULA.

AT THOMAS memorabilis vir in primis fuit, peramplisque honoribus non à Patria modo, sed ab externis quoque maximis Principibus illi delatis clarus: incidit enim ejus virtus in eum annum, qui maxime insignis & bellicosus fuit tribus expeditionibus factis. Prima Præfectum Conradum Auriam habuit, quem paulo post suo ornabimus Elogio; Postremæ, quæ maxima fuit septuaginta triremium, Ubertus Auria præfuit, ejus ipsius Conradi pater, summus illorum temporum Dux Pisano illo prælio omnium maxime memorabili victor: quam in ejus Elogiis complexi sumus; Media quinque & triginta triremium huic Thomæ ducenda data est: in qua primum hominis consilium in prælio, cui sese imparem sentiebat, declinando, tum virtus & fortitudo enituit oppido Planasiæ insulæ occupato, turribusque dejectis; unde profectus Thomas Corsicam petens cum præpotenti Pisanorum classe omnibus rebus instructissima, in qua fuerunt quinque onerariæ magni pretii mercibus atque ingenti argenti pondere refertæ, acerrimo & atroci prælio commisso victor tandem evasit, hostium classe partim depressa, partim capta, defensoribus maxima ex parte cæsis ac mille quingentis captis, simulque ingenti parta præda, cujus æstimationem Joannes Villanus centum viginti florenûm

renûm aureûm millia excessisse scribit: ex qua noningenti captivi Reipublicæ obvenerunt, ac viginti octo marcarum argentearum millia in ærarium relata sunt. Tam claro igitur documento Thomæ virtutem contestatam Conradinus Cæsar complexus insignem virum accersitum rebus navalibus cum honorificentissimo Halmirotis titulo adversus Carolum Neapolitanum Regem præfecit.

ANDREAE SPINVLAE.

Spinula Pisanæ THOMAS *ingentia prædæ*
Pondera, captivum rettulit & numerum,
Et classem, & pictis terrarum victa tabellis,
Omnibus ereptis hostis ut ingemeret.
Ne Ligures animas, ne fortia temnere gentis
Facta queam, cogit SPINVLA *sola domus.*

ANSALDVS MARIVS.

CLARI quidem nominis, magnæque fortunæ vir, neque ambiguæ famæ esse debet ANSALDVS MARIVS. Nam ab Imper. Cæsare FRIDERICO secundo celsissimo ac potentissimo Principe summam maritimarum rerum obtinuisse cum eodem quo Spinula Halmirotis titulo, eundemque ingentium Cæsarianarum classium Præfectum multa consilii, audaciæ, fortitudinis edidisse documenta cum hostilibus classibus vario eventu sæpe congressum, hæc omnia haudquaquam vulgatam laudem memorabilis viri famæ conciliant. Neque ut rerum imperiti putant, Saona belli sede delecta, ex ea Genuam Patriam arcta obsidione diu pressisse, totamque Liguriæ oram assiduis incursionibus infestam fecisse, ullam labem rerum gestarum gloriæ adspergit: non enim contra Patriam venisse merito est dicendus, sed Guelphos Cæsaris hostes tum Genuæ rerum potientes dimidia civitatis parte expulsa, hoc est, Gibellinis suis, oppugnasse Gibellinarum partium acerrimus vindex & assertor: quam sententiam nos quoque amplectentes clarum in primis Ligurem ac memorabilem virum suo præconio fraudasse, lividi ac malevoli animi duxissemus.

ANDREOLVS MARIVS.

PATRI ANDREOLVS filius suggeritur sine ullo verborum apparatu: quæcumque enim de parente dicta sunt, ea omnia in filium conveniunt: nam eodem honoris & imperii titulo usus est: quod eadem ratione, consilio, virtute gessit. Ut hi viri non magis natura, quam vitæ, ingenii, fortunæ similitudine conjuncti videantur. Illud unum est in ANDREOLO ad memoriam insigne, quod Guelphorum ingentem classem memorabili multorumque scriptis celebri prælio fudit, duabus & viginti triremibus cum Pontificiis Legatis, sacrisque Antistitibus, qui Pontificis jussu ad Concilium evocati erant, captis.

M. ANTONII LANFRANCI.

At non minore gloria præcelluit
ANSALDVS *ille rebus à maritimis*
Cognomen obtinens, & ejus filius
Claro parente dignus ANDREOLIVS
Ambo secundi FRIDERICI *classium*
Duces potiti maximis victoriis.
Qui forte si videantur hostes patriæ,
Lares quod olim patrios obsederint,
Hi neutiquam fuere, sed miserrima
Premebat urbem civium discordia.

JACOBVS MAROCELLVS.

HIC annus humanæ salutis millesimus ducentesimus quadragesimus unus variante fortuna, secundis & adversis rebus luctum & gaudium Genuæ miscentibus, insignis in primis fuit; tribusque

expeditionibus tria egregia edidit documenta, quanta fuerit Majorum nostrorum religio, quanta animi magnitudo, quantæ civitatis nostræ facultates. Ac præ religionis quidem studio Genuensem populum omnem terrorem atque omnia discrimina levia ducere, prima infelix expeditio docuit: nam cum nullis minis FRIDERICI secundi, cujus opes ac potentia cunctæ Italiæ terribilis erat, deterreri potuissent Genuenses, quominus Pontificis Romani monitis atque adhortationibus parerent, classem septem & viginti triremium armarunt, octo postea ad famam ingentis numeri hostilium navium in supplementum decretis, qua Legatos Pontificios, ac sacros Antistites ad Concilium evocatos, trajicerent. Cujus Præfectus fuit JACOBVS MAROCELLVS, qui quamquam supplemento non exspectato infeliciter rem gessit, duabus & viginti triremibus amissis, Legatisque, cum majore parte Antistitum captis, tamen clades hæc à nobis nullo modo omittenda fuit, quæ etsi partæ victoriæ decus hosti dedit, magnam tamen religionis & pietatis gloriam nomini Genuensi conciliavit; nosque in Elogiis scribendis non tam virorum, quos laudibus nostris prosequendos ducimus, quam Patriæ ipsius gloriam spectamus. Quamquam victoriæ quoque laus Genuensis hominis est. Cæsarianæ enim classis præfectus Andreolus Marius fuit, is, quem proximo Elogio ornavimus.

FVLVII CARDVLI.

Quæ vis, quæ Ligures in aperta pericula mittit,
Et fasces temnit Cæsaris, arma, minas?
Relligionis amor, sanctæ ac reverentia Sedis
Sors ausis cursum Cæsariana negat.
Egregiis ingens debetur gloria cœptis,
Et magnum in magnis est voluisse decus.
Eventus spectant mortalia lumina, mentes
Ille hominum Judex, imaque corda videt.

ANSALDVS SOLDANVS, JACOBVS LEVANTVS.

AT altera expeditio, quæque illam consequitur, proximo Elogio mox explicanda, docuerunt, quanta fuerit Majorum nostrorum animi magnitudo, quantæ illorum temporum civitatis nostræ facultates; quæ duæ reliquæ sunt res ex tribus iis, quas ad admirationem modo proposuimus, ad hoc quam sollers industria, quam formidolosa virtus: quæ nihil clade accepta animis infractis unius diei ac noctis spatio prælucentibus tædis classem duarum & quinquaginta triremium deduxerit, bellatoribusque refertam, & omni nautico instrumento, omnique bellico apparatu instructam è portu emiserit ANSALDO SOLDANO & JACOBO EVANTO Præfectis. Ad cujus primum conspectum FRIDERICI classis repentino ac veluti panico terrore perculsa extemplo omnibus, quæ tardare cursum poterant, in mare projectis, turpi fuga certamini se subtraxit.

GULIELMUS GABERNIA.

IDEM decus fugatæ atque in portum Saonensem compulsæ classis GVLIELMVS GABERNIA tertiæ expeditionis, quæ eundem navium numerum habuit, Præfectus rettulit. Ut si quis rem suis momentis ponderet, majorem eo anno victoriæ gloriam penes Genuenses, quam penes hostem fuisse statuat: qui cum semel vicerit, bis victus dicendus sit, cum bis de virtute Genuensibus concesserit.

SIGISMVNDI DONATI.

Quid te, quid Ligurum jactas, FRIDERICE, *phalanges,*
Invictos bello perdomuisse viros?
Scilicet intrepidam classem quod sponte lacessens

Cepisti

Cepisti advectos fraude doloque Patres.
Quin potius te fraude pudet vicisse doloque,
Moxque oppugnatum terga dedisse fugæ.
Non semper sacris illum, qui prosilit ante
Carceribus, cursus meta cupita manet.
Nec semper sævos audax qui primus in hostem
Attollit cæstus, præmia læta refert.

GVIDO SPINVLA.

INTER tot civium meorum Encomia, totque illorum præclara facinora, GVIDONIS SPINVLAE nomen eo mihi gratiore recordatione recolendum fuit, quod res ab eo gestæ memoriam pietatis Majorum nostrorum cum omnibus locis, tum bello sacro in primis contestatæ, centesimo demum circiter post primas illas anno renovavit. Genuenses igitur in ea expeditione, qua sacrum bellum à clarissimis Principibus Friderico Cæsare, Philippo Gallorum & Ricardo Anglorum Regibus cum ingenti totius Europæ motu repetitum est, prævalidam classem armarunt florenti bellatorum ac navalium sociorum copia affatim instructam, ad hoc omni bellico apparatu & instrumento nautico refertam: magnam præterea vim muralium omnis generis machinarum vehentem: quam etiam delecta Procerum & primæ nobilitatis virorum cohors pietatis stimulis impulsorum conscendit. Hujus classis Guido unus ex Consulibus Præfectus opportune eo tempore Palæstinæ oram tenuit, cum Christianus exercitus lenta obsidione Ptolemaidis mœnibus assideret: cujus adventu segnis ad eum diem oppugnatio ita excitata est, ut illud constet, Genuensium operam, virtutem, industriam, ad hoc ab illis adductas machinas Guidone Præfecto, omnia, quæ essent impigri Ducis, cumulate exsequente, aut primas, aut nemini secundas partes in expugnatione ejus urbis obtinuisse.

HENRICVS MARIVS.

EGREGIO stemmate gentem suam Mariam perpetua navali gloria nobilem auxisse existimandus est HENRICVS, qui duarum & viginti triremium Præfectus cum Pisanorum classe numero superiore congressus longo & cruento prælio egregiam victoriam rettulit, tredecim triremibus captis, reliquisque partim suppressis, partim in fugam conjectis; multisque nobilibus Pisanis captivis Genuam adductis.

CONRADVS AVRIA.

VBERTO tanto parente, quo nullus omnino Genuensium bellica virtute, magnitudineque rerum gestarum clarior fuit, CONRADVS, qui ei quoque in summo imperio Genuæ successit, duabus insignibus expeditionibus sese dignum filium ostendit: quibus memorabilis clades superius commemorata interjecta est: prior, quæ anno cladem præcessit, unius & quinquaginta triremium fuit, in qua Pisanos ad Populoniam diu obsessos classe in pugnam directa ad manum conserendam elicere non potuit. Quorum aliquot triremibus per varias occasiones captis, turrim, quam Veronicæ vocant, demolitus Genuam reversus est. Posterior sexto post cladem anno cum Henricus Marius & Nicolaus Buccanigra classibus conjunctis Iluam insulam cepissent, quadraginta triremium fuit: in qua CONRADVS ferrea catena, qua portus Pisanus muniebatur, perfracta, quæ ad hæc usque tempora in compluribus urbis nostræ locis ad decoris memoriam suspensa conspicitur, portumque ingressus turres omnes dejecit; Liburnumque captum everterit, cum sacræ Ædi tantummodo pepercisset. Hunc Conradum Friderici secundi Siciliæ Regis invicti Halmirotem fuisse, magnasque res gessisse, ac fortem & fidelem operam Regi suo multis locis navasse, apud Annales Siculos reperio.

GERARDVS SPINVLA.

QVAE duæ res perpetuum inter se habent susceptum bellum, opum amplitudo & animi moderatio, eæ in GERARDO SPINVLA ornando raro omnibus ætatibus exemplo se consociarunt: quippe cum cujus opibus & potentia perpauci Itali suæ ætatis conferendi fuerint: ad peramplum enim hæreditariorum oppidorum dominatum duarum celebrium Italiæ urbium Terdonæ & Lucæ imperium adjunxit: quarum illa meritorum & laborum pro partibus Gibellinis susceptorum præmium fuit, hæc à Germanis militibus in præsidium à Ludovico Bavaro relictis illi tradita est, stipendiis debitis à Spinula persolutis, quæ diu frustra à Bavaro exspectarant. Et moderatio tanta fuit, ut in tanto opum splendore cum esset Genuæ, privati civis modum aut cultum numquam aut ipse excesserit, aut suos excedere passus sit. Bellici labores ac res gestæ fortunas æquarunt. Nam & Gibellinorum exsulum, qui Saona belli sede delecta Guelphos Genua potientes acri bello premebant, Præfectus classis fuit, quod invisum negotium vir à civilibus contentionibus natura & consilio perpetuo abhorrens suscepit tamen, ne idem imperium ad fratres Opicium & Galeottum deferretur præfervidi & vehementis ingenii homines. In Longobardia quoque bellum adversus Raimundum Cardonium Guelpharum & Pontificiarum partium celebris nominis Imperatorem à Gibellinis suis summus Dux creatus gessit: primusque Genuensium fuisse dicitur, qui cum exteris Principibus terrestria stipendia fecerit, qui arcem oppidi Basignanæ à Cardonio occupati ab eodem circumsessam obsidione eximere cupiens, classe in Pado fluvio comparata & instructa, eo se contulit; cumque omnibus rebus tentatis conatui non successisset, exscensione iterum in terram facta Marco Vicecomite socio, qui & ipse ad exercitum venerat, signa cum hoste contulit: quem longo & cruento prælio tandem avertit ac fudit. At in bello Hetrusco, quod plus annuum fuit, varia fortuna usus est, cum læta initia fuissent. Nam Florentini ægre ferentes urbem Lucam, cujus imperio ipsi haud obscura cupiditate imminebant, sibi à Gerardo interceptam; simul tam opulentum virum atque adversæ Factionis Principem nimis prope se convalescere haud tutum rati, arma illi intulerunt: quos Gerardus non modo sustinuit, sed prævalidis pedestribus & equestribus copiis ex Lunensibus finibus & ex circumjectis regionibus coactis avertit quoque & in sua se recipere coegit. Tandem cum ancipiti discrimine premeretur, illinc ab externo hoste, hinc à domesticis Castruccianorum insidiis occultisque consiliis, in opem Joannis Boemiæ Regis, qui per ea tempora Gibellinorum vocatu in Italiam venerat, confugere coactus, ab eodem per dolos & calumnias urbis possessione exutus est.

BRANCAS AVRIA.

NEMO puto indignabitur, nos BRANCAM AVRIAM, quamvis nullis rebus gestis, quæ quidem in notitiam nostram venerint, clarum, altissimæ tamen fortunæ splendore conspectum silentio non præteriisse ac Gerardo Spinulæ continuasse, si secum consilium nostrum reputaverit, qui illud in primis in hoc suscepto labore spectavimus, ut Patriæ nostræ magnitudinem scriptis nostris illustraremus, quam haud dubie non parum auget tanta privatorum civium suorum amplitudo. Brancæ igitur Auriæ immensæ opes ac summa dignitas fuit, qui maximam Sardiniæ partem urbium, castellorum, vicorum, late patentium regionum dominatu occuparit, ad tantamque potentiam ea in Insula per-

pervenerit, ut omnium rerum arbiter & moderator Sardis ipsis studentibus Regium titulum à Cæsare petierit, impetraturusque fuisse credatur, ni dum res suo molimine gravis extrahitur, fato functus esset. Hic ille est Brancas, quem celebris nominis Poeta Danthes apud inferos etiam viventem locat, cupiditate ulciscendi doloris alte animo insidentis ob insignem acceptam contumeliam in tantum furorem provectus. Danthes enim, id quod incorruptis vetustatis documentis constat, vitio ingenii vehemens & impotens, ad hoc Factionum studiis & indomitis animi permotionibus sæpe usque ad insaniam rapi solitus, haud secum reputans, quanto cum periculo magni viri lædantur, projectæ linguæ libertate abutens, quo perpetuo morbo laboravit, de Brancæ nomine ac fama, quem nescio qua de caussa oderat, detrahere non desistebat. Cumque sæpe monitus nullum maledicendi modum faceret, Brancæ clientes tantam verborum petulantiam tandem coercendam rati, hominem in publico deprehensum male mulctarunt: quam ille injuriam cum factis non posset, opibus tanto inferior, verbis & stilo ulcisci studuit.

CONRADVS SPINVLA.

NON modo duplicia & splendida de CONRADI SPINVLAE eximia & præstanti virtute à duobus magnis & præpotentibus Regibus, altero Aragoniæ & Siciliæ, Castellæ altero, facta judicia, sed duplicia quoque ab illo edita & bellicæ virtutis & civilis moderationis documenta ejus laudes illustrant. Clarum virum uterque Rex summæ navalium rerum præfecit, præfulgenti titulo Halmirotis ornatum, Siculus adversus Neapolitanos Reges; Hispanus adversus Mauros perpetuis excursionibus & latrociniis oram Hispaniæ vexantes. Vitia temporum, quæ egregios quoque viros discordiis & bellis civilibus involverunt, tantum abest, ut laudibus Conradi officiant, ut contra illi in bonum vertant: quippe quæ inclyto viro materiam bis præbuerint mitem animum & patriæ charitate incensum declarandi. Nam cum opes & potentiam gentis suæ Spinulæ magnæ parti civium formidolosam esse sentiret, ut civitatem sollicitam metu liberaret, incredibili animi magnitudine pro se ac tota familia, cujus ipse princeps erat, jure Reipublicæ tam domi quam militiæ gerendæ in quinquennium sponte cessit: vetuitque in publicis honoribus, & magistratibus, ac procurationibus tam Urbanis quam Provincialibus mandandis ullam sui aut cujusquam suorum rationem haberi. Et aliquanto post tempore summo imperio civitatis potitus otio civium consulens, præclarumque Uberti parentis exemplum secutus, sese Magistratu sponte abdicavit.

OPICIVS SPINVLA.

AT OPICIVS filius in imperio tam quærendo quam retinendo longe diverso à parente ingenio fuit, magnæ quam integræ famæ amantior: cujus quantæ fuerint opes, quam formidolosa potentia, quanta non modo Genuæ, sed tota Italia auctoritas declararunt duo rerum Christianarum capita, hoc est, uterque Cæsar, Opicii amicitia magna ab utroque mercede expetita. Siquidem Græcus Andronicus affinitatem Opicii petiit Argentina ejus filia Theodoro filio suo in matrimonium accepta. Ex Opicii videlicet favore viam eidem filio ad dominatum Montisferacis præstruens: quem assecutus meritum remunerans Peram Coloniæ Genuensium incolendam concessit. At Latinus Henricus gratiam meritis Opicii & Theodori generi debitam amplissimo illis habito honore testatus est; facultatem enim & jus utrique fecit aureûm florenûm signandorum; eadem facultate Florentinis abrogata. Ceterum Opicii peracre & experiens ingenium fuit; nihilque humile aut exile cogitans, ac nihil non celsum & amplum animo agitans, cujus perpetuus cultus non privatæ sortis, sed regiæ fortunæ fuit; cujusque domus Regum & Magnatum hospitio perpetuo patuit, lautiis semper amplissime præbitis. Ut dolendum sit tanta animi ac fortunæ bona non ad moderatiorem mentem data: quam impotens regnandi cupiditas transversam sæpe egerit, atque ultra omnes officii fines rapuerit: nam cum socium regnandi non ferret Barnabam Auriam in summo imperio collegam, Magistratu exturbatum in carcerem conjecit: qua injuria non modo Aurias perpetuo partium fœdere consociatos irritatos à se alienavit, sed complures ex Spinulis suis in se concitavit: qui fœdo ac tetro facinore offensi, superbumque atque arrogans ingenium non ferentes, studia cum adversæ Factionis Guelphæ principibus consociarunt: quæ contentio lugubri & funesto civili bello Genuenses involvit: quod diuturnum & internecinum, dum se utraque Factio Patria mutuo expellit, eandemque armis repetit, Genuam principem, & omnem Liguriam cædibus, incendiis, ruinis, direptionibus, omnique belli clade multos annos vastavit. Vir igitur tanti nominis ac tantæ amplitudinis qualicumque tandem animo usus sit, qui magna gesserit bella, magnosque exercitus suo privatim auctoritate non semel coegerit, dignitatis suæ ac partium Gibellinarum acerrimus vindex, maximosque Principes ad societatem armorum attraxerit, cujusque haud levia exstent in Patriam beneficia, quamquam eadem à bellis civilibus ipsius in primis ambitione excitatis deformentur, silentio prætereundus non fuit.

GANDVS MARIVS.

EA est virtutis majestas, ut etiam à felicitatis societate deserta ipsa per se suspicienda sit; nosque debemus ad amplissima de claris viris à Patria facta judicia Scriptorum nostrorum testimonium accommodare. Cujus igitur viri GANDI MARII spectatæ fidei, consilio, audaciæ, virtuti patria tantam Reipublicæ partem committendam duxerit, eum nos debitæ laudis præconio fraudare non debemus. Cum igitur Genuæ esset auditum prævalidam Venetorum classem è portu exiisse, Genuenses GANDVM delegerunt, quem tanto hosti opponerent, ac quinque & septuaginta triremibus præficerent: qui quamquam præclari conatus effectu caruerunt, quæ tamen partes suæ fuerunt, eas abunde implevit, hoste multis locis perquisito, quem ad pugnam attrahere numquam potuit.

SIGISMVNDI DONATI.

Quid modo Sparta tuum super astra Leonida tollis,
Exornasque virum laudibus immodicis?
En pauco MARIVS *stipatus milite fortes*
Oppugnare audax non trepidat Venetos,
Ille quidem laudem peperit, sed morte perenni,
Hic laudem peperit, nec tamen interiit.

ROSCIVS AVRIA.

MVLTIPLICI gloria nomen suum ROSCIVS AVRIA conspiciendum fecit: nam militaris virtus, quæ in illo eximia fuit, quæque ad homines illustrandos una sufficere, atque adeo primas obtinere à Veteribus existimata est, exiguam partem in hujus viri laudibus occupavit: præfulget enim præcelsi animi, humiliaque hæc despicientis magnitudo; ad hoc pietatis & religionis coruscans fama: quippe qui partarum victoriarum, atque urbium in littore Euxino expugnatarum, Andronicique Junioris Græci Cæsaris, sub quo classium Præfectus complures annos stipendia fecit, impe-

imperio adjectarum, nulla aut opum, aut potentiæ, aut oppidorum ditionis, aut humanæ gloriæ brevi interituræ præmia petiit: quæ ceteri mortales sequi inflammato studio solent, quæque virtuti & meritis debita à Cæsare ultro deferebantur, sed Anastasiæ martyris corpus impetravit: quod Constantinopoli Genuam religiose delatum, atque in Ædem Divi Matthæi illatum ad nostra usque tempora adservatur. Quanto igitur sublimiorem finem spectavit ROSCIVS, tanto ejus nomen altius evolavit, quantumque gentis suæ Auriæ perpetuum armorum splendorem pietatis & religionis longe insigniore addita laude cumulavit, tantundem in ROSCII memoria præ ceteris colenda studii & venerationis gentem Auriam addere verum est.

JO. PAVLI AMANII, EPISCOPI ANGLONENSIS.

Ob captas urbes, & victos Cæsaris hostes
Euxino in Ponto, fulvum non ROSCIVS *aurum,*
Fluxa nec egregii quæsivit præmia facti.
Sed pius in patriam sacra, quæ vehat, ossa, colatque
Virtutis monumenta sua pia Numina poscit.
Certe habet insignes fama gens Auria multos,
At pietas dignum hunc cælesti reddit honore.

PETRI MAGNI.

AVRIA *tam claro vero cognomine digne*
Auria, post victos hostes, domitosque rebelles,
Servatum imperium, Rex omnia detulit, at tu
Dilectæ tantum Divæ monumenta tulisti,
O & avis, & digne nepotibus Auria tantis.

RENATVS GRIMALDVS.

INGENTIBVS classibus, clarissimisque victoriis Genuensis populus totum Mediterraneum mare pervagatus omnes illius oras, atque omnes vel longissime recedentes sinus per immensos littorum ambitus fama nominis sui late implevit. Nam & inferum Italiæ mare hostili cruore sæpe inundatum, continentibusque cladibus subactum, florentibus Pisanorum opibus fractis tandem perdomitum est: & superum, clarissimæque ipsæ Venetiæ perpetua navali gloria florentes, ad hoc late prolati imperii opibus subnixæ, crebris atque ingentibus illatis terroribus, in extremumque discrimen aliquando adductæ trepidarunt. Præterea Ibericum & Balearicum victricia Genuensium arma magnis classibus deletis, clarique nominis urbibus traditis formidarunt. Jam vero complures in Ægeo captæ insulæ, ac diuturno imperio possessæ, haud obscurum Genuensis virtutis monumentum diu fuerunt. Ac ne Pamphilium quidem pelagus magni nominis Regibus captis, nobilissimaque insula Cypro vectigali facta Genuensium armis non sæpe infestum fuit: nullum vero clarius bellicæ gloriæ, simulque perpetuæ pietatis & religionis Genuensi nomini testimonium dedit, quam Syriacum mare ingentibus Genuensium classibus in belli sacri expeditionibus toties constratum. Postremo Euxinum etiam Pontum classes Genuenses penetrarunt; ipsaque longe introrsus retracta Mæotis palus non tantum Genuense nomen fama accepit, sed arma quoque illata experta est, Theodosia urbe Veterum scriptis celebrata concedentibus Tartaris in ditionem accepta. Quarum tantarum rerum cum immortalem gratiam quamplurimis civibus suis Genuensis civitas debeat, quorum virtute & laboribus in tam altum dignitatis locum adscendit, tum RENATI GRIMALDI nomen magno cumprimis in honore illi esse perpetuo oportet: qui primus Herculeum fretum transgressus Genuensem gloriam magnam illam quidem, verum Mediterraneo mari ad eum diem inclusam, in oceani vastissima spatia memorabili fortitudinis & audaciæ edito facinore diffudit. Acerrimis enim & continentibus inter Gallos & Flandros ardentibus bellis Philippus Rex Gallus Renatum ob spectatam virtutem & consilium navalibus rebus cum summo imperio præfecit, ita munera cum illo partitus, ut ipse Rex pedestribus & equestribus, quas ducebat, copiis Flandros terra invaderet, Renatus eosdem mari urgeret: qui cum hostibus in Britannico mari obviis factis congressus prævalidam ac numero navium longe superiorem illorum classem (octoginta enim naves fuerunt) longo & cruento prælio fudit ac profligavit, navibus partim captis, partim depressis, partim in fugam conjectis, summoque Flandrorum Præfecto capto.

OPICIVS CARRETTVS.

OPICIVM CARRETTVM è nobili Germania oriundum, atque ab ipsis Cæsaribus originem ducentem, ad hoc duorum Pontificum Maximorum Innocentii Quarti & Hadriani Quinti affinitate conspectum, (Fliscam enim Innocentii fratris filiam, Hadriani sororem in matrimonio habuit) si prudens præteriissem, improbum sane me admisisse facinus, si imprudens, dissolutæ negligentiæ crimen subiturum fuisse existimarem. In hoc viro non Liguriæ modo, in qua nobile Finarii Marchionatum vetusto gentis jure obtinuit, sed toti Italiæ magnum decus & ornamentum fuit. Cui Mediolanenses in turbulentissimis ac laborantibus rebus suis, tum cum omnia civilibus discordiis arderent, Divinaque & humana omnia Factionum studiis miscerentur, ab spectatæ prudentiæ & virtutis fama ultro accersito summam bellicarum & civilium rerum mandaverunt: ipseque sese tam domi quam militiæ tanto muneri & exspectationi parem protinus ostendit: nam factiosorum audaciam compescuit, resque urbanas in tranquillum statum redegit, ac Gregorium X. Pontificem Maximum Mediolanensibus implacabili odio infensum mitigavit, cum ille Mediolanum venisset, omnesque Mediolanenses ab ira & indignatione alte animo insidente aditu & conspectu suo plane exclusisset, uno admisso Opicio: quo interprete & arbitro res compositæ sunt, Mediolanensesque in Pontificis gratiam redierunt. Nec minora sunt militaria merita multis felicibus expeditionibus susceptis contra circumjectos populos rem Mediolanensem continenter vexantes, Papiensibus & Comensibus sæpe fusis ac domitis. Qui etiam, si id ad viri gloriam cumulandam quidquam pertinet, cæremoniis Diadematis ab Henrico Cæsare ea in urbe sumpti præfuit.

Eadem gens Carretta omnibus ætatibus ab Opicii gloria haud deflectentes viros tulit: nam MANFREDVS egregiam operam in bellis contra seditiosos & rebelles atque adversus Sabaudiæ & Montisferacis Principes Genuensi populo navavit.

HENRICVS quoque, qui ab eximia fortitudine & ferocia ipsis summis Principibus formidolosus bellatoris nomen tulit, præter Sabaudiæ & Montisferacis Principes sæpe repulsos, capto Viglevano Francisci Sfortiæ summi ac celeberrimi illius ætatis Ducis impetus impavidus sustinuit, urbemque tutatus est.

Jam vero JOANNIS JACOBI haud obscura fuerunt bellica opera. Ad hoc ALPHONSVS Genuensibus in Corsica recuperanda & domanda virtute & opibus suis haud parvo adjumento fuit.

Denique nulla Ligustica gens hac Carretta stemmatibus crebrior fuit, cujus numquam consopita virtus illustribus motibus sæpe excitata est: nam præter eos, quos suis sigillatim Elogiis decoravimus, BONIFACII, duorum HENRICORVM parentis & filii, JOANNIS, JACOBI, CONRADI, ODONINI haud obscura fuerunt bellica opera: nostra quoque

ætate Joannes Finarii Marchio in expeditione Africana amplissimorum ordinum ductor fortiter dimicans, magnaque sui relicta exspectatione occubuit.

JO. BAPTISTAE FONTEII,
PRIMIONIS.

Qualis priscorum doctis celebrata poetis
Læta Deûm mater Cybele, materque Dearum
Dicitur & partus & centum amplexa nepotes,
Historiis talis nostris nostrisque tabellis
Heroum genetrix stirps hac Carretta potentum
Cernitur, insignesque Viros, Regesque, Ducesque,
Maxima quos Italo virtus æternet in orbe,
Alma fovere sinu, & tali deducere curru;
In quali bijugos agitavit Diva Leones.
At quantum Divos inter fulgebat Apollo
Insignisque comis, longeque sonante sagitta.
Tantum Carrettos inter dicendus Obizus
Complures armis post se & virtute reliquit.

JACOBVS FLISCVS.

Novo atque amplissimo honoris titulo clarissimam gentem suam Fliscam auxit Jacobus, à Ludovico ejus nominis nono Gallorum Rege celsissimo Magister equitum creatus, quem *Mareschalum* appellant: qui honos in rebus militaribus altissimum apud Gallos auctoritatis & existimationis locum tenet: quippe in cujus moderatione & arbitrio res bellicæ Gallorum versentur: omnesque Provinciarum Præsides & arcium Præfecti, ac militiæ Duces Mareschalorum imperiis pareant: apud Gallos quidem summus hic honoris gradus tanto in pretio est, uti exteris non nisi in multis sæculorum ætatibus uni aut summum alteri deferatur, iisque viris, qui ad summum fastigium, summumque nomen in rebus bellicis pervenerunt: id quod Patrum & nostra ætate declararunt in Joanne Jacobo Trivultio & Petro Strozio, utroque summo in Italia Gallicorum exercituum Duce.

SIGISMVNDI DONATI.

Dum Flisci virtus nondum perspecta lateret
In tenebris, nullo & nomine clara foret,
Sese ostendebat dignum, qui primus ab ipso
Rege foret, primus qui sequeretur eum.
At simulac justo fuit exornatus honore
Se ostendit dignum, ut sceptra vel ipsa gerat.

PRINCIVALLES FLISCVS.

Jacobi ætati & gloriæ succrevit Princivalles Fliscus, ipse quoque ad summos honores à Rodulpho Cæsare elatus. Vicarius enim in Italia Imperialis fuit. Amplam vero & splendidam eam fuisse procurationem (quamquam rerum Princivallis parva neque ea admodum explicata exstant monumenta, quæ quidem ipsi viderimus) hinc statuere licet, quod in Hetruscis Annalibus legimus Princivallem Cæsaris nomine Hetruriæ civitatibus tributa imperasse, illumque in bellis, quæ per eadem tempora in Hetruria gesta sunt, inter primores Duces cum summo imperio fuisse varia fortuna usum.

FRIDERICVS MARABOTTVS.

Non quidem inter eos viros, qui maximarum classium Præfecti magnas res gesserunt, ingentesque victorias pepererunt, connumerandus est Fridericus Marabottus, sed inter eos, quorum nomen egregio aliquo vel singularis fortitudinis & audaciæ, vel sollertis ingenii edito facinore una cum summi fastigii civibus litteris mandandum duximus, prætereundus non fuit: qui non in postremis docuerit, ad ceteras bellicas laudes & imperatorias artes peracrem quoque esse in Genuensibus hominibus ingenii sollertisque animi vim ad subita & improvisa belli celeritate astuti consilii expedienda. Is enim Gibellinorum classe numero longe superiore ad se iter tendente procul conspecta, quam exspectare, ac cum illa congredi non jam hominis fuisset, fortunam pugnæ tentare, ac communem Martem experiri audentis, sed sese, ac suos, classemque sibi commissam in certam perniciem per summam insaniam præcipitantis, fuga saluti consuluit. Cumque hostis nullum insequendi finem faceret, validioreque remigio utens propinquus factus ipsum mox assecuturus esset, supervenientibus tenebris, atque ea, quæ administrabantur, tegentibus imminens periculum egregio novi stratagematis commento discussit: nocturni enim luminis insigne ad cursum navium regendum in prætoria puppi extolli solitum in scapham cum paucis remigibus transtulit, dato mandato, ut proximum littus peterent, ipseque itinere alio converso, ne naves suæ nullo lumine prælato nocturna erratione dissiparentur, nomen certi portus, quo cursum dirigerent, triremibus edidit: quo factum est, ut insequenti luce omnes eundem portum quamquam diversis itineribus incolumes tenuerint, seque cum Duce conjunxerint. At hostes lumen sequentes classe omissa, cum ad littus pervenissent, scapham in terram ejectam hominibus vacuam cum lumine conspexissent, sese astu Marabotti ludificatos intellexerunt.

HORTENSII TORCELLINI.

Hosti dum cedit MARABOTTVS *viribus impar,*
Et classem ut servet, classe premente fugit,
Insultantem hostem ridet, jam jamque vorantem,
Atque novo fallit nocte favente dolo.
Hoc summi Ducis & armisque insignis & astu
Seu virtute hostem vincere, sive dolo.

SALAGRVS NIGRIVS.

Quod virtutis genus fuit, quod Salagrus Nigrius in præclaro facinore patrando non expresserit? nam quantæ primum constantiæ Deus immortalis, quamque invicti animi fuit, hostilem Catalanorum classem ad insulas Balearicas deprehensam decem dies aspero fluctibus mari insecutum fuisse? quantæ porro virtutis ac fortitudinis quattuor ingentes onerarias delectorum numero refertas (mille enim & octingenti fuerunt, in hisque centum & octoginta primæ nobilitatis & equestris dignitatis viri) tum, cum nullus adhuc bombardarum usus esset, cum decem tantummodo triremibus expugnasse adspectu præsertim conjugum ac natorum, quos Catalani secum vehebant, ardorem pugnæ accendentibus? Fortitudinis laudes cumulat consilium militarisque astus, quo suorum virtutem Salagrus acuendam censuit: qui per speciem expeditius navigandi, velocitatemque onerariarum cursu triremium æquandi una cum reliquis impedimentis annonam in mare projici jussit. Prælioque ultimo commisso: *Si ferrum*, inquit, *perhorrescitis, socii, longe tetriore mortis genere, hoc est, fame, vobis pereundum est: annona enim in mare projecta nullus vobis reliquus est cibus, quam quem ex victa classe plena commeatuum petatis.* Quantæ igitur dimicationis, quamque acris certaminis rem fuisse putemus; hinc fame Genuenses, illinc charissimorum pignorum respectu, à quibus instans servitium & contumeliæ depellendæ erant, Catalanos incitantibus, quibus duobus nulli sunt acriores stimuli? Ceciderunt ex hostibus circiter octingenti; capti sunt centum sexaginta. Nec militari gloriæ singularis continentiæ laudes parum addunt splendoris, ut exemplum sit in omnes partes nobile: à matronarum enim corporibus violandis Salagrus gravi edicto suos prohibuit, quas exscensione in terram facta liberas dimisit, pudori muliebri contumeliis obnoxio parcens; unumque ex captivis nobilitate insignem compertum, quod conjugem præstanti for-

forma, ne in hostium manus veniret, ab amoris stimulis jugularat, capite mulctavit: quod se non tam puniendi maleficii caussa, quam indignatione commotum facere dixit, quod ille ipsius & Genuensis populi continentiæ diffisus esset. Facinus igitur tam multiplici virtute commendatum, si rem verbis æquare volumus, non uno tantum, sed pluribus Elogiis pro dignitate decorandum esset.

JO. BAPTISTAE FONTEII, PRIMIONIS.

Egerat hostiles Hispana per æquora naves
In decimum SALACER NIGRIVS *usque diem,*
Cum patri Cererem Neptuno credidit, ac si
Nostra carina gravi pondere tarda foret.
Et subito, O socii, nec equi exspectabitis, inquit,
Dum parit auxilium, neve aliunde dapes.
Illa cibos vobis aufert cita classis Hibera,
Aut mors fœda fame, aut illa petenda hodie est.

EJVSDEM.

Quam Divæ SALACER *castæ quam callidus artes*
Duri Mavortis sævo agitare mari:
Hostibus hic postquam victis & classe subacta
Fœmineum intactum jussit abire chorum.
Conjugis occisori, inquit, diffise meorum
Virtutique meæ haud vivere dignus obi.

MARTINVS ZACHARIAS.

NON tam copiarum, quam rerum gestarum magnitudine, egregiorum hominum gloria metienda est. Quin etiam haud scio, an exigua manu magna facinora patrasse, majus virtutis robur majoremque animi indolem declaret. Ut nonnullorum civium nostrorum nomina merito præconio prætereunda non fuerint, quos interrupta temporum serie ita Elogiis continuandos duximus, ut rei gestæ similitudine, parique rei gerendæ ratione conjuncti sunt, omnes expugnatarum urbium gloria, quæ numerari haud in postremis debet, clari. Hi fuerunt Martinus Zacharias, Philippus Auria, Thomas Murchius, Raphael Adornius, Othobonus Justinianus, Petrus Spinula, singuli singulis Elogiis ornandi, eadem singulis accommodata præfatione. Primus ordine, ut tempore erit MARTINVS ZACHARIAS, quæ gens nobilis in primis ac præpotens fuit, nunc exstincta prorsus est. Is classe Veneta & Pontificia suæ adjuncta Smyrnam inferiorem, quæ à Barbaris Mahumetanæ sectæ tenebatur, cepit, ac Christianæ religioni restituit.

PHILIPPVS AVRIA.

PHILIPPI vero AVRIAE gloria duabus urbibus expugnatis ea fuit, quam splendor maximarum illarum victoriarum à tot ipsius Majoribus partarum haudquaquam obscuret. Nam cum Venetorum classis quinque & triginta triremium quattuordecim Genuenses triremes, quarum Præfectus fuit Nicolaus Magnerres, quæ gens nunc Franca est, improviso deprehensas profligasset, decem navibus captis, PHILIPPVS AVRIA cum novem triremibus à Simone Vignosio Chii Prætore missus, qui injurias ulcisceretur, acceptaque detrimenta hosti redderet, Insulam Eubœam tenuit: quam populationibus & incendiis pervastavit: ipsamque urbem Chalcidem expugnavit, ac diripuit, pretiosisque captæ urbis spoliis onustus Chium cum tribus & viginti patritii ordinis civibus Venetis captivis reversus, captæ urbis claves ad memoriam parti decoris supra portas Chii suspendit; quæ ad nostra usque tempora conspiciuntur. Idem PHILIPPVS quinquennio post quindecim triremium Præfectus Genua missus claram urbem Tripolim in Libyæ ora cepit, ingensque auri pondus ex spoliis redactum, magnamque captivorum vim Genuam adduxit.

THOMAS MVRCHIVS.

AT THOMAS MVRCHIVS decem triremium Præfectus Insulam Melitam perdomuit, exscensioneque in Siciliam facta Mazariam urbem cepit. Quæ urbes etsi à Genuensibus retentæ non sunt, memoria tamen egregiorum facinorum clarique viri MVRCHII à nobis retinenda est.

RAPHAEL ADORNIVS.

PARI rei gestæ gloria superiores subsequitur RAPHAEL ADORNIVS: qui ad perpetuum clarissimæ gentis suæ civilium rerum decus bellicam quoque laudem adjunxit. Cum igitur fama esset, Regem Tuneti, civitatis nostræ hostem, classem comparare, qua Genuensem nationem & Ligusticam oram vexaret, Genuenses duodecim triremes repente armarunt; quibus præfectus est RAPHAEL: qui quinque Pisanorum & tribus Manfredi Claramontii Regni Siculi Halmirotis triremibus sibi adjunctis oram Libyæ tenuit; Gerborumque insula expugnata & subacta, docuit, eas esse Genuensis civitatis facultates, eamque Genuensium hominum virtutem, quæ non ad sua tantum tuenda, neque ad bellum tantummodo sustinendum & propulsandum, sed ad inferendum quoque valeat; ac quæ detrimenta, quasque clades verbis feroces homines temere comminentur, eas in illos ipsos vertere soleat. Quam insulam tam longe dissitam cum in tantis civilium discordiarum occupationibus minus commode tueri posset, Manfredo ingenti auri pondere accepto ex propinquo commodius defendendam ac possidendam tradidit.

OTHOBONVS JVSTINIANVS.

OTHOBONVS vero JVSTINIANVS, qui primus suæ gentis in Elogiis nostris locum obtinebit, nam res multis ante sæculis ad Almeriam & Dertusiam urbes à Philippo Longo una cum collegis tum gestæ sunt, cum gens Longa, nobilis in primis & pervetusta, Justinianum nomen nondum sibi adsciverat, quindecim triremium Præfectus urbem Albintimilium, quæ à Genuensibus defecerat, contumacique pertinacia in pravo incœpto perseverabat, Dominici & Barptolomæi Auriarum terrestrium copiarum Ducum non exspectato adventu omnibus viribus adortus expugnavit. Idemque oppidum & portum Telamonem egregie defensum acerrima & continenti duorum dierum oppugnatione tandem cepit.

PETRVS SPINVLA.

HOC quoque expugnatarum urbium decus nobilissimæ gentis suæ stemmatibus addidit PETRVS SPINVLA, viginti quattuor navium Præfectus: quarum decem longæ ac triremes fuerunt; reliquæ corbitæ ingentis magnitudinis, Corcyra diu oppugnata, suburbiisque captis & incensis, ac Naxo & Andro in Ægeo captis, & Genuensi imperio adjunctis: quarum urbium possessio etsi brevis fuit, discordiis civilibus Genuenses ab exterarum rerum cura avocantibus, meritorum tamen & rei gestæ memoria debet esse diuturna.

HORTENSII TORCELLINI.

Justinianus, Murchius, Zacharias,
Adornus, Auria, Spinula insignes Duces
Cepere bello singuli urbes singulas,
Ac spolia tectis intulerunt patriis,
Nepotibus monumenta avitæ gloriæ,
Si se nepotes præbeant dignos avis.

RAPHAEL AVRIA.

RAPHAELEM AVRIAM alterum ex Duûmviris Reipublicæ gerendæ Regni Siculi summum maritimarum rerum Præfectum fuisse, quem Halmirotem vocant, quinquaginta circiter annis post Gallos exactos, cum Regnum ab Aragonensibus teneretur, apud Annales nostros invenio. Ceterum quibus ille virtutibus, qua fama, qua rerum gestarum commendatione ad eum honorem pervenerit, quave ratione illum gesserit, nihil sane nobis re diu quæsita compertum est. Ut viri laudes seu temporis injuria obscuratas, seu Scriptorum vitio oppressas, nostro præconio in lucem proferre non potuerimus. Verum ne simul cum rebus gestis nomen quoque RAPHAELIS interiret, neve patria nostra numero stemmatum suorum fraudaretur, illud qualicunque hoc Elogio ab oblivione & ignoratione hominum vindicandum duximus.

SIMON BVCCANIGRA.

HAVD facile nobilius fratrum par inveneris SIMONE & AEGIDIO BVCCANIGRIS, quorum ille domi, hic militiæ clarissimus fuit. Sed Simonis amplum quidem ceterum incertæ existimationis est nomen peracri simulque turbulento ingenio viri. Nam quattuor nobilissimas familias Spinulam, Auriam, Grimaldam, Fliscam inveterato dominatu dejecisse, illorumque potentiam & summam dignitatem tot opibus subnixam, tantisque radicibus hærentem fregisse, ad hoc insignem Ducatus honorem in Patriam induxisse; popularemque & communem Reipublicæ formam, cujus omnes participes essent, instituisse, cum quattuor familiæ omnia superioribus temporibus ad se attraxissent, memorabile in primis facinus fuit. Præterea tantam dimicationem non expavisse virum, cui exiguæ opes, nullæ clientelæ, nulla Majorum potentia, nullusque magnopere familiæ splendor animos faceret, sed omnia apud illum tenuia essent; postremo contentionem usque ad finem vitæ sustinuisse, ac variis jactatum casibus, & Principatu expulsum nihil adversis rebus infracto animo fuisse, Principatumque recuperasse, atque inimicis invitis in eo extremum vitæ diem plenum gloriæ clausisse, hæc omnia vividi ingenii, invictique animi opera fuerunt: eæque res Simoni non bene gestæ, verum, quod longe præclarius est, servatæ Reipublicæ, ac liberatæ Patriæ clarissimum & haud dubium testimonium darent, ni tantorum meritorum gratia nonnulla ambitionis, occupatique Regni labe per speciem tollendarum Factionum à Nobilitate inductarum, ac communis libertatis asserendæ & constituendæ adspergeretur, neque minus insequentium Ducum tempora, quam superiora turbulenta fuissent: quamvis Factiones Ducibus regnantibus non tam exsecrabili internecinoque odio exercitæ sint. Ceterum ingentis facinoris memoriam, quæ anniversario sacro, ac dono aurei aulæi decreto publico ornata est, quod sacrum perpetuo & numquam interrupto tenore usurpatum ad nostra usque tempora perductum vidimus, in nostris Elogiis locum habere, à nemine iniquo animo ferendum est.

AEGIDIVS BVCCANIGRA.

AT AEGIDII fratris fama integra est, bellicæque laudes nulla turpi nota deformantur: qui subsidio Hispaniæ Regi laboranti cum prævalida classe missus florentes Maurorum opes fregit, iisque illos affecit cladibus atque eas gessit res, quarum magnitudinem Rex insigni Halmirotis titulo & peramplæ ditionis dono remunerandam duxit. Quam ditionem ad nostra usque tempora illius posteri in Hispania possident gentile Buccanigrarum nomen retinentes, interque Hispaniæ Principes numerati nobili titulo Comitatus Palmæ insignes.

JO. BAPTISTAE FONTEII, PRIMIONIS.

En BVCCANIGRA *fratres à stirpe profecti,*
Libera quos semper patria terra colat.
Nobilium SIMON *qui claustra superba refregit;*
Constituens populi fervidus imperium.
Et qui navali vicit certamine Mauros
Ægidius Regnis additus Hesperiis.
Vivite uterque decus Ligurum, vestrumque minores
Exemplum vili tollere pergat humo.

FRANCISCVS CATALVSIVS.

NON modo Patriæ, sed exteris quoque maximis Principibus Genuensium virtutem usui & decori fuisse, clarissimum in primis exemplum in FRANCISCO CATALVSIO constitutum est: quippe qui propter eximiam virtutem & fortitudinem maximum auctoritatis & potentiæ locum apud Græcum Cæsarem obtinuerit, maritimis rebus cum summo imperio præfectus. Cujusque, præter ceteram Cæsari multis locis navatam operam, consilio, virtute, cura, vigilantia Cantacuseni conatus ingentibus ac periculosis initiis res novantis sint compressi. Quod egregium promeritum amplissimo præmio remunerans Cæsar Francisci memoriam, ac gentis Catalusiæ nomen opulentæ ac celebris nominis insulæ Lesbi, urbisque Mytilenes ditione nobilitavit, sorore illi in matrimonium data.

RAINALDI CORSI.

Me clara Cæsar donat Lesbo ac Mytilene,
Cæsar, qui Grajo præsidet Imperio.
Quo Ligurum terra ac pelago notissima virtus
Præcipuo fiat munere nota magis.

AVRIETA AVRIA.

NON in viris modo, sed in fœminis quoque insita Auriæ genti bellica virtus illustri documento eluxit. Nam cum Amurathis Turcarum Regis ingens classis insulam Lesbum Veterum scriptis celebrem petiisset, ac copiis expositis oppidum arcta obsidione premeret; resque in angustum adductæ essent, atque oppidani diuturna obsidione, crebrisque oppugnationibus fessi, non commeatibus modo & ceteris belli apparatibus, sed viribus quoque ipsos deficientibus, deditionem spectarent, AVRIETA AVRIA Catalusio viro insulæ & urbis Domino absente armata in publicum prosiliit, hominesque hortata, ne animum desponderent, neve sese, liberos, conjuges in teterrimam Barbarorum servitutem proderent, seque ipsa Principem in præliis professa, cum acres stimulos virorum animis hac adhortatione & exemplo audaciæ admovisset, illi ignavis deditionis consiliis abjectis fœminam Ducem secuti, subita eruptione facta tanto impetu sese in Turcas intulerunt, ut illos ipso incursu fuderint; ingentemque illorum ediderint cædem. Qua clade Turcæ perculsi soluta obsidione trepida fuga sese in naves receperunt, liberamque insulam reliquerunt.

RAINALDI CORSI.

Injecere faces animo pietasque fidesque,
Atque amor ingenui cura pudica tori.
Queis crinem galea exornans virgo Aurea servas
Absenti cives, mœnia, teque viro.
Segnius haud studio Patria nunc ardet Vbertus,
Qui tua ne pereat gloria, totus agit.
Virtutem pariet facundo prodita ab ore
Virtus, atque acres concipiet stimulos.

ANTONIVS GRIMALDVS.

SECVNDAE adversæque res luctum quidem & gaudium miscere solent, at famam variare clarorum virorum nequaquam debent: nihil igitur posterior infelix expeditio de ANTONII GRIMALDI laude in priore

priore expeditione parta detrahere debet, sed potius posterioris adversi eventus sensum à priore gloria obrui oportet. Idem igitur quod non Patria modo, sed egregii ipsi conatus atque ausus, nos quoque laudibus nostris virtutis & fortitudinis Antonio Grimaldo testimonium debemus dare: qui in prima expeditione firmissimæ quinque & quadraginta triremium classis Præfectus exscensione in terram facta majorem Balearicam & Cataloniam magnis cladibus affecit, Regibusque Aragonio & Balearico bellum indixit. Qui ut ferociam Grimaldi retunderent, classem duarum & quadraginta triremium, ad hoc magni numeri longarum navium varii generis, contra illum miserunt. At Grimaldus è portu minoris Balearicæ, in quem sese illum inclusuros & obsessuros hostes sperarant, impigre egressus tanto impetu illos invasit, ut hostes audacia territi, simulque impressionem non sustinentes, sese in turpem & præcipitem fugam conjecerint; Grimaldusque eximium decus Regiarum classium fugatarum unaque ingentem prædam in Patriam rettulit. Spectatæ Antonii virtuti uno & vigesimo post anno Patria sexaginta triremium classem commisit: qui cum Veneti & Catalani fœderati classem octoginta triremium conjunxissent, non timuit fiducia virtutis & superiore felici rerum successu elatus prælium cum classe numero tanto superiore committere: in quo diu sustinendo, quamquam omnia, quæ imperatorii muneris fuerunt, abunde præstitit, is tamen pugnæ exitus fuit, ut ingenti clade accepta documento posteris fuerit, neminem ita suæ ac suorum virtuti fidere, atque hostem quamvis sæpe victum & fugatum contemnere debere, ut non incerta humanorum casuum & fortunæ vicissitudinem secum reputet.

LANFRANCUS USUSMARIUS.

In rebus quidem gerendis magnam procul dubio partem Fortunam obtinere Veteres Christianæ lucis expertes putarunt: quam nisi comitem habeat virtus, perraro egregia consilia ad effectum perducantur. At in claris viris laudandis nullus esse debet Fortunæ locus: omnia enim virtus occupat. Quorum igitur virtus excelluit, eorum memoria nullo modo exstingui debet, quamvis nullum illis campum dederit fortuna, in quo excurrere posset virtus. Quis igitur LANFRANCUM USUSMARIUM inter memorabiles Ligures immerito locatum dicat, aut quis consilium nostrum reprehendendum ducat, quod ad amplissima de illo à Patria facta judicia nos quoque præconii nostri testimonium accommodaverimus? quæ nisi spectatæ Lanfranci fidei, virtuti, audaciæ, consilio tantam sui partem, tantasque suas vires, quibus amissis haud facile alias esset recuperatura, numquam commisisset. Atque ego funestæ rei abominandam mentionem libenter omisissem, ne vulneribus Patriæ obductam cicatricem attrectando refricarem: ni, ne in clari viri famam ejusque posteritatem injuriosus fuisse existimarer, veritus essem. Cum igitur partium furor eo vesaniæ processisset, ut præpotentis Genuensis populi vires in se conversæ mutuis se cladibus ipsæ conficerent, Guelphis Genuæ rerum potientibus, ac dimidia civitatis parte urbe extorre; Fridericique secundi perpetui Genuensis nominis hostis classis Gibellinorum Genuensium classe sibi adjuncta Ligustica littora incendiis, excursionibus, rapinis continenter infesta faceret, Lanfrancus Guelphorum Præfectus quamquam numero navium par, genere tamen longe inferior, octo enim & sexaginta triremium classis Friderici fuit, cum in Genuensi classe totidem quidem numero, verum minoris formæ multa essent navigia, hostili classi obvius factus certamen non detrectavit: quod hostis committere ausus non est. Ut non vulgatæ virtutis specimen censendum sit, imparem viribus, conditione parem discessisse.

LUCIANUS AURIA.

LUCIANI AURIAE nomen eo clarius est, quo minoribus copiis ingentem ac cuivis æquandam victoriam peperit. Duarum enim & viginti triremium Præfectus cum totidem Venetis quamvis bellatorum numero aucto firmatis congressus longo & cruento prælio, in quo ipse fortiter pugnans cecidit, illos vicit, quindecim navibus ac duobus millibus & quadringentis hominibus captis, cum circumstantes primores in ejus locum alium iisdem armis & insignibus subornassent, ne pugnantes, si sensus Ducis interfecti ad illos pervenisset, cujus virtute maxime confidebant, animis caderent. Res bellicas æquarunt & ornarunt eximia humanitas & liberalitas, singularisque civium suorum charitas: quippe qui militum inopiam argento, supellectili, atque omnibus suis venditis sæpe sublevarit; ac militi cuidam ad genua procumbenti, seque fame deficere clamanti fibulam argenteam à cingulo præcisam, cum nihil reliquum esset, donarit. Ut LUCIANI mortui, qui cum anima rem quoque familiarem Reipublicæ donasset, liberis de publico subveniendum fuerit. Jure igitur Genuenses partæ victoriæ, ac clari viri memoriam sacro anniversario, atque aurei aulæi dono ad posteritatem contestatam esse voluerunt.

JO. BAPTISTAE FONTEII,
PRIMIONIS.

LUCIANUS *Venetûm quadriremes Auria quondam*
Idem æque turpem vicit avaritiam.
Nec bello ipse Ducem, quam maluit esse parentem,
Se, sua concedens omnia militibus.
Cedite Fabritii, Romani cedite, si quos
Sumptus in extremo funere destituit.
Nam stipe collata sobolem Respublica egentem
LUCIANI *fovit grata memorque sui.*

PETRUS AURIA.

INSIGNE in utramque partem PETRUS AURIA posteris documentum fuit, nemini suæ gentis rerum gestarum magnitudine secundus futurus, si ad bellicam virtutem moderationis quoque, atque animi fortunæ vicissitudinum, humanorumque casuum memoris laudem adjunxisset, ac ni gloriam bello partam superbia & arrogantia deformasset: quam turpitudinem auget Luciani gentilis sui proxima comparatio, cui ille in imperio successit. Quid enim gloriosius fuisset, quam Clodia vi expugnata, sex hostium millibus acriter urbem defendentibus cæsis, opulentissimam urbem Venetias, rerumque gestarum atque imperii magnitudine inter ceteras Europæ clarissimam veluti faucibus oppressam ad necessitatem pacis petendæ, legesque à victore accipiendi supplicem adegisse? ni animus secundo rerum cursu elatus, fortunæque insolentia ultra omnes officii fines provectus eas conditiones tulisset, quas pudeat referre. Quæ conditiones legatione renuntiata adeo iram & indignationem Venetorum accenderunt, ut illi in rabiem versi, omnique pacis cogitatione deposita, sese ad omnia ultima experienda compararint: quo factum est, ut præclaris initiis ea, quæ consecuta sunt, minime responderint, nomenque PETRI, qui maximo bello fortasse confecto plenus gloriæ in Patriam redire potuerit, paullatim consenuerit, tantarumque rerum felicissima initia tractu in dies duriora, exitu irrita fuerint.

THOMAE CORREAE.

Sapit favente sorte qui modum tenet,
Nec fidit auris prosperis sibi imperans,

Licet secunda suppetant. Quid aureus
Acervus, & quid ampla Regna te juvant,
Et quid trophæa parta, nulla si ex tuo
Honore gloria exstat? Exempla inspice
Mutationis; umbra, imago, somnium
Humana gens, Deæque instabilis jocus.
Sors nulla libera omnibus molestiis.
Amandus exitus tamen, nil pulchrius,
Quam in omnibus modum tenere statibus.

GASPAR SPINVLA.

NVLLVM tempus fuit, quo magis quam hoc Clodiano bello civitatis nostræ potentiam, ac Majorum nostrorum animi magnitudinem spectare licuerit. Qui nihil tanta ad Clodiam accepta clade infracti, cum etiam domi acri bello, quod ad ipsa mœnia constitit, à Vicecomite Mediolani Domino societate armorum cum Venetis conjuncto premerentur, ita magno animo fuerunt, ut exterorum & longe remotorum curam non deponerent; neque consilia ab inferendo ad propulsandum bellum verterent, quod illis tot malis fessis ac tot cladibus concussis omnium concessu datum fuisset, sed Venetos bello urgere pergendum decernerent. Quapropter GASPAREM SPINVLAM, quem non modo nobilissimæ ac præpotentis familiæ splendor, sed spectata etiam virtus conspectum faciebat, Auriæ successorem cum prævalida triginta triremium classe miserunt. Qui cum prius terrestri itinere Carrarium Patavii regnantem Genuensibus fœdere conjunctum adiisset, ut de subsidiis & commeatibus Clodiam submittendis cum illo ageret; cumque Clodiam ab hoste recuperatam, ac copias Genuensium, quæ erant in ea urbe, captas offendisset, ad classem se contulit, Matthæoque Marruffo, qui cum parte classis præmissus egregias ipse quoque res gesserat, sibi adjuncto, ad intimum sinum Hadriaticum penetravit; classeque, quæ fuit omnino quinquaginta triremium, in ipso Veneti portus ostio explicata & in prælium directa, copiam pugnandi hostibus fecit: quibus detrectantibus totam ditionis Venetæ oram pervagatus, copiisque sæpe in terram expositis complures Venetorum non obscuri nominis urbes expugnavit ac diripuit: in quibus fuerunt Justinopolis, & Pola; Tergestum quoque ad deditionis necessitatem adactum, ac Patriarchæ Aquilegiensi donatum: majoribus profecto damnis hostem affecturus, nisi illum in medio cursu gerendarum rerum urbani motus domum revocassent. Genuam igitur reversus est ingenti parta gloria ac præda onustus non tam rerum pretio, quam religionis veneratione conspicienda, compluribus Divorum reliquiis è captis urbibus advectis: quæ in Ædes sacras adservandæ distributæ sunt. Quibus rebus factum est, ut Veneti quanto Clodianis successibus elati tanto propinquarum urbium detractione animis imminuti cogitationem ad consilia pacis adjecerint: quæ tandem Romano Pontifice disceptatore inter duos potentissimos populos composita est, Tenedo insula, quæ utrique populo induerat arma, à Venetis dimissa, arceque, quæ ab eisdem ædificata fuerat, solo æquata.

JO. HIERONYMI CATENAE.

Afflictis studuit rebus succurrere GASPAR,
Deletasque acies, & mersas littore puppes
Instaurat, Venetosque ciet, segnesque fatigat.
At postquam bello non commovet, oppida cepit,
Hadriacumque sinum vexans, hostilia signa
Rettulit, & prædas, egitque ex hoste triumphum.

MEGOLVS LERCARIVS.

QVI privatæ sortis homines injurias suas occultis consiliis & conjurationibus in maximos Principes vel ulti sint, vel ulcisci infelici ausu tentarint, nonnulli omnibus ætatibus inventi sunt. At MEGOLVS LERCARIVS civis Genuensis, nobili & pervetusto genere ortus, novo atque, haud scio, an unico incredibilis audaciæ & fortitudinis edito facinore virtutem privatorum hominum ipsis etiam Regibus & summis Principibus alia quoque de caussa verendam & formidolosam fecit: quippe quos docuerit aperta quoque vi, armisque ultro inferendis injuriarum & contemptus sui interdum vindices esse. Is enim inter Aulicos Cæsaris Trapezuntii cum esset, lusuque, ut fit, pomeridianas horas traduceret, in altercatione & jurgio ab homine, qui magnum gratiæ locum apud Cæsarem obtinebat, colapho cæsus, cum injuria sua à Cæsare neglecta esset, omnem iracundiæ & generosæ indignationis impetum humilitate auctoris spreta in ipsum Cæsarem contulit. Genuam igitur in Patriam cum venisset, animi mœstitiam squalore atque habitu corporis præferens, injuria amicis & propinquis exposita, illorum opibus adjutus, duas triremes comparavit & instruxit. Cum quibus egregia florentis ætatis bellatorum omnisque navalis instrumenti & bellici apparatus copia refertis, tanta maris emensus spatia Euxinum ingressus, non populationibus modo, incendiis, vastationibus omnem Cæsarianæ ditionis oram brevi infestam fecit, sed vim & iram implacabilis animi, memoriamque alte insidentis injuriæ volventis in miseros à se captos fœdo supplicii genere expromebat: quos naribus & auribus defectis dimittebat, ut videlicet contumeliam in ore acceptam illa oris deformitate reddenda ulcisci videretur. Quibus acerbitatibus impulsus tandem Cæsar quattuor triremes in illum armavit: quas MEGOLVS, cum aperta vi imparem se intelligeret, astu sollertique consilio elusas vicit. Simulata enim fuga cum Cæsarianæ omnibus remigii viribus connixæ fugientes insequerentur, disparique celeritate aliæ alias anteirent, MEGOLVS respiciens cum astum sibi processisse, pugnaque illorum segregata imbecilliores fore illos cerneret, in duas proximas conversus, reliquis longo intervallo sequentibus, easque adortus ipso impetu & incursu oppressas cepit: quo exemplo reliquæ perterrefactæ fuga salutem expediverunt. At MEGOLVS triremibus suppressis usitata deformandi oris exempla in captos edidit: quos dimittens nuntiare Cæsari jussit, unam illi tantummodo esse sese ac populos suos è tantis cladibus eximendi rationem, si eum, qui ipsum injuria affecisset, sibi in manus daret: aliter sibi de injuria satisfieri non posse. Quod cum Cæsar malis & populorum fremitu victus fecisset, MEGOLVS hominem ad se adductum calce prius in conscensu triremis in ore percussum ad genua in humiles fletus projectum, ac mortem quidem tam audacis superbiæ & arrogantiæ facinori debitam fatentem, sed tormenta & cruciatus deprecantem benigne allocutus bono animo esse jussit, cum addidisset egregiorum ac fortium virorum moris non esse, in mulieres sævire: quod anceps dictum in muliebres hominis fletus in speciem jactum famam gratiæ apud Cæsarem flore ætatis collectæ oblique perstringebat. Ceterum cum sibi affatim satisfactum esse diceret, unam reliquam esse addidit erga Genuense nomen satisfactionem, cui non minor quam ipsi facta esset injuria; si Cæsar Trapezunte Ædes publicas negotiatoribus Genuensibus ædificasset egregii facinoris serie in parietibus pictura expressa, ad documentum sanciendum, ne quis in posterum illius nationis homines injuriis cujusquam obnoxios duceret: quas Ædes Cæsar ex pacto ædificatas homine recepto Genuensium nationi domicilium assignavit. Tantam indolem, tamque admirabilem animi magnitudinem quamquam alio in genere ætate nostra Francus Lercarius rettulit: nullum est enim magnificentiæ specimen, quod regia illius liberalitas copiose non præbuerit, egentium inopia levan-

levanda, afflicta amicorum fortuna sustentanda, omnium, qui in ejus opem confugiunt, angustiis sublevandis, præclaris artibus amplectendis & fovendis, litteratis & ingeniosis viris domi alendis, atque honorifice tractandis, Patriæ, cum tempora Reipublicæ postulant, large subveniendo, immanibus infinitique sumptus cum privatorum tum publicorum & sacrorum ædificiorum substructionibus urbem ornando: quæ res gloriam quidem viri, non autem animos supra ceteros extollunt, nullosque illi spiritus faciunt: quin contra ab omni fastu ita abhorrens est, ut cum opibus, quas amplissimas possidet, ditiones honorumque insignes titulos ultro delatos sibi posset parare, illos repudiarit. Ut cum fortunæ amplitudine singularis animi moderatio raro admodum exemplo conjuncta appareat.

RAINALDI CORSI.

Sensisti, Cæsar, miseratum publica damna,
Non mea me, Patriæ nascor & intereo.

ACTIOLINI LERCARII.

Jam sileat memoranda Ducum miracula fama
Quot Patriæ generisque extera quotque canit,
Fando umquam? Immanes populos, longe avia terris
Imperia uni homini Marte suo domita?
Tantum instar Ligurum, quantumque arma inclyta bellis,
Justa ira, & virtus conscia, gentis honos.

MATTHAEVS MARRVFFVS.

CVM egregiæ res, quas haud contemnendarum classium Præfectus MATTHAEVS MARRVFFVS gessit, illius nomen ab oblivione hominum vindicant, tum vero singularis justitiæ & continentiæ gloria in claro viro præfulget. Nam quod ad bellicas res attinet, ut complura alia egregia facinora omittantur, quæ Annales diligenter persequuntur, duo illa memorabilia fuerunt, quod novem & viginti triremium Præfectus, tum cum rebus ad iniqua inclinatis Veneti Genuenses in urbe Clodia obsidebant, in ostio portus Veneti bis classe in pugnam directa hostem ad certamen provocavit: & togati virtutes ita enituerunt, ut non modo ipsum admirabilem facerent, sed in alios quoque redundarent: quippe qui populos, quos Prætor à Genuensibus missus rexit, in suos mores formaret: quare fiebat, ut urbes illi commissæ non jam urbes, sed omnis sanctitatis domicilia viderentur, hominesque ab alieno non modo rapiendo & furto subtrahendo manus & cupiditatem abstinerent, sed pretiosæ res noctu inter pedes forte oblatæ à nemine prætereuntium attingerentur; dominique luce orta dimissas res in publico invenirent: quæ gloria, si verum quærimus, tanto bellicis laudibus clarior existimanda est, quanto rarior semper fuit.

ALPHONSI SALNESII.

Draco, Zaleucus, Solon, & Lycurgus
Legis auctores sacra condidere
Jura, queis grandes populos & urbes
Pace ligarent.
Fecit at nullus quod agit Maruffus,
Nempe dum terras Genuæ gubernat,
Victor & justus fuit ille Judex
Tempore in omni.
Nocte si forsan cecidere Gazæ,
Si vel incaute cadit æs, vel aurum,
Nocte si reddit, reperit viator
Judice tali.
Virtus est ingens, animique robur.
Lege non solum fugat ille pravos,
Moribus verum, studiisque sanctis
Atque quiete.

ISNARDVS GVARCVS.

INTER tot navales victorias, totque viros maritimarum rerum fama insignes, ISNARDI GVARCI nomen in primis fulget: qui Genuensem virtutem terrestrium quoque rerum gloria claram fecit: quippe qui pedestres & equestres copias & genere firmissimas, neque numero contemnendas à Barnaba Vicecomite Mediolanensium Principe Venetorum instinctu ad Genuam premendam missas atroci & cruento prælio fuderit ac deleri, maxima parte obtruncata, reliquis in fugam conjectis, in quibus fuit Veteranorum legio Stellæ cognomine insignis Italiæ prægravis ac formidolosa: nullius enim Principis stipendiis addicta assiduis excursionibus & populationibus multas ejus Provinciæ partes infestas faciebat. Ut hujus victoriæ fructus non modo ad Genuenses, sed ad quamplurimas Italiæ civitates magna cum illarum lætitia pervenerit: quam pleræque illarum litteris & nuntiis testificatæ sunt; gratiasque Genuensibus egerunt, quod illorum virtute & fortitudine à tanta molestia essent liberatæ. Genuenses quidem hanc victoriam in magnis numerant: quam anniversario sacro in Æde Divi Georgii, & aulæi aurei dono, qui honos non nisi maximis victoriis haberi solet, immortalitati commendandam censuerunt. Ac ne navali quidem gloria ISNARDVS caret: qui unius & triginta triremium Præfectus Zenum Venetæ classis Præfectum Liguriæ oram excursionibus & populationibus vexantem fugavit.

RAINALDI CORSI.

Quæ sibi sydereum cælo deducere nomen
Ausa fuit Legio terris infesta Latinis,
Injurata, atrox, non Regis signa secuta,
Non Ducis, hanc Ligurum sedes & Regnapetentem
Insubriæ agminibus conjunctam, & grandia de se
Professam Venetis ISNARDVS cadit & urget.
Obscuro tradens multis cum millibus orco.
Undantem excipiunt hostili sanguine cives,
Italia armorum plausu gratatur, ovatque;
Majorum votis damnatur sera juventus.

LVCAS FLISCVS.

AD togæ splendorem, quo nobilissima gens Flisca ceteras Genuenses longe anteivit, bellicas quoque laudes inter ceteros addidit LVCAS FLISCVS. Qui Florentinarum copiarum Dux urbem Pisas maximis rebus gestis, clarissimisque victoriis, ad hoc late propagato imperio nobilissimam diuturna obsidione pressam, ad extremamque omnium rerum inopiam adductam ad deditionis necessitatem adegit.

SIGISMVNDI DONATI.

Cum Pisana sibi victricia signa videret
Inferre arx hostes, talia dicta dedit:
Cur adeo ex te jactas, Florentia, quod me
Viceris imposito jam tumefacta jugo?
Non tua me virtus, tua nec præsentia vicit,
Me me Dux vicit, perdomuitque tuus.
Non tua, non igitur jam sum, Florentia, magno
Debeor at FLISCO, qui meus est domitor.

JACOBVS PASSANVS.

NON adversus armorum modo impetum, sed adversus pecuniæ quoque vim, quæ armis insuperabilia sæpe ipsa expugnavit, virtus & fides JACOBI PASSANI invicta stetit. Qui bellicam indolem in maritimis rebus à Ricio ex Passani Dominis gentili suo haud obscuris facinoribus olim ostensam ipse longo sæculorum intervallo rettulit, in arce Saonensi ab impetu Marchionis Montisferacis defendenda & patriæ conservanda. Cujus Marchionis acerrimam oppugnationem diu sustinuit, cum Marchio crebris præliis obsessos fatigando, ingentibus muralibus tormentis mœnia continenter quatiendo, operibus arcem urgendo, quattuordecim castellis cir-

circum excitatis nullum genus oppugnationis prætermisisset: quæ omnia vana expertus ad extremum fidem Passani ingentibus promissis labefactare frustra aggressus esset. Quod egregium facinus cum laude ipsum sua, tum fructu ponderatur. Haud enim dubitatur, quin ea arx parta possessionem Saonæ Marchioni fuerit stabilitura: ex qua urbe Genuam veluti faucibus premere, & ad suas conditiones adducere posset. Patria quidem quanti Passani meritum fecerit, honorifico præmio immunitatis tributorum atque onerum publicorum, quam ejus Majoribus olim datam confirmavit, anniversariaque insuper pensione declaravit: qui honos non nisi ingentibus hominum meritis haberi solet.

LAVRENTIVS FOLIETA.

ADMIRABILIS fortitudinis invictique animi specimen LAVRENTIVS FOLIETA, gentilis ac proavus meus, in mari oceano edidit. Is enim unius navis Præfectus cum in classem septem Anglicarum navium, quam ducebat Dux Vervichius Regii generis vir, incidisset, in qua mille & ducentos bellatores fuisse constat, cum LAVRENTIVM non plus duos & septuaginta habuisse incorruptis Annalium monumentis tradatur. Cumque Angli Genuensem navem circumstitissent, FOLIETA nihil tanta in se incumbente mole animo infractus, sed suos cohortatus, ut aut egregia victoria, aut memorabili morte tetram servitutem morte ipsa duriorem à se depellerent, atrocissimum prælium multas horas extraxit. Tandem cum Genuenses lassitudine confectos vulneribusque exsangues, octo ex ipsis interfectis, quinquaginta vulneratis, vires magis quam animus deficerent, jamque Angli ponte injecto adscensum tentarent, FOLIETA, qui in prælio sustinendo omnes & boni Ducis, & strenui militis partes implesset, tum quoque in extrema spe se ipse non deserens, omniaque circumspectans, unum ex sociis, cujus virtus in primis conspecta fuerat, gravi vulnere in jugulo accepto pugna excessisse conspicatus, *Ita ne vero*, inquit, *macte virtute: nunc cum maxime audacia & opera tua opus est, in medio pugnæ ardore nos ac te ipse deseris?* vulnusque hominis illo innuente, cum præ vi effluentis sanguinis loqui non posset, linamentis, utcumque potuit, obturavit. Ille vero securi arrepta asserem, quo pons innitebatur, magna vi præcidit; ponsque corruens haud exiguum superstantium hostium numerum una secum traxit: qui omnes undis hausti sunt. Cujus spectaculi stupore Angli defixi cum animis obtorpuissent, nullum operæ pretium rati, homines, quorum nullo aut labore corpus fatigari, aut terrore animus vinci posset, ipsaque desperatione in rabiem versos ulterius tentare, pugna dirempta Genuensem navem liberam reliquerunt.

IO. BAPTISTAE FONTEII,
PRIMIONIS.

Cocles ut Hetruscos arceret Horatius hostes,
Sese confracto ponte dedit fluvio.
Ausus in adversas septem certare triremes
Exigua LAVRENS *tu* FOLIETA *rate,*
Dejicis inciso confertos ponte Britanos,
Gurgite quos ingens obruit oceanus.
Ergo illum cives, hoc tu felicior uno
Historicus celebrat quem Folieta nepos.

JOANNES FVLGOSIVS.

TRES virtutibus simul & meritis memorabiles fratres eadem gens FVLGOSIA tulit. Quorum Thomas, qui maximus natu fuit, Principatum Patriæ adeptus, Rempublicam tanta cum prudentiæ, moderationis, æquitatis laude administravit, singularemque suam in Patriam charitatem tot tamque egregiis documentis declaravit, ut ejus nomen in sempiterna benevolentia & veneratione Genuensibus esse debeat. At JOANNES clarissimum incredibilis, atque haud scio, an ulli sæculorum ac gentium memoriæ comparabili audaciæ, simulque militaris astus specimen edidit, ut facinus in omnes partes nobile, nec conatu magis quam effectu admirabile nulla umquam posteritatis obscuratura sit oblivio. Nam cum Alphonsus Aragoniæ Rex inclytus Bonifacium Corsicæ urbem natura loci inexpugnabilem, prælatæ enim atque undique abscissæ rupi imposita maxima ex parte mari in peninsulæ modum circumluitur, ingentibus navalibus ac terrestribus copiis circumsedisset: oppidanique omnia extrema perpessi ad summamque omnium rerum inopiam adducti deditionem pacti essent, ni intra certam diem subsidium Genuensium venisset; Alphonsusque proinde, ut aditum portus, quæ una erat subsidii introducendi via, Genuensibus intercluderet, catena inter utrumque cornu ducta, eaque trabibus & funibus religata ac firmata ostium portus centum quinquaginta passus circiter patens, cum portus mille passus introrsus sit retractus, clausisset; classemque præpotentem trium & viginti triremium ac tredecim corbitarum navium opportunis locis collocasset, in quibus una fuit ea magnitudine, quæ terrestris arcis instar esset; magnamque bombardarum vim in utroque portus cornu dispposuisset, ut neminem sanum eo accessurum, ac munitionem inexpugnabilem tentare ausurum crederet, JOANNES ne fidelissima colonia, cujus tantæ essent rebus Genuensibus opportunitates, in manus hostium veniret, animam pro Patria, cujus dignitas & salus ea in urbe conservanda haud in postremis verteretur, profundere non dubitavit; septemque onerariis navibus omni bellico apparatu instructis à Thoma fratre Duce acceptis, in quas ingens fortissimorum bellatorum numerus conscendit, qui sese eadem devotione Patriæ obstrinxerunt, è Genuæ portu solvens in conspectum hostium venit, nihilque horribili specie munimentorum deterritus opportunum conatibus ventum nactus cum munitionem invasisset trabibus ac funibus, quibus catena deligata ac firmata erat, ipso impetu perfractis, catenaque disjecta prælium cum navibus oppositis commisit, angustiis ostii Genuenses adjuvantibus, ne à multitudine circumvenirentur: quod atrox & diuturnum fuit ab hora tertia ad vespertinam extractum, cum assiduis bombardarum ictibus Genuensis classis peteretur: adversus quæ omnia Joannis & Genuensium invicta virtus stetit. Tandem cum audacia astu & consilio juvanda esset, Andreas quidam celebris inter Genuenses nominis urinator, qui, quod sub undis magnum temporis spatium illæsus duraret, *mergus* vulgo appellabatur, JOANNIS jussu ad prægrandem navem undis occultatus adnatavit: qui cum funes, quibus ancoræ alligatæ erant, præcidisset, navisque proinde nullis adminiculis firmata prora conversa in hanc & in illam partem ferretur, sæpeque in Aragonenses ipsas naves incurreret, JOANNES occasionem arripiens per mediam hostium classem, partim illis stupore audaciæ defixis, partim navi jactata omnia turbante, ac ministeria nautarum & bellatorum impediente, perrupit; & ad intimum sinum urbisque crepidinem incolumis penetravit: ac subsidium hominum, & bellicorum apparatuum, omnisque generis commeatuum in urbem introduxit. Nec minoris virtutis, minorisve consilii aut gloriæ reditus, quam accessus fuit, nec minore astu Aragonenses sunt elusi. Qui cum bipartitam classem utrique sinus lateri prætendissent, quo Genuensium classem egressum tentantem mediam acceptam & circumsessam demergerent, JOANNES veterem navem picis, sulphuris, bituminis, aliarumque rerum ignem facile concipientium plenam præcedere

cedere agmen jussit: quæ classi Aragonensi cum appropinquasset, nautæque superstantes materia incensa in scapham desiliissent, atque igne subito concepto cum vehementi flante vento flammæ late jactatæ ad Aragonensium classem pervenirent, illi appropinquantis pestis metu trepidi, pugnæque obliti, qua cuique proximum & expeditum fuit, in terram desilientes, liberum egressum Genuensibus reliquerunt.

JO. BAPTISTÆ FONTEII,
PRIMIONIS.

Invito veluti Romano Punicus olim
Arma Syracosio fertque refertque sinu,
Tali Joannis Fulgosi ad littora Cyrni
Alphonsum virtus ludit Aragonium.
Ausa tot oppositas paucis penetrare carinas
Regis, & obstructi fauce redire sali.
I nunc, atque aliquas Antiquis assere laudes,
Quas minus est ætas postera cauta sequi.

BAPTISTA FVLGOSIVS.

BAPTISTA vero ut honoribus, ita virtutibus eximius fuisse putandus est: neque enim nisi spectatæ virtuti alienigenæ præsertim homini Ludovicus Andegavensis Apuliæ Rex, idemque Provinciæ Comes, summam maritimarum rerum cum insigni Halmirotis titulo detulisset: quod summi honoris nomen in aliis civibus merito Elogio prosecuti, in Baptista quoque suo præconio ornare debuimus.

JOANNES GRIMALDVS.

CLARORVM virorum virtus non modo publica utilitate est amplectenda, sed sua ipsa dignitate suspicienda: nec minus apud posteros in honore esse debent ii, qui civitatibus suis decori, quam qui usui fuerunt: qualis fuit JOANNIS GRIMALDI spectata virtus: ob cujus famam ille à Mediolanensium Duce classi præfectus cum prævalida Venetorum classe & navium numero, & pugnantium multitudine, & omnis bellici apparatus copia longe superiore in Pado fluvio ad Cremonam urbem congressus, egregia victoria docuit, Ducis virtutem ceteris omnibus rebus præponderare; Venetis ingenti prælio profligatis & fusis; octo & triginta navibus, octoque hominum millibus captis. Nihil me de clari viri fama detracturum existimavi, si illi adjunxissem Georgium Joannis Baptistæ filium, cujus mira indoles & incensum gloriæ studium haud dubium faciebant, quin ille, si vita longior contigisset, multum lucis Grimaldæ gentis splendori ætate nostra additurus fuerit, ac stemmatum numerum virtute sua aucturus: quippe qui nullum tempus inanibus adolescentiæ cupiditatibus, ac juventutis lusibus & illecebris dederit; sed omnem vitæ cursum jam inde à primis annis in continuis militiæ laboribus confecerit. Ut ætatis anno tertio & trigesimo, quo fato functus est, undevicena stipendia sub maximis Principibus fecisse illum constet, honorifico Præfecti munere perpetuo functum. Qua re factum est, ut magnum usum in rebus navalibus, magnumque nomen consecutus sit, varia fortuna usus, adversisque rebus numquam obrutus aut infractus. Virtus ac fortitudo cum multis locis, tum in primis navali prælio ad Echinadas, quod Turcarum maritimas opes fregit, conspecta est, cum vim atque impetum trium triremium in se unum incumbentium acerrime pugnans nonnullis acceptis vulneribus tam diu sustinuit, donec superveniente subsidio è summo discrimine, cui proximus fuit, ereptus est.

PETRI MAGNI.

Grimaldi, geminum patriæ decus, inclyta bello
Progenies: alter Venetos Insubribus armis
Edomat, Eridani medio congressus in alveo:
Te vero, Austriaci victricia signa secutum,
Naupacti decorat victoria clara Georgi.
Hostili invictum pugna, illecebrisque juventæ.

RAPHAEL MONTALTVS.

NON minore gloria RAPHAEL MONTALTVS insulam atque urbem Chium in primis fructuosam, commerciisque opportunam Reipublicæ Genuensi conservavit, quam Simon Vignosius acquisivit. Atque haud scio an factum MONTALTI eo sit magis suspiciendum, quo majoris dimicationis res fuit, ac cum potentiore hoste gesta. Nam cum Veneti cum prævalida octo & viginti navium classe, quarum tredecim ingentis magnitudinis corbitæ fuerunt, reliquæ quindecim triremes majoris fere omnes formæ, quas *Galeatias* vulgo appellant, aliam expeditionem in speciem præferentes, Venetiis profecti insulam improviso tenuissent, haud dubia spe urbis campestris non flumine, non fossa cinctæ, neque mœnibus validæ, tum autem nullo præsidio, ut in nulla tali suspicione, firmatæ, primo adventu, atque ipso impetu potiundæ; copiisque expositis urbem terra marique circumsedissent; cumque cives re subita & nec opinata trepidi tanto circumsistente terrore obtorpuissent, totius coloniæ consensu ad RAPHAELEM rerum summa delata est: qui cum dispositis opportunis locis præsidiis, ceterisque, utcumque potuit in tantis rei & temporis angustiis, præparatis & expeditis sese ac civium animos ad defensionem, atque ad omnia ultima experienda confirmasset, complures atque atrocissimas oppugnationes mira virtute & constantia sustinuit: cum Veneti sæpe cum magna cæde ac multis vulneribus repulsi essent; atque etiam ex successu crescente audacia crebris eruptionibus ultro petiti, idque eo majore cum laude, quod non usitato oppugnationum more mœnia tentabantur, sed urbe pluribus in locis ruina mœnium, quæ bombardæ prostraverant, patefacta, veluti æquo campo concurrebatur. Postremo cum Veneti portu urbis potiti essent; navibusque ab ea parte mœnibus applicatis maritima quoque oppugnatione urbem cœpissent urgere; malisque navium altitudinem mœnium superantibus ex corbibus bellatorum refertis ingentem missilium vim funderent, ac propterea defensores locum illum relinquere coacti essent, hostesque proinde ad mœnia defensoribus nudata scalas erexissent, haud dubie in urbem transcensuri, reliquis civibus imminentis pestis specie oculis atque animis obversante exanimatis, cujus vitandæ nulla ratio expediretur, RAPHAEL cum sese non deseruisset, singulari audacia, egregioque consilii atque animi adversus omnem formidinem invicti exemplo periculum discussit. A diversa enim urbis parte egressus, delectaque fortissimorum juvenum manu, quam secum rapuit, circumducta, terga scandentium invasit: quibus partim cæsis, partim in fugam conjectis urbem servavit. Quare Veneti, cum etiam celebris illis temporibus nominis Dux Scaramucia Papiensis, dum in operibus paullo incautius versatur, tragula ictus cecidisset, omnia nequidquam experti, fracto adversis rebus animo obsidione soluta, irritoque incœpto urbem liberam reliquerunt.

ALPHONSI SALNESII.

Qualiter puppim rapidis procellis
Flante nauclerus zephiro gubernat,
Prora ne syrtes Libycas subintret
Ore vadoso.
Nonne Montaltus Raphaellus ille
Sic Chium nisis Venetis potenter
Servat, ut longa liberaret urbem
Obsidione?

Possit angustam superare vallem
Tela dum torquet Venetus, sed altum
Montem, & excelsam Raphaellis arcem
Quis superabit?

NICOLAVS FVLGOSIVS.

Qvod Fvlgosiorvm suorum perpetuæ & contestatæ gloriæ debuit, abunde reddidisse existimandus est Nicolavs: qui in ipso adolescentiæ flore Patriæ classis Præfectus Renato Andegavensi auxilio missus arcem novam Neapolitanam, quæ ab Aragoniis tenebatur, præalta circum fossa ducta, crebrisque castellis excitatis veluti circumvallatam arctissima mari terraque obsidione, atque acerrima oppugnatione assidue urgendo, ad deditionis tandem necessitatem adegit. Cumulatur arcis munitissimæ, quæque illis temporibus inexpugnabilis habebatur, expugnatæ gloria egregiis animi magnitudinis laudibus: Nicolavs enim nihil Alphonsi tanti nominis ac potentiæ Regis cum maximis copiis ad obsidionem solvendam adventantis fama deterritus, sese ad resistendum duplicato castellorum numero comparavit; in ancipitique discrimine positus hinc ab arce, inde ab exteriore hoste, Regis conatus sæpe munimenta tentantis irritos reddidit.

HORATII BLADII.

Celsam Parthenopes Ductor Fvlgosivs *arcem*
Dum quatit, & totis viribus urget opus,
Pugnantem Rex hunc Gradivus vidit ab alto:
Vidit, & ardenti est concitus invidia.
Quis novus hic, inquit, consurgit ad æthera Mavors?
Quis mihi bellando se putat esse parem?
Dixerat, obsessæ cum defensoribus arcis,
Ne vinci possent, vimque, animumque dedit.
Nec satis, Alphonsum validas ductare cohortes
Jussit, & egregio bella movere Duci.
At medios inter positus Fvlgosivs *illos*
Frangit, & hos celeri cogit abire fuga.
Protinus erubuit Mavors: cæloque relicto,
Oscula victori junxit amica Duci.

JOANNES JVSTINIANVS.

Qvibvs virtutibus, quibusque meritis, quibusve rebus gestis Joannes Jvstinianvs ad eum gratiæ & dignitatis gradum apud Græcum Cæsarem adscenderit, ut bellicis rebus tam mari quam terra cum summo imperio atque honorificentissimo Halmirotis titulo præficeretur, nobis diu quærentibus haud satis compertum est. Egregias certe fuisse virtutes, atque eximia merita necesse est; quæ privatæ sortis hominem apud exterum præsertim Principem ad tam altum honoris locum extulerint. Verum, ut cetera hujus viri obscura sint, Constantinopolis oppugnatio clarissimum ejus nomen facit, magnumque nobili Justinianæ genti splendorem conciliat. In qua oppugnatione sustinenda cum Mahumetes Turcarum Imperator eam urbem ingentibus copiis circumsedisset, ducenta enim armatorum millia sub signis habuisse Scriptores, qui minimum, tradunt, ita omnia, quæ sunt imperatorii muneris exsecutus est Justinianus, ut ejus virtute constet, præclarissimam urbem diu fuisse defensam; nec prius expugnatam in ultimo prælio, in quo Cæsar ipse Constantinus fortissime pugnans cecidit, cum amisso Imperio, ut tantæ majestatis Principem decuit, nollet superesse, quam Justinianus gravi vulnere accepto, ex quo paullo post decessit, pugna excedere sit coactus. Cujus virtute destituti defensores cum animis cecidissent, Turca omnibus viribus connixus augustissima urbe, atque omnium, quæ sub cælo sunt, pulcherrima, quæque immanium substructionum magnificentia Romanam magnitudinem spiret, orbisque imperii tot sæcula domicilium fuerit, sempiterna ac numquam delenda Christiano nomini dedecoris & ignominiæ inusta macula potitus est.

ANTONII HORTENSII.

Imperii sedes, ô Jvstiniane, *decusque,*
Te vivente manet, te moriente cadit.
Nam velut Hectoreis olim stetit Ilion armis,
Atque unius erant Pergama tuta manu,
Byzanti columen, sic Regia Cæsaris alma
Fortuna tecum statque caditque pari.

FVLVII CARDVLI.

Hic Constantini turmas servabat & arces,
Hic & Riphæis hostibus horror erat.
At simul occubuit, Turcis victoria cessit,
Mors Grajum Imperium sustulit una Ducis.

FRANCISCVS SPINVLA.

Dvo Francisci Spinvlae ut nominibus pares, ita eorundem fere temporum æquales, conjunctis quoque præconiis inter se continuandi visi sunt. Alterius igitur Francisci belli & pacis laudibus æque clari fortunam quidem secundæ & adversæ res variarunt, at non gloriam: quæ eadem magnos viros lætis & asperis rebus comitatur. Bis summus classium Præfectus fuit cum insigni Halmirotis titulo. Prima expeditio felix evasit, Catalanis fugatis, nonnullisque oppidis in ora Sardiniæ captis: at in secunda offendit à Lauredano Venetæ classis Præfecto captus, cum omnes boni Ducis partes tam in pugna instruenda, quam in pugnando cumulate implesset. At ea, quæ consecuta sunt, sine ulla offensione magna & memorabilia fuerunt, atque ea, quæ Patria pro suo jure mecum egit, ut eximio Elogio ornarem, quemadmodum promeritum eximium fuit, cum diceret, sese quidem à multis ex filiis suis defensam, ornatam, auctam, at à Francisco tetro imminenti servitutis jugo depulso ab interitu servatam. Cajetanis enim flagitantibus, & in opem confugientibus, cum delecta manu à Genuensibus præsidio missus Alphonsum peracri obsidione urbem prementem omnia ultima perpessus constanter tam diu sustinuit, donec obsidio soluta est, Alphonso ad insulam Pontiam à valida Genuensium classe superato & capto. Quibus beneficiis devincti Cajetani Legatis Genuam ad gratias agendas missis cum Francisci prudentiam, virtutem, constantiam, vigilantiam, justitiam, moderationem magnifica oratione facta dictis æquando ad cælum extulissent, sese in Genuensis populi fidem tradiderunt; Prætoremque sibi Genua mitti postularunt impetraruntque, quo interea regerentur, dum communis Mars decrevisset, utri Regi parendum esset. Quo facto Mediolanensis Dux in Genuenses graviter exarsit, eoque furoris provectus est, ut Genuam in fidem receptam, fœderum & jurisjurandi religione neglecta, in servitutem redigere decreverit, atque eodem, quo Mediolanum & ceteras Longobardiæ urbes imperio suo subjunctas, loco habere. Quare cum ea de caussa Castelletum exiguam & invalidam arcem munimento amplificato firmare, atque ab ea arce, quæ edito loco posita subjectæ urbi imminet, perpetuam munitionem per mediam urbem ad portum perducere decrevisset, mœroreque attoniti cives potius libertatem in perpetuum complorarent, quam adversus tanti Principis opes toti Italiæ formidolosas oculos attollere auderent, qui etiam superiora urbis loca præsidiis & numero & genere firmissimis obtineret, unus Franciscus generoso animi impetu incitatus caput pro patriæ salute tanto discrimini objicere non dubitavit: manu enim clientium & amicorum corrogata in publicum prosiliens, *Ferro*, inquit, *cives, & audacia tetrum servitutis jugum, quod vo-*

vobis & liberis vestris Tyrannus parat, discutiendum est. Agite quicumque Rempublicam servatam cupitis, me libertatis auctorem sequimini. Qua voce simulque auctoritate tanti viri Genuensium consopita studia excitata ad libertatem recuperandam subitis & ingentibus motibus exarserunt. Armis igitur arreptis Franciscum Ducem secuti præsidium invadunt, longoque & cruento prælio tandem superatum, unaque cum illo Trivultium urbis Præsidem obtruncant, atque arce paucis post diebus recuperata sese in libertatem asserunt. Quanta in charitate clarus vir apud Cajetanos fuerit, quamque justi & moderati imperii memoria alte illis insederit, in ejus obitu declararunt mutatione vestis & monumento egregii sepulchri è marmore antiquo opere Genuam missi, in quo conditus est.

JO. HIERONYMI CATHENAE.

Non Cajeta minus FRANCISCO *præmia debes,*
Qui te lethifero est quondam tutatus ab hoste,
Quam quæ Campano te littore condidit alto,
Illa licet fuerit nutrix Æneia, Janus
Hunc pater enutrit Rex servantissimus æqui.
Hic tibi jura dedit, leges hic sanxit honestas,
Hic numquam Patriæ pro libertate tuenda
Extimuit duri rescindere jussa Tyranni.

FRANCISCVS SPINVLA, COGNOMENTO MAVRVS.

VICTORIA de Gallorum classe ab altero Francisco Spinula, cognomento Mauro, Genuensis classis Præfecto in sinu Rapallensi parta non quidem genere ipso & magnitudine contemnenda fuit, tota classe Gallorum, quæ fuit decem triremium, duorumque ingentium Myoparonum simul cum Miolantio ipso summo maritimarum rerum magni nominis Præfecto capta, ingentique ac magni pretii parta præda: opulenta enim Neapolitana omnia fere spolia ac quidquid Regiæ supellectilis & argenti ac pretiosæ vestis redactum & in classem impositum fuerat, in Galliam devehendum, in manus Francisci venit: qui maximam partem captarum rerum militibus ac nauticis laborum & discriminum sociis singulari in eos charitate atque liberalitate usus large partitus est: ceterum non eo solum fructu æstimanda est, & inter magnas numeranda, sed illo longe majore, quod ad ejus victoriæ nuntium obsidio Genuæ soluta est: quæ quam periculosa atque urbi terribilis fuerit, præter copias neque numero neque genere contemnendas, quæ partim jam convenerant, atque urbem premebant, partim exspectabantur mox adfuturæ, ac præter summum ac maximi ea tempestate nominis Ducem Brescium, declararunt præcelsi fastigii viri, qui rebus gerendis præfuerunt: quorum principes fuerunt Julianus Roborejus formidolosi ac clarissimi nominis Cardinalis, ac Paulus Fulgosius ipse quoque Cardinalis, ac Factionis Fulgosiæ princeps, quæ dimidiam Liguriæ partem secum trahebat.

JANVS FVLGOSIVS.

CVMVLAT haud dubie claræ gentis suæ stemmata virtute & dignitate sua JANVS FVLGOSIVS; cui grave inflictum vulnus in bonum & decus vertit. Neque enim principatu Patriæ dejectus in hominum contemptu & in solitudine ignobili exsilio consenuit, sed à Venetis illustri honore exceptus in summo bellicarum rerum imperio ob consilium, fortitudinem, virtutem multis locis conspectam positus est; qui honos vel non nisi magnarum rerum gestarum gloria claris viris, vel insignis imperii titulo fulgentibus haberi solet.

PIERII AVIOLAE.

Vivida vis animi minaci in pectore quantum
Polleat, è claris percipe Principibus.
Exsilio, seniove, laboreve clara Camilli
Non tabuit virtus, sed magis enituit.
Sed sileant reliqui. JANVS FVLGOSIVS *unus*
Dux patria ejectus vi sibi struxit opem.
Intrepidus Venetum clarissima signa revolvens
Innumeras laudes vique fideque tulit.
Nec potuit Fortuna suis fallacibus umquam
Insidiis tantum frangere iniqua virum.

FABRITIVS, BAPTISTA, GALEATIVS, JVSTINIANI.

QVIS FABRITIVM JVSTINIANVM non inter memorabiles viros locandum ducat? cujus virtus ac fama ita enituerit, ut post fortem & fidelem multos annos Genuæ patriæ navatam operam, cujus classium summus Præfectus fuit, Villamarino celeberrimi ac formidolosi nominis eo tempore maritimo Duce superato, ab Hispaniæ Regibus celsissimis ultro accersitus, honorificentissimis conditionibus multos annos sub illis stipendia fecerit, meritorumque gradibus, ac rerum gestarum commendatione id sit consecutus, ut idem munus BAPTISTAE & GALEATIO filiis continuatum sit, postquam ipse in urbe Chio fato functus esset, auctoritate gentis suæ Justinianæ in ea insula stabilita, adversariisque, qui omnia ad se trahebant, ejus in primis opera & consilio expulsis. Mandato autem muneri filios virtutem & animos æquasse, declararunt cum multa singularis consilii & audaciæ compluribus locis conspecta facinora, tum satis amplæ castellorum ac populorum ditiones, quibus spectatam fidem & operam Justinianorum fratrum Reges remunerati sunt, cum etiam BAPTISTA JVLII secundi Pontificis Maximi summus navalium rerum Præfectus fuerit. Neapolitana vero clades postremo accepta tantum abest, ut de GALEATII fama quidquam detrahat, ut ad extremum in gloriam etiam verterit: quippe qui Hugonem à Moncada in Regno Neapolitano Cæsaris Vicarium cum ingenio ferocem & in consiliis rapidum, tum adspectu tot clarorum Ducum & delectorum militum, quibus classem affatim refertam habuit, elatum à prælio cum Genuensibus conserendo magnopere deterruit, quos rerum navalium scientia & usu longe dixit præstare; ad hoc aspero fluctibus mari jactatione & nausea victos milites pugnæ inutiles futuros: quibus rebus navales Genuensium socii numero superiores nihil læderentur. Quin etiam cum duæ ex hostilibus triremibus sese à reliqua classe segregare & altum petere visæ sunt, ceterique illas fugere lætis plausibus & clamoribus sublatis effuse lætarentur, illas fugere vir scientissimus, longoque usu doctus asseveranter negavit; sed secundi venti favorem quærere affirmavit: quæ res lætitiam illam temere conceptam mox in luctum converteret. Verum pravum consilium magis non probare, quam Regium imperium non sequi potuit Justinianus: qui quæ Ducis fuerunt partes in providendo & monendo, eas egregie præstitisse existimandus est, adversæ pugnæ eventus alienæ inscitiæ & temeritati assignandus. Ut quidem existimavit Carolus Quinctus Cæsar Princeps sapientissimus: qui conspectam in ea clade GALEATII virtutem & consilium ampliore honoris titulo ornandum duxit, summa Regni Neapolitani navalium rerum Præfectura illi mandata. Ut omittam Justinianum prælio commisso, quod militaris muneris fuit, strenue ac fortiter fecisse, triremi, cum qua congressus est, superata ac mox deprimenda, ni duabus supervenientibus triremibus, quas speciem fugientium initio præbuisse diximus, fortuna

tuna pugnæ versa esset. Paternæ & avitæ virtutis GALEATIVS Galeatii filius in ipso ætatis flore æmulus fuit, compluribus stipendiis factis, egregiaque opera in bello Corsico Genuæ Patriæ navata: quæ merita illustri gratia Patria excipiens triremium Præfecturam, quæ quattuor fuerunt, summamque maritimarum rerum illi mandavit: in quo munere obeundo ad Oranum & Pignonum ita se gessit Galeatius, ut tot Majorum indoles multis haud obscuris signis in adolescente apparuerit: quorum illud silentio haudquaquam prætereundum est, quod Francisco Mendozæ Regio summo Præfecto constanter restitit, locumque sibi assignatum ut inferiorem honoris titulo, in quo positus erat, perseveranter recusavit, tamque diu in generoso incœpto perstitit, quoad Regis ipsius litteris & jussu suus illi locus proximus à Regia Prætoria est tributus. Neque vero FRANCISCVS & RAPHAEL JVSTINIANI fratres gentilitium decus modo rettulerunt, sed etiam cumularunt, iis in bello Corsico editis incredibilis audaciæ, ac vividi animi, eximiique consilii facinoribus, ut nullius nomen æque ac JVSTINIANORVM FRATRVM Corsis esset formidolosum, celebris nominis ordinum Ductore, eodemque strenuo & fortissimo milite, quo auctore Corsi rebellaverant, quique toto Corsico bello caput rerum fuerat, cognomento Sancto Petro cæso. Quarum rerum fama ad exteros delata Venetos impulit, ut Raphaeli ultro evocato perampla militaria munera mandarint: quæ ita sustinuit RAPHAEL, itaque exspectationi respondit, ut Veneti meritorum gratiam non litteris modo honorificentissimis verbis conscriptis, sed præmiis quoque testificati sint. Idem Corsicum bellum non minus LEONARDI JVSTINIANI, Dominico Patre forti & egregio viro honorificisque militiæ muneribus uso orti, nomen fecit insigne. Ut virtutem Termius etiam in hoste amplexus ad Gallorum stipendia hominem ultro accersierit. Neque Gallos consilii pœnituit, opera Justiniani cum multis locis, tum vero ad Portum Gratiarum forti ac fideli experta: id quod honoribus & præmiis declararunt.

FVLVII CARDVLI.

Huic freta Neptunus, ventos dedit Æolus, artes
Pallas, vim Mavors, Parthenopeque rates.
Grata Ducis meritis Regum pietasque fidesque
Vult natos patrium classe referre decus.

STEPHANVS ET LAVRENTIVS MVTINI.

CVM multa fortitudinis, audaciæ, consilii egregia facinora, quibus STEPHANVS MVTINVS, non obscuri nominis Liguriæ oppido Monelia ortus, nomen suum toto mari Mediterraneo celebre, hostibusque in primis formidolosum fecit, tum summi honores à summis Principibus ultro delati memorabilem illum posteritati faciunt. Quem Alexander VI. Pont. Max. ea natione ortus, quæ veteri exsecrabilique odio à Liguribus dissideat, summum tamen maritimarum rerum Præfectum crearit: in quo munere gerendo ita MVTINI fortis & fidelis opera enituit, ut Julius secundus successor gravium inimicitiarum inter ipsum & Alexandrum tam illustribus contentionibus jactatarum immemor, conspectam virtutem etiam in hominibus adversarum partium amplexus, eundem honoris titulum LAVRENTIO filio continuarit: qui non minus in paternam virtutem, quam in muneris & honoris locum cum successisset, ipse quoque nomine suo clarorum Ligurum numerum auget.

JO. FRANCISCI LEONIS.

Amborum virtute olim tua littora Tybris
Intacta à Mauris tuta fuere diu.
Quin Mauros Turcasque trahis per flumina victor,
Dum præparant fortes in fera corda Duces.
Tu MVTINORVM servas nunc grata nepotes
Roma memor: decorant hi nova sæcla viri.

BALTHASAR BIASSIA.

CELEBRE nobilissimi portus Lunensis & circumjectarum regionum emporium Spedia oppidum agri bonitate, commerciis maritimis, omnibusque naturæ & industriæ bonis circumfluens, nulla re magis gloriatur, quam alumno suo BALTHASARE BIASSIA: cujus memoriam eædem, quæ Mutinum virtutes, idemque honoris titulus immortalitati commendat: complures enim annos magna cum rerum gestarum gloria sub Julio secundo meruit, ipse quoque summæ navalium rerum præfectus: quem Joannes filius duarum triremium dominus ita æmulatus est, ut eundem honorem, quem tempora illi negarunt, virtutibus debitum vulgo faterentur.

ZACHARIAS ET PAVLVS BAPTISTA SPINVLAE.

VICTORIA à ZACHARIA SPINVLA copiis, quibus concursum est, perquamexigua sane fuit, cæterum documento virtutis ac fructu maximis æquanda: in majoris enim rei discrimen, quam ipsæ fuerunt concurrentes naves, pugnatum est. Nam cum Vincentellus Istria vir strenuus atque impiger, ac facinoribus insignis, tum autem magnæ apud Corsos suos auctoritatis, magnarumque clientelarum eisdem Corsis indomito ingenio genti, ac novarum rerum semper avidæ, auctor defectionis fuisset, Corsicamque omnem præter Calvum ac Bonifacium oppida ægre à præsidiis defensa in potestatem suam redegisset, eo audaciæ provectus est, ut duabus triremibus omni bellico apparatu ac nautico instrumento, tum autem egregia pugnatorum ac navalium sociorum manu affatim instructis oram Ligusticam excursionibus & latrociniis infestam faceret, ac pene urbem ipsam premeret. Qua indignitate commotus Zacharias præsidiorum Genuensium Præfectus cum triremi, quam tum unam secum forte habebat, cum hoste tanto viribus superiore manum conserere non dubitavit, isque acerrimi & cruenti prælii exitus fuit, ut ambas hostiles naves simulque Ducem ipsum ceperit: qui Genuam ductus inter plausus & acclamationes exsultantis populi audacia & præcipitia consilia capite luit. Cujus victoriæ ac perempti Ducis fama exortos tumultus compressit: Corsosque ad officium & fidem revocavit, Genuensi populo lætante, Spinulam felici audacia sua illud negotium Patriæ momento temporis confectum dedisse, quod longi temporis, magnique laboris, ac magnorum discriminum futurum fuerat, magnaque hominum & pecuniarum impensa Genuensibus staturum. Eadem indoles, eademque animi & vividi ingenii vis ætate nostra conspecta est in PAVLO BAPTISTA SPINVLA. Cui omnis adolescentia ac primæ juventutis tempora in honorificis stipendiis cum maximis Regibus faciendis, egregiis audaciæ facinoribus assidue edendis fuit: quorum duo illa insignia in primis sunt. Alterum, quod magna seditione & populari tumultu ingentibus motibus in Eduardum Angliæ Regem excitato, cum conjurationis Duces maximis contractis copiis Regem, ut in re non ante provisa, ab omnibus rebus imparatum peterent; Londinoque propinqui facti mox in Regem & in Aulam impetum facturi essent, Paulus Baptista, qui tum forte sub eo Rege mercabat, ducentis circiter armatis raptim contractis, quorum magna pars Itali, ponte quodam, per quem necessarius res novantibus transitus futurus erat, occu-

occupato, illorum impetum repressit; pontemque invitis hostibus, atque ipsum omnibus viribus deturbare nitentibus, tam diu tenuit, donec superveniens nox illos irrito incœpto pedem referre coegit: quos incompositos & inordinatos abeuntes Paulus Baptista occasione oblata utens insecutus & adortus profligavit & disjecit, magna illorum edita cæde. Qua re factum est, ut Regi tempus daretur comparandi. Qui egregii facinoris promeritum, Paulo Baptista equestri ordine & equestribus insignibus ornato, ad hoc honorifico anniversario vectigali donato, cum Elogio amplissimis verbis scripto testificatus est: in quo profitetur, sese ope & audacia Pauli Baptistæ magno discrimine ereptum. Alterum illud haud prætereundum facinus fuit, quod nobilem Gallum ab ipsomet, & cohorte ipsius, dum in obsidione Bononiæ Picardorum, quam tum urbem Angli tenebant, audacibus eruptionibus hostem vexat, captum, cum ille sese Anglo potius hosti, quam Paulo Baptistæ Italo tradidisset, contemptimque de Italis loqueretur, ad singulare certamen provocavit, ardoreque stolidæ arrogantiæ retundendæ acres stimulos animo admovente, pecunia in pretium redemptionis corrogata in Angliam advolavit. At Rex oblatum pretium remittens Gallum gratuito liberavit; quin etiam eximio equo ac peramplo viatico egregium juvenem donavit, perhonorifico addito comitatu. Cumque Gallus à Proceribus ipsis Gallis turpitudinem caussæ detestantibus retentus ad constitutum diem in loco destinato ad rem ferro decernendam non apparuisset, Paulus Baptista discessit, iis, qui ad spectaculum convenerant, prosequentibus, assertoremque Italici juris acclamantibus: quem Rex ob editum specimen virtutis ampliore honore affecit, gentilitio rosæ insigni illum impartitus. Egregii juvenis miserabilis casus in expugnatione Theodonis Villæ exanimati magnarum rerum inchoatam spem interrupit.

AMBROSIVS NIGRIVS.

PRAEFVLGET in primis AMBROSII NIGRII gloria, quem duplex laus & bellicarum rerum, & continentiæ, justitiæ, moderationis immortalem facit. In Corsis enim rebellantibus armis compescendis & perdomandis, Provinciaque magno motu ad bellum consurgente pacanda omnia egregii Ducis munera cumulate implevit. Ut clarum virum Genuenses honorario anniversarii vectigalis, statuaque publica raro in ea civitate honore decorandum censuerint. Idemque, quæ longe clarior est victoria, indomita & contumacia Corsorum ingenia justitia & continentia sua vicit; quodque jugum à semet vi & armis impositum illos patienter coegit ferre, charitate sui effecit, ut etiam libenter ferrent, Patronumque AMBROSIVM sibi adsciscerent, in ejusque præsidium aliquibus iniquitatibus prementibus Genuam confugerent: id quod ex compluribus gravibus viris pro re comperta cognovi.

THOMAE CORREAE.

Qui Genuæ Proceres opibusque armisque superbos
Suspicis, & variis fixa trophæa locis,
Inter mille triumphos, & mille inter honores
Adspicis AMBROSIVM *constituisse suos.*
Non ille in cassum factis se æquavit Olympo,
Et nomen superis orbibus inseruit.
Dum vesana movet Corsos discordia in arma
Indomitas fregit, composuitque acies.
Insignis probitate Heros, metuendus & armis,
Queis vicit rexitque artibus omne genus.
Patria non oblita decus immortale sacravit,
Ne benefacta Ducum fraudet honore suo.

JOANNES ET LEONARDVS ROBOREII.

GENS Roboreia, è Subalpinis Taurinis nobili & pervetusto genere oriunda, cum in Liguriam commigrasset, sedemque sibi ac patriam urbem Saonam delegisset, pacis artibus ac togæ studiis in eum honoris gradum conscendit, quo nihil in rebus humanis est altius: in quo positus JVLIVS rerum gestarum & meritorum magnitudine id assecutus est, ut Sacerdotum ordo, Italiaque Patria, cujus dignitatis & libertatis acerrimus ac perpetuus vindex fuit, nihil habeat (de hominibus nostræ ac patrum nostrorum ætatis loquor) ad memoriæ venerationem sanctius. Tantum gentilitium decus æmulati sunt viri bello illustres JOANNES & LEONARDVS: quorum Joannes urbis Præfectus, ac summos militares honores adeptus, vehementi vividoque ingenio, expedito animi vigore, prompta & ad pericula imperterrita audacia lacessendo, instando, urgendo, omnibus locis occurrendo, cum neque sibi, neque hostibus ullam quietem daret, fama nominis sui totam Europam implevit; effecitque, ut nemo sua ætate acrior bellator haberetur. Leonardus vero iisdem honoribus ac militiæ muneribus usus egregiam quoque laudem nomini suo peperit, vir ingenio remissior, ceterum consilio non inferior. Quem fortunæ quoque amplitudine & Regia affinitate clarum (Regis enim Neapolitani filiam in matrimonio habuit, atque una cum illa Ducatum Soræ accepit) clarissimus filius FRANCISCVS MARIA splendore suo clariorem facit.

HIERONYMVS RIARIVS.

NON tam affinitati quam virtutibus HIERONYMI RIARII, Comitis Boschi & Chariatis, Xystum Quartum nobilissimas urbes Forum Cornelii, quæ nunc Imola appellatur, & Forum Livii fiduciarias dedisse, declararunt summi honores à maximis Principibus illi habiti, peramplaque militaria munera mandata. Nam Regni Neapolitani Comes stabuli fuit: qui militaris honoris titulus à Regibus ipsis proximus est. Præterea summæ rerum bellicarum à Romana Ecclesia, & à Veneto Senatu præfectus est: quod munus Gubernatorem Generalem vocant. Ad hoc Mediolanensis equitatus Magister fuit. Quis igitur non in Elogiis nostris HIERONYMVM præcelsum locum jure dicat tenere, quem etiam illustres affinitates Mediciæ, Roboreiæ, Sfortiæ gentis, Catharina Ludovici Mediolanensis Ducis filia uxore ducta, conspectum faciant?

FRANCISCVS MARIA ROBOREIVS FELTRIVS.

QVO te primum honoris titulo insignem faciam, FRANCISCE ROBOREI FELTRI? aut in quo Elogiorum nostrorum ordine locem? Profecto multiplex virtus tua in tot sese partes fundit, ut nullus sit in quovis genere locus, quem illa non occuparit. Si enim rem militarem spectemus, quis ad illam majoribus naturæ & industriæ præsidiis instructior fuit? Cujusve majora & expressiora ingenii, consilii, fortitudinis, constantiæ signa exstiterunt? quis in bellis gerendis plures edidit imperatorias artes? Ut Italicæ militiæ jure parens habitus sis. Jam vero quis non horreat tantam in tuam perniciem incumbentem molem, quam tu una virtute, constantia, audacia non solum sustinuisti, sed etiam discussisti, patria ditione adversus opes summis ipsis Regibus formidolosas recuperata? Quod si ad pacis artes animum convertamus, cujus in populis sibi commissis regendis justitia, continentia, æquitas magis eluxit? Ut in tantis corruptissimi sæculi tenebris unus

unus exstiteris, qui veterum illorum Principum, quos ob ingentia merita in Deorum sedes sustulit Antiquitas, tanto post intervallo imaginem nobis rettuleris, XYSTOQVE & JVLIO tantis patruis te dignum ostenderis. Quibus virtutibus tanta in charitate cum populis tuis fuisti, ut nemo illorum esset, quin pro tua salute & dignitate, suam & liberorum animam depacisci cuperet. Merito igitur Divini Numinis favor in te extollendo virtutes tuas acceptas habuisse ostendit, qui tibi in nobilissimam Feltriam gentem, & in successionem Urbinatis Ducatus adscito latissimum, in quo eximiæ virtutes tuæ excurrere possent, campum dedit.

ANTONII FRANCISCI RAINERII.

Mars ensem, clavam Alcides, dedit Ægida Pallas,
Et tibi cælestum tela trisulca pater.
Fulmina seu metuenda manu, sive excutis ore.
Pars stupet ut celeri conjicis illa manu,
Pars stupet altiloquæ donum immortale Minervæ,
Utque cohortante defluit ore sophos.
His tu & roboreæ perfectus munere clavæ,
Unde tibi æternum ab robore nomen erit.
Monstra domas, acies perrumpis, concutis urbes,
Et late undanti fulmine sternis iter.
Cum patrias sedes fusis tot millibus ante
Invicto & repetis Regna superba pede.

FABRITIVS CARRETTVS.

DECLARAVIT FABRITIVS CARRETTVS, nullum esse insignem honoris titulum ex iis, ad quos ex virtute gradus fit, ad quem Ligurum virtus non adscenderit. Magnus enim Hierosolymitani Equestris Ordinis Magister fuit. Qui præcelsus dignitatis locus ut multis Regibus de opibus & de imperio concedit, ita ea re est superior, quæ in omnibus humanis rebus longe principem locum obtinet: nam ceteri Principatus vel generi tribuuntur, vel felicitate sæpe acquiruntur: quo fit, ut ignavissimos homines, atque etiam sceleribus oppletos, regnantes quandoque videamus; at is locus, cum unus sit ad illum virtutis adscensus, nemoque nisi meritorum & officiorum gradibus documentumque sui dando ad illum perveniat, eos, qui illius compotes fiunt, non solum parto honore illustrat, sed, quod longe præclarius est, honore dignos ostendit.

JO. BAPTISTAE FONTEII,
PRIMIONIS.

Magnorum Othonum sanguine Regio
Cretus sacratæ militiæ pater
Ingens Carretæ stirpis heros
Fabritius Ligurumque gentis.
Non quo Magistro aut Consule militum
Soli dicatam crederet insulam
Turbare recte stirps ferocis
Dura Othomani Orientis horror,
Nimis periti pertimuit Ducis
Pectus paratum in cuncta pericula,
Expertus, ut caute irruentes
Sæpe manu repulisset hostes.
Byzanti ut ergo voce dolentium
Auditum, & aucto tot lachrymis mari
Funus Carreti, nunc eamus,
Nostra Rhodos, Solimanus inquit.

GEORGIVS ADORNIVS.

NEC prætereundus nobis fuit GEORGIVS ADORNIVS, quem Hierosolymitana instituta ipsum quoque professum non minus conspecta virtus, quam clarum genus illustrat. Cui fortuna summum Magistri imperium adimere quidem potuit, merita omnium consentiente judicio tanto honori paria adimere non potuit, cum tamen honorum expers omnino non fuerit summus maritimarum rerum Præfectus: qui honos à magno Magistro proximus est.

OCTAVIANVS FVLGOSIVS.

OCTAVIANI FVLGOSII ingentium meritorum atque eximiarum virtutum recordationem perpetua grati animi veneratione prosequi debes, Genua Patria. Cui viro cum totius Italiæ consensus consilii, prudentiæ, fidei, constantiæ, religionis, animi magnitudinis nullis adversis rebus infracti, virtutum omnium clarissimum testimonium semper dedit, tum tu illas in primis in Principatu experta es: quem ille adeptus tanta cum moderatione gessit, ut innumeris præstantis virtutis documentis assidue edendis, id quod perraro ac vix umquam auditum est, assecutus sit, ut in ardentibus civium inter se odiis, partiumque vigentibus studiis non minus adversæ, quam suæ Factionis, cujus ipse erat caput, voluntates teneret, omnibusque æque charus esset. Singula persequi non brevis Elogii, sed justæ historiæ opus fuerit. Illud tantum unici exempli atque eximiæ in Patriam charitatis facinus silentio præterire nefas ducerem, quod cum arcem munitissimam ac portui imminentem de Gallis post lentam obsidionem tandem receptam in potestate haberet, qua veluti Genuæ compede gentis suæ Fulgosiæ opes firmare perpetuumque fortasse opulentissimæ ac præpotentis in rebus maritimis urbis imperium sibi posterisque suis posset stabilire, illam continuo sceleratorum dissuadentium oratione auribus non admissa demolitus sit, cum in omnibus fere rebus Raphaelis Ponsoni consilio uteretur: qui vir honorifico Senatus Scribæ munere relicto cum procul ab omnibus civilibus curis, vitæque hujus ambitione abscessisset, totum se Divino cultui dicavit in sacerdotum ordinem cooptatus. Hujus viri pietas, innocentia, religio cum singulari prudentia conjunctæ ita enituerunt, ut earum fama Patriæ fines egressa in Romanorum Pontificum notitiam venerit, qui multa de religionis rebus sæpe cum illo per litteras conferre majestate sua haud indignum duxerunt. OCTAVIANVS quidem eas virtutes familiari usu cognitas ita suspexit, ut hominem apud se perpetuo haberet, illiusque consilio plurimum tribueret. Patrui memoriam haud parum virtute sua honorat Andreas fratris filius, tanta tamque multiplici eruditione conspectus, ut Medicinæ scientia, qua inprimis excellit, minimam in illius commendatione partem obtineat: quippe ad quam eximiam Philosophiæ & virium ac naturæ herbarum intelligentiam addiderit: in Mathematicis vero disciplinis eos habeat progressus, ut nemo illum ætate nostra antecedat, quampaucissimi æquent. Ceterum OCTAVIANI, ut ad incœptum redeam, bellicæ laudes civilium rerum gloriam non parum ornarunt, compluribus stipendiis sub maximis Principibus factis, honorificentissimisque muneribus illis mandatis: quibus ille sese parem semper ostendit.

THOMÆ CORREÆ.

Macte animo FVLGOSI Heros, cui Patria debet
Tantum uni, quantum solvere posse negat.
Si tibi, quos censet, meritos decernat honores,
Gloria erit meritis qualibet ampla minor,
Libera quod perstet nullos experta Tyrannos,
Nec domini subigat colla coacta jugo,
Quod molem capias evertasque, ut timor absit;
Otia quod firmes, laus ea tota tua est,
Quod titulis opibusque tuis gentique tuorum
Anteferas Patriam, jusque, piumque fori.
Illa memor tua facta canit, quoque æmula cælo
Fit duce, fit priscis æmula temporibus.

AVRE-

AVRELIVS FVLGOSIVS.

TANTO parente sese dignum ostendit AVRELIVS filius, quo nemo nostra ætate majore in militaribus rebus intelligentia esse existimatur, peramplis muneribus à magnis Principibus delatis usus: in quibus gerendis ea multis locis sui documenta dedit, ut quod nomini hominumque expectationi dare, quodque tot illustrium Majorum contestatæ laudi reddere debuit, plane præstitisse dicendus sit.

THOMAE CORREAE.

Quo me, quo rapis, AVRELI,
Virtutis patriæ pignus amabile?
Magni progenies patris?
Quo gaudet Ligurum terra potens Duce.
Te Martis decus invocat,
O Sol, ô Luna patris soboles boni,
Fulvis namque leonibus
Quis nasci pavidos quis lepores videt?

EMANVEL CABALLVS.

QVIS EMANVELIS CABALLI ardorem, patriæque charitatem in incredibilis audaciæ facinore suscipiendo non laudibus in cælum ferat? quis generosum animi impetum non admiretur? quem non cæca temeritate excitatum, sed à sapiente consilio profectum felix eventus docuit: nam cum Galli arcem natura loci munitissimam, atque adeo inexpugnabilem, firmissimo præsidio tenerent, qua in præcelso promontorio sita portuique imminente urbem Genuam maritimis commeatibus clausam, Genuensiumque libertatem eo veluti compede constrictam tenerent, obsidionemque terra ac mari in sextum decimum mensem extraxissent, tandem extrema omnia perpessi, ad summamque omnium rerum inopiam ac deditionis necessitatem adacti essent, colloquiis ea de re jam institutis, ecce oneraria in remotissimis Oceani littoribus occulto comparata, commeatuumque ac bellicorum apparatuum omnis generis referta, cum in alto apparuisset, terræque appropinquans speciem primo præbuisset ad classem, quæ arcem obsidebat, atque ad navim, quæ erat in statione, tendentis, propinquior facta secundo vento utens cursum ad arcem flexit: quam classe elusa incredibili felicitate tenuit, promontoriique crepidini ponte prolato conjuncta est. Quo spectaculo iis, qui erant in speculis, perculsis & exanimatis, cum nuntius tota urbe pervasisset, magnoque continuo luctu excitato, trepidi Genuenses ac mœrore amentes tota urbe discurrentes alii alios rogitantes consilii inopes fatum Patriæ lamentarentur, desponsurique animum essent, Emanuelis Caballi Divina virtus abjectos excitavit, ac saluti desperare vetuit. Is enim veluti mente Divinitus tacta in medium procedens, *Non muliebribus*, inquit, *fletibus, cives, in quos vos turpiter abjecistis, imminens patriæ interitus est prohibendus, sed audacia discutiendus;* navique à Magistratu impetrata ad circumfusam turbam, nobiliumque adolescentium globum conversus, *Macti*, inquit, *virtute: qui Patriam servatam, & à perpetuo servitutis jugo liberatam cupit, navim hanc mecum conscendat.* Qua adhortatione incitati multi & primæ nobilitatis & omnium ordinum juvenes saluti ac libertati Patriæ animum devoventes navim conscenderunt: quam directa in arcem prora, plenisque velis ad sese venientem ex superiore loco conspicati Galli, temeritatem hominum integra mente haudquaquam utentium, atque desperatione ipsa sese in voluntariam & apertam mortem projicientium irridentes, bombardis navim petere cœperunt, brevi haud dubie deprimendam: quarum ictibus veluti creberrima grandine navi sæpe multis in locis percussa, superstantiumque nonnullis exanimatis, nonnullis à resilientibus asseribus sopitis, Emanuel nihil atroci & formidoloso spectaculo ab audaci incœpto deterritus, vir rerum nauticarum longo usu peritissimus, vento apte ad incœptum flante, navim suam inter arcem & applicatam alligatamque scopulo Gallorum navim insinuavit, funibusque præcisis in navem ipso impetu ab arce abstractam impigre primus insiluit, fortissimis juvenibus consequentibus; Duceque ac superstantibus Gallis miraculo audaciæ obstupefactis, cum nonnulli, qui sese in mare projecerunt, undis hausti essent; navem captivam ab arce abduxit, in urbemque tantæ virtutis edito facinore reversus ingentibus omnium ordinum atque ætatum plausibus exceptus, matronis etiam ad habendos honores & gratias agendas effusis, cunctisque prosequentibus, ac servatorem & liberatorem patriæ acclamantibus domum reductus nomen suum in primis memorabile ac grata recordatione Genuensibus tanto beneficio obstrictis perpetuo colendum reliquit.

RAINALDI CORSI.

Rostra, Caballe, tuum merito caput aurea cingunt,
Quem neque flammanti veniens cum grandine turbo
Martius hinc, atque hinc, nec Gallus terruit hostis,
Nec scopulis appulsa ratis, ac nixa catena,
Arxve obsessa diu, atque loci munimine tuta,
Extremo vitam quin objectare periclo
Pro Patria optares, ac libertate ruente,
Audaci donec faverunt Numina voto.
Macte animi mentisque Heros, tu compede vinctam
Reginam in proprium reparas decus atque nitorem,
Demissum firmat nomen Rex summus ab alto.

ANDREAS AVRIA.

NON veterem modo gentis suæ Auriæ, qua nulla Ligusticarum rebus bello gestis clarior umquam fuit, gloriam rettulisse ANDREAS est existimandus, sed hoc uno saltem superasse, quod illorum opera patriæ Genuæ fere navata est, ANDREAE virtus toti Europæ illiusque maximis Principibus usui & ornamento fuit. Classium enim Pontificii solii, Regis Francorum, Caroli Cæsaris, Philippi filii Hispaniæ & utriusque Siciliæ Regis cum summo imperio Præfectus, multis & præclaris virtutis, audaciæ, fortitudinis, consilii facinoribus assidue editis, summis discriminibus aditis, compluribus victoriis partis, classibus deletis, urbibus expugnatis, ad eum gloriæ atque in rebus maritimis potentiæ gradum pervenit, ut nullius suæ ætatis Ducis nomen clarius fuerit, remotissimisque nationibus notius aut formidolosius: ad quod fastigium ex humili & tenui fortuna, in qua natus est, quamvis genere nobili ac claro ortus nullis externis opibus subnixus, sed laboribus tantum suis, ac meritorum gradibus pervenit, virtute & fortuna de homine extollendo inter se certantibus. Vt omittam præmia Principatus Melphiæ & torquis Burgundici Ordinis à Cæsare data: quæ quamvis ampla & honorifica, splendore tamen clarissimi viri obruuntur. Sed nulla res Andreæ nomen æque commendat, atque eximia Patriæ charitas. Nam cum Galli Saonam occupatam arcem sibi in media Liguria fecissent, quam Genuam faucibus oppressam tenerent, neque ut illam restituerent, ullis Andreæ precibus fidem promissorum obtestantis possent adduci, Andreas cum multis privatis injuriis, tum vero hac publica, stipendia illis renuntiare coactus illos Genua expulit. Verum non ea tantum de caussa Patriæ libertatis assertor dici debet, sed quod illius opibus, opera, consilio Saona è Gallorum manibus extorta sit, jugumque durissimum cervicibus imminens discussum. Sed alterum quoque est Andreæ in Patriam haud leve pro-

promeritum, quod emendatum Reipublicæ statum, concordiamque civium, sine qua libertatem ipsam brevi concidere, atque omnia ruere necesse fuisset, potentia & auctoritate sua firmavit & stabilivit. Ceterum bellicæ Andreæ laudes non totæ unius sunt, sed cum militibus, nauticisque sociis, quorum opera & ministerio in egregiis facinoribus patrandis usus est, necessario communicandæ: illius virtutis neminem habet socium, quæ summæ fortunæ perraro comes est, hoc est, eximiæ animi moderationis, singularisque clementiæ: quippe qui cum Genuæ omnia posset, Genuaque illius opibus inprimis niteretur, neque communi, neque privatæ cujusquam libertati gravis fuerit, neminemque unquam aut in re, aut in sanguine læserit; tantumque ab inferendis injuriis absfuerit, ut contra nullas injurias umquam ultus sit, cum illarum auctores Genuæ obversantes nutu evertere posset. Jure igitur Genuenses Andreæ servatæ ac liberatæ Patriæ statua publica testimonium dederunt, justius parentis Patriæ memoriam grato animo sempiternaque veneratione culturi.

POMPEII ARNOLPHINI.

Hic tam ferventi Patriæ flagravit amore,
Illius ut chara pro libertate tuenda
Horribiles Regum non formidaverit iras.
Hic quoque cum Patriæ regno sceptrisque potiri
Posset, & aurata frontem redimire corona,
Contempsit Regum fastus, nomenque Tyranni.
Huic maris imperium vasti, magnumque tridentem
Neptunus, pelagique leves concessit habenas.
Quin etiam insanum premeret dum classibus æquor,
Haud pauci impavidi admirantes pectoris ausa,
Neptunum, aut sacro Neptuni sanguine cretum,
Mortalesque Deum vultus sumpsisse putarunt.
Hoc certum est, nullas Neptunum amplectier oras,
Qua non ille simul fama penetrarit & armis.

PHILIPPVS AVRIA.

QVAMVIS clarorum virorum, quos plurimos Auria gens tulit, PHILIPPVS temporum ordine in postremis sit; minoribusque copiis quam veteres illi pugnaverit, eximia tamen virtus & fortitudo, reique gestæ magnitudo in primoribus illum collocat: quippe qui cum Cæsariana classe in Salernitano sinu congressus sit: in quam quidquid floris ac roboris in Cæsariano exercitu fuit, conscendit, cum strenuissimus & spectatissimus quisque miles carptim ac nominatim delectus esset, atrocissimo prælio, incertoque Marte diu extracto: in quo tanto irarum certamine res gesta est, eaque sunt utrinque edita virtutis, fortitudinis, incredibilis constantiæ exempla, ut in classe Genuensi omnes fere milites ac Præfecti & navales socii aut pugnantes ceciderint, aut ex mortiferis vulneribus acceptis paullo post decesserint; in nonnullis vero Cæsarianæ classis triremibus septies signiferi sint mutati, cum alius alii occumbenti deinceps succederet. Philippus igitur clarissimam tandem victoriam peperit classe hostili deleta, Hugone à Moncada clarissimi nominis Duce in Regno Neapolitano Cæsaris Vicario interfecto, Ascanio Columna, Alphonso Davalo, ac compluribus Proceribus, summæque nobilitatis viris, quorum ingens vis veluti ad certam & exploratam victoriam classem conscenderat, captis.

JO. BAPTISTAE FONTEII,
PRIMIONIS.

O quem te credam Auriadis prognate Philippe,
Si cui te prisco confero, quidve putem?
Nam quis se Procerum Minyis opponeret, & quis
Perderet Alcidam, aut pignora chara Deûm?
Tu tamen heroas delectos Cæsaris alti,
Tu tamen Hesperiæ robora militiæ,
Ascanium, Davalumque, Ugumque, Ducesque vigentes
Viribus, unde omnis territus orbis erat,
Ponto congressos validus capis, ut tibi nullum
Suspicer antiqui temporis esse parem.

VICECOMES CICADA.

NON suis tantum laboribus & meritis Andreas Auria Patriæ & Christianæ Reipublicæ profuit, neque præstantes illius virtutes eæ fuerunt, quæ ipsum solum clarum facerent: verum ex ejus disciplina præter eos, quibus classis & summa rerum commissa est, suis sigillatim Elogiis decoratos, complures alii cum ex urbe Genua, tum ex omni Ligustica ora prodierunt, quorum nomen bellica virtute ac navali gloria multisque egregiis facinoribus non in Liguria modo memorabile est, sed in exterorum quoque Principum, atque in ipsius Cæsaris notitiam venit, illustri favore ac præmiis exceptum: quos singulos persequi infinitum fuerit. Duo mihi erunt eximii, ut ipsi quoque virtute eximii fuerunt Vicecomes Cicada, & Christophorus Palavicinus. VICECOMES igitur haudquaquam æquali egregiis virtutibus fortuna usus ad summos honores non pervenit: quibus illum dignum ostenderunt complura incredibilis audaciæ & fortitudinis facinora: in quibus illa memorabilia inprimis fuerunt, cum in prima adolescentia in navali clade à Gallis, cum quibus stipendia faciebat, ad portum Delphini in Ligustico mari accepta, ipse, ut erat lorica indutus, signum è manu signiferi arreptum in mare sese projiciens annatans prægravantibus armis, hostibusque ingentem telorum vim superne ingerentibus, quibus pene obrutus fuit, tot iniquitatibus superatis incolumis servavit; vel cum unam tantum triremem habens cum tribus biremibus piraticam facientibus numero & genere bellatorum firmissimis longo & atroci certamine congressus æquo Marte discessit; vel cum fracta navi ad littus Africæ cum cohorte militum & navalium sociorum ejectus hostilem navem pretiosis mercibus refertam, quæ navem ejectam ab alto conspicata ad eam spoliandam accurrerat, astu & consilio cepit. Vir igitur virtutibus & meritis quam honoribus insignior ab hominum oblivione scriptis nostris vindicandus fuit.

CHRISTOPHORVS PALAVICINVS.

AT CHRISTOPHORVS PALAVICINVS, ut omittam multa audaciæ, fortitudinis, virtutis multis locis data documenta, cum Turcæ Coronen Peloponnesi maritimam urbem arctissima obsidione premerent, eamque terrestribus copiis ac validissima ducentarum navium classe, quarum maxima pars longæ erant, terra marique veluti corona cinxissent, omnesque maritimi aditus firmissimis stationibus essent insessi, atque oppidani ultima perpessi desponsuri animos essent, deditionemque facturi, ni spe introducendi præsidii, atque aliquo interea exiguo præsidio, quo ingruentem Turcarum vim tolerarent, confirmarentur, id facinus ausus est, quod non inspectantes modo, sed audientes quoque horrore perfundat. Qui non in maximum modo discrimen, sed in certam pestem, ut ab omnibus putabatur, caput suum projicere, animamque Cæsari & Christiano nomini, cujus dignitas in ea urbe retinenda agebatur, devovere non dubitarit. Trireme enim ab Auria accepta, qui cum tota classe haud procul substiterat, per mediam Turcicam classem luce ac palam omnibus remorum viribus connixus transivit, cum Turcæ subitæ atque incredibilis rei miraculo oculis atque animis defixi immobiles parum perstitissent, neque prius à stupore recipere animum possent, quam Christophorus prætervolasset: qui subsidium in urbem introduxit, oppidanosque læta & haud dubia spe subsidii ab Auria, qui cum tota classe aderat,

aderat, introducendi confirmavit. Ceterum longe mirabilior reditus fuit: in quo audacia astu militarique stratagemate adjuta est, cum in Turcarum mentis alienatione spem ponere non posset, quos superiore audacia doctos ipsius conatus observantes ac paratos & intentos ad ipsum excipiendum cerneret. Compluribus igitur conatibus captis, cum speciem tentantis exitum præberet, aliquantumque spatii progressus classi Turcarum appropinquaret, ipsosque ad se excipiendum commotos cerneret, prora conversa sese in portum recipiebat: quam rem cum crebro faceret, Turcas in eam opinionem adduxit, ut sese ab illo ludificari crederent: quos cum idcirco studium & intentionem remisisse animadvertit, impetu capto, illis iterum elusis per mediam illorum classem prætervolavit, incolumisque ad Andream reversus est.

PETRI MAGNI.

Irruere in medias acies, perrumpere classem
Hostilem, obsessis ut ferat unus opem,
Quis semel hoc ausit? semel at fecisse videtur
Palavicino gloria parva Duci.
Ergo indignantes iterum perrupit eosdem,
Mille uni æratas ludibrio esse rates?
An Decios confers (esto) quod conficit unus
Incolumes Decii si potuere duo.

ACTIOLINI LERCARII.

Invia quid prosunt late diffusa per arva
Æquora? Neptunus, Marsque quid arma mihi?
Cuncta tenent hostis, tela, & mala mortis imago, &
Securus mediis itque reditque Ligur.
Non satis haud genti? vicinum callida Pallas
Intulit: at fuimus palma jocusque viro.

ANTONIVS AVRIA.

EXIMIA in ANTONIO AVRIA non minus civilium artium scientia, quam bellicarum rerum intelligentia fuit: quibus virtutibus ducibus cum in maximorum Principum notitiam venisset, ac sub illis perhonorificis conditionibus terra & mari militasset, magnum gratiæ & auctoritatis locum apud Carolum Quinctum Cæsarem, & Philippum Regem filium omnium Christianorum Principum longe potentissimos & sapientissimos obtinuit, ad deliberationes de maximis rebus adhiberi solitus. De cujus consilio maxima bella geri voluerunt, illo summis belli Ducibus Regii generis hominibus comite ad res consilio regendas addito. Equestris quoque Burgundici Ordinis torque à Carolo donatus est, quo ipsius Principis dignitas communicari videtur: qui honor nostra ætate rarus admodum fuit, ac non nisi summi fastigii viris haberi à Carolo solitus. A clari viri virtute & laudibus sese haudquaquam deflexuros Scipio, Joannes Baptista, & Cæsar filii, & Petrus Franciscus, ac Georgius fratris filii, egregia documenta dederunt. Ob quæ à magnis Principibus accersiti honorificentissimis militaribus muneribus functi sunt: in quibus Petrus Franciscus apud Joannem Austrium Principem celsissimum in tanta existimatione fuit, ut ob eximiam & perspectam militarium & navalium rerum intelligentiam in intimam familiaritatem acceptus ad privata interiora consilia adhiberetur.

JO. FRANCISCI LEONIS.

Eloquio capimur, bello expugnantur & urbes,
Utraque in Heroe hoc maxima pars valuit.
Magne Ligur meritis par si fortuna fuisset:
Plus ultra ivissent Cæsaris arma tui.

AVGVSTINVS SPINVLA.

CONTRARIA æterno scribentium mori in AVGVSTINI SPINVLAE præconio via mihi ingredienda est, neque oratio ad laudes amplificandas dilatanda, sed ad fastidium vitandum contrahenda: nam si quæ per omnem vitam gesta ab eo sunt, persequi omnia stilo velim, satietas homines legendo ceperit, quæ nulla virum ad arma natum faciendo umquam cepit: nemo enim totam ætatem belli laboribus & discriminibus magis exercitam habuit; nemoque aut tempestivius illo arma induit, aut serius exuit, quæ usque ad extremum spiritum Patriæ fidelem ac fortem operam navans, tractavit. Insigniora igitur tantummodo summatim perstringam. Principio Gallorum classe munitionem ad portum Delphini in ora Ligustica excitatam acri maritima ac terrestri oppugnatione urgente, eo propere cum delecta octingentorum armatorum manu ab Antoniotto Adornio Genuensium Duce subsidio missus, itinere per ardua, aspera, confragosa omnia una nocte mira celeritate confecto, cum prima luce in cacumine imminentis montis in conspectu hostium fuisset, illique ab oppugnatione munimenti in Spinulam versi ad pugnam sese comparassent, nihil majore numero deterritus Spinula (fuerunt autem quattuor millia) suos cohortatus inter dirupta & abscissa prælium fortiter commisit, tantoque sese impetu intulit, ut ipso incursu hostes fuderit ac profligarit, Philippo Auria Duce capto: qui partim per invias & ignotas rupes, quo eos inconsultus pavor trepidantes rapuit, dispersi sunt, partim cæca & præcipiti fuga omni alia via expediendæ salutis deficiente in mare sese projicientes undis hausti sunt, cum perpauci incolumes ad naves adnatassent: quamquam felix victoria inscitia Trierarchorum classis Cæsarianæ monitorum Spinulæ parum memorum mox luxuriavit, cum Spinula subito nec opinato casu Genuam revocatus est gemens ac mœrens, tantæ rei occasionem sibi è manibus eripi. Libertate à Genuensibus recuperata, ac Reipublicæ statu, & civium concordia constituta, cum ipse terra, Philippus Auria mari ejus expeditionis summi Duces rem gererent, Saona ad deditionis necessitatem adacta Reipublicæ recuperata est. In expeditione Africana Cæsarem ad Tunetum secutus ab invicto Principe haud exiguarum copiarum Ductor factus strenuam & fortem operam navavit. Eodem munere in expeditione Gallica fungens cum auditum esset, Gallorum exercitum, dum Cæsar in ea expeditione est occupatus, Guidone Rangonio Duce Genuæ mœnibus admotum, missus à Cæsare eo propere subsidio accurrit; civitatemque metu sollicitam adventu suo recreavit, ac periculo direptionis & servitutis exemit, cum ipsemet hostium signiferum è mœnibus deturbasset, signumque ab illo statutum dejecisset. Arcem Montobium natura atque opera munitissimam, quæque ad eum diem inexpugnabilis habita erat, muralibus tormentis per abscissas rupes, atque impeditos ac pene inexpugnabiles saltus cum magna omnium admiratione eo attractis tandem in deditionem accepit. In bello Corsico ab Andrea Auria collega adscitus, quo præside & auctore omnia magna tum gerebantur, quique belli administrationem & omnium rerum curam Augustino ætate adhuc vigenti ipse annis prægravis, atque amplissimorum honorum satietate defessus delegavit, Fanum Florentii munitissimum oppidum, ac valido Gallorum præsidio firmatum tandem expugnavit, multis in Corsica perdomanda editis haudquaquam vulgatæ virtutis & consilii documentis. Effigiem parentis non tam vultu & oris lineamentis reddiderunt, quam indole & virtute expresserunt M. Antonius & Hector. Quorum M. Antonius Maximiliano Cæsari ab interioribus tam pacis quam belli consiliis fuit, ejusdemque summus præsidiariorum corporis Præfectus: qui honos peramplus habetur, ac numquam fere exteris, nec nisi magnis & conspectæ virtutis viris mandari solet. Tribuit id Cæsar multis & egregiis forti-

tudinis, audaciæ, consilii à M. Antonio editis facinoribus in bellis & incursionibus, quibus accolæ Turcæ Regna Austriaca continenter infesta faciunt. At Hector patriæ classis Præfectus in memorabili illo navali ad Echinadas prælio, dignum sese parente & majoribus suis ostendit, duobus vulneribus acceptis, dum in media mole pugnæ versans nullis sese discriminibus subtrahit: spectatam virtutem & fortitudinem Philippus Rex celsissimus amplexus Hectorem pedestris legionis Ductorem creatum honorifico perpetuo stipendio auxit.

CAESAR FVLGOSIVS.

HAVD pœnitendus filius Jano parenti CAESAR FVLGOSIVS fuit, stipendiis primum sub Venetis conditionibus honorificis factis, egregiaque illis ac forti navata opera: quem Franciscus deinde Gallorum Rex ultro accersitum ita amplexus est, ut nemo Italorum altiorem existimationis & gratiæ locum apud celsissimum & præpotentem Regem obtineret; equitatuique Italico Præfectum multis insignibus militaribus facinoribus conspectum ingentibus præmiis & fortunis honestavit; equestri quoque torque donavit: qui honor non nisi Regii generis hominibus, aut magnæ amplitudinis, magnæque gloriæ Proceribus tum haberi solitus, amplissimus existimabatur, nunc multitudine compotum vulgatus, ac tenuis sortis hominibus levissimis de caussis impartitus non ita magno in pretio est.

M. ANTONIVS CARRETTVS AVRIA.

MARCVS ANTONIVS CARRETTVS eximiis virtutibus suis effecit, ut in generis splendore, atque in tot Majorum stemmatibus exiguum momentum esset ad ipsum commendandum. Andreas quidem Auria vitricus ingenium, consilium, audaciam, industriam, rerum navalium intelligentiam ita probavit, ut Cæsarianis classibus Legatum illum præfecerit. Cujus mandati muneris MARCVS ANTONIVS ita omnes partes implevit, ut Andreas merita viri, egregiamque ac pergratam navatam operam remunerans illum in nomen & familiam cooptatum Principatu Melphiæ donarit; & Philippus Christianorum Regum longe maximus & potentissimus sapiens Andreæ judicium secutus ultro evocatum, & ab omni ejusmodi cogitatione jam diu remotum, inter tot summis contentionibus perhonorificum munus ambientes, in demortui Andreæ locum suffecerit; classiumque suarum ac maritimarum summum Præfectum crearit. Qui si diutius in eo imperio fuisset, in omnibusque, quæ sunt ejus muneris magna & præclara, providendis & obeundis vim ingenii & consilii explicare potuisset, haud dubitatur, quin exspectationi in ætatis flore excitatæ, in ætatis robore responsurus fuerit.

JOANNES AVRIA.

QVAE securis, Deus immortalis, Genuensi nomini tum injecta est, quantus gloriæ cursus interruptus, cum Joannes Auria invidia & insidiis inimicorum circumventus è mortalium oculis raptus est. Quem, si vita longior contigisset, omnes magni justique Ducis numeros expleturum fuisse, spem haud dubiam faciebat mira indoles tot expressis egregiarum virtutum signis sese indicans. Fuit enim in eo viro expeditus generosi animi vigor, summa vividi ingenii vis, incredibilis in periculis capessendis audacia, promptum in illis depellendis consilium, indefessa in rebus agendis diligentia & vigilantia, invicta in laboribus patientia, ea in iis, qui sub illo merebant, regendis moderatio, ut nullus Dux milites & nauticos socios imperiis obedientiores haberet. Quæ tot ac tam præclaræ virtutes ita omnium oculos in Joannem converterant, ut nullius nomen aut hostibus formidolosius, aut amicis majori esset fiduciæ. Turcis quidem terribilis esse cœpit, cum Drogutem post Hariadenum Ænobarbum exstinctum clarissimi inter illos nominis maritimum Ducem astu superatum cepit. Fervor ille adolescentiæ, ac paullo ferociores spiritus, quod unum in illo nonnihil offendere videri poterat, profecto in bonum vertissent, tempore ætatis ardorem mitigante, quodque redundabat, amputante, ac robore animi, à quo illa manabant, omnibus, quæ incommoda erant, expurgatis, sincero remanente. Ceterum dolor amissi Joannis mitigatur, quod una cum illo tot ac tantæ virtutes haudquaquam exstinctæ sunt, quas nunc in Joanne Andrea filio vivere ac vigere cernimus: qui in ipso adolescentiæ flore is exstitit, qui parentem & patruum magnum non nomine tantum referat, sed virtutibus reddat. Cum Pagano quoque fratri singularis audacia præcelsusque animus nihil à parentis & majorum contestata virtute degenerans fervore adolescentiæ ætate lenito magnæ amplitudinis & gloriæ spem certam ostendant.

RAINALDI CORSI.

O quæ te dederant, sero si fata tulissent,
Quot foret imperiis clarior ora Ligur:
Hanc tamen invicti solatur dextera nati,
Quem prærepta tibi gloria certa manet.
Jamque illum experti juvenem Thrax, Parthus, Arabsque,
Et Libyæ, atque Asiæ littora nota timent.
Hoc avus, hoc genitor felix, qui nomina solus
Vtraque complexus, tam bene utrumque refert.

QVIRICVS SPINVLA.

NOVA mihi oratio in QVIRICO SPINVLA ornando, si facta dictis velim æquare, inusitatumque præconii genus conquirendum est, ut inusitatum quoque illius atque ad eum diem unici exempli facinus fuit. Turcarum enim immensis terrarum spatiis in omnes orbis partes extensum Imperium, immensæque Ottomanorum opes toti Christiano orbi terribiles quidem sunt, non tamen eæ, quas non ipsas quoque non modo sustineri, verum etiam tam terra quam mari infringi & superari posse aliquando docuerint cumulatus ille omnibus bellicis laudibus Scanderbegus, ac patrum & avorum nostrorum memoria inclyta Hungaria, non minoribus Turcis redditis quam ab illis acceptis cladibus: novissimeque memorabilis & ex omni sæculorum memoria maxima navalis clades, qua ad Echinadas ab eximia Fœderatorum virtute affecti sunt. Ceterum una tantum in re illorum vires intolerandæ ad eum diem fuerant, hoc est, in urbium oppugnationibus: quas vires nulla munimenta eludere, nullaque propugnatorum virtus & constantia potuit ferre, quin illi infinita pugnantium multitudine, & exuberanti operarum copia fulti recentes & integros in defunctorum & sauciorum locum suggerendo, continentibus oppugnationibus obsessos vexando, munimentisque & suffossionibus, ac novis alioque ex alio operibus urgendo, nocturnum laborem diurno continuando defendentium virtutem & industriam nulla quiete data, diuturnisque malis victam mole sua tandem obruerent. Quo igitur in loco ponenda erit Quirici virtus, quæ prima in hac quoque parte nostra ætate adversus Turcas invicta stetit? Calvum enim, quo uno oppido omnes Genuensium spes nitebantur, reliqua omni Corsica in potestatem Gallorum redacta, à Turcis & Gallis validissimis terrestribus ac navalibus copiis circumsessum, ac multorum dierum verberatione quassatum, crebrisque & acerrimis oppugnationibus, atque uno eodemque die sæpe interdum repetitis, concussum, Thermio & Dragute, illo terrestri, hoc navali clarissimis Ducibus res administrantibus, con-

constantissime defendit. Ut hostes magna suorum parte amissa, magnisque acceptis detrimentis, oppugnatione omissa, obsidioneque tandem soluta in sua se recipere coacti sint. Idem animi ac virtutis specimen præclaro audaciæ edito facinore ætate quoque nostra indicavit Alexander, ex hac eadem nobili gente ortus, strenuus copiarum Ductor in bello Africano à Carolo Quincto Cæsare gesto: qui in expugnatione arcis munitissimæ Guletæ vocatæ, qua ostium portus Tunetani in angustam longitudinem porrectum clauditur, in ipso ætatis flore primus omnium Cæsare inspectante conscensis mœnibus muralis coronæ præmia à Cæsare accepit. Militarem indolem decorabat copiosa & perelegans scribendi facultas tam soluta, quam numeris adstricta oratione, atque aptum ad Poeticen ingenium, sublimesque spiritus, ac mira inventio; ad hoc ea in scribendo verborum & sententiarum lumina, ut si vita longior contigisset, isque paullo diligentius id studium coluisset, haud dubitetur, quin ad summos, non modo quos nostra, sed quos præteritæ quoque ætates tulerunt, perventurus fuerit.

JO. ANDREAS AVRIA.

QVOD perraro ætate provectis vix contigit, ut magnorum & justorum Ducum nomen mererentur, id in ipso ætatis flore assecutus est JOANNES ANDREAS AVRIA. Ut exspectationem, quam tot majorum illustrium virorum gloria perpetuusque gentilis splendor, in primis vero Andreæ patrui magni clarissimum nomen concitarunt, non modo sustinere & tueri, sed vincere quoque videatur. Ejus siquidem virtus, ingenium, consilium, audacia ita enituerunt, ut ex tot tam multarum nationum nostræ ætatis navalibus Ducibus neminem illo adolescentiam nondum egresso sapientiorem aut intelligentiorem esse ab ipsis æmulis etiam invitis confessionem expresserit veritas: neque à Christiano tantum orbe JOANNES ANDREAS suspiciatur, sed Turcis quoque adolescentis Ducis nomen (ita enim illum appellant) terribile esse constet. Quarum virtutum multis locis egregium specimen apparuit. Nam audacia & patientia ad Pignonum sese indicavit in asperrimis & difficillimis quibusque ad periculum & laborem deposcendis, & alacriter obeundis. Et ingenium ad Oranum enituit, cum ejus consilii auctor fuit, quod nisi alicujus sive inscitia, sive laudis obtrectatio turbasset, hostilem classem improviso deprehendi & deleri potuisse constanter creditum sit. Utraque res conspecta est in oppugnatione Melitensi, cum sese triremibus delectum mille ducentorum hominum subsidium classe Turcica ostium portus insidente in urbem introducturum professus est, explicatamque rationem rei ad effectum perducendæ probavit: quod consilium exsequi prohibitus est, cum se Garsias ejus capiti parcere dixisset. Sed nulla res æque illum conspectum facit, quam navalis victoria ex omni sæculorum memoria clarissima ad Echinadas insulas à Joanne Austrio inclyto & excelso Principe parta: in qua Joannis Andreæ virtus ita eluxit, ut ejus consilio magnam atque adeo præcipuam laudis partem inter ceteros Duces, qui Austrium secuti sunt, quique ex omnibus nationibus in ea classe fuerunt, deberi, ipse Philippus Rex amplissimo litterarum testimonio confirmarit: quibus obtrectationem & invidiam retudit; quæ mediis intactis superiora tamquam ignis petere solita clarissimum juvenem carpere non dubitavit. Verum quemadmodum fumus exiguum ignem obruit, idem ab ingenti emicante flamma discutitur, ita Joannis Andreæ coruscans gloria offusas tenebras fulgore suo depellit. Cui utinam ea vitæ contingat longitudo, quæ Genuam Patriam spei ex mira indole magnisque ex initiis conceptæ compotem faciat.

RAINALDI CORSI.

Invidit claro quidquid fortuna parenti,
Obstitit aut, virtus ne superaret avi,
Dî tibi magne nepos, curæ est quibus alma propago,
Resque Italûm, adjiciunt nominis auspicio.

ANTONII HORTENSII.

Auria ut immensum tua gloria perculit orbem,
Utque patrem & patruum nomine reque refers,
Sic quod avis, atavisque tuis longa attulit ætas,
Id pubescenti fata dedere tibi.
Naupactus testis, scopulis & Echinades altis,
Testis & invictos Austrius ante Duces.
Res gestas nomenque tuum maria omnia honorant,
Teque Ducem egregium fama loquetur anus.

DE VIRIS PACIS ARTIBVS ET LITTERARVM COMMENDATIONE INSIGNIBVS.

BELLICAE ac navali Genuensium gloriæ, qua post Carthaginensium & Romanorum imperium nulla gens clarior fuit, pacis quoque artes, ac res civiles responderunt, neque eos minus togatos, quam armatos floruisse, declarant magnorum honorum præmia omnibus ætatibus Ligurum nationis hominibus tributa. In qua re cum Cardinales proximum à summis Pontificibus locum obtineant, nonnullos fore video, qui nostram rationem miraturi sint, quod illos armatis viris subjecerimus: quos non dubito nostrum consilium, si quale illud fuerit, cognoverint, omni prorsus reprehensione liberaturos: neque enim Cardinales eadem classe, qua Divos & Pontifices maximos locum & auctoritatem Divini Numinis in terris obtinentes comprehendere potuimus, ne illorum dignitatem Pontificibus tanto intervallo inferiorem illis æquasse videremur. Et si suum separatim locum Cardinalibus tribuissemus: illumque Pontificiæ classi continuassemus, hæc togatorum virorum series jejuna plane & obscura fuisset tot clarioribus luminibus orbata. Togatam porro virtutem armorum splendori de dignitate longe concedere, omnium sæculorum, omniumque populorum consensus (de exteris Christianæ veritatis & religionis expertibus loquor) declarat: altissimusque gloriæ & dignitatis locus, quem in humanis rebus militaris virtus semper obtinuit. Qua re fit, ut cum militares viri ordine antecedere debuerint, existimandum sit, nos non Cardinalibus honoris titulo superioribus belli Duces anteposuisse, sed Cardinales cum togatis viris, in quibus illos obtinere principem locum facimus, apte collocasse.

M. ANTONII BOBBAE, CARD.
IN OMNES CARDINALES.

Vestra ubi Lethæis facta inclyta mersit in undis,
Nomina molitur perdere tempus edax.
Æterno occurrit calamo FOLIETA, *suosque*
Præsenti cives vindicat interitu.

GVLIELMVS, LVCAS, JOANNES LVDOVICVS, GEORGIVS, FLISCI, CARDINALES.

INITIVM igitur facientes ab urbe principe Genua, cum multorum ex ipsis Cardinalibus vita, mores,

res gestæ ob vetustatem, Scriptorumque luce carentes non satis exploratæ nobis essent, orationem in illis dilatare non potuimus, neque singulos suis Elogiis persequi: neque enim quibus virtutibus, quibusque artibus illos inter se distingueremus, satis explicatum habebamus, cum tamen illud dubium esse non debeat, quin spectata virtus & prudentia magnarumque ac sacrarum rerum scientia illos tanti honoris compotes fecerit. Hæc igitur nostra erit ratio, ut quorum res nobis sunt obscuræ, eos acervatim uno Elogio comprehendamus, ac nomina tantummodo referamus: id quod de Gentis Fliscæ Cardinalibus facere cogimur: quæ nobilissima gens pacis artibus ac laudibus ut dignitate, ita tempore quoque ceteras Genuenses longe antecedit. Neque idcirco exigua & coarctata videri debet nobilissimæ familiæ laus tanquam unius Elogii angustiis conclusa, sed cogitatione numeri eorum, quibus ad tam altum honoris locum virtus & merita adscensum dederunt, amplificata & dilatata. Sunt qui putent ex hac familia plures, quam quos nominavimus, Cardinales exstitisse: in nostram notitiam hi tantum venerunt, GVLIELMVS, LVCAS, JOANNES LVDOVICVS, GEORGIVS. Quod si sacros quoque Antistites omnium ordinum, qui omnibus ætatibus ex hac gente prodierunt, stilo persequi voluissemus, nullum modum reperisset oratio: innumerabiles enim fuerunt; compluresque ex iis egregiis virtutibus clari, & peramplis publicis muneribus functi: quorum neminem attingere nominatim voluimus, ne nonnullos extollendo, ceterorum gloriam odiosa comparatione tacite perstringere voluisse videremur.

Dum Sol plaustra vehet, rutilo dum sydera cælo
Fulgebunt, rapidi dum fluet unda maris,
Semper in excultis hominum versabere linguis
FLISCA *domus, patriæ gloria rara tuæ.*
Pontificum solio duplici qua ut sole refulges,
Purpureo seno lumine clara nites;
Nec non innumero sacrorum cincta coruscas
Agmine flamineo sydera celsa petens.
Cælum FLISCA *domus, soles duo, lumina sexque*
Hic fulgent, circum sydera mille micant.

NICOLAVS FLISCVS, CARD.

AT NICOLAVS, qui patrum nostrorum ætate floruit, vir fuit summa gravitate & sanctissimis moribus, acerque jurium Ecclesiæ propugnator, nullasque pro illis quamvis magnorum virorum offensiones & simultates subire umquam veritus. Quo perpetuo vitæ tenore, quibusque meritorum gradibus cum ad summum auctoritatis & existimationis locum conscendisset, in Pontificiis comitiis anteactæ vitæ gloriæ clarissimum fastigium imposuit: nam cum magna suffragiorum pars in illum inclinaret, multique auctores essent, ut renitentes Patres largitionibus ad sese attraheret, ingentemque pecuniæ vim ea de caussa à propinquis confectam & paratam ostenderent, vir integer in tanta re religioni suæ proximus fuit: fœdæ enim rei mentionem abominatus nefaria suadentes magna vultus & vocis acerbitate & contentione à se repulit, majorem haud dubie gloriam ex Pontificatu repudiato, quam multi ex adepto consecutus.

RAINALDI CORSI.

O felix titulis, summis & honoribus aucta
Gens Lavani, Genuæque decus.
Auctior hoc uno, quod ne te in tempore vilis
Deciperet species, refugis.
Vilius an quidquam, quam quod virtute parari
Convenit, hoc pretio expetere?
Quodque homini totum Divino munere constat,
Mobilibus dare divitiis?
At qui nec munus, nec dignum est numine quidquid
Largitio assequitur cupida.

PAVLVS FVLGOSIVS, CARD.

EGREGIVM ac memorabile in primis documentum in PAVLO FVLGOSIO Cardinali, qui idem Principatum in Patria obtinuit, iis, quorum opes excellunt, quique ad magnos honores magnamque fortunæ amplitudinem pervenerunt, constitutum est, quanti sint ab illis Scriptores rerum faciendi, quantopere cavere ab eis sibi irritandis debeant: quippe in quorum stilo tanta sint ad illorum nomen ad posteritatis memoriam premendum, aut sublevandum momenta. Virum quippe egregium, & ad magnas res tractandas aptum fuisse Paulum dubitare non debemus, quem Xystus classis in Turcas destinatæ Legatum crearit, cujusque egregia & approbata opera Innocentius octavus, & Alexander sextus in magnis & arduis rebus sæpenumero usi sint. Ceterum viri clari memoria haud dubie ad posteros laborabit à Baptista fratris filio in eleganti libro, quem *De dictis & factis memorabilibus* conscripsit, omnibus probris conscissa: in quo se Baptista à Patruo circumventum, Principatuque per summam fraudem & perfidiam dejectum conquerens tantam injuriam stilo ultus est. Cujus dictis neque omnino fidem abrogaverim, neque rursus unum eundemque hominem tot tamque immanibus sceleribus contaminatum facile crediderim. Verum in re minime comperta judicium meum non interponam.

SIGISMVNDI DONATI.

Æquoream PAVLVS *classem ducturus in altum,*
Hostibus atque suis damna daturus erat.
Illi autem tutis se continuere latebris,
Atque sibi tacita consuluere fuga.
Atque ita dum pugnam detrectavere, fatentur
Victos se unius esse timore viri.
Quid faceret Dux iste manu fera bella capessens,
Hostem si solo nomine terrefacit?

FRIDERICVS FVLGOSIVS, CARD.

AT FRIDERICVS FVLGOSIVS tanto viro Octaviano haudquaquam pudendus frater fuit, quamquam ingenio longe diverso: quod in Octaviano mite & clemens fuit, at in Friderico vehemens & impotens, atque ideo à moderatione Octaviani sæpe recedens, peracre tamen & præstans, in magnisque rebus tractandis perpetuo versatum: in quibus magnum usum & intelligentiam consecutus est. Accessit ad hominem commendandum multiplex eruditio, sacrarumque rerum haud mediocris cognitio: ut nobile hoc fratrum par illud exstiterit, quo nullius nomen ab egregiis nostræ ætatis gravissimisque Scriptoribus magis celebratum sit. Illud vero solidæ, neque fucatæ, aut adumbratæ virtutis rarum specimen fuit, quod humanos casus, fallacesque hujus vitæ fluxæ & caducæ spes secum reputans, mente Divinitus monita, rationeque vitæ conversa fastui & ambitioni sese subtraxit, à civilibusque muneribus & contentionibus procul abscessit, ac Divino cultui se totum dedit, negotiisque Aulicis plurima salute dicta ad gregem sibi commissum pascendum Eugubium concessit: in quo regendo ita omnes diligentiæ, continentiæ, pietatis, liberalitatis in egentium inopia sublevanda partes implevit, itaque ejus virtus & religio eluxit, ut non Italiæ finibus contineretur, sed totum orbem pervagata sit, adversariique ipsi nostri hunc virum in perpaucis illis numerarent, quos solos Episcoporum nomine dignos ducerent: quæ laus ab invitis præsertim & sacerdotalis ordinis perpetuis obtrectatoribus & insectatoribus expressa quanta sit, facile intel-

intelliget, si quis cogitaverit, quantum sit Episcopis impositum onus, cujusque muneris colendi caussa sit institutus Episcopus. Nec minus continentiæ animique omnem fastum contemnentis signum expressit in Cardinalatus honore ultro delato recusando, quem retractans ac gemens accepit Paulo tertio pro imperio ac pro jure sacrosanctæ potestatis cum illo agente, pœnasque in contumaces & dicto non audientes statutas comminante. Verum cum multa Romæ offendisset, quæ minus illum delectarent, ipseque libertatem suam in sententia dicenda cum officio ac pietate conjunctam non satis placere intelligeret, iterum relicta Aula ad privatam Ecclesiam regendam reversus anteactæ vitæ cursum digno exitu conclusit.

FVLVII CARDVLI.

Quæ te Musa libens tacitum, FVLGOSE, *relinquat,*
Inferior meritis sit licet illa tuis?
Non pia vita minus, quam te cognomen honorat.
Nomina conveniunt moribus apta probis.
Fulgebas quondam terris virtute opibusque,
Et sophia, & titulis, murice clarus, avis,
Nunc cœlo fulges ipsis fulgentior astris,
Agnoscit sydus patria læta suum.

LAVRENTIVS CIBO, CARD.

LAVRENTIVM & INNOCENTIVM CIBO Cardinales cum propriæ virtutes, tum generis nobilitas, & claræ propinquitates ab oblivione hominum vindicant. Gentilitium enim habent Pontificium decus Innocentii octavi nepotes; & clarissimæ Mediciæ gentis affinitate præfulgent: in qua gente maximum, atque haud scio, an præcipuum fuisse dicam Italiæ ornamentum: quippe quæ præter ceteras amplissimas laudes illam præclaris artibus exornarit: quas ex altissimis tenebris, quibus innumera sæcula obrutæ fuerant, in lucem extraxerit: ceterum utriusque suæ sunt propriæ commendationes: nam LAVRENTIVS religionis fama in primis clarus fuit, qui sacras cellas multas exstruxerit, ac peramplis vectigalibus dotarit, ad hoc natura ita miti, tantaque morum comitate & suavitate fuerit, ut omnibus charus & acceptus in principibus Cardinalibus numeraretur.

PANDVLPHI GHIRLANDAE.

Insignis pietate viret Laurentius ævo
Omni: quem Patrem purpura condecorat.
Illius nomen non ulla aboleverit ætas,
Quod sacris crescit cum ædibus innumeris.

INNOCENTIVS CIBO, CARD.

AT in INNOCENTIO acrius & vividius ingenium fuit, cujus ille duabus maximis in rebus egregium specimen edidit. Altera fuit in urbis direptione; cum sacrosanctus Pontifex arce inclusus hostili arbitrio obnoxiam animam duceret; maximaque Cardinalium pars Placentiam convenissent, ut capita conferrent. Qui cum rebus Romanis diffidentes de relinquenda Italia, Sedeque Pontificia Avenionem transferenda, consilia agitarent, INNOCENTIVS atrocis rei fama commotus eo statim advolavit; Scipionisque egregiam olim indolem, animumque nullis malis infractum non minori in re nostro sæculo rettulit. Abjectos enim metu Patres atque animum despondentes erexit, ac saluti desperare vetuit, à degenerique consilio præclara oratione revocavit. Ut immortalem gratiam Pontificii solii retenti Italia patria INNOCENTII virtuti & constantiæ debeat; claraque gens Cibo nobili & veteri Græcia oriunda sacræ Romanæ Ecclesiæ, à qua ad summum rerum fastigium elata est, si non quam debet gratiam, (neque enim tanto accepto splendori ulla est par gratia) at certe quantam maximam quævis vel in primis spectata virtus potest, reddidisse sit existimanda. Alterum eximii consilii nullive moli succumbentis animi documentum fuit, in rebus Florentinis Alexandro Medicio Duce interfecto ad tumultum spectantibus pacandis, caussisque magnorum motuum præcidendis. Ut appareat INNOCENTIVM ad Rempublicam gerendam in primis natum fuisse, nisi otium vitæ à contentionibus remotæ nimium amplexatus procul à Romana Aula maximam ætatis partem egisset.

JOANNIS CASANAE,
MONTERVBRENSIS.

Salve Heros Romani olim pars magna Senatus;
Circum humeros Tyrio cinctus qui murice sacros
Haud umquam es passus transferri sceptra Quiritum
Ultra Alpes, Latii solus non immemor ipse.
Imperia ecce tibi Tybrim posita inter & Arnum
Accepta asservata refert prudentia & astu
Multorum exstincta capitum abs te funditus Hydra.
Maximus ille Ducum Medices pars maxima terræ
Ausoniæ in solio residens nunc Cosmus avito.
Quo facto æternum gaudet Florentia, teque
Principe læta suo tollit super æthera laude.

ANTONIOTTVS ET JO. BAPTISTA PALAVICINI, CARDD.

MUTUIS sese ornamentis, redundantibusque alterius in alterum laudibus illustrant ANTONIOTTVS patruus & Jo. BAPTISTA fratris filius Palavicini Cardinales, diverso virtutum genere ac diversis vitæ institutis commendati: summa enim gravitas, prudentia, consilium, integritas ANTONIOTTI ita eluxerunt, ut vacuo solio in Pontificiis comitiis multos ex candidatis dignitate longe antecederet, propeque sit factum, ut ad Apostolatus fastigium perveniret, multorum Patrum consensu meritis & perspectæ virtuti summum locum destinante. Verum Pontificiæ ditionis partim è Tyrannorum, partim ex manibus exterorum Principum extortæ & recuperatæ gloria Julii ingenio Divino consilio reservabatur. Neque tamen ANTONIOTTI Pontificatu præteriti opera in maximo & gravissimo omnium negotio non Christianæ Reipublicæ utilis fuit. Legatus enim ad Ferdinandum Hispaniæ, & Ludovicum Galliæ Reges de pace inter illos componenda missus est, in celebri illo Saonæ conventu, quo omnium fere Christianorum Procerum concursus factus est ad tantum spectaculum oculis perfruendum: neque enim quidquam conspectius esse poterat, quam duos maximos omniumque potentissimos Reges, qui omnia Christiani orbis consiliis suis traherent, totius Europæ nobilitate stipatos in exigua urbe conjunctos eodem contubernio, eademque mensa utentes intueri, Legatumque Pontificium sacra purpura fulgentem inter tantos Reges medium considere. ANTONIOTTVS igitur in tantorum Regum animis tractandis & permulcendis ita se gessit, ut haud parvum momentum in illius moderatione, lenitate, sapientia ad summorum Principum animos inter se conciliandos fuisse existimetur. At JOANNES BAPTISTA eximia Pontificii & Cæsariani juris scientia præditus per omnes forensium honorum gradus, in quibus ejus doctrina, ingenium, industria multos annos elaboravit, ad amplissimum ordinem pervenit, in quo cum haud diu fuisset, humanæ conditionis necessitate sublatus est, ut ejus virtus minus in Cardinalatu enituerit. Ceterum cum magna fortuna offensionibus sit obnoxia, factum est, ut vir amplissimus obtrectatorum livorem non effugerit, aspero carmine ac virulentis quamvis non injucundis salibus resperso ita perstrictus:

Cui Ligur est genitor, genitrix cui Græcia, ponto
Qui medio est natus, vir bonus esse potest?
Ni vani Ligures, si non sit Græcia mendax,
Ponto si qua fides, vir bonus esse potest.

Quo carmine tantum abest, ut quidquam de viri clari fama detrahatur, ut illa potius augeatur: qui enim vitam & mores hominis carpere non potuit, falsa convicia in genus & originem intorsit. Quis enim nescit Græciam, omnis sapientiæ omnisque doctrinæ & eruditionis parentem & altricem, mortalium ingenia egregiis artibus ad humanitatem excoluisse? Neque summus Poeta Ligures vanitatis aut animi frustra elati ipse arguit, sed maledictum à malevolo hoste conjectum persona illius inducta refert: qui sententiam suam de Liguribus declaravit, cum illos inter nationes, quarum virtute Italia illustretur, connumerat:

Assuetumque malo Ligurem, pubemque Sabellam.

Et T. Livius Ligures natos dicit ad militarem disciplinam inter reliquorum intervalla bellorum Romanis continendam: adeo vivida gentis ingenia nullis cladibus frangi poterant, quin ad libertatem recuperandam novis semper motibus consurgerent: ex quibus igitur rebus malevolus Poeta invidiam Ligurum genti studuit conflare, ex iisdem contraria gloria ita colligi potest:

Cui Ligur est genitor, genitrix cui Græcia, ponto
Qui medio est natus, vir malus esse potest?
Nonne malo assuetus Ligur est? sapientia nonne
A Grais? nonne est & Venus orta mari?

Egregiorum hominum ferax fuit gens Palavicina, complurésque sacros Antistites tulit probitate & prudentia conspectos: in quibus Petri Francisci & Cypriani virtus enitet: quorum ille Aleriæ Episcopus dum in pastoris muneribus obeundis nihil sibi parcit, morbo ex Corsicæ noxio cœlo contracto decessit. Hic Genuensem Ecclesiam Archiepiscopus regit, quaque disciplina sibi commissos sacerdotes formare contendit, ejus ipse præclarum specimen vita & moribus exprimit. Petrus Franciscus peracri & vivido ingenio fuit eximius Pontificii & Cæsariani juris interpres, neque elegantis eruditionis expers; Cyprianus primos annos politioribus litteris & Philosophiæ studiis dedit, mox sese ad sacram doctrinam convertit, in qua haud contemnendos habet processus.

BENDINELVS SAVLIVS, CARD.

INAVSPICATVS genti Sauliæ opibus florenti sacræ purpuræ honor fuit, quo BENDINELVS à Julio secundo donatus est: neque dubitatur, quin magni nominis Cardinalis evasurus fuerit, ni ab indignatione sese in nefarii consilii contra Pontificem initi societatem præcipitem dedisset. Vivido enim & præstanti ingenio fuit, neque politiorum litterarum rudis: quas in aliis quoque amavit & amplexus est: quippe qui litteratos homines in familiaritatem acceptos aluerit & foverit: in quibus fuerunt Joannes Maria Catanæus, qui in heri gratiam urbem Genuam eleganti poemate descripsit & laudavit, ac Paulus Jovius, quo nemo in prophanis rebus plura scripsit, aut magis nostram ætatem scriptis suis illustravit, felicissima rerum copia, ingeniique ubertate, ac stili sublimitate omnes profecto superaturus, nisi ingenio nimium indulgens, dum scribendi impotenti aviditate veluti rapidissimo æstu effertur, in scriptis suis limandis ac poliendis supine negligens interdum fuisset, ut fluere lutulentus aliquando existimetur, quæ res magnum de illius gloria cumulum dejicit.

Invida Virtuti mala sors cum cerneret in te
Ingenium & dotes eximias animi.
Non tulit, atque tuis successibus obstitit, auso
Ad decus intentum continuisse gradum.
Felix, si quo cœpisti dare vela per altum
Hoc ires cursu tuque tuumque decus.
Nam Virtus cum purpureo te ornavit amictu
Promisit triplex tum diadema tibi.
At sors, quæ meritos olim subtraxit honores
Non potuit superis te prohibere choris.
Hic tu Cælestes inter sanctumque Senatum
Spernis opes, auri pondera, regna, decus.

AVGVSTINVS SPINVLA, CARD.

ITA fere est vulgus; quod falsis rerum imaginibus ductum pauca ex veritate æstimat, ac ferme omnia errantibus atque animo penitus insidentibus opinionibus metitur. Quod cum multis in rebus facere solet, tum vero hoc illi in primis usuvenit in liberalitate & beneficentia judicanda: quam in effusis quotidiani victus & domestici cultus sumptibus ponendam somniat; quique hoc morbo laborant, eos tamquam liberales & beneficos suspicit atque amplectitur: cum plerunque nihil hoc hominum genere sit sordidius, atque erga amicos & egentes malignius. Qui vero res suis momentis ponderare didicerunt, ac veras virtutes ab inanibus speciebus secernere possunt, ii liberalitatem longe aliis finibus terminant: quam in large donando, hominibus benigne faciendo, inopia hominum sublevanda versari intelligunt. Qua virtute cum AVGVSTINVS SPINVLA, Cardinalis, ætate nostra insignis in primis fuerit, quippe quo neminem habuerit Romana Aula magis munificum, in cujusque opibus, quæ peramplæ fuerunt, clientibus, domesticis, familiaribus, amicis, omnibus denique in illius benignitatem confugientibus majus fuerit, aut certius præsidium, quique crebrius ac splendidius hanc virtutem coluerit: quia tamen vir frugi, & in quotidiano ac domestico cultu parcus, atque ab omni luxu & fastu abhorrens fuit, contracti animi & angusti vulgo nomen tulit. Quocirca majore contra in honore apud sapientes & cordatos homines vir large munificus esse debet, qui in splendidissimam familiam, qua nulla in Ligusticis egregiis stemmatibus insignior & crebrior est, ne quid ad cumulanda gentis decora desideraretur, sacræ purpuræ honorem, qui unus deerat, intulit, amplissimo Romanæ Quæsturæ Magistratu, quem Camerarium vocant cumulatum.

ANDREAE SPINVLAE.

En AVGVSTINVM *quamquam Zenone carentem*
Sedulitas animi vivida, & unica gens
Spinula provexit veterum ditissima laudum,
Seu genuit claros, seu genita est Ducibus.
Quo vim consilii testetur purpura Romæ
Ad cælum illustres posse vocare viros.

HIERONYMVS GRIMALDVS, CARD.

MVLTIS gravibusque de caussis mihi tamen haud satis compertis Hieronymus Grimaldus è privata vita evocatus à Clemente VII. in amplissimum Cardinalium collegium cooptatus est, vir integer, & in sententia dicenda libertatis & senatorii officii memor. Grimaldæ igitur gentis nobilissimæ & præpotentis atque opibus florentis, castellorumque & populorum veteri dominatu insignis, quæque in quattuor illis numeretur, quæ turbulentis Reipublicæ temporibus, tum cum omnia Gibellinarum & Guelpharum Factionum studiis arderent, capita rerum Genuæ fuerunt, Regnumque in Patria diu possederunt, Hieronymus novo hoc honoris titulo stemmata auxit. Neque vero una cum Hieronymo gentis Grimaldæ gloria occubuit, quam Dominici cognati vividum versatileque ingenium, & ad omnia magna natum, magna spe & haud contemnendis initiis incipit excitare: qui vir ad togæ artes jurisque civilis scientiam in Aulicis negotiis con-

conspectam bellicarum quoque rerum cognitionem & usum addidit. Cujus rei præclara dedit documenta Pontificiarum classium Procurator & Quæstor, cum in ceteris expeditionibus adversus Turcas susceptis, tum in ea inprimis, in qua clarissimus & celsissimus Princeps Joannes Austrius maxima, ex omnique sæculorum memoria maxime memorabili victoria parta Turcarum maritimas opes fregit: in qua expeditione non omnia modo, quæ fuerunt mandati muneris, magna cum ingenii, consilii, diligentiæ, integritatis laude cumulate implevit Dominicus, sed in ipso quoque prælii ardore strenuam ac fortem operam acriter pugnans navavit in medio discrimine intrepide versatus. Ut Pio quincto, & Gregorio tertio decimo sapientissimis Principibus plane satisfecerit, gradumque sibi ex eo munere ad majora fecisse existimetur; neque dubitetur, quin in præstanti ejus virtute genti Grimaldæ utraque commendatione insigni magnum sit futurum decus.

HIERONYMVS AVRIA, CARD.

EODEM sacri Senatorii ordinis honore, quo ipsa quoque carebat, clarissimam gentem Auriam multitudine & magnitudine rerum gestarum omnium concessu inter Ligusticas eminentissimam decoravit HIERONYMVS. Ac res diu & multum quæsita est, magnisque disputationibus jactata, in laude an in vitio ponendum sit illorum consilium, qui procul à Republica, ab omnibusque publicis muneribus abscedentes in privatæ vitæ otio sibi ætatem agendam censent. Sunt enim qui id vel eorum hominum esse dicant, quorum mentes exiles & angustæ splendorem illum & dignitatem, quæ est in Republica gerenda, egregiaque honoris & amplitudinis præmia, quæ vitam illam consequi solent, capere non possunt, quique humiliter & demisse de se sentientes nihil amplum aut magnificum possunt spectare; nullamque eminentem virtutis imaginem intueri; atque idcirco sese illi oneri subtrahunt, cui propter imbecillitatem se impares intelligunt; vel eorum, quibus voluptaria vita ac mollis cordi est, quique libidinibus dediti nullis se molestis negotiis velint implicari, quæ ipsos à voluptatibus omnibus sensibus hauriendis, in omnique vita persequendis interpellent. At nonnulli, iique non indocti, longe contrariam disputandi rationem ingressi, magni & excelsi animi esse statuunt, omnia humana, omnesque honores, & omnem vitæ hujus fastum subter se positum existimare; prudenterque facere eos contendunt, qui vitam illam diffidiorum, simultatum, contentionum plenam, ad hoc invidiæ, obtrectationi, calumniis objectam vitent; summæque sapientiæ esse affirmant, graves & horribiles casus eorum, qui vitam Aulicam amplexi sunt, ac domorum & familiarum eversiones secum reputantem, ab illis turbulentissimis molestiarum tempestatibus, quibus ea vita infesta est, quibusque multos sæpe obrutos vidimus, in tranquillum privati otii portum confugere: mirisque proinde laudibus extollunt vetus illud Græcorum dictum λάθε βιώσας. Nos rem ambiguam & controversam, ex hominum, qui alterutram vitam sequuntur, ingeniis existimandam ducimus; eosque, qui iis, quas modo commemoravimus, de caussis privatæ vitæ tranquillitatem Reipublicæ gerendæ dignitati præferunt, non quidem magis laudandos, aut iis anteponendos existimamus, qui omne consilium suum, ingenium, operam patriæ ac Reipublicæ navandam censent, sed excusandos, ac nonnunquam etiam imitandos. Qualis fuit HIERONYMVS AVRIA, Cardinalis: in quo viro tantum robur animi & consilii fuit, ut illum ignavia ac desidia aut nequitia procul à Romana Aula ætatem egisse nemo, cui vir ille notus fuerit, dicere audeat: quippe qui antequam in Andreæ Auriæ gratiam à Clemente VII. in Senatum lectus esset, multa ingenii, consilii, prudentiæ in Republica Genuensi in vario munerum genere administranda, egregiaque documenta dederit, ut à spectata virtute dignus habitus sit, qui esset in Duodecimviris legum ferendarum, & status rerum emendandi ac constituendi: in quo munere obeundo opinioni hominum abunde respondit. Talem igitur virum quis non sapienti consilio ac meditata ratione Aulam atque illas contentionum procellas putet vitasse?

JO. BAPTISTA CICADA, CARD.

TOT tamque eximiæ virtutes nomen tuum commendant, JOANNES BAPTISTA CICADA, ut difficilius sit in tuis laudibus exitum, quam principium invenire. Quid enim in te primum mirer? præstantem-ne doctrinam? an civilium rerum cognitionem? ut nihil esset in usu Romanæ Aulæ positum, quod tuam scientiam effugeret? an acerrimam illam cælestis prope ingenii vim, sollertemque quandam mentis aciem ad omnia quamvis ardua & implicata expedienda, & ad exitum perducenda? quibus virtutibus id assecutus es, ut regnum in rebus forensibus, dum vixisti, obtineres, nullaque magna esset res, quam non de tuo consilio Romani Pontifices gererent. Ut etiam ii, qui tibi parum æqui fuerunt, te ad magnas deliberationes adhibere cogerentur? an fidem & constantiam in justitiæ & oppressorum defensione, ut nullam umquam pro amicis & clientibus dimicationem recusaveris? quorum firmissimum præsidium & columen semper fuisti: nemoque in tuam opem & tutelam confugerit, quem sineres everti, quemque non honoribus & fortunis auctum reddideris. In me quidem ea tua sunt merita, ut Numinis cujusdam venerationem apud me obtineas. Quibus quam aliam in præsentia, quam eam, quæ facultatis nostræ est, hoc Elogio gratiam referam? cujus ea erit clausula, sacræ purpuræ amplissimum honorem tantorum meritorum minimi pretii instar fuisse. Unum nobis in tanto mœrore reliquum est solatium Carolus fratris filius Ingaunorum Episcopus mitiore ingenio vir: qui ut te virtutibus reddit, ita honoribus quoque subsecuturus existimatur. Cujus rei haud dubiam spem facit, quod jam à Gregorio tertio decimo sapientissimo Principe ad gravissimas Reipublicæ partes gerendas adhiberi cœpit.

ANTONII VACCAE.

Quis tua quam fuerit vivax & fervida Virtus
Dicat, & ingenium, magne CICADA, *tuum?*
Impiger æthereos meat ut sol aureus orbeis,
Omnia collustrans calfaciensque simul,
Sic tua mens velox ima & sublimia rerum
Officii constans, propositique tenax
Lustravit fovitque bonos super omnia amicos,
Et tulit, ut cælum creditur altus Atlas.
Mirus in adversis rebus mirusque secundis
Vera in te fulsit Justitia & Pietas.

SIMON PASQVA, CARD.

QVAE duæ res in unum eundemque hominem convenire perraro, ac vix umquam solent, præstans ingenium, & summa animi moderatio, eæ ambæ in SIMONE PASQVA ita enituerunt, ut de illo ornando certasse videantur. Nam & in Philosophiæ studiis, quibus primæ ætatis tempora in Gymnasiis publicis dedit, ita excelluit, ut in nostræ ætatis Philosophorum principibus numeraretur: quam haud exiguam laudem cumulabant singularis morum facilitas, miraque naturæ comitas, ac sermonis affabilitas: quibus virtutibus cum formæ digni-

gnitate conjunctis voluntates & studia hominum ita ad sese attrahebat, ut apud principes viros, quorum frequenti consuetudine usus est, in gratia & in honore semper fuerit. Et virum tantis ingenii & industriæ præsidiis ad maxima quæque gerenda instructum privatæ vitæ otium ambitionis studiis, & honorum cupiditati anteposuisse, proculque à publicis muneribus & civilibus contentionibus quietam & tranquillam ætatem egisse, summæ moderationis, excelsique animi, humanaque despicientis atque infra se posita putantis præclarum specimen fuit: quamquam honores & legationes ad maximos Principes publice sibi in Patria interdum mandatas declinare non potuit: in quibus obeundis & magnam à Principibus, ad quos missus est, gratiam iniit, & apud cives suos haud exiguam laudem peperit. Quibus rebus id assecutus est, ut honores, quos numquam quæsivit, illi sint ultro delati. Neque enim Pius quartus acer ingeniorum existimator passus est, virtutes familiari usu perspectas debiti honoris luce carere: qui simulatque Pontificatum iniit, SIMONEM è patria evocatum Episcopalibus insignibus ornavit: ad quod munus colendum cum sibi alia præsidia adjungenda intelligeret, SIMON vir Græcarum litterarum scientissimus, omnique eleganti eruditione perpolitus sacræ doctrinæ studia majore opera repetiit; vividique ingenii felicitate brevissimo temporis curriculo ad summos pervenit: quæ res ceteris diuturni laboris ac temporis esse solent: cujus rei periculum factum est in Concilio Tridentino, quo ab eodem Pio septuagesimum annum natus missus egregium ingenii, doctrinæ, pietatis, religionis in celeberrimo Christiani orbis Theatro specimen dedit. Multiplici igitur doctrina, innocentia, prudentia, integritate commendatus Simon ab eodem Pio in Cardinalium ordinem summa cum omnium bonorum lætitia cooptatus genti suæ Pasquæ, quæ complures Nobiles & insignes viros Patriæque in primis utiles tulit, aditum ad tantum honorem Princeps reseravit: qui in tanta dignitatis sede locatus is statim apparuit, ut omnes statuerent, amplissimo honore non tam præmium meritis debitum persolutum, quam ex illo ad sublimiora SIMONI gradum factum, quam exspectationem mors Romanæ Aulæ acerba, suis luctuosa, bonis omnibus gravis elusit.

M. ANTONII BOBBAE, CARD.

Egregie PASQVAM *finxit Deus ore* SIMONEM,
Eximiisque animum virtutibus imbuit, ut quas
Condidit insignes præstanti in pectore dotes,
Protinus exprimerent oculi sub fronte decori
Ingenua, è liquido ceu picta corallia fulgent
Crystallo, nullam rosei perpessa nitoris
Jacturam, mittuntque suos illæsa colores.
Illustri quantum is patria, celeberrima tantum
Urbs Ligurum claro felix lætatur alumno,
Consiliumque, operamque haud raro experta fidelem.
Quem modo purpureo ornatum venerata galero est
Inclyta Roma sacri columenque decusque Senatus,
Virtutis propriæ nitentem fortibus alis,
Dum sublime volat, mors abstulit invida terris
Ingenio pollentem acri, viridique senecta.

HIPPOLYTI CAPILVPII, EPISCOPI PHANENSIS.

Felix qui potuit naturæ discere leges,
Immensumque navi noscere solis iter.
Sed longe ante alios felix, qui colligit alto
Missa polo è sacris aurea dona libris.
Sed te PASQVA *nequit dici felicior alter,*
Qui vi Divinæ mentis utrumque facis.

BENEDICTVS LOMELINVS, CARD.

IN BENEDICTO quoque LOMELINO amplissimo Elogio ornando non plus me studiis, quæ illi pro egregiis in me meritis summa debeo, quam veritati tribuisse, testis est Romana Aula, cui hominis virtutes per tot annos sunt spectatæ: æque enim hunc virum ingenii atque voluntatis bona commendant. Nam in Pontificii & Cæsariani Juris scientia ita excelluit, ut adolescentiam nondum egressus, quod tempus ceteris ad perdiscendum datur, profitendi munus publice mandatum summa cum ingenii ac doctrinæ laude sustinuerit: nec minores sunt integritatis & innocentiæ laudes; quibus accedunt mirus animi candor, naturaque simplex & aperta, nullaque malevolentia infuscata, quoque nihil ex omnibus humanis rebus præstabilius est, ad bene merendum de omnibus, quicunque in illius opem confugiunt, in primis propensa comitantur incredibilis facilitas ac morum suavitas, singularisque humanitas: quæ summæ & præstantes virtutes cum relicto Gymnasio ad gerendam Rempublicam accessisset, illum per omnes honorum gradus ad Cardinalatum tandem extulerunt: quem ille honorem in gentem suam Lomelinam nobilitate & opibus perpetuo florentem primus intulit, ut plus huic viro Majores sui, quam suis ipse Majoribus debere videantur, majoraque ipse illis ornamenta dignatione sua reddidisse, quam quantum ipse ab illorum splendore acceperit commendationis. Gentis Lomelinæ orientem sacerdotii gloriam haud parum cum egregiis virtutibus, tum dignatione sua condecorat JACOBVS Petri filius, qui nullis externis præsidiis, nullisque opibus, nullave potentia aut gratia subnixus, sed meritis ipse suis, documentaque sui in inferioribus ordinibus, honorumque titulis dando ad amplissimum Panhormitanum Archiepiscopatum sibi gradum fecit. Multa hujus viri in Rempublicam constant officia. Nam in Tridentino Concilio ejus doctrina & ingenium in arduis quæstionibus disserendis, sententiaque de gravissimis Ecclesiæ negotiis dicenda enituit; ad hoc opera & industria sanctæ Pontificiæ Sedi in exulceratis rebus multiplici usui fuit. Prudentia vero in primis conspecta est in honorifico legationis munere ad Gregorium tertium decimum, quo Philippo Rege celsissimo de maximis Regni Siculi rebus perfunctus est. In qua legatione Pontificis animum à postulatis abhorrentem leniter tractando tandem expugnavit, perarduumque negotium, quo Siciliæ status non in postremis continebatur, cum magna utriusque Principis gratia transegit. Ut summum hoc beneficium nobilissima insula Jacobi prudentiæ & industriæ sese debere fateatur. Ut omittam multas ditionis Pontificiæ urbes, quibus summa cum justitiæ & prudentiæ laude præfuit.

FVLVII CARDVLI.

Hactenus & sophiæ studiis florebat, & armis
Lomelina opibus gens, atavisque potens.
At sacra, quæ clarum decoraret purpura nomen,
Deerat adhuc, ætas hanc quoque nostra dedit.
Dotibus en præstans animi, donisque Minervæ,
Et magis major jam BENEDICTVS *avis*
Auget honore domum, mitraque insignis, & ostro
Quæ superi debent, huic potiora dabunt.

JOANNIS CARGAE.

Inter opes atque arma, quibus terraque marique
Lomelina domus clara potensque nitet,
Primus Romano fulget BENEDICTVS *in ostro*
Insignis sacra purpureusque toga.
Cedite opes atque arma, novus ceu lucifer orbi
Additus omne suis hic decus auget avis.
Illi magnanimis titulos heroibus æquant,
Hic valet in terris proximus ire Deo.

VIN-

VINCENTIVS JVSTINIANVS, CARD.

Ea dedit VINCENTIVS JVSTINIANVS in magnis rebus gerendis eximiæ virtutis documenta, ita sese in magnis procurationibus administrandis majoribus dignum semper ostendit, ut Cardinalatui, qui honor in sacerdotum ordine proximum à Pontifice Maximo dignitatis locum obtinet, non minorem reddat splendorem, quam ipse ab illo illustretur. Hujus enim viri tanta vis ingenii & consilii fuit in Dominicano Ordine, cui duodecim annos summus Magister præfuit, cum octavum & trigesimum agens annum ad eum locum pervenisset, moderando, ut ex multorum sæculorum memoria eum Ordinem neque pacatiorem, neque majore in concordia & charitate inter se fuisse constet: quæ res quantæ virtutis ac prudentiæ fuerit, facile intelliget, si quis secum reputaverit, quam longe lateque fusus sit is Ordo, quippe qui omnes Christianas Provincias amplissimis cœnobiis occuparit, quot ex nationibus, quamque ex variis hominum ingeniis constet, quot viri in illo sint genere & doctrina præstantes: quæ res animos hominum inflare, & ad imperia contumaces efficere solent, quam diffidentia inter se studia in eo esse necesse sit. Quis igitur versatile JVSTINIANI ingenium ad omnes hominum naturas tractandas aptum non admiretur? illud vero longe mirabilius ac pene Divinæ laudis specimen fuit, quod in tam contrariis inter se voluntatibus hominum regendis & moderandis, in tantaque mole sustinenda nemini offensus gratiam omnium partium ac voluntates tenuit, invidiamque & obtrectationem perpetuas eminentis virtutis & gloriæ comites JVSTINIANVS magnitudine sua obruit. Neque vero laudibus in Dominicano Ordine regendo ceteræ res gestæ non responderunt, aut minorem in maximis & gravissimis Christianæ Ecclesiæ negotiis, prudentiæ, consilii, ingenii vim expressit: quippe cujus in primis judicio, opera, industria, in rebusque ducendis lenitate in Tridentino Concilio, quo quidquid floris Christiana habuit Respublica, constat convenisse, Legati Pontificii in arduis rebus expediendis usi sunt, eoque interprete quamplurima gravia & impedita negotia transegerunt: ut nullius omnino majora operæ pretia aut merita constet exstitisse. Accedit quod non parum clarissimi viri laudes cumulat, Legatio ad Philippum Regem celsissimum de maximis & arcanis rebus obita, quo munere dum fungitur, absens Cardinalis est factus.

HIPPOLYTI CAPILVPII, EPISCOPI PHANENSIS.

VINCENTI, *egregio sic enitet aurea virtus*
Ore tuo, ut puro lucida gemma vitro.
Nec fuco aut maculis respersa apparuit umquam
Ceu sol qui nitidum fert sine nube diem,
Quaque vigil flectis Divinæ lumina mentis,
Illa tibi semper prævia monstrat iter.
Perge viam, non fortunæ super ætheris oras
Te rota, sed virtus te tua sola vehit.

ANTONII HORTENSII.

Quis te, magne pater, taceat? quis laudibus æquet
Virtutem paribus, JVSTINIANE, *tuam?*
Te stupuere senes juvenem, dum legibus ornas,
Dum sancta cohibes relligione patres.
Te Rex Hesperiæ, te concio Dia Tridenti
Eloquio sensit, consilioque parem.
Nunc ô purpurei salve pars magna Senatus,
Perge decus meritis hoc decorare novis.

FVLVII CARDVLI.

Tu quoque, VINCENTI, *clarissima fama tuorum*
Multiplici magno nomine vincis avos.
Te sibi relligio primis sacravit ab annis,
Ordinis illa Ducem, legit & illa patrem,
Consilii & docti testis caduceus oris
Misit ad Hesperii sceptra superba Tagi.
Absenti Vaticanus largitur honorem
Sponte parens, Tyrius tempora cingit apex,
Curia gratatur reduci tibi, Roma precatur.
Quod superest, tribuent Numina, Vive diu.

XYSTVS, GALEOTTVS, CLEMENS, ROBOREII, CARDD.

GENVENSIBVS civibus absolutis, ut ad reliquæ Liguriæ Cardinales descendamus, quid clarissimæ genti Roboreiæ abesse dicemus de maximis omnis generis ornamentis? Si enim clarissima mortalium rerum spectemus, duos Pontifices Maximos tulit egregiis ambos virtutibus conspiciendos. JVLII quidem virtus Pontificio solio ita honorifica & utilis fuit, ut quidquid Romana Ecclesia ditionis prophanæ nunc possidet, id fere ejus laboribus & constanti virtuti debeamus. Si ad militarem gloriam animum convertamus, summum ejus laudis fastigium ætate nostra Franciscus Maria Dux Vrbini tenuit. Si ceteros sacros Ordines cogitatione complectamur, præter innumeros Episcopos sex habuit Cardinales; quorum quattuor Ligures cives Saonenses fuerunt: omnes amplissima fortuna usi, XYSTVS, GALEOTTVS, CLEMENS, LEONARDVS. XYSTVM & GALEOTTVM fratres clarissimi generis splendor & amplissimus sacræ purpuræ honor ab obscuritate eripit: ceterum non sane amplam materiam scribentibus præbent. Cujus rei in altero morbus, in altero brevis ætatis cursus caussa fuit. Xystus enim cum acerrimis podagræ doloribus continenter ureretur, procul ab Aula & à publicis muneribus abscedere coactus omnem fere ruri ætatem egit. Galeottus in ipso ætatis flore immatura morte sublatus est, vir litterarum politiorum non omnino rudis: exstant nonnullæ odæ populari lingua ingenii indices. Insignis hujus viri liberalitas ac regia magnificentia cum erga amicos, tum in quotidiani cultus splendore in primis conspecta est. His additur ex eadem familia CLEMENS, cujus memoria quibus privatim ornamentis decoraremus, invenire non potuimus. Tres igitur hi viri ut nomine, ita Elogio conjuncti erunt, quod quibus moribus, quibusve rebus gestis illos inter se distingueremus, nihil sane nobis appareret.

LEONARDVS ROBOREIVS, CARD.

AT in LEONARDO ornando fortuna & natura inter se certasse videntur, si Ethnicorum more loqui velimus: nam hanc fortunæ vocem à Christiana professione abhorrere non sum nescius, quæ hæc & cetera omnia Divinæ voluntati merito attribuit: adeo quidquid boni utraque habuit, in illum cumulate congessit: nam illa clarissimi generis nobilitatem, amplissimas opes, summos honores dedit; hæc præstans ingenium, egregiamque ac Divinam quandam animi indolem contulit. Eximia enim in hoc viro fuit Pontificii & Cæsariani Juris scientia, præterea sanctissimi mores, perpetuo vitæ cursu integerrime acto: verum duæ in illo ingentes virtutes in primis conspectæ sunt, eximium justitiæ studium, ac singularis misericordia; excellensque in egentium inopia sublevanda liberalitas; quæ virtus inter Christianas altissimum locum tenet: quarum virtutum multa in omni vita clarissima edita sunt documenta, nos utriusque singula

gula exempla protulisse contenti erimus: nam cum supplicibus libellis, tam iis, qui ad forenses res regendas, quam iis, qui ad beneficiorum distributionem pertinent, multos annos præfuisset, in eoque munere fungendo caste & integre perpetuo esset versatus, factum est, ut quidam ex Cubiculariis longa & intima familiaritate illi in primis acceptus illum commonefecerit, etiam atque etiam animadverteret: quæ enim in libello oblato continebantur, ea rem fratris oblique attingere. At Leonardus hominem verbis male acceptum oculis & auribus aspernatus, *Facesse*, inquit, *protinus è conspectu meo, scelesté, qui tantum nefas mente concipere ausus sis, ut pluris esse apud me ponderis fratris respectum, quam justitiæ studium suaderes;* hominemque domo exegit. Et mortuum Leonardum miserorum & egentium parentem pauperes diu multumque luxerunt.

CAROLUS DOMINICUS CARRETTUS, CARD.

QUOT, Deus immortalis, quantæque laudes CAROLI DOMINICI CARRETTI nomen verendum faciunt: nam ad præclari & pervetusti generis nobilitatem accesserunt immensæ opes: quæ res cum per se ad homines illustrandos satis valeant, tamen tanta est in Carolo clarissimarum virtutum gloria, ut illarum splendore reliqua amplitudo pene obscuretur, fortunæque & generis commendationes animi & ingenii bonis obruantur. Fuit enim in hoc viro præstans ingenium, ad hoc singularis prudentia, tum autem eximius rerum humanarum usus, in primis vero summum religionis ac pietatis studium. Accedebat regia in omni genere magnificentia, quæ ingentes virtutes mirifice decoraret. Neque vero indefessa virtus aut labore umquam infracta est, aut negotiorum multitudini succubuit, aut tædio & satietate relanguit, sed eodem perpetuo tenore viruit ac viguit; omnisque vitæ cursus Carolo in assiduis laboribus, atque in Reipublicæ administratione acerrimaque animi contentione continenter actus est. Prima gerendæ Reipublicæ tempora Gallis data sunt: pro quibus multis & peramplis legationibus de maximis rebus perfunctus est: in quibus obeundis ea sui documenta dedit, itaque nominis sui fama Christianas Provincias implevit, ut Julius secundus quantus qualisque Pontifex exsecrabilis internecinique odii, quo Galli à se diffidebant, oblitus adversarum partium virum ac pro illarum propugnatione expertæ constantiæ ad se evocatum sacræ purpuræ honore collato in Senatum legerit: quod sapiens Pontificis consilium ea, quæ consecuta sunt, comprobarunt. In Pisano enim Conciliabulo Carolus raro ac neutiquam vulgatæ virtutis exemplo amplissimorum beneficiorum ac partium immemor sese à seditiosorum consiliis & societate penitus segregavit, studiisque cum piis viris conjunctis in Romani Pontificis caussam penitus demisit: adeo vir pius ceteros omnes humanos respectus præ religionis studio leves duxit. Præclaræ actioni omnis reliqua Caroli vita respondit. Cui in Lateranensi Concilio una cum nonnullis aliis negotium omnium gravissimum pacis inter Christianos Principes componendæ datum sit. Jam vero immanes sacrarum Ædium substructiones regio sumptu, ac miro opere excitatarum, amplissimaque illis facta donaria quantum cumulum reliquis laudibus addunt? ut jure duo Principes Christianarum rerum capita Leo decimus Pontifex Maximus, & Maximilianus Cæsar Elogiis suis, amplissimis verbis conscriptis, ingentium meritorum & virtutum Carolo testimonium dederint.

JO. BAPTISTÆ FONTEII, PRIMIONIS.

Non adeo Idæi quondam Curretes in oris
Vel Cybelen pulsu, vel coluere Jovem.
Carolus Hesperias quantum Carrettus ad aras
Et matrem, & vera pro pietate Deum.
O decus, ô patriæ eximium, stirpisque paternæ,
Fratribus & claris anteferende tuis.
Nam si Fabritius Rhodios Equitesque Magister,
Et Ligurum Alphonsus littora læva regit,
Ars tua turbatos dictis componere Reges,
Ars tua Pontificum maxima jussa sequi.
Hinc dedit ille Deus, quoniam tibi templa placebant,
In summo positum templa fovere gradu.

PETRUS ET RAPHAEL RIARII, CARDD.

ILLUD fere nobis natura est insitum vitium, ut peccata ipsi nostra vel temporibus assignemus, vel in negotia conferamus, vel fortunæ delegemus, vel alienæ voluntati & imperio tribuamus, vel in necessitatem, cui parendum fuisse dicamus, rejicere conemur, vel aliquam denique caussam criminis à nobis removendi comminiscamur. Ut sunt hominum ingenia ad suam elevandam culpam nimio plus copiosa. Sunt tamen nonnulli, qui hæc omnia in rebus humanis plurimum posse contendant, magnamque in mortalium actionibus ponderandis vim habere, ac multum in utramque partem vel ad laudem vel ad vituperationem imminuendum valere: quæ opinio etsi tamquam à Christiana doctrina & pietate abhorrens à nobis & à piis omnibus explodenda est, tamen minime miramur PETRI ac RAPHAELIS RIARIORUM, magni nominis Cardinalium, regium cultum & splendorem, quem illi in omni vita secuti sunt, temporibus à nonnullis excusari. Ceterum hæc nobis in præsentia quærenda non sunt, neque viri amplissimi suo testimonio fraudandi: quos Saonenses cives cum Xysti quarti affinitas, tum merita & virtutes ad amplissimum Ordinem, & ad summas opes extulerunt: quibus ceteros suæ ætatis superarunt. PETRUS haud vulgari sacræ doctrinæ scientia præditus fuit. RAPHAEL Pontificii Juris haud contemnendus consultus. PETRUS in ipso ætatis flore exstinctus est, amplissimo Legationis Italiæ munere perhonorifice & cum laude perfunctus. At RAPHAELIS regia magnificentia cum multis in rebus, tum vero in immanibus substructionibus sese ostendit: nam præter Hostiam & Portum instauratas, eas Ædes Romæ ædificavit, quæ Laurentianum templum laxitate sua includentes magnitudine, opere, materia, cetera Europæ ædificia facile exsuperare existimentur. Ut peregrini urbem adeuntes duo duorum Ligurum ejusdem urbis Saonæ civium, has nimirum Ædes, ac templum Vaticanum Romanam magnitudinem spirantia horrore defixi mirentur. Hic vir quamquam vitæ uno eodemque tenore innocenter actæ perpetuum cursum tenuit, ac mira comitate morumque suavitate omnibus charus fuit, multa tamen ætatis tempora infesta habuit, ac variis & atrocibus fortunæ casibus exercitatus & jactatus fuit: nam in prima adolescentia, cum recenter in Senatum lectus esset, in conjuratione Pactiana, quæ Julianum alterum ex Mediciis fratribus sustulit, concitati Florentini populi impetum vix effugit, Laurentii alterius ex fratribus superstitis cura in primis & auctoritate è summo discrimine ereptus: præterea Valentino ad Sfortiam matronam & Riarios suos Foro Julii expellendos profecto, sibi timens noctu clam ex urbe profugit, ac Mediolanum concessit. Jam vero in consiliis in Leonis vitam Alphonso Petrutio auctore initis carcere inclusus est, non quidem, quod societatis parricidii

cidii insimularetur, sed quod conjurationis conscius illam Pontifici non enuntiasse argueretur: quam rem horum sæculorum Principes ad parricidii crimen ex frequentiore Jurisconsultorum sententia revocare solent. Postremo carcere emissus est pecunia à familiaribus collata redemptus: fuerunt autem ducenta millia aureorum nummûm: ut ex tam immani summa, illis præsertim temporibus cum tanta auri & argenti vis ex novis Occidentalis Indiæ Provinciis in nostrum orbem ab Hispanis continenter invecta nondum Regna Europæ supra modum ditasset, appareat, quod familiarium genus vir amplissimus apud se haberet, quantaque in charitate cum illis esset. Successores habuit tres fratris filios, omnes peramplis sacerdotiis ornatos, Cæsarem Patriarcham Alexandrinum, eundemque Archiepiscopum Senensem, & Episcopum Malacitanum, Octavianum Episcopum Viterbiensem, Sfortiam Episcopum Lucensem.

HIERONYMVS BASSVS, CARD.

EGREGIVM virum fuisse HIERONYMVM BASSVM ejusdem urbis civem necesse est: quem Julius secundus tantus Princeps affinem habere gloriari solitus sit; eique magnificentissimum sepulchrum exstruxerit: hujus perpetuus vitæ cursus constantissime actæ, morumque candor & integritas, singulareque religionis studium, una omnium voce laudantur.

ANTONIVS FERRERIVS, CARD.

ILLVSTRE ac perutile documentum mortalibus duarum haud levium rerum ANTONII FERRERII Saonensis gravibus casibus positum est, & hominum cupiditatem inani splendore deceptam in eas res ardentibus votis plerunque ferri, quæ nulli non modo utilitati, sed etiam damno & dedecori futuræ sint. Siquidem ANTONIO sacræ purpuræ honor pravo illius usu in exitium tandem vertit. Is enim ab eodem Julio secundo, à quo fuerat in Senatum lectus, Bononiensi Legatione impetrata diplomata ipse facultatum concessarum composuit: in quæ multa gravia, & ab usu & æquitate abhorrentia congessit, tempusque observavit, quo Pontificem post cœnam in hilaritatem effusum minus animadversurum quæ faceret, haud temere putavit; diplomataque obtulit, quibus subscriberet, nihil in illis inusitatum esse affirmans: fidem dictis habuit Pontifex, Princeps ceteroqui cautus & prudens, cum omnia prius putaret fore, quam ut ab homine amicissimo tantisque sibi beneficiis obstricto circumveniretur. Quibus facultatibus cum immodice abuteretur Antonius, res multorum querelis in Pontificis notitiam pervenit. Enimvero Pontifex natura severus, contemptusque sui acerrimus vindex, ira & indignatione exarsit, scilicet hominem quem ipse ex humili sorte ad eum locum extulisset, quo nihil sit in sacris honoribus altius, simplicitatem suam perfido astu captasse, majestatique illusisse. Quare Romam evocatum ex carcere caussam dicere coegit, isque exitus judicii fuit, ut falsi damnatus Antonius ingenti auri pondere se redemerit. carcereque dimissus morbo ex ignominiæ dolore contracto bimestri spatio consumptus sit: quem Julius à memoria injuriæ alte animo insidenti nulla funeris pompa efferri, nulloque exsequiarum honore decorari voluit; ac ne sepulchrum quidem ullo inscriptionis monumento insigne fieri permisit; ut ingrati hominis, à quo ipse parum sincera fide cultus esset, memoria prorsus exstingueretur.

MARCVS VIGERIVS, CARD.

GENS Roboreia in summo sacrarum rerum fastigio posita, pœna & præmiis Rempublicam contineri probe intelligens, ut in nonnullos severitatis suæ aculeos malefactis hominum excitatos contorquere coacta est, id, quod modo diximus in Antonio Ferrerio, ostendit, ita innumerabilium merita & virtutem amplexa, illos fortunis, opibus, honoribus amplificavit: qualis fuit MARCVS VIGERIVS ipse quoque Saonensis civis: cujus mirificam sacrarum rerum doctrinam, qua in primis suæ ætatis hominum excelluit, probitatem, prudentiam tanto favore prosecuta est, ut in nemine extollendo clarius aut majus grati beneficique animi specimen expresserit. Xystus enim Pontifex beneficiorum à Marco Vigerio seniore acceptorum memor, à quo, cum in cœnobio ab omni ope desertus summa inopia summisque omnium rerum angustiis premeretur, alendus & tuendus susceptus fuerat, cum ipse tandem ad primos & ad summam dignitatem in Franciscanis pervenisset, EMANVELEM ad se vocatum, ac Franciscana vota ipsum quoque professum, prioreque nomine ex Monachorum instituto in illud, quod benemeritum patruum referret, commutato, apud se habuit, ac quibuscumque rebus potuit, augendum & ornandum suscepit. Demum Pontifex Maximus creatus ex cœnobii umbra in lucem Aulicam eductum sacerdotiis ac peramplis fortunis honestavit, arcique Hadriani præfecit. At Julius inchoatum opus absolvit, MARCVMQVE experta fidelitate, doctrina, meritis commendatum in amplissimum collegium cooptavit, armisque Alphonso Duci Ferrariensi illatis exercitus Legatum creavit: in quo munere fungendo cum egregia illius opera fuisset, tum vero longe magis eluxit in Concilio Lateranensi, in quo multo maxima graviorum negotiorum pars in ejus procuratione & consilio versata est, cum etiam apologeticam disputationem doctam & peracutam contra Pisanum cœtum edidisset: quæ una cum aliis egregiis & approbatis exstat scriptis. Quibus meritis ita delectatus est Julius, ut ad cetera amoris vincula nova quoque affinitatis necessitudine VIGERIVM sibi conjungere non indignatus sit, Nicoleta Roboreia fratris filia Marci fratri in matrimonium data.

BARPTOLOMAEVS CVCVRNVS, CARD.

BARPTOLOMAEVM CVCVRNVM ex oppido Clavaro nobili & pervetusto genere ortum libenter præteriissem, ne infelici exitu, quo vitæ cursum terminavit, funestum hoc opus nostrum facerem. Cæterum viro, cujus memoriam sacra purpura illustrem faciat, omisso Liguria Patria numero clarorum virorum fraudanda visa non est.

PHILIPPVS CALANDRINVS, CARD.

PHILIPPVM CALANDRINVM Sergianensem præterquam quod Nicolaus V. uterinus frater conspiciendum facit, suæ quoque laudes haud parum commendant: ingenio enim mansueto ac comi, moribusque suavissimis fuit. A Nicolaoque Episcopus Bononiensis, Cardinalis, ac maximus, ut vocant, Pœnitentiarius, Picenique Legatus creatus amplissima mandata munera summa cum integritatis, æquitatis, justitiæ, humanitatis laude administravit.

CLEMENS DOLERA, CARD.

HVMANI ingenii imbecillitate, naturæque dona sua inter mortales partientis decreto fieri videmus, ut idem quamvis excellenti ingenio præditus vir, & ad res gerendas natus non omni negotiorum generi aptus sit, neque satis feliciter sese variis hominum ingeniis & studiis accommodet. Quam rem CLEMENTI DOLERAE ex oppido Monelia usuvenisse constat. Is vir cum Franciscanum Ordinem, cui multos annos summus Minister præfuit, & ad quod fastigium ab inferioribus muneribus ad superiora sibi deinceps gradum faciens cum summa omnium approbatione conscendit. Is igitur vir cum eum Ordinem summa cum prudentiæ, ingenii, probitatis laude rexisset, Cardinalis creatus famam tot meritorum & officiorum momentis diu collectam nihil sane auxit, ut sacræ purpuræ insignis titulus plus honori & amplitudini adjecisse, quam priori gloriæ & existimationi addidisse videatur.

VBERTVS SPINVLA.

MAGNVM apud Annales nostros est VBERTI SPINVLAE nomen; cujus togati virtus plus Patriæ profuit, quam multorum armatorum labores: ejus enim eximia prudentia in multis Reipublicæ partibus administrandis & constituendis explicata fecit, ut hujus viri consilio & auctoritate rem Genuensem ea tempestate in primis stetisse, haud immerito existimatum sit. Singula persequi longum fuerit, Elogiique modum excesserit: unum illud singularis animi magnitudinis facinus nulla posteritas silere umquam debet, quod in controversiis cum Pisanis de Sardiniæ rebus, utroque populo eam insulam vindicante, Cæsari in caussam Pisanorum propendenti, Genuensibusque pro imperio mandanti, ut libera possessione Sardiniæ Pisanis cederent, Legatus Genuensium constantissime restitit, injustumque imperium appellare non dubitavit, Genuensesque prius vita discessuros, quam ea parte Insulæ, quæ juris ipsorum sit, excessuros affirmavit. Non igitur se aut Genuenses injusta imperata facturos, aut illa ullo modo accipere, sed caussam per judicium cognosci oportere, cujus æquitati sese Genuenses sint submissuri: aliter armatos juris & dignitatis suæ vindices non adversus Pisanos modo, quos contemnant, sed adversus quemcunque honestam mortem fortiter oppetituros. Quæ orationis libertas commotum Cæsarem & in viri admirationem versum flexit, qui ab imperio destitit, caussamque cognoscendam ad Judices rejecit. Summum igitur hoc beneficium rerum in Sardinia retentarum Vberto Spinulæ Genuenses debent: qui imperterriti animi robore tantos imminentes motus discussit, tantasque bellorum caussas præcidit. Cum non dubium sit, quin ejus Insulæ retentio, si res ad arma deducta fuisset, Cæsare præsertim hoste adjuncto, multarum cladium, multique sanguinis mercede Genuensibus statura fuerit. Complures omnibus ætatibus ex clara hac gente egregii viri exstiterunt, in quibus quod duos Nicolaos nostrorum temporum æquales, alterum Luca, alterum Stephano ortum, nostrarum laudum testimonio ipsos quoque ornandos duxerimus, ut ipsi eximiis virtutibus clarum genus suum ac patriam ornarunt, nemo id nos amicitiæ & gratiæ potius tribuisse, quam illorum virtutibus & meritis dedisse existimabit, cui ii viri noti sunt. Singularis enim ejus, cui Lucas pater fuit, humanitas, morum facilitas, animi moderatio omnibus admirationi est: quem neque natalium splendor, neque amplissimæ opes, quæ res animos hominum inflare solent, umquam extulerint; quique nihil umquam in quotidiana consuetudine grave aut asperum, aut contumeliosum, aut elatum in quemquam fecerit, dixeritve, sed comem sese, ac facilem omnibus summis, infimis, mediocribus præbuerit: illud autem est neutiquam vulgatæ moderationis specimen, quod cum opum amplitudine ipse quoque ut multi, peramplas ditiones sibi posset comparare, vir ab omni fastu abhorrens privatæ vitæ æquabilitatem una cum suis civibus colendæ omnibus honorum titulis sibi magis cordi fuisse declaravit. At Stephani filium præstans & versatile ingenium non magis in rebus civilibus tractandis & in Republica gerenda conspectum facit, aliquot jam legationibus, aliisque publicis muneribus functum, quam in doctrinæ studiis admirabilem: quippe qui ad eximiam Juris scientiam, quam in primis profitetur, Philosophiæ quoque & Theologiæ haud mediocrem cognitionem adjunxerit, cum mira eloquentia egregiaque dicendi & scribendi tam soluta oratione, quam carminibus facultate conjunctam.

JO. HIERONYMI CATHENAE.

Quod Ligures Sardoa tenent uberrima Regna,
Est, VBERTE, *tuum, jussum dum Cæsaris audes*
Exuere, & liber sermoni obsistis iniquo.
Nec tanti valuere Hetrusca potentia Pisæ,
Vt Ligur imperio velit audivisse superbo.
Gens Pisana potest risum ridere, cadentes
Quem Sardi ridere solent hoc fulmine linguæ.

ALBERTVS CLAVARVS.

VETERVM illorum patrum, quos inter homines adhuc degentes, necdum hujus corporis vinculis solutos, cælestium vitam imitatos laudibus in cælum extulit Antiquitas, quippe qui ut sese ab omni vitiorum contagione puros atque integros servarent, procul ab hominum cœtu in vastas solitudines, locaque deserta concedentes omni mente in assidua Divinarum rerum meditatione defixa totam ætatem egerunt. Horum igitur sanctissimorum virorum continentiam, morum castitatem, humanarum rerum contemptum, animi demissionem ter centum circiter ab hinc annis rettulit ALBERTVS CLAVARVS Genuensis civis, Dominicana instituta professus: cujus ut omittam perpetuum vitæ tenorem in jejuniis, cum à carnium usu perpetuo abstinuerit, vigiliis, precationibus actæ, quibus rebus carnis luxuriantem contumaciam mentisque legi reluctantem perdomandam didicerat, cum Divinarum virtutum ac meritorum commendatione ad summum Magistri universi Ordinis locum elatus esset, nihil de pristina vitæ ratione immutavit tenuissimo cultu contentus; tantaque fuit in homine animi ab omni fastu & superbia abhorrentis demissio, ut in tota Europa obeunda ad cœnobia sibi subjuncta lustranda, resque Ordinis de more inspiciendas & constituendas, numquam equo usus tam immensa itinerum spatia vir provecta jam ætate pedes conficere solitus fuerit. Eadem gens Clavara ætate nostra Marcum tulit avunculum meum, Franciscana instituta professum, earundem virtutum æmulum, quamquam acriore ingenio virum: quem genibus flexis in preces effusum, mente à sensibus abducta, & in Divinarum rerum cogitationem elata, sublimem à se conspectum complures graves viri asseveranter affirmarunt: itaque hujus viri sanctitatis opinio in mentibus hominum penitus insedit, ut ad mortui corpus concursus facti sint, partem vestis unoquoque sibi petente, ut sancti viri reliquias apud se haberet. Ut mihi gloriari libeat, me maternum genus à gente Clavara ducere, ex qua tam clari Christi discipuli exstiterint.

POMPEII ARNOLPHINI.

CLAVARE, *quem cultuque pio, studiisve Minervæ*
Ornatum Ligures Numinis instar habent.

Tu

Tu quondam in terris inter contagia mille
Exemplar niveæ simplicitatis eras.
Te non divitiæ, nec honorum dira cupido,
Non auri infecit pernitiosus amor,
Non humeri spumantis equi, non esseda lassum
Portarunt, rapidis esseda ducta rotis.
Ast indefessis perlustrans oppida plantis
Diceris immensam consuluisse viam.
Ipsa sitim explebant tibi dulcia flumina passim,
Ipsa ministrabat terra benigna dapes.
Felix qui humanæ potuisti commoda vitæ
Spernere, & intacta scandere mente polum.

PORCHETVS SALVAGVS.

IDEM est gloriæ, qui virtutis modus; quantoque hæc clarius excellit, tanto illi altior debetur locus. Virtutis vero magnitudinem cum operis præstantia, tum utilitate metimur. Præstantissimum porro illud est opus, in quo maxima ingenii & industriæ vis exprimitur. At utilitas eo major est, quo vel ad nobiliorem rem accommodatur, vel latius patet. Quæ si vere dicuntur, non facile video, quem de togatis Liguribus cum PORCHETO SALVAGO conferamus, qui superiora omnia mirifice expressit in duobus illis libris, quos *adversus Hebræos* conscripsit: in quibus omnes quicumque idem argumentum tractarunt, communi doctorum sententia haud exiguo intervallo anteceffit. Nam, ut omittam eximiam doctrinam, cum fere nihil sit aut in sacris ipsis Libris, aut in omni genere & varietate Hebraicarum litterarum tam reconditum, quod clari viri scientiam effugerit, quam admirabile Deus immortalis specimen ingenii editum est, cum in intimis prisci Testamenti sententiis penetrandis, tum in Hebræorum pervicaci cæcitate firmissimis argumentis refellenda. Quod autem majus operæ pretium fieri, aut qui utilior & præstantior fructus ex doctissimi viri laboribus & ingenio existere potuit, quam Christianam veritatem, Christique Domini Divinitatem, ac promissum à sacris Vatibus Messiæ adventum adversus infensissimos religionis nostræ hostes ex ipsorummet scriptis & testimoniis asseruisse, & in clarissima luce collocasse? Quæ utilitas non urbe Genua, aut Liguria Provincia, terminatur, aut aliquo temporis curriculo circumscribitur, ut multa aliorum civium merita, sed cunctum Christianum populum toto orbe terrarum latissime diffusum, sempiternasque sæculorum ætates complectitur.

PORCHETVS SPINVLA.

DVO clarissima documenta in PORCHETI SPINVLAE eximia virtute nobis prodita sunt: alterum ingentes ac nimios spiritus, quos præcelsa nobilitas facere hominibus solet, à Christiana animi demissione comprimi posse; alterum ex hac ipsa demissione gradum sæpe ad sublimia fieri. Quippe qui rebus mortalibus in prima ipsa adolescentia valere jussis cum in Franciscana instituta nomen dedisset, morum sanctissimorum commendatione & doctrinæ suffragatione ad summum Ministri locum conscendit. A quo loco ad Archiepiscopatum Genuensem vocatus est. Verum cum sensisset, sese in illo honore positum Pontifici minus gratum esse, proximus usitatæ animi demissioni suæ fuit. Nam Archiepiscopatus honore & munere sese sponte abdicavit, atque ad omnem partium suspicionem detestandam, declarandumque nullam offensionis memoriam in miti animo residuam esse, non prius quievit, quam gentem Spinulam apud Pontificem in gratiam poneret. Quo ille merito, simul hominis lenitate & pietate commotus Porchetum in suum solium restituit.

PILEVS MARINVS.

VNICI profecto exempli virum ex multorum sæculorum memoria fuisse PILEVM MARINVM, omnes, ad quos fama pervenerit, fatebuntur: qui Archiepiscopus Genuensium creatus præter diligentem & sedulam operam assiduosque exhaustos labores in sacerdotum moribus emendandis, lapsaque Ecclesiæ disciplina restituenda, illud edidit celsissimi animi, supraque humanum captum inferiora hæc sordida & humilia despicientis, specimen, quod omnis ætas cunctæque nationes in uno Pileo mirentur: amplissima enim Genuensis Ecclesiæ vectigalia non in privatum cultum domesticumque splendorem, aut in suos opibus amplificandos vertenda, sed ad egentium inopiam sublevandam à piis hominibus relicta intelligens, ultro auctor fuit, collegarum sibi publice adsciscendorum, quem *Magistratum* à re *Misericordiæ* appellavit: qui munus hoc bonorum Ecclesiæ quotannis distribuendorum ipsi obirent, tanta summa ex illis Archiepiscopo relicta, quanta ad cultum modice tuendum sufficeret. Qua sanctissima lege Romani quoque Pontificis auctoritate & decreto comprobata atque sancita facultatem bonis Ecclesiæ abutendi, illaque per luxuriam & fastum profundendi sibi ipse vir in primis memorabilis & colendæ memoriæ, ac successoribus Genuensibus Antistitibus præcidit.

JO. FRANCISCI FERRARII.

Quæ major pietas umquam est audita, Marine?
Est lapis auri index, indicat aurum hominem.

RAPHAEL ADORNIVS.

COPIA bonorum omnis generis exemplorum dives fuit Genuensis civitas: in quibus memorabile facinus RAPHAELIS ADORNII in primis enitet: cujus viri quis silentio prætereat, atque adeo quis non æterna laude in cælum ferat, admirabilem animi magnitudinem, singularemque Patriæ charitatem? qua inductus ea se re sponte & à nemine coactus ipse privavit, quam homines omni dimicatione petere solent, ac pro qua assequenda viri ceteroqui egregii jus violare turpe fere non ducant, hoc est, Regno: qua labe ne ipse quidem Julius Cæsar caruit. Raphael igitur spe à civibus facta, si ipse sese Ducatu abdicare in animum induceret, fore, ut sublatis partium studiis concordia inter cives conveniret, pacatusque ac tranquillus civitatis status constitueretur, nulla mora interposita nihilque retractans Principatu, quem non invaserat, sed liberis suffragiis delatum acceperat, extemplo sese abdicavit, atque in privatas ædes concessit. Neque imminuitur egregii in Patriam promeriti gratia, quod sanctum consilium effectu caruerit, animis civium alio tendentibus, sed augetur laus, quod in depravatis ceterorum studiis ipse in diligenda Patria unici exempli ea ætate fuerit.

JO. FRANCISCI FERRARII.

O factum egregie, ter magno atque ore sonandum,
Quam bene conveniunt nomina resque simul.
Ecce magistratu Raphael sese abdicat ultro,
Languenti ut Patriæ sit medicina suæ.

LVCHINVS VIVALDVS.

CVM memorabili Adornii animi magnitudine apte conjungitur LVCHINI VIVALDI non minoris virtutis, minorisve gloriæ facinus, quamquam generis diversi: neque enim minus acres minusve impotentes sunt in juvenili præsertim pectore amoris stimuli, quam regnandi cupido. Ut hi duo cives nobile par continentiæ in civitate nostra

nostra fuerint. Atque haud scio an LVCHINVS melius inter viros bellica virtute & insignibus victoriis claros, quam in hac togatorum classe locatus fuisset, atrociore & periculosiore prælio victor. Gravius enim bellum multis de caussis sapientes semper existimarunt, quod cum cupiditatibus nostris, atque adeo nobiscum ipsi, quam quod cum externo hoste gerimus; majoreque multis partibus virtute, majoreque gloria quam exterior, interior hostis vincitur: qui eo acrior est, quo propior, quoque illius petitiones ad interiora semper penetrant, cum ad externos ictus variis rationibus tecti esse possimus; ad hoc non semper externus hostis utiliter vincitur, quin etiam damnosa sæpe est victoria, quæ meliori & sapientiori nos parere vetat; at interiori hosti, qui Tyrannus omnium est teterrimus, parere sine pernicie & exitio nostro non possumus. Huc accedit, quod in externo hoste vincendo jus sæpe violamus, cum ille caussa & justitia superior est; at in interiore hoste perdomando tantum abest, ut injusti umquam simus, ut hoc ipsum vincere, reluctantemque rationis imperio obedientem reddere, opus justitiæ vel maximum sit. In hominibus igitur hac victoria, quæ rara admodum semper fuit, claris LVCHINVS VIVALDVS altissimum gloriæ locum obtinere est existimandus: qui cum Genuæ matronam forma præstantem ac genere nobilem, ceterum castitate invictaque pudicitia nobiliorem, deperiret, neque animum adversus omnes oppugnationes pudore munitum ullis aut precibus & blandimentis flectere, aut donis corrumpere potuisset, factum est, ut mulieris vir una cum navi omnibusque mercibus à piratis captus & in servitutem sit abductus: quare mulier ad egestatem, extremamque omnium rerum inopiam redacta, cum unde parvulos liberos aleret, nihil haberet, necessitatibus victa ad LVCHINI occulto ad se accersiti genua provoluta, atque in flebiles questus effusa, *Quandoquidem*, inquit, *mentem tantummodo posthac pudicam gestura, ut utraque parte mei casta perpetuo manerem, fortunæ iniquitas prohibet, animumque illum adversus omnia invictum fames, charissimorumque pignorum aliter periturorum amor & misericordia expugnavit, dona illa, Luchine, quæ à te sponte acceptura numquam fui, nunc accipere, hocque corpore in ea, quæ libido tua feret, morem tibi gerere parata sum.* Consopitam atque à libidine constrictam generosi animi virtutem misericordia excitavit, & indomitæ cupiditatis æstum tum, ut cum maxime, ardentem subito exstinxit: quare ad meliorem mentem conversus LVCHINVS lacrymas ipse quoque non tenens, *Ne istuc*, inquit, *Deus Optimus Maximus, Virgoque Regina sinant permittantque, ut tam pudicum corpus violare audeam, mentemque tam castam, & à flagitio tantopere abhorrentem fortunæ injuriis victam ad detestabilem rem descendere patiar: quæ dona prostratæ pudicitiæ habitura à me fueras, eadem atque etiam cumulatiora servatæ hera habebis:* domumque reversus, ut omnem prorsus suspicionem tolleret, conjuge participe consilii facta, eademque ministra & internuntia, tantum mulieri subinde suppeditavit, quantum in illius & filiorum alimenta abunde sufficeret. Quod LVCHINI factum, quæque singularis animi magnitudo Africani continentiæ tantis laudibus tamque magnifica oratione à Scriptoribus in cælum sublatæ, si quis rem suis momentis ponderet, infinito intervallo est anteferenda: nam neque Scipio puellam numquam ante conspectam amabat, ut nullis veteris alteque animo insidentis amoris facibus illius libido accenderetur, facileque fuerit à re non expetita oculos & cupiditatem abstinere: ad hoc Scipionis peccatum occultum esse non poterat, ut neque invidiam apud suos, atque inimicorum, qui nimio plures erant, obtrectatorumque vituperationem subterfugere, neque gravem offensionem apud Hispanos populos flagitium admittendo posset vitare: qua re nihil splendidis susceptis consiliis magis adversabatur. Ut subita libido, quæque nondum alte radices egerat, non tam à virtute & continentia perdomita, quam ab alia longe majore inveterataque gloriæ cupiditate consopita videri posset: quod totum contra in LVCHINO fuit, animo veteri flamma æstuante, occultoque peccato nulli invidiæ aut fraudi obnoxio, nihilque privatæ vitæ susceptas rationes lædente.

JO. FRANCISCI FERRARII.

Quis laudes, Vivalde, tuas satis exprimat? aut quis
Hæc tua miretur fortia facta satis?
Omnia vincit amor, hominesque ferasque triumpho
Frustra repugnantes imperiosus agit.
Tu tamen illius stimulos avertis, honestum
Optato anteferens, vimque tibi ipse facis.
Tu, LVCHINE, tuæ servasti civis honorem,
Te tuus hinc merito civis ad astra vocat.

FRANCISCVS MARCHESIVS.

BELLICIS artibus ac navalibus studiis civitas nostra perpetuo intenta, quibus nomen suum toto mari Mediterraneo celebre Regibus & civitatibus accolis verendum in primis, atque adeo formidolosum fecit, eos tantum cives suo splendore illustrat, qui militarem rem coluerunt: at quibus pacis & togæ artes magis cordi fuerunt: iis vel à doctrinæ studiis, vel ab exterarum rerum tractatione commendatio petenda est. Nonnullorum tamen ingenium ita excelluit, ut illorum virtus etiam civitatem nostram non egressa eximios illos faciat. In quibus avorum nostrorum memoria insignis fuit FRANCISCVS MARCHESIVS, Joannis haud obscuri nominis Jurisconsulti filius, nobili & pervetusto genere ortus, cujus nomen multorum scriptis celebre duplex laus commendat & doctrinæ & rei publicæ gerendæ scientiæ. Cui Alexander Imolensis quanti qualisque nominis Jurisconsultus egregium Juris scientiæ testimonium dedit: in Republica vero gerenda is fuit, ut nullius magis consilio & virtute ea tempestate civitas nostra niteretur: quippe cujus prudentia & ingenium cum in omni gerendæ Reipublicæ genere sese explicuit, tum vero in Legationibus in primis enituit, quibus compluribus magna semper cum gloria ad magnos Principes de gravibus negotiis functus est: in quibus illa prætereunda non est ab Annalibus, & à Baptista Fulgosio celebri laude commemorata, qua servitutem à Patria depulisse, ac magnorum tumultuum caussas præcidisse existimatus est, cum idem complures Legationes eadem de re missæ frustra tentassent. Galeacium enim Mediolanensem Ducem ad non concessa tendentem, atque idem quod ceteris ditionis suæ urbibus jugum spretis fœderibus Genuæ imponere molientem, à pravo consilio revocavit, egregio commento ozimi ad illum missi: cujus herbæ cum ea natura sit, ut leniter attrectata suavi odore, nimis pressa gravi & tetro attrectantium manus perfundat, Genuensis populi ingenium sapientibus ambagibus declaravit, haud omnino absimili, verum tanto feliciore commento, quam quod traditur de ficu Catoniana, quanto præstabilius est urbes servare, quam evertere. Egregii viri, cujus posteritas quamplurimas nobiles familias affinitatibus complexa est, nulla virilis exstat stirps, quæ Marchesium nomen Genuæ perenne faciat, non tamen successione omnino carere dicendus est: quæ ex materno genere in OCTAVIANO PASQVA Jurisconsulto viget; qui in Romana Aula in utroque supplicum libellorum munere ea ingenii, industriæ, doctrinæ dedit documenta, ut appareat illum neque Simoni Cardi-

Cardinali patruo, neque tanto abavo fratreque Leonardo Ingaunorum Episcopo viro sancto indignum successorem fore: ut omittam comitatem, morumque & naturæ suavitatem, quæ illum in consuetudine omnibus charum & jucundum faciunt: quod vero virtutum suarum majus aut clarius testimonium optare possit Octavianus, quam illud, quod ipse summus Pontifex Gregorius tertius decimus ei peramplum dedit, honorifico Locrorum Episcopatu, quem nunc Hieracensem vocant, illi delato.

TRIPHONIS BENTII.

Sanctarum in studiis legum, MARCHESIE, *quantus*
Exstiteris culto pectore, & ingenio,
Quodque tibi comites fuerunt probitasque fidesque,
Illustres certe non siluere viri.
Quantus at in patria sis libertate tuenda
Alta memor patria est testis, & Ausonia.
Arte nova Insubridum dum prudentissime Regem
Illius custos quo velit esse, mones.
Quod si magnanimo ficus allata Catone
Claræ urbi exitium mox tulit, & Libyæ,
Tu tenuis mittens herbæ munuscula, charos
Indigno cives eximis inde jugo.
Ergo nulla tuos ætas reticebit honores,
Et pius & felix, optime semper eris.

JOANNES BAPTISTA LAZANIA.

In eodem Reipublicæ gerendæ genere, atque in pari ingenii & consilii laude memoria nostra versatus est JOANNES BAPTISTA LAZANIA, ipse quoque eximius Jurisconsultus: cujus omnis fere ætas, dum itinerum laboribus ferendis fuit, Legationibus obeundis, iisque de maximis semper rebus contrita est. Ut nullius opera & industria majori usui Reipublicæ, magisve multa fuerit: quas Legationes non necesse habeo singulas persequi: nam id infinitum pene fuerit: carptim igitur nonnullas fructuosiores & illustriores attingam. Quarum illa in primis est insignis, cum Saonenses continuatis amplissimis sacerdotii honoribus, alteroque Pontificatu maximo sublati ad spem Genuensis imperii exuendi animos erexissent; Ludovicoque duodecimo Gallorum Regi suadere cœpissent, è re Gallorum esse, duo capita Liguriæ fieri; Saonamque à reliquo corpore separari, ibique alteram imperii sedem constitui: sic fore, ut Ligures in duo corpora distracti, ac propterea enervatiores facti, minus in posterum ad imperia contumaces essent, magisque dicto audientes, missus Joannes Baptista Regem cum specie utilis consilii permotum, tum quod Genuensium dominatus non certi & explorati, sed dubii & controversi juris ipsi videretur, in caussam Saonensium propendentem à sententia deduxit, Genuensium jure acerrime defenso, imperioque asserto. Quare ad eum diem nutantem Regem ab omni studio sensuque Saonensium ad Genuensis civitatis dignitatem amplectendam traduxit. Ut summum hoc beneficium Saonensis imperii retenti Joannis Baptistæ virtuti & industriæ magna ex parte civitas nostra debeat: id quod ad hoc usque tempus Saonenses sæpe querentes audivi, cum palam profiterentur, sese Lazaniæ opera in servitute esse. Cumulatur egregium ingenii specimen haud minus insigni eximiæ in Patriam charitatis documento: nam cum legationis munere defunctus commeatum petiisset Joannes Baptista, Rex hominis ingenio & eloquentia captus, *Quandoquidem*, inquit, *Lazania tam multa à me publice impetrasti, te quoque privatim volo aliquid meæ in te voluntatis pignus auferre: postula quodcumque animo libet, nullo postulato frustrandus.* Hic Joannes Baptista manum Regis apprehensam exosculatus, *Per ego te istam*, inquit, *dextram fide & liberalitate præstantem oro quæsoque, Rex, ut benignitatem istam tuam in me commotam omnem in patriam meam conferas: quamque olim opibus & gloria florentem, nunc diuturnis malis fessam & afflictam in fidem recepisti, eam recrees, ac tueare: hoc summum à te habere beneficium possum.* Tum Rex in viri admirationem versus, *Generosi*, inquit, *voti, ac magnifici istius responsi eum fructum, si in Italiam umquam venero, capias faxo, cujus tu, posteritasque tua in perpetuum meminerit.* Mox ad Julium secundum eadem de caussa missus Joannes Baptista ingenium illud acre ac vehemens, impotentemque illam iracundiam, atque animum recenti offensione Genuensibus irritatum, ut Saonæ patriæ favere natura cogebat; tum autem ipsi legato odiosæ & acerbæ rei administro infensum leniter tractando ita paullatim permulsit, ac mitigavit, ut ad Genuensium benevolentiam tandem flecteret, ad illorumque caussam & dignitatem amplectendam traduceret. Nec minus Patriæ honorifica ea legatio fuit, in qua ipse princeps ad obedientiam Leoni decimo deferendam missus Gallos acriter resistentes, ac Pontificis fidem implorantes, ne tanta injuria ipsorum Regi imponeretur; obtestantesque, nullum jus esse, obedientiam recipi ab hominibus delatam, qui non suæ potestatis, sed Gallicæ sint ditionis, firmissimis rationibus refutavit; docuitque Genuenses in fide quidem Gallorum aliquando, in ditione numquam fuisse: qua fide solutos in libertate esse eo jure, quo qui optimo; ac proinde tenuit, ut obedientia acciperetur. Jam vero illa legatio tempore quidem, sed non utilitate posterior fuit, qua ad Carolum Regem Hispaniarum celsissimum functus est, ad amicitiam sanciendam, fœdusque inter illam Regiam & Genuensem nationem scribendum missus: in quo negotio ducendo ita sese gessit Lazania, ut conditionibus superioribus, longeque magis secundum rationes atque usus populi Genuensis amicitiæ fœdus composuerit. Legationibus exterisque laboribus res urbanæ responderunt: nam & consilium ita enituit, ut nihil magnum publice nisi illo adhibito decerneretur; ipsique Duodecimviri in scribendis legibus Reipublicæ constituendæ ejus ingenio & opera perpetuo usi sint: & ea fuit eloquentia, ut sive in Senatu sententiam diceret, sive in concione verba faceret, sive ad Judices caussam peroraret, cœtus hominum mirifice teneret. Atque ego neminem puto fore, cui Joannis Baptistæ virtutes & egregia in Patriam merita nota sunt, qui non existimet, me officio adductum præclarum virum meritis laudibus fraudare noluisse; neque suspicetur, me hoc dedisse amicitiæ animorumque conjunctioni, quæ mihi cum Joanne Bernardo nepote summa intercedit: quem tanto avo non indignum facit cum præstans & vividum ingenium, eximiaque Juris scientia, tum egregii facinoris similitudo. Rebus enim inter Pium quinctum & Perafranum Riberam Alcalanorum Ducem Vicarium Regni Neapolitani exulceratis, & ad apertum dissidium spectantibus, Romam missus Pontificis animum indignatione ardentem, tum autem suæ & Apostolaris dignitatis contemptæ acerrimum vindicem, ad hoc juris Pontificii retinentissimum placavit: gravissimisque offensionum caussis præcisis mutuam gratiam inter illos reconciliavit.

ARANVS CIBO.

Ea fuit ARANI CIBO virtus, eæque res gestæ, ut non multum sit illi ad nominis commendationem de domestica nobilitate petendum: quam is non modo ut fere ceteri, ex Majorum splendore ducit, quos in Græcia, unde gens Cibo oriunda est, claros multisque honorum & rerum gestarum titulis insignes fuisse, gravissimis auctoribus testibus constat, verum multo magis ex posterorum glo-

gloria trahit. Cujus Joannes Baptista filius Pontifex Maximus fuerit, INNOCENTIVS OCTAVVS nominatus: ceterum eximiæ & præstantes Innocentii virtutes, quæ illum ad summum & altissimum rerum humanarum gradum extulerunt, suo sunt à nobis Elogio decoratæ. ARANI vero prudentia, consilium, fides, constantia quam enituerint, res ab illo gestæ, ac summus gratiæ & auctoritatis locus, quem ille apud maximos Reges obtinuit, declarant, egregia ac multiplici opera Genuæ Patriæ in magnis ac dubiis rebus navata, ejus classis adversus Alphonsum Aragonium pro Renato Andegavensi decretæ Præfectus, urbisque Romæ Senator à Callisto creatus: qui honos illis temporibus non nisi magnis Proceribus haberi solebat, in primis vero urbis & Regni Neapolitani procuratione cum summa omnium rerum potestate bis illi commissa, primum ab Andegavensi, qui Arani spectatam fidem in tanto munere mandando sese ceteris Proceribus prætulisse egregio verborum testimonio declaravit, cum dixit, *fidem cuncta antecedere*: quod præclarum Elogium populari Gallico sermone, ut fuit à Rege pronuntiatum, novo pavonis insigni galeæ in locum coni superposito ab ARANO inscriptum Innocentius ipse Pontifex ac posteri deinceps ad memoriam gentilitii decoris servandam retinuerunt. Idem honos, idemque munus iterum illi ab Aragonio ipso, adversus quem arma tulerat, mandatum est: quod Alphonsus cum perspectæ ARANI virtuti, quam etiam in hoste amavit, tum precibus Neapolitanorum dedit: qui hominis innocentiam, moderationem, prudentiam in priore administratione experti fuerant. Vir igitur tot Majorum stemmatibus clarus, suis ipse virtutibus, ac rebus gestis, honorumque insignibus clarior, posteritatis gloria longe clarissimus merito Elogio inter ceteros Genuenses Proceres fraudandus non fuit.

FRANCISCI MARIAE CIBO.

Hic ille est ARVNS CYBONVM *gloria gentis,*
Qui genus antiquum præalto à sanguine ducit
Grajorum Procerum, queis sunt tot sæcula nati
Cyboni Heroes, Ligurum celebrata propago.
Oppida jam dudum, Lunensiaque arva tenentes,
Gorgoneasque domos Hetrusca per æquora sparsas.
Unde sacerdotes evincti tempora mitra
Romani Imperii circum, Phrygiaque tiara,
Totque Duces viguere armis, viguere togaque.
Felix salve Aruns quondam justissimus unus
In terris dictus: tu servantissimus æqui,
Et morum pietate gravis, prudentia, & usu
Insignis, priscaque fide super æthera notus.
Te nullus majora unquam castrisve forove
Gessit: quandoquidem servasti fortibus ipse
Consiliis Patriam, factis, pietate, fideque.
Consiliis etiam Princeps sæpe ipse Senatus
Romanos rerum dominos, gentemque togatam
Juvisti toties; juvit tua Regna gubernans
Te jam Parthenope Regis obsessa potentis
Viribus Hispani: Ligurum cum missus ab oris
Ductor hic ingentis classis præstantibus ausis
Protinus hostiles acies disjecit: ovantem
Quem tu jam parum tanto liberata timore
Excipis ingressum tollens ad sydera laude.
Præfectus Regnis Renati hic jura tuetur
Hispanum hinc armis pellens, qui victor & ipse
Aruntem Regnis etiam præfecit eisdem.
Gaude Aruns factis toto jam cognitus orbe.

PANDVLPHI CHIRLANDAE.

Ortum si spectes: ortu est insignis Aranus,
Grajorum antiquo semine cretus avis,
Si Patriam, Genua est, qua non mage nobilis ulla,
Si gesta illius, qua patet orbis, habes:
Si prolem, illa gradum ad summum est evecta, decusque
Curarum consors, consiliique Dei.
Et major totum si spectes denique laude
Musa quid obtrudis laude minora? tace.

ALBERICVS CIBO.

In tantas opes crevit perillustris hæc gens Cibo, ut clarissimis & præpotentibus aliquot Italicis familiis affinitate conjuncta multas passim ditiones possideat: in quibus est vetus ac celebris nominis Marchionatus Massæ: quem à matre nobilissima Malaspina hæreditarium acceptum ALBERICVS Innocentii octavi pronepos una cum ceteris ditionibus obtinet: quem Cæsar cum nobilitate utriusque generis, tum meritis & virtutibus commendatum ampliore & splendidiore Principatus titulo auctum in sacri Imperii Principibus numerari voluit.

JOANNIS CASANAE, MONTERVBRENSIS.

Magnanime ô Princeps Ligurum tu gloria gentis
Cæsare jam à magno merito cumulatus honore,
Quin gaudes cretum te claro sanguine avorum
Regum, Pontificum, Heroum, Procerumque,
Ducumque?
Felix macte animo, junctis qui sanguine magnis
Regibus Ausoniam illustras tamquam æthera Phœbus.
Felices populi, felices undique tanto
Principe rectæ urbes, nulli prudentibus ausis,
Summa justitia, summa pietate secundo.

BAPTISTA PINELLVS.

Gens Pinella nobilis & pervetusta multos egregios atque insignes viros patriæque perutiles tulit: in quibus BAPTISTAE Franci filii nomen eminet; cujus prudentiam in multis difficultatibus expediendis, animisque civium inter se conciliandis, atque in aliis arduis negotiis in Patria multipliciter conspectam Innocentius octavus Pontifex Maximus, cujus pronepos fuit Baptista, ita amplexus est, ut hominem Romam evocatum atque Archiepiscopum Consentinum creatum ad magnarum rerum deliberationes adhiberet, ejusque fideli opera in perarduis rebus uteretur, ac magnam illi fidem haberet. Quo Pontifice fato functo cum ad Ecclesiam suam se contulisset BAPTISTA in Diœcesi lustranda, moribus emendandis, collapsa Ecclesiæ disciplina erigenda, templis ædificandis, valetudinariis reparandis, egentium inopia sublevanda, in omnibus denique, quæ sunt pastoralis muneris, explicandis, ita viri religio, pietas, liberalitas, prudentia, diligentia enituit, ut ejus virtus in tantis sæculi tenebris veluti clarissimum lumen eluceret: ad hoc tanta in charitate & veneratione cum populis suis fuit, mira comitate ac naturæ suavitate severitatem in corrigendo temperante, ut fato functum de honorifice efferendo & sepulturæ mandando Canonicorum collegium, & civitatis Magistratus mediis certaminibus egerint, jus sepeliendi utroque sibi vindicante. Neque vero tantarum virtutum memoriam ac populorum benevolentiam una cum illo exstinctam, sed adhuc in animis hominum vivere ac vigere illustre documentum Consentini dederunt, cum in sepulchro BAPTISTAE Archiepiscopi ex decreto Tridentini Concilii una cum ceteris, quæ in templis constructa sunt, demoliendo, legatione decreta omnibus precibus contenderunt, impetraruntque, ne sancti viri memoriæ, quam cum Divorum veneratione prope conjungerent, sepulchro eo sublato injuria fieret. Hujus gentilis ac pronepos Dominicus Paridis filius in Romana Aula, in qua Magister est supplicum libellorum, ac nobilissimæ forensi jurisdictioni, quam Auditoris Cameræ vocant, etiam præfuit, ea ab ipsa adolescentia doctrinæ, ingenii, gravitatis, probitatis documenta dedit, ut maxima quæque omnium judicio & spe illi destinentur.

TRI-

TRIPHONIS BENTII.

Ut cum purpureum pinus descendit in æquor,
Findere cæruleas si bene novit aquas,
Et fluctus superans portu potiatur amato,
Illa nitet sertis conspicienda novis,
Et lætas agitant choreas in littore nautæ,
Aureaque insolitis vocibus astra petunt.
Sic venerande Heros post tot variosque labores,
Quos tu pro sancta religione subis,
Nunc cœli immensis frueris regionibus, altrix
Tellus, teque omnis suspicit Ausonia.
O te felicem summis virtutibus, & tot
Ecce refers meritis præmia digna tuis.

OCTAVIANVS FVRNARIVS.

GENS Furnaria inter primarias ac vetusta nobilitate conspectas familias Genuæ perpetuo insignis fuit, compluresque egregios viros tulit: qui jam inde à primordiis nostrorum Annalium summis Reipublicæ Magistratibus usi omnia debita Patriæ officia non modo pacis, verum etiam belli temporibus illi tribuerunt. Ceterum nemo illam magis illustrat, quam OCTAVIANI EPISCOPI Marianensis numquam interiturum nomen: cujus admirabilis ac Divina prope virtus avorum nostrorum memoria in Romana Aula, atque adeo in Christiana Ecclesia ita enituit, ut ad Episcopatus honorem, quo nihil est in sacris ordinibus altius, multa accedant, in quibus ad hominem commendandum maxima sint momenta. Ut enim omittam multiplicem eruditionem, & ingenuas artes, quibus mirifice excultus fuit, ad hoc eximiam Pontificii & Cæsariani Juris scientiam in semptemvirali Quæstorii Magistratu, & in munere supplicum libellorum referendorum perspectam; gravitatem præterea, consilium ac cetera ingenii bona, quibus nemo ætate nostra instructior habitus est, ea fuit in homine claro pietas, & innocentissimorum sanctitas morum, isque perpetuus tenor vitæ ab omnibus voluptatum illecebris, atque ab omni libidine disjunctus, ut in corruptis illius sæculi moribus laxataque disciplina in uno Octaviano eluceret priscorum Ecclesiæ temporum specimen; hominesque, qui piorum instituto vivere cuperent, sese in illius mores veluti unici exempli conformarent. Ut felix in primis natio Genuensis fuerit, quæ omnibus temporibus talia lumina Ecclesiæ tulerit. Neque parum splendoris ætate nostra dignatione sua familiæ addidisse existimandus est Thomas: qui egregiam, fidelem, diligentem operam suam in rebus Ærarii Hispaniensis & publicorum vectigalium tractandis, lapsisque erigendis & constituendis Carolo Cæsari ita probavit, ut haud exiguis præmiis affectus sit, peramplis magnorum exercituum Procurationibus illi sæpe mandatis, ac Mediolanensi Quæstura illi credita, in qua gerenda dum omnes numeros caste atque integre explet; dum pro juribus publicis adversus peculatores constanter tuendis nulla discrimina recusat, nullasque præpotentium hominum offensiones reformidat, eum gratiæ & auctoritatis locum sibi apud summum & sapientissimum Principem peperit, ut etiam fato functi memoria valuerit ad eandem Procurationem in familia continuandum. Nam de multa ac perutili à Francisco & Luca Jurisconsulto Patriæ navata opera, ab illo cum multis locis, tum in rebus Corsicæ bello prostratis erigendis, Provinciaque pacanda; ab hoc in Legationibus compluribus obeundis hæc omnia nobis stilo persequenda reservamus in Annalibus Genuensibus, cum ad ea tempora litterarum monumentis mandanda venerimus.

GALEATIVS PINELLVS.

NOBILI ac præclaro æmularum virtutum certamine inter se contendisse videntur COSMVS parens, & GALEATIVS Pinellus filius; mutuoque splendore alter alterius nomen illustrare. Cosmi enim eximia animi moderatio & nostræ ætati conspecta, & posteritati memorabilis in primis est: nam nemo in quærendis opibus castius est versatus, famamque & mentem ab omni sordium & avaritiæ labe integriorem purioremve servavit; & iis opibus partis, quæ ad cultum honorifice tuendum sufficerent, modo cupiditati salubriter posito, omnique quæstus genere, ac sollicitudine valere jussa præclarum exemplum posteris ad imitandum in se constituit; præterea nulla in re privatæ ac civilis vitæ modum excessit, præterquam in ædificiorum magnificentia, sumptibusque in filiorum cultum in bellis, in Aulis Regum, in Gymnasiis magnifice tuendum, large suppeditandis: qua in laude perpetuæ & contestatæ gentilitiæ commendationi proximus fuit. Gens enim Pinella apprime nobilis turbulentissimis civitatis nostræ temporibus procul ab omni fastu & ambitione, ab omnibusque civilibus contentionibus remota, cum nullo loco operam & industriam suam Reipublicæ subtraxerit, nullumque illius procurandæ aut munus umquam intermiserit, aut laborem subterfugerit, non tamen aut ex malis publicis crescere umquam studuit, aut per publicam privatamve cujusquam injuriam in altiorem potentiæ aut dignitatis locum adscendere contendit. GALEATIVM in paterno sinu paternaque cura & diligentia educatum, omnesque artes non modo libero homine, sed summæ fortunæ amplitudine dignas edoctum, non magis paternæ peramplæ opes, quam suæ ipsius virtutes ac merita extulerunt; quippe qui omnia vitæ munera cumulate implerit, omnesque officii gradus erga propinquos & ditioni subjunctos, atque adeo omnes homines, persancte & diligenter servarit: nam propinquos & amicos liberalitate & hospitalitate, subjunctos vero æquitate, justitia, charitate coluit, veritatis in omni vita retinentissimus: & Philippo Regi celsissimo fidelem bello operam plurimis locis navavit. Quæ merita Philippus grato animo recognoscens Galeatium simul cum Ditione Turonensi ab illo parta insigni Marchionatus titulo eodem tempore ornavit.

Dum Ligurum in superos pietas, GALEATE, vigebit,
Dumque erit undisono Patria pulsa mari,
Gens Pinella tibi debebit, & inclyta nomen,
Virtutesque tuas, & bene facta colet.

PAVLVS CENTVRIO.

NON minus præclara consilia quamvis effectu caruerint, si modo cum ratione conjuncta sunt, quam res ipsæ gestæ laudari solent: atque haud scio, an major illis interdum laus sit tribuenda: siquidem ex Syrannis sapientissimi Ducis sententia consilia tota nostra sunt, exitus rerum plerumque ac maxima ex parte ab aliena voluntate pendent. Quis igitur PAVLI CENTVRIONIS egregia cogitata & incœpta, quamvis temporum vitiis & aliena culpa ad exitum perducta non sint, debita laude prætereunda duxerit? Is enim Lusitanis multis de caussis infensus cum orbis vastitatem immensosque terrarum tractus ac fluminum cursus, regionumque & montium situs & naturam animo perlustrasset, sollertis ingenii vi rem magni animi, magnique incœpti excogitavit, & aggressus est. Consiliis enim Leoni X. Pontifici Maximo probatis, litterisque ab eodem impetratis ad Basilium magnum Moscovitarum Principem se contulit, duarumque rerum, quæ ipsi ipsiusque Regnis peramplæ & honorificæ, altera etiam illarum fructuosissima futura esset, illi auctor fuit: docuit enim aromatum com-

commercia à Lusitanis averti, & in Moscoviam majore itinerum & subvectionum compendio transferri posse: quam rem Paulus Jovius in *Moscovitarum Historia* planius explicat. Suasit præterea, ut secta Græcorum relicta, ad Romani solii auctoritatem, Romanæque Ecclesiæ instituta sese applicaret, sacraque, ut ceteri Christiani Principes, à Romano Pontifice peteret: verum Basilius alterum de aromatum commercio repudiavit, sive vano metu, ne ignotas regiones exteris & ferocibus gentibus patefaceret; sive quod rudia ingenia splendidis consiliis, quæ multum ipsorum captum antecedunt, imparia fere sunt; omnisque novitas raro apud imperitos animos fidem & assensum invenit. Ad alterum de sese cum Romana Ecclesia conjungendo animum adjecit, spe illi facta, facile illum Regii nominis titulum, cujus ille percupidus erat, regiaque insignia à Romano Pontifice impetraturum. Eaque caussa Paulus longis periculosisque itineribus sæpe ultro citroque commeavit. Legato etiam à Basilio Pauli suasu ad Clementem VII. misso. Ceterum bene inchoata & procedentia consilia obitu Pauli ætate ac diuturnis laboribus & curis confecti Pontificisque adversis rebus interrupta ac plane eversa sunt.

SIGISMUNDI DONATI.

Discite mortales, quid vos super æthera tollat;
Discite quæ magnus præmia fert animus.
Post varios rerum casus, variosque labores
Factaque cælesti plurima digna polo.
Jam majora suo volvebat pectore magnus
Centurio Liguris gloria magna soli,
Hoc pater omnipotens sensit, subitoque vocata
Morte, jubet summum suscipier Procerem.
Scilicet ut nostro fatis ereptus ab orbe
Majori in cælo præforet imperio.
Felix sorte tua nimium, nimiumque beatus,
Qui mundo charus, charior es superis.

HIERONYMUS ADORNIUS.

Ea fuit in Hieronymo Adornio animi & ingenii indoles, ut si justa vitæ spatia illi contigissent, unicus sua ætate evasurus fuisse, constanti omnium opinione credatur. Cujus expeditus animi vigor, vividi ingenii acies, in consiliis de magnis & dubiis rebus capiendis & expediendis sollertis mentis celeritas, eximia eloquentia ita conspectæ sunt, ut tantarum virtutum fama Italiæ fines egressa in summorum Principum notitiam venerit, admirationique illis fuerit. Carolus quidem Cæsar, is, qui non minus sapientia & clarissimis virtutibus, quam opibus & imperio ceteros Christianos Principes longe antecessit, ita illas amplexus est, ut omnia sua in Italia de Hieronymi consilio geri & administrari vellet. Nec mirum, quem ingenio tantum valuisse esset expertus, ut Leonem X. Pontificem Max. retractantem, ac sese in tanti discriminis aleam demittere verentem consiliis cum Folieta conjunctis tandem ad fœdus illud cum Cæsare sanciendum pertraxerit, quo Gallorum opes, quæ in Italia supra quam modicæ erant, sunt fractæ, Cæsarisque dignitas mire aucta. Ceterum Hieronymus cum in cursu maximarum rerum esset, in ipso ætatis flore luctuoso suorum fato sublatus est, spesque immensæ amplitudinis, ad quam haud dubie perventurus fuit, conciderunt.

RAINALDI CORSI.

Obruit exile ingenium tua maxima virtus,
Obscuro claram meditor dum carmine mentem
Æquare, ô quem te memorem Hieronyme Adorni
Nam tu seu resides populos in bella movere,
Flectere seu mavis duros in fœdera Reges,
Seu cives sedare tuos, ubicunque coorta est
Seditio, sævitque furor, nil prorsus inane
Moliris, præsto dia est Facundia semper.
Quo Cæsar merito quinctus, quem novimus ipsi
Splendida facta virûm metiri splendidus idem,
Et mores hominum multorum doctus & urbes
Te colere, atque unum præ cunctis esse Latinis
Qui saperes, fari, solus tu, quidquid Achai
Vix septem, sæclo præstas, ac digna Minervæ
Nomina fers sacra velatus tempora oliva.

STEPHANUS JUSTINIANUS.

Duos insignes viros una eademque Justiniana gens memoria nostra tulit, quamquam ingenio & professione longe diversos, Stephanum & Angelum; quorum Angelus sacris initiatus Franciscanis institutis sese addixit, Stephanus civilem vitam secutus totum sese Reipublicæ gerendæ à prima juventute dedit. In quo viro tanta vis animi ingeniique fuit, ut civilis illius viri exemplar, quod Philosophi verbis adumbrarunt, ipse re expresserit: qui perpetuum vitæ cursum eodem tenore à prima adolescentia ad extremam usque senectutem tenuerit, & in quo tot prudentiæ, consilii, admirabilis in omni genere continentiæ ab omni cupiditate disjunctæ exempla conspecta sunt, ad eamque opinionem & auctoritatem pervenit, ut omnia Genuæ in ejus consilio & moderatione versarentur, quodque de Pythagora in rerum naturæ investigationibus traditur, id Stephanus in rebus civilibus, & in Republica gerenda rettulerit. Pro ratione enim habebatur, cui nemo contradicere auderet, quidquid ipse dixisset. Neque vero levem Stephano, si quis rem vere existimare velit, Genua Patria concordiæ statusque Reipublicæ emendati gratiam debet, quippe qui assiduis suis monitis & adhortationibus civium studia partim ad rem non magnopere incensa, partim etiam ab ea abhorrentia ad eam mentem excitare numquam destitit. In Duodecimvirali vero Magistratu ferendarum legum caussa creato positus leges ipse condidisse, ac statum rerum, quo nunc civitas nostra utitur, formasse dicendus sit, cum omnia ejus ingenio & consilio constituta sint.

FULVII CARDULI.

Quem prisci finxere sophi, quem Græcia civem
Expressit chartis, cernere non potuit.
Extulit hunc tandem Ligurum lætissima tellus.
Jam valeant veteres nomina vana sophi.
Hic ille est sapiens, æqui rectique magister,
Publica cui curæ paxque salusque fuit.
Quam nomen signat, merito tribuere coronam
Huic sophia & veritas splendor honorque togæ.

ANGELUS JUSTINIANUS.

At Angelus ad solidam doctrinam, qua in principibus ætatis nostræ numeratur, versatilis ingenii felicitate ad omnia quæcumque aggreditur aptam, multiplicem eruditionem adjecit, ut nemo illo omnibus ingenuis artibus instructior sit: ad hoc motibus ita ad excogitandum atque inveniendum acutis & celeribus, itaque ad explicandum uberibus est, ut nemo majore & firmiore argumentorum copia & vi hæreticorum dogmata refellat: in quibus perpetuo insectandis & exagitandis vehementissimus & acerrimus est, cum ea dicendi copia sit, eaque in animis hominum permovendis vi, quæ res in oratione haud dubie primas tenet, ut nemo ætate nostra majorem sibi audien-

dientiam, majoresque concursus faciat: quem laudis fructum non in ceteris modo locis, quæcumque illum adire contigit, percepit, sed Romæ quoque in illa clarissima orbis luce, in illo ingeniorum theatro, ubi de omnibus rebus peracria & exquisita judicia fiunt; nec minus in Gallorum Regia, quo turbulentissimis temporibus, cum omnis Gallia seditionibus & tumultibus arderet, damnatæ sectæ hominibus omnia miscentibus, à Pontifice missus est, Hippolyto Cardinali Ferrariensi legationis comes additus, ipsis adversariorum principibus concionantem ac disputantem mirantibus, acumenque & copiam formidantibus: ut summa cum ratione Pius quinctus Episcopatum Gebennensem, qui inter Imperii principes connumeratur, illi mandarit, corruptissimæ diœcesis, in qua hæresis principem sedem ac domicilium sibi constituit, utilitati & saluti præstanti maximeque apto remedio consulens.

ANTONII HORTENSII.

Prodiit ecce alios inter veluti Hesperus ignes,
Abs te Heros alius Justiniana domus.
Qui lolio evulso Divinæ semina frugis
Ad Rhodanum larga spargit opima manu,
Quanto ille eloquio, quantis virtutibus orbem
Illustrat? quales edit ab ore sonos?
Sive minis populum terret, seu laudibus urget,
Nititur obliqua seu revocare via.
O Pastore tuo Rhodani nimis accola felix,
Felix tam sanctum Gallia nacta virum.

JO. MATTHAEVS GIBERTVS.

Ad communem Ecclesiæ sanctissime rectæ laudem, in qua Jo. MATTHAEVS GIBERTVS duos populares suos æquales temporum suorum socios habuit, multa eximia ac magna in illo fuerunt, quibus viri nomen tota Europa in primis celebre ac clarum suo separatim Elogio decorandum fuit. Tanta enim in illo ad magnas res jam inde à prima adolescentia indoles fuit, ut in familiaritatem Julii Medicii Cardinalis adscitus brevi omnium oculos in se converterit; Juliusque ipse patronus & Leo Pontifex hominis nondum adolescentiam egressi ingenium, consilium, prudentiam, gravitatem admirati, maxima illi Reipublicæ munera mandarint: brevique ille apud Pontificem in eum gratiæ & auctoritatis locum pervenit, ut maxima quæque Pontificii solii negotia in illius administratione & arbitrio versarentur: quibus rebus non modo in Pontificia Aula summum potentiæ & dignitatis locum multos annos obtinuit, sed maximi Europæ Reges illius gratiam & benevolentiam, in qua ad consilia de maximis rebus expedienda plurimum ponerent, amplissimis donis & beneficiis ultro delatis sibi conciliare studuerunt. Magna hæc quidem sunt, verum illud longe majus, quod in tanta fortunæ amplitudine, in tanta omnium rerum copia, in tantisque undique affluentibus voluptatibus, quæ cujuscumque confirmatam jam ætatem labefactare & evertere possent, tanto fuit animi robore, ut adversus omnia blandimenta se invictum præbuerit, ætatemque illam sua sponte infirmam ab omni flagitiorum & vitiorum contagione integram servarit: quem perpetuum vitæ ac severissimorum morum tenorem constantissime retinuit. Ceterum GIBERTI virtus in universa Republica gerenda clara, in privata Veronensi Ecclesia regenda & moderanda longe magis enituit: nam cum temporibus cedens, fastumque ac potentiam Aulicam relinquens eo concessisset, iis moribus, legibus, institutis corruptas res emendavit, ut Sacerdotum suorum ordo veluti priscæ illius ac sanctæ disciplinæ reliquis Diœcesibus specimen esset; ceterique, qui illius virtutis æmuli fuerunt, Episcopi in Ecclesiæ suæ rebus ac statu emendando, moribusque corrigendis nullam expeditiorem viam invenerint, quam descriptas GIBERTI leges Diœcesibus suis proponere: quæ leges usque adeo probatæ sunt, ut non modo aliquot privatim Episcopi illas sibi adsciverint, sed Tridentinum ipsum Concilium, in quod ipsa Ecclesiæ lumina convenerunt, in moribus sacrorum virorum emendandis, disciplinaque lapsa Ecclesiæ restituenda GIBERTI leges exemplar habuerint, ad quas sese conformare ipsi universæ Ecclesiæ correctores sibi erubescendum non ducerent: quam laudem jam inde ab ipsis Ecclesiæ primordiis repetendo quam paucissimis constat accidisse.

RAINALDI CORSI.

Unus labentem tu nobis restituis rem,
GIBERTE, ad priscam redeant quod sæcula lucem;
Ipsa tibi in primis hoc se debere fatetur
Relligio, felix tu ovibus, oviumque magistris.

AVGVSTINVS FOLIETA.

Ipse in me domumque meam injuriosus fuero, si tantum mihi gentilitium decus invidero, ac si AVGVSTINI FOLIETAE patrui eximias virtutes debita laude fraudaro, quasi arrogantiæ & vanitatis invidiam veritus: quam illius ætatis consensus à me plane detestatur, cum omnes singulari AVGVSTINI prudentiæ, consilio, & in futuris providendis Divino prope ingenio tantum tribuerent, ut fore, quidquid ille prædixisset, vulgo prædicaretur, constanterque crederetur. Quibus virtutibus cum admirabili eloquentia conjunctis eum auctoritatis locum apud Julium II. Leonem X. Clementem VII. Pontifices Maximos est assecutus, ut illi omnia maxima Pontificatus negotia ejus consilio gererent. Duplexque hominis sapientiæ inter cetera exstat specimen: alterum, quod Leonem ad fœdus illud ineundum impulit, quo Gallorum opes in Italia fractæ sunt, & Pontificii solii dignitas firmata. Alterum, quod à fœdere contra Cæsarem sanciendo Clementem revocare frustra est conatus: cui capto atque in arce incluso confessionem eventus expressit, sese unius Folietæ futura providentis sapientibus monitis cum magna urbis direptæ & rerum eversarum mercede prava consilia prætulisse. Exstat & insigne in Genuam Patriam promeritum, quod Giberto contranitente eundem Clementem ad Genuenses libertatem & ordinum concordiam novamque emendatæ Reipublicæ formam molientes in fidem accipiendos impulit: quamvis res Folietæ obitu Pontificisque adversis rebus effectu caruerit, credo ut honos conservatæ libertatis Andreæ Auriæ Divino consilio reservaretur, eaque ipsa libertas civis potius quam exterorum opibus niteretur. Neque vero AVGVSTINI fama Italiæ finibus terminata est, sed ad exteras quoque Provincias delatam Carolus Cæsar ita amplexus est, ut invictus ac maximus Christianorum Princeps omnia sua Romæ FOLIETAE consilio administrari voluerit. Is demum fuit AVGVSTINVS, qui Uberti parentis nomen, à quo adolescentiæ initia haud parum commendationis acceperunt, virtute sua illustrius fecerit: cujus Uberti ingenium & prudentia cum in multis legationibus ad maximos Principes de gravibus negotiis, tum vero in Quattuorvirali Magistratu status civitatis lapsi erigendi, reique publicæ constituendæ conspecta est: cum summa igitur approbatione sepulchrum, quod in Æde Divæ Mariæ super Minervam illi positum est, insigni hac inscriptione clari Poetæ Antonii Tibaldei ingenio decoratum est:

Te merito, FOLIETA, *tenent delubra Minervæ,*
Ipse hominum quisquam si sapit, unus eras.

Illius quoque obitum, cum is in miserabili urbis direptione luctuoso casu sclopi ictu sublatus esset, Petrus Bembus elegantissimo carmine deploravit: neque æquius quidquam fuit, quam cui viro prudentiæ & consilii primas sæculum illud concessu omnium dabat, ejus memoriam ab eo viro, cui illius ætatis principes primum eloquentiæ locum facile concedebant, ab interitu vindicari.

PETRI BEMBI, CARD.

Non secus ac gelidi summis in montibus Hæmi,
Æsculeam tetigit si Jovis ira trabem,
Prostrata immensam tellus stupet inscia molem,
Et gemit infestis sylva agitata Notis,
Sic jacet ardentis dejectus fulmine plumbi
Et Romæ & patriæ lux FOLIETA *suæ.*
Effundunt questus septeni ad sydera colles,
Et Tyberis solitam pernegat ire viam,
Lamentabilibus complet vada concava bombis,
Extremasque iterat flebilis Echo notas.
Phœbe pater, Phœbique novem pia turba sorores,
Tuque Gigantæi de capite orta Jovis:
Vos quoque, quem viridi quondam cinxisse corona
Nec piguit vestris inservisse choris,
Illius exstincti lachrymis decorate sepulchrum,
Nobilis & flentes sentiat umbra Deos.

RAINALDI CORSI.

Augusti vernant flores, vel fronde revulsa.
Nequidquam rapidi concutiere Noti.

JO. JOACHIMVS PASSANVS.

VIVIDVM JOANNIS JOACHIMI PASSANI ingenium, quod non una cum corpore consenuit, sed in vegeto pectore usque ad extremam senectam integris sensibus viguit ac viruit, haudquaquam in obscuritate debet versari. Hujus enim viri industriam sollertemque mentem, & ad publicas res tractandas in primis aptam, in Legatione pro Genua patria perspectam Franciscus Galliarum Rex celsissimus peracutus ingeniorum æstimator amplexus hominem legatione perfunctum apud se retinuit, in honoreque habuit, ac plurimas & gravissimas Reipublicæ partes illi sæpe mandavit: quas ille in Legationibus de maximis rebus apud summos Reges & Romanos Pontifices obeundis, in maximis exercitibus regendis, quibus sæpe Quæstor præfuit, in omni denique negotiorum varietate ita sustinuit, ut ejus multiplicem & assiduam operam rebus Gallorum magno usui fuisse, ipsimet Galli amplissimis præmiis & castellorum donationibus testificati sint. Illud eximium, ac neutiquam vulgatæ prudentiæ specimen haudquaquam prætereundum est, quod cum in cursu magnarum rerum esset, humanos casus, ac vitæ hujus vicissitudines secum reputans, ne longam ætatem Aulicæ invidiæ, & obtrectationi, vertentique se fortunæ diutius objectam haberet, publicis muneribus ultro abscessit: in Italiamque reversus in privatæ vitæ otium concessit; in quo reliquum ætatis cursum tranquillum & ab omni contentione & fortunæ jactatione remotum confecit. Nec sæpe à Gallis evocatus ullis aut præmiis, aut amplis delatis procurationibus à prudenti suscepto consilio abduci potuit. Haud mediocriter ornant res gestas liberalitas & eximia in Patriam charitas, ea pecuniæ collata vi in alienum æs publicum levandum, ut grata Patria beneficium statua decreta remunerata sit. Is denique fuit Joannes Joachimus, cui ad gloriam non multum sit de nobilitate generis repetendum, quod vetustissimum ducit à Passani Dominis, unde familia nominata est, qui jam inde à primordiis nostrorum Annalium duorum castellorum dominatu Reipublicæ Genuensi cesserint: quæ contra Respublica Passanos Dominos favore suo complexa fiduciarios suos fecit, usitatis ejus honoris insignibus traditis; immunitateque tributorum & publicorum onerum donavit: quam omnis eorum posteritas, & is ipse Joannes Joachimus ad nostra usque tempora perpetuo usu retinuerunt.

DOMINICVS SAVLIVS.

CLARI nominis in Italis fuit DOMINICVS SAVLIVS, nemoque omnino nostra ætate inventus est, in quem plura congesta fuerint naturæ & industriæ ornamenta: ad præstans enim & versatile ingenium, atque ad omnia magna natum, quod formæ quoque dignitas commendabat: accesserunt eximia eloquentia, multiplex doctrina & eruditio, tum autem civilium rerum singularis intelligentia: quam ille ex plurimo usu, magnarumque rerum jam inde à prima adolescentia assidua tractatione assecutus est. Ut nemo pluribus majoribusve præsidiis ad res publicas gerendas instructior haberetur: quibus virtutibus cum apud Franciscum secundum Mediolanensium Ducem auctoritatis & honoris locum obtinuit, ut omnia Princeps ille de Dominici consilio gereret, meritaque hominis amplissimis præmiis, in quibus fuit ditio insignis oppidi Puteoli, remuneranda censuerit. Vir egregius fratrem habuit PHILIPPVM longe diverso ingenio virum, quem nescio an illo memorabiliorem dicam: nobilitate certe finis, quem propositum habuit, venerabilior esse debet. Is enim cum in Romana Aula Magister supplicum libellorum ita versaretur, ut ejus nomen in primis excelleret, in cursuque maximæ spei esset, illa Euangelii voce, qua *nihil prodesse homini* dicitur, *si omnia, quæ sub cælo sunt lucrifaciat, atque interea in anima detrimentum accipiat*, mente Divinitus monita, quamquam bono animo utens in omnibus negotiis caste & integre versaretur, tamen ab Aulicis curis, atque à vita illa periculosis offensionibus obnoxia abscedere decrevit, ad Ecclesiamque suam Brugnatensem regendam veluti in portum tutissimum concessit: cumque sese sacræ doctrinæ studiis ac Divinarum rerum meditationi totum penitus dedisset, non magis oratione quam sanctissimæ vitæ exemplo concionando populos sibi commissos ad cælestium rerum amorem accendebat, illosque in suos mores formabat: quarum rerum fama in longe dissitas Provincias delata confessionem expressit ab ipsis sacerdotalis ordinis virulentis insectatoribus, hunc virum in corrupto illo sæculo eximium esse, qui una cum perpaucis Episcopatus munere & nomine dignus haberetur. Domesticæ sanctitatis gloria subsecutus est ALEXANDER hujus ipsius Dominici filius, patrui potius quam patris virtutum æmulus: in ipso enim adolescentiæ initio lumine Divinitus menti prælato in cœnobium procul à juventutis illecebris concessit, arctissimisque vitæ institutis sese dicavit; atque in morum sanctitate & sacrarum rerum doctrina ita processit, ut ejus nomen in Pii quincti notitiam venerit: qui juveni priscorum instituto viventi, proculque ab Aula atque ab omni ambitione omnique ejusmodi cogitatione degenti Aleriensem Episcopatum ultro mandavit, recusantemque & retractantem impositum onus pro imperio proque jure Sacrosanctæ potestatis accipere coegit. Neque vero genti Sauliæ ac Dominico & Philippo tantis patruis parvum decus & ornamentum futurum est in ANTONII fratris filii virtute, doctrina, prudentia, qua ætatem præcurrere vere dicendus est, quique ita Romanæ Aulæ probatur, ut haud levia Reipublicæ gerendæ munera

nera illi mandari cœpta sint: in quibus est Legatio, qua in Regno Neapolitano Nuntius in præsentia fungitur, in qua obeunda ita versatur, ut non modo se commisso muneri parem, sed longe superiore dignum ostendat.

Sacra duos texit præstantes infula Saulos,
Tertius at rerum publica cura fuit.
Nec fuit Europæ Dominis hoc charior alter,
Nec melius cives qui regat imperio.
Si potuit corpus tandem succumbere letho,
Fama operum semper nescia mortis erit.

STEPHANVS VSVSMARIVS.

CVM egregia rerum Divinarum scientia, tum eximia prudentia, acrisque ingenii vis per omnes procurationum gradus spectata STEPHANVM VSVSMARIVM ad Dominicani Ordinis summum Magistratum extulit: in quo ille Ordine per multos annos regendo & moderando ita omnia, quæ sunt ejus muneris, sancte & diligenter coluit, ut ejus virtutibus & meritis tantam gratiam sese debere Ordo universus Dominicanus existimarit, unde etiam redundaret, quod ejus discipulo & alumno Vincentio Justiniano persolveretur. STEPHANO enim mortuo haud dubium fuit, quin Justinianus juventutis annos nondum egressus consentientibus universi Ordinis suffragiis raro exemplo in ejus locum summus Magister sufficeretur, compluribus Antistitibus ætate provecta, ac singularis doctrinæ & prudentiæ fama insignibus præteritis: quibus omnibus rebus homines mores & disciplinam à STEPHANO acceptam prætulerunt. Quamquam Justinianus admirabilibus virtutibus suis brevi effecit, ut Magistri nomen parvum momentum ad illum commendandum haberet. Id quod in ejus Elogio planius explicavimus.

Non excisæ urbes misero pater alme duello,
Non dejecta truci mœnia celsa pila,
Nomine quam præfers, tibi concessere coronam,
Sed pax, eximiæ sed pietatis opus.
Servatique patres & sanctis legibus aucti,
Perpetuaque ingens gloria parta toga.
Nec minor occulti palma est de fraudibus hostis,
Quæsita imbelli sit licet illa manu.

LEONARDVS MARINVS.

MAGNA animum admiratio tacitis cogitationibus versare nonnumquam solet, qui fiat, ut quæ duæ res omnium humanarum longe præclarissimæ doctrina & prudentia eam inter se habeant similitudinem, ut ad sui perceptionem non nisi præstantia admittant ingenia; eæ rursus inter se ita diversæ sint, ut ab uno eodemque quamvis splendido ingenio utraque aut numquam, aut perraro plane percipiantur. Siquidem eos videmus, qui in sapientiæ studiis, atque in cælestium & Divinarum rerum investigatione excellant, ad res civiles tractandas & ad Rempublicam gerendam minus aptos esse; eos contra, qui in Reipublicæ administratione, & in civilium rerum procuratione cum laude versantur, si sese ad doctrinæ studia contulerint, numquam fere ad primos pervenire. Ut nonnulli inveniantur, qui hæc inter se prorsus pugnare existiment: ejusque rei in scholis sæpe ac multum quæsitæ & disputationibus agitatæ rationes non omnino improbabiles afferant. Nos quamquam utramque laudem raro uni eidemque contingere non negamus, neque facile reperiri, qui unus idemque utraque re excellat, ut & doctrinæ studiis, & civilibus artibus sit princeps, tamen opinionem præstantibus ingeniis iniquam multis omnium temporum exemplis refelli affirmamus: verum ne longius abeamus, perspicuæ rei aperto argumento est nostra ætate LEONARDI MARINI felix versatileque ingenium: qui vir cum mira cælestium & Divinarum rerum cognitione naturalem quoque prudentiam, ac consilium, rerumque civilium usum & intelligentiam conjunxit, eximia eloquentiæ gloria egregias laudes cumulante: nemo enim sacram doctrinam aut in scholis doctius interpretatus est, aut copiosius in concionibus explanavit, nemoque in animis ad virtutem inflammandis, & à vitiis revocandis acrior, aut vehementior, aut ornatior orator fuit. Idem cum è cœnobio & è schola ad Episcopatum evocatus ad publicas res tractandas animum convertit, is exstitit, ejusque ingenium & consilium ita enituerunt, ut nemo magis multam, pluribusve locis, aut majore cum approbatione Reipublicæ ac maximis Principibus operam navarit, cum in vario genere Reipublicæ administrandæ, tum vero in legationibus de maximis semper rebus obeundis. Nam apud Carolum Cæsarem ac Philippum Regem filium difficillimis temporibus multos annos magna cum laude Pontificius Nuntius fuit Regi, ita acceptus & probatus, ut ampliore Lanciani Archiepiscopatu honestatus sit. Ad hoc à sacro Tridentino Concilio, in quod ipsos omnis doctrinæ & sapientiæ Antistites ex tota Europa convenisse vidimus, dignus habitus est, qui de maximis maximeque arduis Christianæ Ecclesiæ negotiis ad summum Pontificem mitteretur, itaque ipse omnia, quæ fuerunt ejus muneris, exsecutus est, ut tam excellentibus de se factis judiciis abunde respondisse sit existimatus. Neque vero illud exiguum munus fuit, cum Catechismo Christianæ disciplinæ componendo una cum gravissimis & doctissimis collegis præfectus est: adeo in nullas non partes præstans ingenium valuit. Præterea à Pontifice in controversia de gravissima re ad Ferdinandum Cæsarem missus eam moderationem adhibuit, eamque in animo Cæsaris tractando & mitigando lenitatem, ut propositi pertinaciter retinentem Principem flexerit, & à sententia animo penitus insidente deduxerit, magnorumque instantium dissidiorum ac magnarum offensionum caussas præciderit, summasque difficultates magna ab utroque Principe inita gratia expedierit. Jam vero à Pio quincto pestiferæ doctrinæ lue in Subalpina Provincia serpente ad Episcopatum Albensem translatus est, ut piorum dogmatum oppugnatoribus acer veritatis propugnator opponeretur: postremo à Gregorio tertio decimo Pontifice Maximo de summa Republica, ac de fœdere & expeditione in Turcas legatus est: quod munus ita implevit, itaque hominum opinioni respondit, ut Romam reversus, ac legatione vix renuntiata Legatus ad Cæsarem destinatus ex humanis excesserit.

THOMAE CORREAE.

Quis, Leonarde, pater te fortunatior? in quo
Tot dotes animi, tot bona conspicimus?
Magnus enim ingenio es, major sapientia, & usu
Maximus, ista simul jungere rarus honor.
Hinc tu Pontificum interpres mandata potentes
Ad Reges perfers, nec sine laude refers.
Cum res ulla gravis, cum magna negotia rerum
Sunt tractanda, tui muneris iste labor.
Præmia tot meritis quæ sint satis æqua negarem
Posse dari, ni virtus pretium ampla foret.

BARPTOLOMAEVS FACIVS, JACOBVS BRACELLIVS.

HAVD sane pudoris mei fuerit, affirmare, in pari litterarum atque armorum, civiliumque rerum tractandarum laude Genuense nomen versari: nam ut hac nulli Italicarum urbium post exstinctum

Romanum Imperium est secunda, nullusque populus clarorum bello virorum copia ditior fuit, ita litteras modice attigit Genuensis natio: quod idem omnibus fere gentibus, dum in illis militaria studia viguerunt, usu venisse constat: non tamen hac quoque parte Genuam omnino claudicare nonnulli doctrina & eloquentia præstantes viri scriptis suis declararunt: in quibus fuerunt BARPTOLOMAEVS FACIVS & JACOBVS BRACELLIVS, Genuenses cives: quos uno eodemque Elogio ambos complexi sumus: neque ideo illos non prætereundos duximus, quod aliquid lucis clarissimo illorum nomini studio nostro nos addere posse speraremus, quod ipsi singulari eloquentia præclarissimisque scriptis suis immortalitati consecrarunt, sed ne in recensendis claris Liguribus, quos omnes hoc volumine nos amplexuros professi sumus, Patria mea numero fraudaretur. FACIVS igitur Alphonso Aragoniæ, Siciliæ, ac Neapolis Regi ab epistolis fuit, BRACELLIVS Genuensis Senatus Scriba eundem honoris locum à Nicolao V. Pontifice Maximo ultro delatum repudiavit mediocritate sua contentus. FACIVS vitam & res gestas Alphonsi conscripsit, BRACELLIVS historiam belli Hispaniensis, quod cum eodem Alphonso Populus Genuensis gessit, quinque libris est complexus; tanta uterque cum ingenii, prudentiæ, eloquentiæ laude, ut non modo illam ætatem, in qua præclaræ artes, quæ multa ante sæcula summis sordibus ac squalore obsitæ jacuerant, ex altissimis tenebris emersæ multum jam veteris splendoris assumpserant, longe superarint, sed nostra quoque, in qua politiora studia & eloquentiæ omnis generis gloria in flore maxime est, illos in principibus numeret.

RAINALDI CORSI.

Præstantes virtute viri, labentia sæcla
Æterna ingenii qui valuistis ope,
Sistereque, & vestra vos ipsi effulgere luce;
Præire atque aliis lumine perpetuo,
En quem vos patribus rite instauratis, honorem
A grata vobis posteritate datum.
Vitam alia augeri vita vix credere dignum est.
At miscet superis, at FOLIETA *beat.*

BAPTISTA FVLGOSIVS.

AT in BAPTISTA FVLGOSIO, qui patrum nostrorum ætate principatum in Patria obtinuit, tanta fuit, ac tam multiplex eruditio, tantaque vetustatis atque omnium ætatum cognitio, ut quem cum illo conferas, haud facile reperias: id quod manifeste docet opus laboriosissimum, quo Valerium Maximum imitatus *De factis & dictis memorabilibus* conscripsit. In quo omnium nationum, omniumque temporum exempla ita collegit, ut cunctorum sæculorum historiam brevi perstrictam ante oculos hominum posuisse videatur: quæ res immensi operis atque infiniti pene laboris fuit. Jam vero simplici rerum narratione minime contentum fuisse, sed unamquamque momento suo ponderasse, ac de singulis sapientia judicia fecisse, egregium profecto acerrimi, ac pene Divini ingenii, & ad omnia humana expendenda & tractanda apti & versatilis, specimen fuit. Ut si quis hujus voluminis utilitatem & fructum spectet, quod omnium humanorum casuum exempla tanta copia suggerat, ex quibus quid fœdum, quid honestum incœptu sit, qui exitus utrumque consilium consequi soleant, innumerabilia documenta petantur, tum ad delectationem mentem convertat, quæ tanta rerum varietate legentium animos tenet, profecto hoc esse illud opus statuat, quo nostra ætas, quæ sibi omnis eruditionis omnisque generis eloquentiæ jure primas vindicat, præstabilius tulerit nihil.

HORATII GVICCIARDINI.

Senserat extolli toto Fulgosius orbe
Ore virûm libris se, Folieta, tuis.
Nunc quantumvis, ait, magnis adoperta tenebris
Mors fera verte tuas in mea damna manus.
Hoc si respicies, esse haud obnoxia dices
Cuncta tuo imperio, rarum opus ingenii.

RAPHAEL FVLGOSIVS.

MAGNO ipse quoque ornamento Patriæ ac genti suæ Fulgosiæ RAPHAEL fuit, clarissimi nominis Jurisconsultus: quem eximium ingenii acumen à communi Interpretum sententia sæpe abduxit. Multa hujus viri exstant egregia scripta tum Jure Civili interpretando, tum de illo respondendo, quæ FVLGOSIVM nomen cum in Gymnasiis, tum in judiciis ac forensibus caussis perpetuo celebre sint factura.

FVLCO, ANDALOVS NIGRIVS, BARPTOLEMAEVS FALLAMONICA.

QVAM gloriam Genuæ Patriæ FVLCO, invidit sedibus ac domicilio Massiliam translato, alienaque civitate sibi assumpta, eam ego illi non invidebo, neque ulla vel justa indignatio officio mihi erit antiquior: quod à me postulare videtur, ut quem virum duo ipsa clarissima Hetruriæ lumina Danthes & Petrarcha æternis carminibus suis illustrandum duxissent, eum ego Genuensis homo scriptis meis ne silerem. Porro FVLCO simile consilio fatum habuit: qui enim in aliena, quam in sua civitate vivere maluit, ejus memoria in alienis magis, quam in suis ipsius scriptis vivit ac viget: quæ non ignobilitate sua interiisse sunt existimanda, quis enim eum ignobilem Poetam dicere audeat, qui duorum tantorum virorum laudatione nobilitetur? sed quod jam pridem obsoleverit apud Italos Provincialis gloria non tam vetustatis tenebris obruta, quam præfulgentis Hetruscæ Musæ splendore oppressa. Eadem quoque est ANDALOI NIGRII & BARPTOLEMAEI FALLAMONICAE Genuensium civium fortuna: ut virorum clarorum nomen alienis magis quam suis scriptis niteat: quorum ille omni doctrina mirifice excultus, cum ne poetices quidem expers omnino fuerit, in Mathematicis ita excelluit, ut Boccacius, in quo viro solutæ orationis laus Hetruscorum carminum gloriam aliorum potius quam meo judicio æquavit, hoc præceptore in primis glorietur. At FALLAMONICA sublimi poemate Philosophiæ & Theologiæ res complexus abditas quæstiones tractavit, quas Lyricis modis ita dilucide & ornate explicavit, ut qui materiæ sumptæ gravitate Danthem æquet, eundem carminum elegantia & stili felicitate longe antecedat. Neque dubium est, quin celsissimum ipse quoque in Hetruscæ Poesis laudibus locum obtenturus fuerit, nisi gentilium suorum sibi ipsis ac gentis nomini iniquorum scelus clari viri memoriæ obstaret: quam Divino volumine inepta ratione compresso obscuratam & oppressam tenent.

RAINALDI CORSI.

Dignus tu duplici frontem præcingere myrto
Vates, quem duplex vindicat ora sibi:
Teque adeo gemini Tyrrhenum gloria Cycni
Carmine uterque suo sydera ad alta rapit.

AV-

AVGVSTINVS JVSTINIANVS.

Dvos præstantes & memorabiles in primis viros Genuensique nomini perhonorificos ætas nostra tulit, AVGVSTINVM JVSTINIANVM & MARCVM CATANIVM, ambos Dominicana instituta à prima adolescentia secutos, illum Nebiensem Episcopum, hunc Archiepiscopum Rhodiensem. Quorum Augustinus ad armorum gloriam, qua Justiniana gens sua præfulget tot claris editis Ducibus, litterarum quoque addidit non exiguum splendorem. Cujus quanta quamque varia fuerit eruditio; quanta quam absoluta linguarum illustriorum cognitio, quam eximia sacrarum rerum scientia, quantum ac quam præstans ingenium & industria, ...

INGHETVS, CAESAR CONTARDI.

Qvod ex innumeris hominum millibus, qui sese litterarum studiis totos dediderunt, omnemque operam in illis posuerunt, perpauci admodum diuturno studio assiduaque animi contentione efficere potuerunt, ut ad magnum & memorabile nomen in scientiæ laudibus pervenirent, id eum virum assecutum, cujus omnis vita mercatoriis curis & sollicitudinibus fuerit districta, omnisque opera & industria in eo quæstu perpetuo occupata, magnam profecto habet præcellentis ingenii admirationem. Magno igitur in pretio perpetuaque in gloria esse debet INGHETI CONTARDI civis Genuensis nomen: quam illi conciliat acerrima disputatio in urbe majoris Balearicæ trecentis circiter abhinc annis cum doctissimis Hebraicæ sectæ Antistitibus habita de summa religione, ac de Christiana lege litterarum monumentis quamvis rudi scribendi genere consignata: in qua INGHETVS acutissimis & firmissimis argumentis, è media Theologia sumptis Christianæ doctrinæ veritatem confirmavit; Asturchumque, cui tum suæ sectæ homines primas deferebant, victum manus dare coegit; opinionemque menti penitus comprehensam invito ac diu renitenti tandem extorsit: quare ille cum INGHETI disputatione & ingenio victus, tum lumine menti Divinitus prælato, inveterato ac cum lacte imbibito errore abdicato in Christi militiam sacro fonte ablutus nomen dedit: quod idem complures ejusdem sectæ homines fecerunt, cum tanti viri exemplo inducti, tum Divino Numine mentem dante attracti. Hujus Contardæ gentis nobilis apprime ac pervetustæ, quæ perpetua Reipublicæ administratione olim floruit, jacens nomen ac litterarum consenescentem gloriam longo intervallo ætate nostra CAESAR CONTARDVS eximius Jurisconsultus rettulit: qui perarduas Juris Civilis quæstiones acutissime & copiose tractatas & illustratas litterarum monumentis æternitati consecravit: quæ ita probantur, ut nomen CONTARDI haud exigua cum civitatis nostræ gloria in Gymnasiis & in forensibus judiciis & jam nunc viventis jactetur, & perpetuo celebre futurum sit. Accedit Pontificatus Nebiensis honos, quo CAESAR à Gregorio tertio decimo ob spectatas virtutes & morum gravitatem donatus est.

JOANNES CAGNATIVS, TABIENSIS.

Oppidvm Tabiam non tam generosa vina nulli orbis terrarum regioni pretio cedentia celebre faciunt, quam JOANNIS CAGNATII Dominicani Monachi excellens ingenium & exquisita doctrina: qui Summam composuit à nomine Patriæ Tabiensem inscriptam. Equidem non sum nescius in ejusmodi Summis magis solere laborem & diligentiam scribentium commendari, quam ingenium suspici: sed tamen si quis acriter intendat animum, eam esse hanc Tabiensem dixerit, quæ præter infinitum exantlatum laborem singularem doctrinam redoleat; quæque multis peracris ingenii ac gravis judicii luminibus sit referta: magna certe est ejus utilitas, multiplexque ac quotidianus in Ecclesia usus: ut Opus tam varium, tam copiosum, tam eruditum nostris in Elogiis silentio transeundum non fuerit.

GVLIELMVS RODOANVS.

Nec minorem gloriam, quam olim Patriæ suæ Tabiæ Joannes, nostra ætate GVLIELMVS RODOANVS, Quinquoppidano Liguriæ agro, in quo natus est, virtute & ingenio suo peperit: qui ager duri atque asperi soli ipse quoque generosissimi vini commendatione celebris est: nec minorem lucem rebus forensibus ingenio, doctrina, industria, diligentia sua prætulit, duobus editis voluminibus, altero de sacerdotum spoliis; altero de rerum Ecclesiæ alienatione: quæ utraque res in forensi usu frequens ac prope quotidiana, à nemine tamen certa ratione ac via tradita fuerat. Prudenter igitur & utiliter locum desertum à ceteris GVLIELMVS occupavit; quæque plurima à scriptoribus passim tractata fuerant in unum collegit, atque utramque materiam in ordinem digessit: luculentisque ac subtilibus disputationibus illustravit & amplificavit. Ut RODOANI nomine magna cum gloria tribunalia perpetuo personatura sint. Cujus etiam virtutes ac laudati mores à Gregorio tertio decimo Nebiensi Pontificatu ornatæ sunt: in quo tamen honoris titulo haud diu fuit, immatura morte post initum Pontificatum mox sublatus.

MATTHAEVS SENAREGA.

Matthaevm Senaregam quamquam Facio & Bracellio professione conjunctum, tamen magna quædam alia sunt, quæ proprii Elogii testimonio dignum faciant: neque enim in scribendi tantummodo facultate, qua cum in historia, tum in omni genere excellit, id quod in homine ex domestica Pauli Manutii qualis quantique hujus artis antistitis disciplina profecto minime mirum videri debet, sed in dicendo quoque & in publicis rebus tractandis, ac civilibus contentionibus, quæ longe diversa laus est, incredibilem eloquentiæ vim exprimit. Accedunt eximia quædam, vivida sollertis ingenii vis: quæ tanta fuit, ut prudentiam ipsam non nisi diuturno usu acquiri solitam ante annos repræsentarit: ad hoc in negotiis ducendis & voluntatibus hominum sibi conciliandis mira lenitas: quæ virtutes in illo ita enituerunt, ut oculis omnium in tantam indolem conversis adolescentiam vix ingressus ad Rempublicam gerendam gravissimo arcanarum rerum munere illi commisso vocatus eum se cum in Legationibus obeundis, tum in sententia de magnis & arduis rebus exponenda ostenderit, ut illud plane constet, ætate nostra pacis artibus, atque ad publicas & magnas res tractandas naturæ & fortunæ præsidiis instructiorem esse neminem.

Pendet ab ore tuo juvenis, Mathæe, senexque,
Verbaque non audet amplius ulla loqui.
Concilio venisse Deum te credit ab alto,
Sicque loqui gemmas, sic fluere ore charin.
Patria conspicuis te non tam laudibus ornat
Quantum tu patriam moribus & studiis.

LVCAS CAMBIASIVS.

Ea est Genuensium hominum belli pacisque artium gloria, ut non multum sit illis ad nomen suum illustrandum de alienis studiis accersendum. Igitur litterarum scientiam, qua tamen laude omni-

no

no non caret, ac pingendi & fingendi artem, ceterasque ejusmodi facultates multis nationibus non iniquo animo concedunt: quod idem ceteris claris populis, apud quos militaria & magnarum rerum gerendarum studia viguerunt, usu venisse constat. Romani quidem adeo philosophandi scientia ac Poetica & mechanicis artibus sese vinci à Græcis non indignabantur, ut gravissimi eorum ejusmodi rebus cum Græcis certare, atque adeo eas res omnino tractare, turpe sibi, ac majestate Romana inferius ducerent. In eadem vestigia ingenii similitudine Genuenses incurrentes ea tantum studia coluerunt, quæ in civitate sua in pretio & in honore esse videbant: non quod doctrinæ, & liberalium, ac mechanicarum artium studiis minus aptum esset illorum ingenium, sed quod sublimioribus curis intentæ mentes ad inferiora sese demittere non possent. Id quod ætate nostra manifeste declaravit Lucas Cambiasius: quem pingendi arte ita constat excellere, ut sive admirabilem inventionem & varietatem spectes, sive formandi & delineandi scientiam consideres, sive artem in colorando contemplere, in quibus rebus omnis pingendi facultas exprimitur, eum esse illum statuas, quo hac in arte nihil fieri possit absolutius, cum ne fingendi quidem laude careat; cujusque tabulæ ad veritatem ita adductæ sint, ut non ad naturam imitando proxime accedere, sed naturam ipsam spirando & gestum agendo exprimere videantur. Egregium artificem Paulus frater meus eleganti carmine populari lingua conscripto ornavit, quod in Latinum sermonem convertit Rainaldus Corsus Corrigiensis mihi amicissimus, summaque humanitate ac morum suavitate præditus. Qui vir perhonorifico munere, quod est à supplicibus libellis, in præsentia fungens, longeque majore & ampliore dignus ad Pontificii & Cæsariani Juris scientiam haud minorem eloquentiam, politioresque litteras ac multiplicem addidit eruditionem, miramque in carminibus faciendis felicitatem: quas virtutes comitantur singularis prudentia, ac rerum usus, & ad publicas ac magnas res tractandas in primis aptum ingenium. Ut virum præstantiorem, pluribusve, aut majoribus animi & ingenii bonis ornatum Romana Aula habeat neminem.

Ingenium paritura novum mille amplius annos
Distulit, ac magno tandem conamine sese
Exuperans natura virum, manus inclyta cujus
Sæpe moram menti faceret, vera ne colorum
Sint facies, veris seu tantum proxima, in auras
Edidit ætherias, de lucis nomine dictum
LVCAM, *qui patriæ lucem, lucem attulit orbi.*
Scilicet & (propriæ quæ sunt cognomina genti)
Mutatam cogit se farier arte parentem.
Jure igitur summos inter Proceresque Ducesque,
Qui bene de patria meruere, adscribit Ubertus.
Pone subit frater, Divino nectare Musa
Quem Ligur in Sylvis ultro imbuit Apennini.

DE IIS, QVI AD MAGNAS OPES, POPVLORVMQVE DOMINATVM PERVENERVNT.

JOANNIS VERSOSAE.

Ut vester FOLIETA *simul victurus honores*
Æternis vestros tradidit historiis,
Heroes Ligures, vos dein vita inclyta sæclis,
Vos dein fama ullis non moritura manet.

SINIBALDVS FLISCVS.

NOBILI ac pervetusto Lavaniæ Comitum titulo insignis gens Flisca, ad hoc perpetuo & continuato sacrorum honorum splendore in primis Italicarum præfulgens magnam semper Genuæ potentiam atque opes supra quam modicas possedit: quippe quæ perampla ditione ac castellorum & populorum dominatu non solum ceteros Genuenses populares suos anteiret, sed nemini Italorum Procerum, cum à summis Principibus discessimus, esset secunda. Quibus opibus in dies crescentibus factum est, ut HIERONYMVS & SINIBALDVS fratres non jam propriis nominibus, ut reliqui cives, sed cum Comitum præfatione vocarentur: qui titulus non tam à Sinibaldo est expetitus, quam omnium consensu illi datus, nemine repugnante, fortunam tanto ceteros antecedentem nominis quoque appellatione notatam & eximiam esse: quæ res adeo Sinibaldi ad nullam arrogantiam animum inflavit, ut nemo contra illo moderatior aut demissior esset, & in quotidiana consuetudine comior, ac suavioribus præditus moribus, patriæve amantior civis, ab omnique ambitione remotior. Cumulat laudes bonarum artium perpetuum studium atque amor, litteratorumque hominum consuetudo, qua mirifice delectabatur, quosque liberalitate sua amplexus domi habebat, omnibusque commodis fovebat: in quibus fuit Paulus Pansa cum omnis elegantis eruditionis, tum Poetices laudibus celebris in primis nominis. Quibus rebus fit, ut tantæ opes tanta modestia ac virtute conjunctæ suo Elogio dignæ fuerint. Neque de SINIBALDI laudibus aut gratia, qua omnibus æque charus fuit, quidquam detrahere debet Joannes Ludovicus filius longe diverso ingenio adolescens, qui sese ac domum suam in irrevocabilem exitii casum præcipiti consilio demittere properavit.

THOMAS MARINVS.

AT neque ii, qui nostra ætate complures Genuenses cives ad insignes titulos & dominatus populorum adscenderunt, ita omnia fortunæ debere, ac meritis omnino carere sunt existimandi. Ingentibus enim opibus sua industria, sollertia, vigilantia partis cum inopiam publicam sublevarint, maximosque exercitus sustentarint, haud exigua illorum merita in Rempublicam videri debent, jureque illos amplis Ditionibus à Cæsare maximisque Regibus donatos putandum est: quos omnes nominatim persequi non necesse habui; longum enim id fuisset, Insigniores tantum commemorasse contentus: in quibus primus ordine fuit Thomas Marinus Ducatu Terræ novæ in Regno Neapolitano à Cæsare auctus.

ADAMVS CENTVRIO.

AT ADAMVS CENTVRIO ad opes, quas immensas accumulavit, prudentiam & consilium addidit, & ad quævis magna tractanda aptum ingenium. Quibus virtutibus, simul Andreæ Auriæ affinitate subnixus, præterquam quod Genuæ plurimum potuit, multaque ejus fuit in omnibus rebus auctoritas, magnam iniit à Cæsare & à Philippo Rege filio gratiam. Verum summa gravitate vir ab honorum titulis abhorrens Marchionatu Astapæ opulenti in Hispania oppidi MARCVM filium insigniri voluit.

NI-

NICOLAVS GRIMALDVS.

NICOLAVS GRIMALDVS non magis opibus, quæ supra quam modicæ fuerunt, quam liberalitate conspectus est, qua permultos cives amplexus complurium laborantem fortunam sublevavit, afflictamque erexit, multosque ad commodum vitæ statum & honestatem fortunæ perduxit: huc accedit liberalis cultus, ac perpetuus splendor cum in omni genere, tum in immanibus substructionibus in primis coruscans, quibus regiam magnificentiam haud dubie æquavit. Liberalitatem igitur & merita GRIMALDI erga Rempublicam Philippus Rex grato animo prosecutus multis ditionibus, in primis vero nobilis & celeberrimi nominis urbis Salerni cum insigni Principatus titulo, magna omnium lætitia remuneratus est.

STEPHANVS SQVARCIAFICVS.

EADEM ratio, eædemque opes Squarciaficis ad opimam Galatinæ Ditionem in Regno Neapolitano viam communiverunt: quam ab Alberto patre STEPHANO filio traditam Philippus Rex in Antonii Auriæ soceri gratiam insigni Marchionatus titulo nobilitavit.

DAVIDES IMPERIALIS.

NVMERVM stemmatum, & patriæ splendorem auget dignatione sua DAVIDES IMPERIALIS. Qui ipse quoque opibus suis Rempublicam sublevando Marchionatum Oriæ in Regno Neapolitano adeptus est.

ARGENTINA SPINVLA, VIOLANTIS AVRIA, ELISABELLA FLISCA, ALTERA ITEM FLISCA.

SPINVLA & Auria gentes non sua tantum nobilitate illustres sunt, sed à magnorum quoque Principum conjunctione haud parum trahunt splendoris: siquidem Theodorus Palæologus Andronici Cæsaris filius Marchio Montisferacis, & Matthæus Magnus Vicecomes Mediolani Princeps harum familiarum affinitatem appetiverunt, ut ea necessitudine uterque laborantes res suas Genuensium Gibellinorum haud mediocribus opibus, quorum capita erant duæ hæ præpotentes familiæ, communiret. Theodorus igitur ARGENTINAM Opicii Spinulæ filiam uxorem duxit. At Matthæus VIOLANTEM Barnabæ Auriæ filiam Stephano filio suo in matrimonium conjungi voluit, felici futuræ prolis auspicio, ex qua tot Heroes, ac summi fastigii Principes prodituri essent, qui rerum gestarum gloria, clarissimaque fama orbem terrarum impleturi, quique magnam Europæ partem, atque opulentissimas ejus Provincias imperio occupaturi essent. Ex eo enim conjugio Barnabas Vicecomes ortus est haud pudendum materni avi nomen referens: qui Viridam genuit, quæ Augustissimæ genti Austriæ innupsit, Leupoldo Alberti Ducis filio collocata. Is ex Virida Albertum & Fridericum Tertium Cæsarem suscepit; Fridericus Maximiliani Cæsaris pater fuit: ex quo natus est Philippus Hispaniæ Rex ac Belgicæ Galliæ Princeps: ex Philippo orti sunt Carolus Quinctus, & Ferdinandus ambo Cæsares, ille Belgicæ Galliæ Princeps, atque Hispaniæ & utriusque Siciliæ, hic Hungariæ & Boemiæ Rex. Carolus Philippum genuit opibus, potentia, amplissimisque regnis ceteros Christianos Reges longe antecedentem. Ex Ferdinando orti sunt Maximilianus Cæsar ipse quoque Hungariæ & Boemiæ Rex, ac Carolus & Ferdinandus amplissimarum ditionum Domini. At nobilissimæ genti Fliscæ eandem Vicecomitum affinitatem ELISABELLA FLISCA Lucæ filia Luchino Vicecomiti Mediolani Principi nupta suis moribus inauspicatam fecit: quos aliorum Scriptorum monumentis consignatos attingere ab instituto opere est alienum. Dignitatem ejusdem gentis auget altera FLISCA, cujus nomen in obscuritate versatur: hæc fuit Hadriani quincti soror præcelso Principi Comiti Sabaudiæ nupta.

PAVLVS FOLIETA.

GENTIS tuæ gloriam cælesti prope ingenio subsecutus es, PAVLE frater; ipsaque me fraterna pietas impium plane fecerit, si ea sola illi gloriæ obstet, quam tibi Poetices studium tam varie à te excultum conciliat, atque ideo te Elogiis nostris prætercam, quod verear, ne plus illi ipsi pietati, quam veritati tribuisse videar: à quo metu me & egregia scripta tua vario carminum genere, & hominum, quibuscunque notus es, de te facta judicia liberant. Illud enim constat, te inventione, quæ cum in hac ipsa Poetica, tum in universa eloquentia, atque in omni scribendi facultate multo maximam procul dubio laudis partem occupat, ita excellere, ut ætatem nostram ingeniorum feracissimam superes, veterum æques. Atque utinam eadem natura, quæ munera inter nos ita partita est, ut sese Ducem tibi ad Poeticen, mihi ad solutam orationem præberet, quemadmodum tantam animorum similitudinem, & conjunctionem nobis indidit, ut si quis oculis illos introspicere possit, dimidiatos dicat, eandem quoque ingeniorum similitudinem & præstantiam pariter dedisset: profecto in Historia nostrorum temporum conscribenda altissimum me gloriæ locum obtinere confiderem: quod naturæ incommodum felicitate compensatur, qua tibi tanto superior sum, quanto ingenio inferior. Ea enim lingua scribo, quæ tota Europa intellecta nomen meum omnium gentium notitia celebret, cum famam tuam angustis Liguriæ finibus concludi necesse sit, eadem natura, cui reluctandum non est, te ad scribendum patria lingua compellente ab exteris hominibus aut nihil omnino, aut non satis commode percepta: quæ tamen infelicitas eo in bonum vertit, eoque si non clariorem, at certe majorem laudem tuam facit, quod is exstiteris, qui acerrima ingenii vi docueris, nullam quamvis rudem & incomptam linguam eloquentiæ omnisque generis ornamentorum non capacem esse. Postremo ita tibi habile ad Poeticen natura ingenium dedit, ut te etiam ad ejus mutam imaginem & æmulatricem artem, hoc est, picturam idoneum finxerit: ad eam enim tu omnium, quæ sunt ejus artis, intelligentiam natura ipsa Duce sine Magistro pervenisti, ut non modo de egregiis artificum operibus certa & vera judicia facias, sed ipsi summi illius artis antistites multa in tabulis suis te monente & commonstrante corrigant & mutent. Neque æquius quidquam fuit, quam ut nostra Elogia, quæ initium ducunt à nostro nomine, atque ab iis laudibus, quas non modo nobis non adsciscimus, sed ab aliis datas libenter remittimus, tuo nomine, tuisque veris laudibus, frater, concluderentur.

POMPEII ARNOLPHINI.

Castor ut illustrat Pollucem, Castora Pollux,
Et proprio illustrat lumine uterque polum,
Sic PAVLVM VBERTVS *fratrem, sic* PAVLVS *honore*
Afficit VBERTVM *condecoratque suum.*
Et propriis ambo Patriam virtutibus ornant,
O vere Italici sydera bina soli.

EIVSDEM.

In foliis, FOLIETA, *tuis latet ipse Cupido*;
Populea ut volucris condita fronde latet.
E foliis, FOLIETA, *tuis leniterque susurrat*,
Et Zephirus blando murmure mulcet agros.
Sub foliis, FOLIETA, *tuis Venus aurea somnos*
Ducit, & Aonios Thespia turba choros.
Ipse tuis foliis, FOLIETA, *insignis Apollo*
Se exornat, foliis te, FOLIETA, *suis:*
Ergo tuis cedant foliis folia omnia quotquot
Idalium effundit, Pieriumque nemus.

A

IN VBERTVM FOLIETAM AVCTOREM,

POMPEII ARNOLPHINI.

Dum foliis pascentur oves, dum sylva quotannis
Exsurget foliis conspicienda novis;
Nulla dies læto folia hæc spoliabit honore,
Exornat Ligures queis FOLIETA *viros.*

F I N I S.

VBERTI FOLIETAE,

PATRICII GENVENSIS,

CONJVRATIO
JOANNIS LVDOVICI FLISCI.

TVMVLTVS
NEAPOLITANI.

CAEDES
PETRI LVDOVICI FARNESII,
PLACENTIAE DVCIS.

EX VNIVERSA HISTORIA RERVM EVROPAE SVORVM TEMPORVM.

AD

HIERONYMVM MONTENIGRVM

PATRICIVM GENVENSEM.

VBERTVS FOLIETA
HIERONYMO MONTENIGRO
S. D.

QVAE me causæ, Hieronyme, ad res Europæ nostrorum temporum scribendas impulerint; eas in principio operis præfatus sum: cujus initium feci à bello Germanico, quod Carolus Quintus Cæsar cum sociis fœderis Smalcaldici gessit: quo bello nullum ex multorum seculorum memoria, aut magnitudine sua memorabilius, aut fine mirabilius fuit. Nam neque majore mole Europa ad bellum consurrexit; majoreve consiliorum atque opum apparatu opulentissimæ ac bellicosissimæ Europæ nationes inter se contulerunt arma, (quicquid enim floris ac roboris Germania, Italia, Hispania habuerunt, in armis fuit) neque ingentibus motibus celerior finis unquam est impositus. Haud facile enim dixeris, bellum illud à Cæsare majore ne animo susceptum sit; an sapientiore ratione gestum; an incredibiliore felicitate confectum. Cæterum causarum, cur ad tantam rem animum adjicerem, illa non in postremis fuit; quod nihil aptius inveni ad exsilii incommoda, & tædium consolandum; quo me cives mei ideo affecerunt, quod scriptis meis vulnera patriæ ac remedia indicare non dubitarim: ut quas stili pœnas do; eæ nulla re convenientius, quam stilo levari videantur. Facile enim in publicis rebus tractandis ac tota mente agitandis occupatus animus, à privatorum malorum sensu & cogitatione avertitur. Illud quoque haud mediocre solatium accedit, optimæ mentis conscientia. Nihil enim me aliud spectasse, quam salutem patriæ; ac ne cursus ad maximam in Italicis rebus potentiam & auctoritatem à levibus impedimentis retardaretur; Deum immortalem, qui intimos hominum sensus novit, testor. Nunc, quando civibus meis rem in aliam partem accipere visum est; crimenque ea in re constituere, quam præmio dignam existimabam; æquo animo ferenda est voluntas patriæ: à cujus charitate nullæ me unquam injuriæ abducent. Atque ego, dum in susceptum negocium omnibus curis sum intentus; in eoque tractando ita versor, ut laboris jam exhausti, quique plurimus exsudandus superest, haudquaquam pœniteat; non satis exploratum habeo, an ullum operæ pretium facturus sim: nomenque meum cum bonis, cumque iis, qui cum laude in hoc scribendæ historiæ munere sunt versati, aliquo numero futurum sit; an simul cum ætatis nostræ Scriptorum turba brevi interiturum: quæ turba ita in immensum crevit, ut major fere sit scribentium, quam res gerentium numerus: cum tamen omnibus ætatibus rerum Scriptores perrari fuerint. Neque id mirum: magni enim ingenii, acrisque judicii, tum præterea eximiæ eloquentiæ, haud mediocrisque prudentiæ, ac rerum humanarum usus semper habita res est: quæque magnitudine sua, vel præclarissima ingenia possit deterrere. At nunc ut quisque stilum manu tenere scit; historiam attingere non dubitat: quorum hominum maxima pars, ita nulla sunt facultate, ita tanto oneri impares; ut cum nulla sit in sententiis gravitas, aut pondus, nullum in verbis ornamenti genus, nulli in concionibus nervi, aut inventio; jejuni & exiles, non tam lucem rebus, quas literarum monumentis mandandas suscipiunt, ullam afferunt, quam tenebras altissimas infelicibus scriptis offundunt. Quin etiam plerique, ac fere omnes, conciones ipsas omittunt omnino: quibus historiam orbatam, tanquam corpus luminibus ademptis, cæcam esse necesse est. Quodque illi facultate se assequi posse desperant (est enim ardua in primis res; & in qua omnes ingenii nervi sunt contendendi, omnisque eloquentiæ vis exprimenda) id se consilio præterire simulant: imbecillitatem videlicet suam imbecilliore ratione velantes; quod dicant, veritatem rerum gestarum commentitiis, ac pro ingenio scribentis confictis concionibus corrumpi. Quorum hominum stultitia, ac futilis & inepta ratio mihi non est refutanda: quam omnium seculorum, omniumque gentium, tum autem omnium, quorum in hoc genere industria & facultas laudatur, auctoritas abunde refellit. Igitur cum institutum opus urgerem, incidit res, quæ suave animi pabulum magna acerbitate adspersit: meque vehementer commovit. Nam cum ego in rebus meis minimum meo, plurimum alieno judicio tribuam, iis viris scripta mea ostendere soleo, à quibus me amari; quosque de iis rebus judicare posse existimo: eorumque monitu quæ videantur, corrigere & immutare. Igitur cum Conjurationem Genuensem, Neapolitanos Tumultus, Cædem Petri Ludovici Farnesii, Placentiæ Ducis, *quæ omnes in eundem annum inciderunt, uno volumine à reliqua historia separato conclusissem, (qui fere meus est mos in singulis materiis, quas scribendas suscipio; ut mens varietate rerum minime distracta uno in argumento attentius tota versetur: quod absolutum deinde cum universa historia contexo) librum quibusdam inspiciendum dedi; quorum & erga me benevolentiam mihi videbar habere perspectam; nec fides esse debuit suspecta. Verum sensi me parum cautum alienæ fidei æstimatorem fuisse ab illis proditus: librum enim descripserunt; ab aliisque describi permiserunt, ut vulgari jam inci-*

inciperet. Quodque caput perfidiæ & improbitatis est; à nonnullis mihi amicissimis admonitus sum, projectæ quendam impudentiæ hominem in animo habere, librum suo nomine prælo subjicere, atque edere: quo periculo perculsus, improbitati ac perfidorum sceleri prævertendum ratus opusculum mihi edendum duxi: itaque feci. Ex quo, aut ex reliquis scriptis meis, qui in lucem subinde prodibunt, si qua utilitas ad homines perveniet, ea non tam labori & industriæ meæ, quam Viri amplissimi Hippolyti Estii, Cardinalis Ferrariensis, virtuti est accepta referenda, cujus liberalitate sustentatus totum animum ab omnibus curis & molestiis vacuum, in iis studiis defigere penitus possum. Is me in familiarium suorum numerum amanter acceptum, omnibus commodis fovet ac tuetur. Neque vero me uno ejus benignitas terminatur; sed omnes amplectitur, quoscunque excellenti aliqua facultate præstare intelligit: ut in illius liberalitate, regioque splendore, atque animi celsitudine firmissimum sit egregiorum virorum afflictæ fortunæ præsidium, ejusque domus insignibus viris semper referta, virtutum ac bonarum artium Asylum dici possit. Missas nunc facio cæteras laudes, quæ in illo plurimæ & eximiæ sunt; singularemque prudentiam ac rerum humanarum usum, egregiaque in Rempublicam merita. Cum autem plures sint libros nuncupandi causæ; hoc est, vel amicitiæ animorumque conjunctionis, vel amplitudinis fortunæ, vel generis nobilitatis, vel virtutum commendationis, (aliquam enim harum in libris dicandis sequi homines fere solent) omnes eæ in te unum, Hieronyme, conveniunt. Nam mihi cum nemine graviores, aut plures conjunctionis causæ, quam tecum intercedunt; aut ego cuiquam majora quam tibi studia debeo: neque enim amicitia nostra à nobis initium capit; sed à Majoribus nostris ortum ducens, mutuisque ac perpetuis officiis inter illos culta, ad nos perducta est. Majores enim tuos, claro loco ortos, plurimasque & egregias Genuæ familias affinitatibus complexos, Majores mei semper colendos duxerunt; viros primarios, fortunaque & ingenio præstantes: quique in gerenda Republica summa cum fidei & prudentiæ laude semper sunt versati; neque urbanis modo magistratibus & honoribus perfuncti sunt; sed bellicas quoque res tractarunt. In quibus, Hieronymus patruus magnus tuus, vir omnibus bellicis laudibus cumulatus, in bello ad Petram sanctam cum Florentinis gesto, fortem & egregiam operam Reipublicæ navavit: ejusque in primis virtute & consilio obsidio illius oppidi soluta est. Idem, triremium præfectus, multa egregiæ virtutis ac navalis peritiæ facinora, pluribus in locis edidit. Ut omittam Joan. Baptistam patrem tuum, cujus integritas & fides omnibus in rebus semper conspecta fuit, quique perpetuum tenorem vitæ sapienter, integreque actæ egregio fine conclusit; cum se sacrarum literarum studiis totum dedisset. Quam literarum laudem Matthæus frater tuus æmulatus, haud dubie, si vita longior contigisset, exspectationi, quam ingentem commoverat, responsurus fuit. Talibus tu Majoribus ortus, is exstitisti; qui quantum commendationis ab illorum nomine accipis, non minora illis ornamenta virtute tua reddas. In te enim, præter fortunæ amplitudinem, qua paucis tuorum civium concedis; multæ sunt præstantes virtutes; labor & industria in negotiis; peracreque omnibus in rebus ingenium & consilium: quibus virtutibus hanc ipsam fortunæ amplitudinem peperisti: ut maxime tibi conveniat vetus illud, quod proverbii locum obtinet; Suæ quenque fortunæ fabrum esse. *Accedit, quo nihil est præstantius, nullumque certius animi magnitudinis argumentum; quod tu fortunæ amplitudinem atque opes, non tam in possessione, id quod sapientissimus Philosophus tradidit, quam in usu positas existimas. Quod duabus in rebus semper declarasti; hoc est, in quotidiano vitæ cultu, domesticoque splendore; in quo à nemine omnino superaris; tum in hominum fortuna liberalitate tua sublevanda & augenda: in quam nemo confugit, qui spe se frustratum doleat. Comitatur egregias virtutes naturæ suavitas, & comitas; moresque in quotidiana vitæ consuetudine commodi, ac singularis humanitas; qua re nihil majorem vim habet ad communem benevolentiam attrahendam, voluntatesque hominum colligendas. Me quidem tot laudes tuæ ita tibi devinxerunt; ut omnis mihi ætas in te amando & colendo sit futura: hancque meæ in te voluntatis significationem tibi dare volui; ut amantissime scriptum librum tibi dicarem. Quod munus si tibi non ingratum fuerit, tum vero me in illo conscribendo operam non omnino inanem posuisse existimabo. Vale.*

VBERTI FOLIETAE,

PATRICII GENVENSIS,

CONJVRATIO

JOANNIS LVDOVICI FLISCI.

EO anno, ut in Italia ab externis bellis quies fuit, ita intestinis motibus complures ejus Provinciæ partes fuerunt infestæ. Eos ordine persequemur; initium facientes à Conjuratione Genuensi; quæ clandestinis consiliis diu ante concocta, in hujus anni initia erupit. Urbs Genua, maritimis copiis, ac navali virtute satis quondam potens, complures in Asiæ ora, & in mari Mediterraneo urbes, atque insulas imperio subjunxit: ejusque nomen multis insignibus victoriis clarum fuit: neque dubitatur, quin ad magnam aliquam potentiam, magnumque in maritimis rebus imperium perventura fuerit; Pisanorum finitimorum, qui potentiæ ac virtutis æmuli diu fuerant, opibus fractis; bellis Venetis fine æquis conditionibus imposito; Mediterraneique maris imperio cum Venetis partito: cum quibus sæpe ac diu bellatum est, vario eventu; atque æquo, & haud scio, an ausim dicere, superiore Marte: quippe quibus, Clodia capta, diuturnaque & arcta obsidione circumsessis, ac veluti faucibus oppressis, necessitas expressa sit, conditiones pacis à Genuensibus bello superioribus, ac tanquam victoribus, suppliciter petendi. Cæterum is gloriæ cursus à civilibus discordiis interruptus est: quæ ambitione nonnullarum familiarum, æquabilitatem juris cum cæteris civibus haud æquo animo ferentium excitatæ; adeo continentibus multorum seculorum malis Genuensium opes fregere; ut misera civitas, prisca dignitate dejecta, modo civibus suis parere; modo externas nationes ultro accire; seseque illis regendam permittere sæpe coacta sit. Quibus calamitatibus diu vexata & lacerata, ad meliorem sese mentem nostris temporibus tandem convertit. Gallis enim expulsis; ac Factionum, quæ plurimæ fuerant, nominibus exstinctis; civium concordia, diu multumque agitata, tandem convenit: novaque Reipublicæ forma constituta est; quæ in satis tranquillum & pacatum statum res Genuensium perduxit. Magni autem moliminis res fuit; multisque contentionibus, ac studiorum certaminibus, complures annos, jactata. Præclari ac salutaris consilii auctor fuit, vir patrum nostrorum ætate in primis memorabilis, Octavianus Fregosius. Is, Dux Genuensium creatus, cum omnes suas curas in Patriam à Gallorum servitute liberandam, resque Genuensium afflictas ac laceratas erigendas & restituendas contulisset; omnium primum, obsidionem intermissam arcis munitissimæ, qua, veluti compede, Galli Genuenses constrictos tenebant, majore conatu repetens, atque urgens; tandem ad omnium rerum extremam inopiam adductam, ad deditionem subegit. Ædificata autem fuerat à Ludovico XII. Gallorum Rege, loco omnium, qui toto orbe terrarum sunt, natura munitissimo: posita enim erat in præcelso promontorio, toto ex silice, quod ab altero cornu portus in altum excurrens, subjecto portui, atque urbi ita imminet; ut nullus esset navibus, arce prohibente, ad portum, atque ad urbem aditus: maritimaque commercia, quibus omnia Genuensium continentur, plane essent interclusa. Circumluuntur promontorii radices mari; præter exiguum illud spatium, quo promontorium terræ, in peninsulæ modum, conjungitur: quod ita alta à continenti interscinditur rupe, ut in eam despici, sine quadam animi perturbatione, oculorumque vertigine, vix possit. Quare nulla erat loci tam muniti expugnandi spes, aut ratio; sed ne ullus quidem, aut terra, aut mari aditus. Arce capta, illud fuit unici, nostra ætate, exempli ac Divinæ prope virtutis, specimen; quod cum Fregosii centum quinquaginta circiter annos, alterno cum Adornia familia dominatu, potiti rerum Genuæ fuissent; quæ res quandam veluti speciem juris ad Genuæ imperium, genti suæ Fregosiæ conciliare videretur; eamque arcem in manu haberet, qua suas & posteritatis suæ opes, perpetua & stabili possessione, in nobilissima ac præpotenti urbe firmaret; neque deessent auctores, speciosis consiliis utilia anteferendi; tanta tamen in Octaviano fuerit animi celsitudo, itaque patriæ charitatem omnibus rebus prætulerit; ut arcem è vestigio demolitus sit: Genuensiumque animos memoriæ suæ, ut veri patriæ liberatoris, immortali beneficio obstrinxerit.

Egregium facinus vir ad patriæ salutem natus, alio, non minus insigni, promerito cumulavit. Ad cogitationem enim longe sanctissimam ac pulcherrimam animum adjecit, de ordinibus in concordiam redigendis; Factionumque nominibus exstinguendis & exterminandis: quæ res Genuam patriam in pacatum statum, post tot secula, esset restitutura; fractasque & afflictas vires recreatura. Quod eo mirabilius fuit in Octaviano, quod ex ea re gentis suæ dignitas & potentia, quæ ex discordiis civium creverat, illisque innitebatur, plane exstingueretur: seque ipse summo imperio abdicare cogeretur. Quod, nisi Fredericum fratrem, longe diversi ingenii hominem, ac cum eo Factionis Fregosiæ principes cives, adversarios habuisset; profecto ipse inchoata consilia ad effectum perduxisset. Tenuit tamen, ut Duodecim viri status rerum collapsarum ac corruptarum restituendi & emendandi, concordiæque civium constituendæ, crearentur: qui Magistratus, quamvis in sequentibus deinceps annis, semper creatus sit, resque nunquam plane deposita; consilium tamen suo ipsum molimine grave, differendo elanguit, ac diuturnitate temporis consenuit. Cæterum incidit res, quæ consopita Genuensium studia excitaret; atque ad intermissa consilia de concordia civitatis, ac bono rerum statu instituendo, tota animo repetendo inflammaret. Genua enim capta & direpta est, Octavianoque expulso; Adornii civitatis imperio potiti sunt: quo icti vulnere complures primarii cives, cum similia à civium discordiis sibi quotidie exspectanda intelligerent, animum tandem ad con-

cordiam adjecerunt? Cæterum consiliis obstabat virium imbecillitas. Civitate enim tot seculorum malis extenuata, nova Respublica, ac libertas suis radicibus hærere non posse videbatur; nisi alicujus Principis opibus subnixa. Nullus autem, multis de causis, magis idoneus visus est, ad quem se Genuenses conferrent; quam Romanus Pontifex. Mittitur igitur Dominicus Saulius legatus: quem Joannes Matthæus Gibertus, qui summum gratiæ locum apud Pontificem obtinebat non modo repudiavit, molestumque negotium à se removit; verum etiam Pontifici magnopere auctor fuisse dicitur; ne se in consilium, quod multis molestiis & impensis ipsum esset implicaturum, tum autem Gallorum animos vehementer offensurum, temere demitteret. At Augustinus Folieta, qui auctoritate plurimum apud Pontificem valebat, cujusque consilio multum tribuere solebat Pontifex, causa patriæ suscepta, non prius abstitit incepto, quam instando & suadendo pervicit, ut Pontifex in causam descendere decreverit.

Ceterum institutus consiliorum cursus, urbis direptione, Pontificisque adversis rebus interruptus est. Accessit, quod per ea tempora Galli, Adorniis exturbatis, Genuæ imperium recuperarunt: qui cum vetera consilia Genuæ stabili imperio potiundæ nunquam deposuissent, parumque præsidii ad eam rem in arce tam munita experti essent; ad aliud consilium animum contulerunt: in eaque cogitatione versari cœperunt; ut quoniam Genua ipsa subjungi non posset; Saonam, quæ urbs esset jugo ferendo, communirent; eamque sibi in Liguria arcem facerent; quo, veluti freno, Genuensium indomita ingenia constricta tenerent. Potiti autem ea urbe fuerant Galli, priusquam Genuæ imperium adipiscerentur, per occulta consilia cum Saonensibus inita: eaque in primis de causa Genuenses se Gallis tradiderunt, promisso accepto à Gallis, illos Saonam, simul atque Genua sub illorum ditionem rediisset, Genuensibus restituturos. Ceterum Galli multa causantes, Saonam restituere recusaverunt, egregioque opere eam urbem communiverunt; ac valido præsidio firmarunt; portoriaque & reliqua vectigalia, Genuensium exactore ejecto, sibi adjudicarunt. Enimvero Genuenses tanta re perculsi, eo impensius instituta concordiæ & rerum emendandarum consilia, quod unum esset imminentis interitus remedium, urgent: tandemque rem ad effectum perducunt: Factionumque multiplicibus nominibus penitus exstinctis, anno millesimo quingentesimo vigesimo octavo, Vere ineunte, concordiam constituunt, statumque rerum emendant, ac novam Reipublicæ formam instituunt: Theodoro Trivultio, Vicario Regio, rem non impediente; neque ad suum Regem magnopere pertinere arbitrante, quo rerum statu, quave Reipublicæ forma Genuenses uterentur. Concordia firmata, enimvero nemini dubium fuit; quin Saona quacumque ratione recuperaretur: sine qua tantorum consiliorum apparatus irriti plane fuissent; Gallique ipsi Genua exigerentur: quæ duo Genuensium res in perpetuum firmabant. Utrique rei peropportunus fuit Andreas Auria, Gallorum classi ac maritimarum rerum summæ à Rege præfectus: inter quem & Regem multæ forte indignationum causæ intercedebant. Nam Saonam à Gallis retineri, atque alterum Liguriæ caput ibi constitui; vir ea familia ortus, omniaque de libertate & dignitate Patriæ præclara sentiens, ferre non poterat: sæpeque per literas, omnibus precibus à Rege contenderat, ut Saonam Genuensibus restitueret: eaque prima irritatio animorum fuit. Ad publicam, communemque cum reliquis civibus querimoniam accesserunt plurimæ, neque eæ leves, privatim injuriæ: quæ eo processerunt; ut tandem Auria Regi stipendia renuntiarit. Quam occasionem arripientes Genuenses, hominem accersunt: qui cum classe in portum Genuæ invectus, libertatisque nomine subjecto & proclamato, Vicarium Regium expellit, Genuamque in libertatem asserit. Ac paulo post Genuenses, eodem Auria cum classe sua annitente, Saonam recuperant. Concordia igitur ac libertate Genuæ firmata, is rerum status constitutus est; ut Factionibus plane sublatis, sese à præteritis malis Genua recreare posse videretur; nisi unum residuum fuisset vulnus, quod cursum civitatis ad optimum statum retardaret. Nam odium inter Nobiles & popularis nominis cives, nunquam ex Genuensium animis penitus exstirpatum, sed ad tempus consopitum, erumpere cœpit, paulatimque gliscens, majores in dies vires sumere: popularibus indignantibus, Adornia & Fregosia gentibus (quarum in primis potentia, popularium dignitas nitebatur) de summo auctoritatis gradu dejectis, ac summi imperii Magistratu (à quo Nobiles lege excludebantur) studio concordiæ cum illis communicato, totam auctoritatem ad Nobiles translatam: Nobilibus vero, & copiis, quibus tum haud parum antecellebant, & Andreæ Auriæ viribus subnixis, nimios spiritus sibi sumentibus, ac populares contemnentibus. Augebant animos, ipsius Andreæ, sui corporis viri, recentia in Patriam promerita; quem liberatorem & conservatorem haud immerito appellabant: statua quoque in Ædium publicarum area, ejus beneficii memoriam, decreto publico, decorarant. Nondum præterea, nonnulli earum familiarum homines, quas rerum perturbandarum auctores fuisse diximus, veteres & elatos spiritus deposuerant. Graviter enim ferebant, hac civitatis concordia opes suas, quibus reliquos solebant anteire, paulatim imminui, seseque in ceterorum ordinem cogi. Sed neminem ea res æque angebat, atque Joannem Ludovicum Fliscum, Lavaniæ Comitem, magnæ potentiæ, magnarumque opum adolescentem. Is præter communem indignationem, suos etiam privatim stimulos habebat. Ingenio enim natura elato; ad hoc clara gente ortus, quam Auria familia nullis partibus existimaret inferiorem, multorum præterea oppidorum & castellorum dominatu præpotens, Joannis Auriæ opes supra suas excellere, iniquo animo ferebat. Vulnerabant adolescentis animum viginti triremes; quarum administratio ab Andrea patruo jam tum Joanni permissa; & successio, una cum summo maritimarum rerum imperio, haud dubie destinata; summam, ut in maritima civitate, auctoritatem & potentiam Joanni conciliabant. Augebant indignationem, ipsius Joannis elati spiritus; pauloque asperius ingenium, secundo rerum cursu inflatum. Is nobilium adolescentium catervis stipatus, vultu ac responsis, non solum Joanni Ludovico, quem & ipsum contemnebat, stomachum faciebat; sed plerisque civium paulo gravior liberæ civitati videbatur. At Fliscus contrariam morum rationem ingressus, comitate, & quodam blanditiæ artificio, hominum studia ad sese attrahere nitebatur. Quas res formæ dignitas, orisque & oculorum amabilis quædam hilaritas, mire adjuvabant. Quare, cum Nobilitatis juventutem totam fere Joannis esse cerneret; ad popularem rationem conversus, ex cognita animorum irritatione occasionem, ac spem sumens consiliorum ad effectum perducendorum; primarios ejus generis adolescentes benigne appellando; in eorum cœtus familiariter sese insinuando; omnique ratione iis venditando; illorum sibi voluntates adjungere studebat. Igitur, cum intelligeret, sibi cum Joanne haudquaquam parem contentionem esse: quod in maritima

tima civitate majora essent navalium quam terrestrium copiarum momenta; iis quoque sese muniendum statuens, quatuor triremes de Petro Ludovico Farnesio, Placentinorum ac Parmensium Duce, emit: cum quibus sub Romano Pontifice mereret: cujus conditionis stabiliendæ, atque amicitiæ cum Farnesia gente confirmandæ causa, Romam proficiscitur. Erant Farnesii, Andreæ, & Joanni in primis, infensi; ob acceptam paucis illis annis contumeliam. Joannes enim jussu Andreæ, indignantis, quod in controversia de hæreditate cujusdam propinqui sui, parum sibi æquum judicem Romanum Quæstorem arbitraretur; eas ipsas quatuor triremes, cum in illum, nihil hostile metuentes, forte incidissent, haud veritus Pontificis Romani majestatem, ceperat; & Genuam captivas abduxerat: quas tamen Andreas, monitus à Cæsarianis Ducibus, quod ea res magnam invidiam Cæsari, sub quo merebat, magnosque motus in Italia esset excitatura, illico dimisit. Igitur Farnesii, iis injuriis irritati, cum haud dubium esset, sese Auriæ animum, æmulo potentiæ opponendo, haud parum offensuros, triremes Flisco cupide vendunt; seque illius opum amplificandarum adjutores fore profitentur. Quin etiam fama est, Fliscum, Farnesiorum consiliis imbutum, eorumque in primis hortatu, ad consilia de cæde Joannis, impulsum. Quæ tamen res nunquam constitit: cum multos annos post cædem Petri Ludovici, de intimo illius familiari, ac scriba, qui fuit ei in omnium rerum consilio, etiam tormentis esset quæsita.

Cum auditum esset Fliscum triremes comparasse; Joannes Caraciolus, Melphiæ Princeps, qui cum non paucis Neapolitanis Proceribus, in bello Neapolitano ductu Lautrechi gesto, à Cæsare defecerat; Gallorumque partes secutus, in Gallia exsulabat; ac Provinciæ subalpinæ in Italia erat Præfectus; cupidus, quantas plurimas posset, Italorum clientelas Regi Gallorum adjungere; animum Flisci magnis propositis præmiis tentare cœpit; quod etiam prius, Augustinus Trivultius Cardinalis Romæ fecisse dicitur; simul ostendit, cum duæ sint Italis hominibus crescendi viæ, altera Gallorum, altera Cæsaris; errare illum, si putet sese per Cæsarem, qui totus in Auria gratia & meritis possideatur, in altum aliquem dignitatis locum unquam adscensurum: proinde delatas conditiones, si saperet, ne omitteret; sibi præsertim amplas & honorificas. Erant enim sex triremium (si tot comparasset & instruxisset) & ducentorum peditum, in arcis Montobiæ custodiam, stipendia; item turmæ equitum præfectura; qui honos apud Gallos in amplis habetur; tum in domesticum cultum, in singulos annos, duodecim millia Francorum nummûm. Quas conditiones Fliscus non adspernatus, rem communicat cum Joanne Baptista Verrina, juvene impigro, nec mediocris inter populares gratiæ & auctoritatis. Intercedebat Flisco cum homine plurimus usus, ac summa multorum officiorum necessitudo: nam cum Fliscus in magna esset nummaria difficultate, Verrina pecuniis, partim suis, partim sua fide mutuis sumptis, pretii triremium magnam partem Flisco confecerat: quo beneficio devinctus Fliscus, in magno honore & benevolentia hominem habebat, plurimumque illi ex omnibus amicis fidebat.

Erat Verrina vir, cum magni animi, ac magna spectantis, tum Nobilitati in primis infensus: ad commune enim odium, privatas ipse multarum injuriarum causas se habere existimabat. Quare præsentem statum Reipublicæ, in quo nullum sibi locum unquam fore speraret, convellere cupiebat. Ad hoc, æris alieni magnitudine oppressus, cum privata vulnera sese non diutius tegere posse consideret, turbandarum ac miscendarum rerum consilium sibi in omnes partes aptum existimabat. Nam, si infeliciter res cecidissent; fore, ut privatim cadendi necessitas in communi tam multorum ruina lateret: ut minus pudendum homines ducunt, communi incendio, quam privato conflagrare: si consilia processissent; tum vero se in magnam potentiam, magnasque opes perventurum. Ejus vero rei, atque omnem dignitatis suæ spem in Flisci fortuna positam habebat: apud quem se omnia posse intelligebat. Igitur, cum novum hoc consilium, rei, quam intendebat, maxime adversarium intelligeret; Fliscum ab eo magnopere deterrere instituit; suam illum causam ignorare affirmans: quippe quod ea res ad eam amplitudinem, quam spectaret, non modo iter nullum expediret, sed in primis obsepiret: neque enim illum tam rerum ignarum esse aut dubitare debere, quin ea res ipsum Genua esset exterminatura. Nam neque Andream, qui summam maritimarum rerum à Cæsare obtineat; neque cæteros primarios cives, quorum voluntates arctissimis vinculis Cæsari constrictæ sint; quod eorum omnis fere res in Provinciis & Regnis Cæsaris versetur in fœnore, vectigalibus exercendis, aliisque quæstibus occupata; Genuæ esse passuros eum virum, qui res ad Gallorum partes trahere nitatur: neque debere illum sperare, sese Andreæ & cæterorum potentiorum civium consentientibus studiis in ipsum unum incumbentibus, posse resistere. A Patria autem procul amandatum, quid tandem illum pro Gallis posse moliri? Gallis porro ipsis, cum intellexerint nullam in illo ad res Genuæ mutandas opportunitatis partem esse; an non subito in contemptum venturum? Ita fore, ut ejus nomen & auctoritas, tantis nunc præmiis expetita, brevi debilitetur & consenescat. Præposteram igitur illum consiliorum rationem ac viam instituisse. Nam prius Genuæ potentiam stabiliendam esse: qua constituta, ejus amicitiam ab externis Regibus certatim, atque amplissimis quibusque conditionibus expetitum iri. Quare si ulla colloquia cum Gallis sint instituta, ea quocunque discuteret modo, & ad splendidiora animum converteret.

Mirabundo Flisco, ac quærenti, ad quænam splendidiora sese ille vocaret; Verrina, non magis splendida sunt, inquit, quæ suasurus sum, quam tibi necessaria: neque ad illa suscipienda tam ego te voco, quam tua salus impellit. Tu, quæ sunt felicium mentium cogitationes, dignitates, opes, summum in civitate locum, maritimum Regnum, gratiam Regum animo agitas: quas ego res ut non reprehendo, ita salutis rationem tibi priorem esse debere censeo. Licebat tibi, Ditionibus, quas peramplas possides, eaque, quam tibi Majores tui reliquerunt, sorte contentum, quietam & tranquillam ætatem procul à turbis & dimicationibus agere. Cæterum tu majora animo amplexus; dum ex perpetua domus tuæ fortuna altiorem gradum adscendere conaris; in præcipitem locum te, domum, fortunam tuam improvide dedisti. Nec dubium est, quin te imminentia discrimina brevi sint oppressura; nisi tu illa consilio & audacia properas discutere. Alterutrum igitur tibi eligendum est; ut, aut ad otiosam & privatam vitam, quam parens tuus secutus est, dum integrum adhuc est, redeas, teque ab omnibus turbis & procellis eximas: aut, si ea, quam ingressus es, via tibi magis cordi est; à nulla re, quæ illam necessario consequitur, abhorreas. Iniquo esse in te Joannem Auriam animo, graviterque tuam istam triremium accessionem ferre; si non hominis vultus, si non verba à nimio dolore inter-

interdum expressa indicarent; ratio te ipsa satis docere posset. Navalium enim rerum arbitrium, ac dominatum, quem sibi uni totum cupiditate, & haud dubia spe, jam pridem destinavit, tecum communicandum intelligit. Cujus rei, homines adeo alienos participes nolunt; ut ne fratres quidem socios ferant: quin etiam parentes ipsi non dubitent filiorum sanguine, si illorum cupiditas eminere & suspecta esse cœperit, securam ac stabilem Regni possessionem sibi firmare. Speras igitur Joannem ea in re tibi parsurum; quæ parentum in filios, filiorum in parentes dextras soleat armare? ac dolorem tam alte animo insidentem, ut ne vultus quidem dissimulatione tegi possit, in verborum semper contumelias, ac non aliquando in tuam perniciem erupturum? Cujus à te avertendæ una omnino est ratio; si illam ipse in caput machinantis verteris. Etenim, cum fortuna eam utrique vestrum necessitatem imponat; ut alterius salus, alterius peste sit expedienda, is sapientior profecto fuerit, qui in necessario consilio anteverterit: ac sic secum statuerit, nullum esse locum moræ in eo conatu, qui utrique necessarius, eum evertat necesse est, cujus cunctatio, alterius celeritate opprimetur. Posses tu Joanne sublato esse contentus, ni præpotentibus atque acerrimis superstitibus vindicibus, non tam Joannis cæde pestem à te removisse, quam majorem discriminis molem tibi conflasse videreris. In eodem igitur facinore amplectendi sunt Andreas ipse Auria, rerum caput, Adamus Centurio, ac reliqui illius Factionis Principes. Hæc una est arx salutis & dignitatis tuæ: hoc unum consilium vitam tuam à circumsistentibus insidiis vindicat: hoc tibi eam, quam spectas, potentiam & auctoritatem parat: hoc tuam amicitiam à maximis Regibus ultro ac certatim expeti faciet: hoc illos ad tuas conditiones adducet: hoc tibi immensas opes, amplissimas ditiones accumulabit. Neque vero, inimicis & insidiatoribus sublatis, perfectum opus tibi debes arbitrari: sed ita statuere, opes tuas, non aliter, quam civitatis imperio, posse stabiliri; mutabilia mortalium ingenia, amicorum parum stabilem fidem, rerum humanarum incertos casus tecum reputans. Hoc inter privatam fortunam & maximarum rerum spem interest; quod in privatis cogitationibus mediocritas tutissima est: at in magnis conatibus, terminus, quousque progrediare, statui nullus potest: neque fortunæ modus nostri est arbitrii, sed mediis consiliis abscissis, ad fastigium enitendum est, aut ad exitium præcipitandum. Neque te, si quicquam est in te animi ac roboris, à veris & solidis consiliis, quæ necessitas laudabilia facit, inanes rerum species debent abducere: quod Patriæ libertatem ereptum ire videaris. Nam, quem tandem superbissimorum hominum dominatum, libertatem appellant? aut quæ Genuæ potest esse libertas? Vix in optima civitate, in concordia civium, in moribus integris libertas habetur. At in tam corrupta urbe, in tam discordantibus civium animis, in tantis inter se partium studiis, in tam profligatis moribus, nullus est inter dominationem & servitutem libertati relictus locus. Tibi igitur Genuæ imperandum, aut serviendum est, Flisce: utrum potius ducas, tecum statue. Si imperium amplecteris; ad quod te & familiæ splendor, & Majorum gloria, & locus, quem illi in hac urbe perpetuo obtinuerunt, vocat; nulla res, quæ hanc cogitationem necessario consequitur, tibi est abominanda. Quid, quod hoc consilium non magis tibi amplum ac necessarium, quam tutum est? Quamquam ingentia facinora ardua esse solent, nec sine ingentibus discriminibus fere fiunt: quæ tamen fortes ac magni animi viros à summis præmiis petendis haudquaquam deterrent. Verum ab hoc quoque incommodo te fortuna eximit. Primum, ipsi Andreas & Joannes, ut in nullo tali metu, solute & negligenter agunt; summa domi solitudo; nulla custodia; nulla clientium aut familiarium turba: Ipsi domi & in publico sine ullis corporis stipatoribus; (eam solam privatæ moderationis speciem retinent, in cæteris rebus impotentissimi Domini) triremes cum solo fere remigio, nullo præsidio firmatæ; in urbe trecenti omnino sunt præsidiarii milites. Quid igitur negotii erit, cum tu firmissimam ac fidelissimam quingentorum ex clientibus ac tibi subjunctis manum corrogaris, Andream & Joannem incautos, loco & hora destinatis, improviso deprehensos obtruncare? atque è vestigio portula interioris portus à terrestri parte refracta, & ostio à maritima, ab una ex tuis triremibus insesso, triremes in tuam potestatem redigere? Hoc tibi primum opus exsequendi consilii esse volo. Cujus perficiendi præcipua spes est in popularium odio, quod inexpiabile in Nobilitatem gerunt: quorum non exiguæ partis studia jam ego ad te attraxi, ac porro attrahere non desisto: ut intelligas, me non magis verbis, quam sedula impensa opera consilium juvare. Cum his populare te imperium volo proclamare. Ad quam vocem, non est dubitandum, quin plebs subito sit consurrectura, & exemplo primariorum, quos tecum videbit, & insita rerum novandarum cupiditate impulsa. Quid tum animi Magistratui fore putas, cum pauculis illis præsidiariis? Ne ullas quidem satis tutas, aut occultas latebras sibi putabunt, adversus tantam in se intentam vim, ne dum illi sese sint opposituri. Tu quod facere decreveris, bene ac feliciter tibi volo evenire: mea quidem fides tibi suspecta esse non potest in eo consilio; quod non magis verbis dare, quam opera, eaque nec segni, nec socordi subsequi paratus sum: quæque eisdem me tecum discriminibus objicit, atque adeo longe iniquioribus in utramque fortunam conditionibus. Si enim eventus incœptis non responderit, idem me tecum interitus manet; cum minore pœnæ subterfugiendæ spe, si consilia processerint; tu summum imperium, qua re nihil majus homines in hac vita à Diis immortalibus expetere possunt; ego eam, quam tu esse volueris, fortunam, fumus habituri.

Sua sponte in omnia vasta & præcipitia propensum animum, tantæ rei spes oblata in assensum facile traxit. Igitur consilio probato, omnique Gallorum cogitatione abjecta, duobus ex familiaribus suis, Raphaele Sacco Saonensi Jurisconsulto, & Vincentio Calcanio cubiculario, ditionisque suæ homine, adhibitis, cum rationem rei gerendæ expedire inciperent, inter Verrinam & Calcanium de toto consilio sententiis certatum est. Calcanius enim vereri se magnopere dixit, ne illud ejus generis consilium sit, quod specie planum & facile, experiendo arduum & impeditum evadat. Liquidius enim se doceri cupere, quid in tanta re suscipienda spectetur? nam si id solum pugnatur, ut popularis Respublica instituatur, ne ipsum quidem Verrinam dicere ausurum, tanti Flisci interesse; quæ Reipublicæ forma Genuæ sit, popularis ne, an Optimatum; ut ea de causa Nobilitatem delere (id quod necessario faciendum est) in animum inducat: tantamque invidiam nomini suo conflare non dubitet: tum prætera se, fratres, fortunam, domus, tot ditiones in tantam aleam dare. Unum igitur tanti certaminis ac discriminis pretium esse, civitatis imperium. At ad illud perveniendi, quam tandem expe-

 ditam

ditam, aut exploratam viam ostendi? ut enim popularium studia in Nobilitate delenda Fliscum habiturum, non sit desperandum, longe tamen in illis alium animorum habitum fore in regno Flisco concedendo. Superiorem enim rem popularem esse, popularibusque natura insitam; ab hac illos vehementer abhorrere. Illudque esse nonnullorum populorum ingenium, cujusmodi esse Genuenses constat, ut libertatis, quam veram & integram habere nesciant, speciem tamen obstinate retineant. Non esse igitur dubitandum, quin, cum Nobilitate partim deleta, partim urbe exacta, tot armatorum millia congregata fuerint; unus aliquis popularis Reipublicæ nomen subjiciat: prima voce missa, ut in talibus rebus fere fit, reliquos assensuros, popularemque Rempublicam conclamaturos & instituturos. Tantæ autem armatæ multitudini, quomodo Fliscum cum exigua illa clientium & sectatorum manu, quam corrogaturus est, restiturum? illud potius vel maximum esse periculum, ne Fliscum, quem solum Nobilitatis nomen magis invisum popularibus facere possit, quam recens meritum commendare, si regnum affectare senserit, tamquam unicum communi ac populari imperio impedimentum, ipsum quoque de medio tollant. Neque vero sperandum esse, recentis meriti verecundiam illos à facinore patrando retardaturam; quin potius perniciem & interitum Flisco acceleraturam. Ingentibus enim beneficiis, quæ magnitudine remunerandi facultatem multum antecessere, illud præmium reddere homines solere; ut, quoniam pari gratia referenda, eo veluti prægravante onere se liberare non possint; illo, qui beneficium dedit, quique meritum exprobrare videtur, de medio tollendo, se exsolvant. Proinde etiam atque etiam rem considerandam; neque cæca cupiditate se in tam præcipitem casum dandum: ingentis enim mali sibi non dubiam conjecturam, sed certam speciem in oculis versari. Non sibi quidem Verrinæ fidem, aut prudentiam dubiam esse; quam utranque multis locis perspectam habeat; verum magnopere vereri se; ne ille cupiditate ulciscendæ Nobilitatis cæcatus, in quam hominem exsecrabili odio efferatum esse constet; non omnia, quæ in tanta re providenda sint, in consilium adhibeat. Proinde rem diutius coquendam. Omnem enim in magnis rebus properationem improvidam & præcipitem esse.

Ad ea Verrina, magna facinora discriminum plena semper fuisse respondet; quæ tamen fortium & strenuorum animos nunquam fregerint: hancque in primis esse inter ignavos, & acres viros differentiam; quod illi incertorum periculorum metu, certam perniciem à se removere non audeant; sed socordes & desides sese proculcandos præbeant: contra, magnos & erectos imminentia mala, audacia discutere; dignitatisque suæ vindices, pro libertate & decore omnem fortunam experiri; non tamen sese in ancipites casus temere & incaute demittere; sed quæ ratio suadeat, ab iis formidine non abduci. Quare, quæ Calcanius proponat, ea evenire posse, ni ante, ne eveniant, provisa sint. Verum non ita suam incogitatam fuisse rationem; ut eadem non sibi quoque in mentem venerint, & in omnem eventum præparata & disposita sint consilia: neque enim deleta & expulsa Nobilitate, populoque armato, censere se, ut Fliscus Regnum subito invadat; sed astu (ut in omnibus magni moliminis consiliis necesse est) rem ducendam esse; populariumque primoribus demonstrandum à Flisco, sese nihil spectare, quam, ut publicæ & veræ libertati officientibus sublatis, commune omnibus ac populare imperium Genuæ instituatur: aliquam igitur Reipublicæ formam omnibus æquam sibi & illis cogitandam; rogareque proinde se omnes, ut dum ipse in motibus sedandis, ac rebus pacandis, omni cura est intentus, ipsi interea rem animo secum agitent, ac sermonibus inter se versent; & omnibus diligenter circumspectis conveniant, ac pro se quisque in medium consulat; atque aliqua optimæ Reipublicæ instituendæ forma ineatur. Hoc laxamento cogitationibus dato; interea dum illi deliberant, & inter se commentantur, Flisco duo armatorum millia ex sibi subjectis, quos ad portas ex ante præparato præsto habeat, in urbem pluribus ac separatis agminibus introducat; per speciem plebejorum licentiæ, qui in turbidis & commotis rebus habere modum nesciant, cohibendæ: ac paulo post, duo altera millia à Petro Ludovico Farnesio, Placentiæ Duce, accersenda, & in urbem similiter introducenda: quæ illum cupide missurum, haud dubitandum sit; quippe qui tam sæpe, ac tam prolixe, omnes suas vires Flisco detulerit: deque ea re jam nunc Farnesio scribendum; ut eas copias in Liguriæ confinibus quamprimum contrahat; ne sint in mora, sed simulatque accersitæ fuerint, accurrant. Tam firmis præsidiis septum Fliscum, enimvero tum cives veluti ad deliberandum de publicis rebus, ac Reipublicæ formam sanciendum, convocaturum: qui cum frequentes in aulam maximam togati convenerint: tum se Verrinam, qui cum consciis Flisco assidebit, consurrecturum ac verba facturum, proque sententia dicturum, nullam tutiorem in tantis motibus, tamque diversis hominum studiis, neque salubriorem esse Reipublicæ formam, aut præsenti rerum statui magis aptam, quam, si civitas ab uno regatur. Id unicum esse ac certissimum discordiarum remedium: proinde (quod felix faustumque sit) se suffragio suo imperium Flisco deferre; Ducemque Genuensium illum creare: Diademaque sinu promptum, capiti Flisci impositurum, simul in illius imperia juraturum, claraque voce ejus nomen subjecturum: neque dubitandum, quin omnes idem facturi sint, re subita oppressi; nemineque, præ tot circumsistentium armatorum terrore, contra tendere audente. Discurrendum deinde tota urbe, ac nomen Flisci, Genuensium Ducis, lætis clamoribus & plausibus subjiciendum. Facile assensuram plebem; quæ nusquam alio quam ad serviendum nata, utrum ab uno, an à pluribus regatur, in nullo discrimine ponat.

Consilio Verrinæ probato; rem quomodo geri placeat constituunt. Summa fuit, Andream & Joannem, ac reliquos illius Factionis principes convivio exceptos, trucidaret; ac reliqua fierent, quæ Verrina censuerat. Farnesio scribitur, ut copias conscribat: quod ille è vestigio facere instituit. Mittuntur etiam, qui in Flisci ditione occulte homines contrahant; qui simulatque Fliscus annuerit, præsto sint: unaque ex triremibus, quæ ut ad omnes casus, & ad subita Flisci consilia parata esset, stipendiis Pontificis consulto præterita fuerat, Genuam accersitur, per causam sumptus sui in Piratica exercendi: per eandem triremis instruendæ speciem, ex ditionum suarum hominibus fortissimum & audacissimum quemque, quem ad omnem vim & facinus paratum haberet, evocat. Ipse interea dabat operam, ut non modo popularis juventutis principes jam devinctos, omni sese illis ratione venditando, ac popularem Rempublicam non tam verbis, quam significatione ostentando, retineret; sed nova etiam studia sibi adjungeret; ac quam plurimos posset ex omni genere homines undique amicitia comprehenderet: quam rem, cum ipse, usitato blanditiæ artificio, tum Verrina egregio voluntatum conciliandarum artifice, administro, facile assequebatur: nec minore interea opera, omnem suspicionem ex tam familiari cum populari juventute consuetudine, apud

Nobi-

Nobilitatem deteſtari ſtudebat. Ad omne enim ſimulationis artificium animum verſans, domum Andreæ familiariter, ac crebrius etiam, quam antea ventitando, parvulos Joannis natos amplexando; omni denique pietatis & obſequii ſimulatione ſenis canitiem eludebat: tantumque iis artibus perfecerat, ut Andreas, monentibus ut ſibi à Fliſco caveret, quem magnum aliquid animo agitare haud dubium eſſet, fidem non haberet. Quin etiam, cum res in ditione Placentina non ita occulte adminiſtrari potuiſſent, ut non manarent; Ferdinanduſque Gonzaga per exploratores comperiſſet, Fliſci nomine delectum haberi; iſque Mediolano per literas Andream monuiſſet, ut caveret; Fliſcum enim res novas Genuæ moliri, atque occulta conſilia ad illum opprimendum ſtruere, ſibi cognitum, exploratumque eſſe; palam dixerit, non ſe poſſe adduci, ut credat; tanti ſceleris facinus, tanta ingenii morumque ſuavitate, tamque prope cœleſti adſpectu tegi.

Igitur cum omnia ſatis parata eſſent, ac dies facinori deſtinatus appropinquaret; incidit res, quæ conſilium tardavit. Andreas enim ſubito morbo implicitus, ad convivium venire non potuit: qua ſpe Fliſcus, & ſocii dejecti, rem in aliud tempus differre coguntur: conſiliumque in noctem conferre, tutius & exploratius viſum. Ea fuit nox ante quartum Nonas Januarias: dies, qui eam noctem antecedit, cum veniſſet; Fliſcus, ut firmioribus ſeſe præſidiis ad rem conficiendam communiret; nonnullos ex militibus publicis civitatis ſtipendiariis, in ædes ſuas congregat: quam rem cum ad Andream deferri neceſſe eſſe intelligeret; ſuſpicioni antevertens, cum de more illum adiiſſet; poſt hilares ac blandas ſalutationes, non poſſe ſe, ait, ſtipendiariorum militum, quibus domum refertam habeat, ſtudiis reſiſtere; qui ſe precibus fatigent; ac locum ſibi in triremi, quam ea nocte in Piraticam miſſurus ſit, depoſcant: proinde ne miraretur, ſi vel bombardarum, vel alterius rei ſtrepitum, ea nocte, ex portu exaudiſſet. Nox cum veniſſet, circiter quartam horam, domum Thomæ Aſſereti, in qua adoleſcentium popularium conventus ex conſuetudine habebantur, profectus, omnes, quicunque ibi reperti ſunt (fuerunt autem ad tres & viginti) ſecum ad cœnam, in ædes ſuas ducit. Eæ in edito urbis loco, in hortis Carinianis, ad Divæ Inviolatæ, ſitæ, procul à continentibus ædificiis, in primis idoneæ erant ad tumultus & ſtrepitus occultandos; quos in tanta turba atque armorum tractatione fieri neceſſe erat. Ac Verrina à ſe dimiſſo; qui, & publicas, & Andreæ ædes, cæteraque urbis loca circumiens, exploraret num qui motus, aut num qua ſuſpicionis ſignificatio, uſquam fieret; Juvenes in cubiculum ſeductos ita allocutus fertur. Ad cœnam vocatos, Juvenes, nullis vos opiparis epulis accipere potui, quam quibus tot annorum aviditatem expleretis. En optatus dies venit: en oblata eſt facultas omnibus votis expetita, tot Nobilitatis injurias & contumelias ulciſcendi. Omnia enim vobis præſto ſunt multorum menſium diligentia mea parata: ſtrenuorum ac fideliſſimorum Juvenum, omneque diſcrimen pro me ſubire paratorum, egregia ac numero etiam firma intra urbem ipſa contracta manus; infimæ plebis ſtudia ad meum nutum conſurrecturæ; externa Principum auxilia, quæ in propinquo ſunt; popularis nominis cives, qui omnes fere cognationibus & affinitatibus vos attingunt, eadem qua vos indignatione ardentes; qui ſimulatque triremes in poteſtate noſtra viderint, & adverſariorum Duces ſublatos (utrumque autem mihi facile & expeditum eſt) conſilia ſunt nobiſcum conjuncturi: cum contra inimici noſtri ſecurum ævum degentes ab omnibus rebus imparati ſint. Diis igitur bene juvantibus, ad rem exſequendam properemus: ad quam cohortandi mihi non eſtis, Juvenes, qui mihi ardore & ſtudio debetis præcurrere: neque enim ego vobis hujus conſilii auctor ſum, ſed vos potius mihi, qui me aſſiduis querelis veſtris ad illud impuliſtis, indignitatibus & acerbitatibus, quibus vos per hos annos inimici veſtri preſſerunt, & nunc cum maxime premunt, accenſum: in quarum rerum ſocietatem, tantum abeſt ut illi me, qui ex illorum corpore nemini ſecundus ſum, perducere unquam potuerint; ut contra, me ab illorum cœtu ſubduxerim, ac ſtudia vobiſcum conjunxerim; & honeſtatem cauſæ ſecutus, & Majorum meorum veſtigia imitatus; quos idem ſæpe feciſſe accepi. Qua de cauſa nunc illis magno in odio ſum. Verum ego ejuſmodi hominum odium & gratiam in æquo pono. Cæterum acriores ſtimuli ad ultionem petendam eſſe debent vobis veſtræ injuriæ, quam mihi dolor ex veſtris injuriis: qui nulla re ſum ab illis privatim læſus; ac veſtram tantum vicem indignor. Nam per Deum immortalem, cui tanta arrogantia non ſtomachum faciat? aut quid eſt, quod illi tantopere vos contemnant; ac nullo numero vos eſſe velint? perinde quaſi illi è cœlo, vos omnes è cœno nunc primum exſiſtatis: ac non plerique è vobis honeſtiore loco, ac clarioribus Majoribus, quam plerique eorum orti ſint. Jam vero cujus tandem eſt injuriæ ac ſuperbiæ, leges Duodecimvirales tanto totius civitatis conſenſu ſancitas perfringere; quibus omnium ordinum dignitas exæquata eſt; Factionumque nominibus plane exterminatis, unum totius civitatis corpus conflatum eſt; parque dignitatis locus (quod tuendæ concordiæ in primis eſt accommodatum) omnibus in Republica conſtitutus? Hanc ſanctiſſimam legem, qua tranquillus civitatis ſtatus continetur, labefactare, atque adeo evellere; quid aliud eſt, quam civiles diſcordias, quæ conſopitæ videbantur, excitare; ac civitatem in antiqua mala redigere? nullus enim ad turbas & ſeditiones excitandas acrior eſt ſtimulus, quam honoris & dignitatis contentio. Quod eo indignius eſt illos conari; quod in hac ordinum æqualitate, illi à vobis maximum, vos ab illis nullum beneficium habetis; ſummo civitatis imperio, ac Ducali honore, qui veſter ſemper fuit; cum illis, pacis & concordiæ cauſa, ſponte communicato: quæ res in reliquis liberis civitatibus magnarum dimicationum ac turbarum ſemper cauſa fuit. Indigna hæc per ſe ſunt, ac non ferenda; verum alia longe atrociora inſtant: quæ vos non patiar diutius ignorare. Joannes enim Auria, quem iſti Ducem ſibi aſſumpſerunt; (cujus viri intolerabilem ne ſuperbiam, & arrogantiam, omniumque hominum contemptum, an immanem cupiditatem & ambitionem prius deteſter?) non contentus principe in civitate loco, ad altiora jam tendit, atque imperio animum adjecit; ejuſque rei, quod mihi compertum eſt, à Cæſare diploma habet. Verum, quo minus conſilium nefarium exſequatur, ego ac fratres mei ſumus in mora: quos de medio tollere molitur; ut inchoata conſilia, nemine obſiſtente, ac reliquis cæde noſtra perterritis, ad exitum perducat. Mihi igitur prævertendum eſt, Juvenes, ne ſedens opprimar. Properemus igitur ad juſtas pœnas expetendas ab iis, qui mihi animam, vobis libertatem eripere ſtudent. Neque in eo conſilio cunctandum eſt, quod antea probandum ac laudandum, nunc patriæ charitas, & ſervitutis periculum etiam neceſſarium & pium faciunt: neque debet quiſquam ab eo, aut timore deterreri, aut quod ſeſe in nimis præcipitem caſum dare vereatur, retractare: nam ut omittam, tuta & quieta conſilia iis, quibus ſecundæ res ſunt, apta eſſe, oppreſſis, ab audacia

subsidium petendum, nullum discrimen adimus. Omnia enim, ut in nulla re suspecta, illis sunt soluta & neglecta; nullæ custodiæ; nullæ vigiliæ; nullum in triremibus satis validum præsidium: primaque nunc quies omnes veluti sepultos tenet. Incredibilique nostra felicitate fit, ut necessarium consilium cum pietate ac summa etiam securitate conjungatur. Illud extremum res me pronuntiare invitum cogit. Si quis vestrum tanta sit perfidia, qui me in eo consilio deserat, quod causa in primis vestra sum ingressus; is sciat meam & cæterorum, quibus septi estis, dextras in se veluti proditionis noxium armatas.

Cum perorasset Fliscus, tantæque ac tam subitæ rei stupor omnibus vocem primo inclusisset; simul armatorum circumsistentium horribilis offusa oculis species animos defixisset; præsens pavor futuri discriminis metum vicit: cum magis non probare, quam non sequi consilium sese posse intelligerent: secuturos se igitur quo duxisset, profitentur. Duo tantum fuere, qui, sive vero, sive simulato timore, societatem deprecati sunt: cum non veriti essent confiteri, sese tractandorum armorum insolentes, tela horrere; ac simulac gladios eductos viderint, trepidatione sua, & fuga, turbandis potius rebus, & imminuendis reliquorum animis, quam ulli auxilio futuros. Venia data est à Flisco suam ipsis ignaviam confitentibus: hominesque cubiculo sunt inclusi. Interfuit orationi Paulus Pansa, jam inde à prima ætate in Fliscorum domo educatus, vir gravis, & quieti ingenii. Is mentionem facinoris abominatus, *Ne istud*, inquit, *Deus immortalis sinat, permittatque, ut tu nefario ac præcipiti consilio te, fratres, domum, rem, famam perditum ire properes:* atque in lachrymas effusus, Fliscumque complexus, ac paulum seductum, matreque adhibita, per infelicem senectam suam, per familiaritatis necessitudinem, ac per quæcunque jura homines inter se conjungunt, orare, obtestarique cœpit; ne se perditorum hominum consiliis abduci pateretur: neve impotenti regnandi cupiditate ita raperetur; ut non ad atrocitatem facinoris atque discriminis magnitudinem cogitationem converteret. An tu, inquit, omnia divina & humana jura violare ac perfringere pro nihilo habes? Non horret animus totam Nobilitatem, qua incolumi consilia tibi procedere non possunt, insontem & immerentem ad cædem destinare? Andreæ ne Auriæ, qui pro multis suis in te meritis, ac paterna benevolentia, parentis sanctitatem apud te obtinere debet, quemque longa ætas, perpetuusque tenor vitæ sine noxa in hac urbe actæ, eximiaque in patriam beneficia omnibus venerabilem faciunt, tu unus, qui pro ejus salute, si quis illum petat, latus ipse tuum ultro opponere deberes, inventus eris, qui mortem per summam crudelitatem offeras? Hanccine Majorum tuorum gloriæ, à qua tantum accipis splendoris, gratiam reddis? Hoc scilicet à te reposcunt, Innocentius Quartus, & Hadrianus Quintus, Pontifices Maximi; ut Fliscum nomen, quod illi eximiis virtutibus suis tam clarum relinquere semper studuerunt, tu tanti parricidii macula (suo enim nomine res appellanda est, nec potest verborum præstigiis facti turpitudo opprimi) fœdares? Age, si nullum jus est tam sanctum, quod non exsecrabilis dominandi cupiditas violet; quæ tanta te mentis cæcitas tenet, ut incerta & præcipitia, tutis & exploratis anteponas? An non vides Joannis Auriæ superbiam, & elatos spiritus, omnibus nimios jam videri? ac liberæ civitati in dies graviores esse? Quid dubitas, si tu contrarium vitæ cursum teneas; moderationisque documenta dando, te illius dissimilem ostendas; quin civitatis studia in te paulatim sint inclinatura? tuque æmulo sublato, qui iis moribus diuturnus esse non potest, summum in civitate locum obtenturus sis? summæ sapientiæ loco semper fuit, alienæ stultitiæ eventum ex tuto operiri. Quid igitur contendis spes tuas improvida festinatione anteire? atque ea, quæ cum tarda securitate veniunt, cæca cupiditate evertere? Turbulenta & præcipitia consilia iis tantum apta sunt; qui privatim degeneres, domi egentes, omnibus contempti, nullam spem privatis vulneribus medendi, nisi ex malis publicis habent: quique in adverso consiliorum eventu nihil damni, vel in fama, vel in re faciunt; ab omnibus iis rebus jampridem destituti. Qua vero spe tam præceps consilium ingrederis? aut quibus opibus subnixus, tantam rem moliris? An animos tibi faciunt pauculi illi ex infima plebe, quos tecum habiturum speras? qui egentes, & inermes, tum autem subitis mutabiles, si fortuna vertat, eadem mobilitate, qua te secuti fuerint, deserturi sunt atque etiam oppugnaturi. Exemplo tibi sint innumerabiles aliorum eventus, quam parum stabilis spes in vulgi favore collocetur. Popularisne nominis cives ad te attracturum speras? an tot graves viros, tam levi aura mobiles putas; ut ad tuam vocem de tanta re consilium sint capturi? ac societatem tecum inituri sint ii, à quibus consilia separaris; ut tanquam pecudes ad tuum nutum circumagi videantur? Documento sint, quid animi viri graves ac firma ætate habituri sint, pauci isti adolescentes, armis tuis circumsepti: quorum etsi nonnulli lætum assensum vultu præferunt, plerique tamen mœsto silentio, quando nulla alia re audent, tuum istud factum haud obscure improbant: quin potius verisimile est, illos (id quod in ejusmodi rebus usitatum est) suspicaturos te libertatem & popularem Rempublicam prætexendo, cujus auctorem te ex Nobilium corpore merito suspectum habebunt, dominationem tibi, & ipsis servitium moliri. Dubitas igitur, quin hic metus, quamvis diffidentes inter se Nobilium & popularium animos sit conjuncturus? ac quin illi sociatis consiliis, arma adversus communi libertati insidiantem versuri sint?

Pergebat Pansa preces consiliis miscens, hominem à pravo incœpto revocare, cum Verrina, quem ad explorandum civitatis statum missum diximus, supervenit: seque omnia loca adiisse, omniaque diligenter perlustrasse renuntiat: omnia tranquilla & quieta esse, & ipsorum conatibus opportuna: tum præterea triremem paratam, atque omnia composita: non igitur jam esse cunctandum. Quare Fliscus, responso dato; in eum se locum progressum, ut nullus jam sit regressus, aut pœnitentiæ locus; Pansam gementem, ac fati iniquitatem, hominumque scelus accusantem, relinquit: ac, de omnium consilio, munera in hunc modum partitur: Triremis Præfecto imperat; ut cum triremi ad angustas interioris portus fauces, in quo triremes Auriæ erant in hybernis, insidendas proficiscatur: Othobonum fratrem mittit cum armatis, ad portam Divi Thomæ occupandam; qua occupata, ad ædes Andreæ accedat, (eæ sunt prope à porta, extra urbem sitæ) ibique ipsum & Joannem obtruncent: Cornelium, alterum fratrem, nonnullis armatis attributis, mittit, qui portam Divi Stephani occupet; Thomam Asseretum cum delecta juventutis manu mittit, qui cum celoce in interiorem portum penetret; eoque occupato, portam sibi patefaciat: ipse cum Verrina, & Hieronymo fratre, juvenibusque convocatis, ac reliqua suorum manu (erant autem ad centum quinquaginta) terrestri itinere, ad eundem interiorem portum contendit: in quem, porta ab Assereto jam refracta, cum suis ingreditur.

Operæ pretium est considerare, quam incerti ac parum explorati sint conjurationum exitus; quam

quam levibus causis, magnarum rerum momenta vertantur; quamque parvæ res, ingentes consiliorum apparatus, summoque astu ductorum, sæpe evertant. Nam Fliscus ad prætoriam triremem accedens, tabulam, quæ puppi superinjecta, ac ripam attingens, usum pontis triremem adeuntibus præbebat, conscendit: quæ, cum per se minus stabilis, nullis retinaculis circumligata, tum triremis jactatione, quam remigum tumultus, ut in tam improvisa re necessario excitatus, faciebat, vacillans, ab altera parte collapsa, in mare decidit: omnesque superstantes ruina sua secum traxit. In quibus Fliscus, à nemine suorum, ut in obscura nocte, conspectus, gravitate armorum ad imum depressus, cum neque ipse per se conniti posset, neque à quoquam suorum casum hominis ignorantium, sublevaretur, periit. Ita pestis, quam in alios machinabatur Fliscus, in illum collata. Qui ad portas occupandas missi erant, rem facile, custodibus semisomnibus, partim obtruncatis, partim captis, confecere. Clamor & strepitus in interiore portu excitatus, ab Andrea & Joanne, ex domo prope littus sita, in noctis silentio exauditus, Joannem excivit: qui, ut quidnam esset cognosceret, inermis, cum duobus comitibus, ac vestitu domestico, domo prosiliit; atque ad portum accurrens, cum ad portam urbis pervenisset, atque ut illam aperirent, minaciter clamaret: Flisci, cognita voce, læti fores patefaciunt; Joannemque ingredientem circumsistentes, compluribus hastilium ictibus confodiunt: ductaque deinde temporum ratione, pro certo compertum est, eodem temporis puncto, quo Fliscus periit, Auriam interfectum. Ita duorum juvenum præferocia ingenia, ex quorum diffidentibus studiis, ac contentionibus magnos motus, magnasque turbas in futurum civitati imminere, nemini dubium esset, eodem horæ momento fatum sustulit. Qui Joannem confecerunt, ab Andrea petendo ad cogitationem admissi facinoris mente paulisper aversa, spatium Andreæ dedere; ut Joannis casu audito, in equum à suis sublatus, cum ipse infirma valetudine, per se conscendere non posset, fuga salutem peteret.

At Juvenes, qui erant in interiore portu, triremibus in potestatem redactis, alius alium percunctantes, quidnam Flisco factum esset, qui nusquam appareret? ea re perculsi, non tamen deserunt se; sed Othobono, à Joannis cæde reverso, custode triremibus relicto, ipsi Hieronymum secum ducentes, ut fuerat compositum, tota urbe discurrentes, cives ad arma concitare ac populare imperium conclamare incipiunt. Ad quam vocem, cum plerique ex multitudine sese hominibus adjungerent; nullus tamen fuit ex popularium Optimatibus, qui se commoveret: partim, quod à tumultuariis consiliis abhorrerent; partim, quod Fliscum, hominem à populari causa, si minus simulata in præsentia voluntate, natura certe diffidentem, popularis status auctorem non probabant. Omnes vero, ad tantæ rei societatem, consilio secum non communicato, neque diu ante concocto, subita voce tanquam pecudes rapi, suæ dignitatis esse non putabant.

Interea Gometius Suarius Figueroa, Cæsaris orator, trepido nuntio excitus, ac re subita perculsus, inter manendi & urbe excedendi consilia, incertus animi, fluctuabatur. Ceterum hominem retinuit Paulus Lazania. Is vir magnæ erat inter populares auctoritatis & gratiæ; tenuiorumque animos mira benevolentia comprehensos tenebat: ut maxima illorum pars ad ejus nutus consurrectura esset; seque in omnia consilia cum illo consociatura. Is igitur, cum cæteri cives improviso terrore obtorpuissent, unus se non deseruerat; sed valida clientium manu corrogata, ita se comparaverat; ut ex Fliscorum eventibus consilia caperet. Cum igitur ad Figueroam vocatus venisset; bono animo hominem esse jubet: sese enim firmo armatorum præsidio septurum inviolatumque servaturum: interea, quo Fliscorum motus evadant, totam noctem exspectandum dicit: qui, si inanes fuerint, nihil porro tentandum: sin res illis succedere, aliquaque in illorum causam fieri inclinatio cœperit; enimvero se cum Spinola familia, opibus ac numero præpotenti conjunctum, firmissimoque juvenum globo stipatum, tota urbe discursurum: Adorniorumque nomine subjecto, Barnabaque Adornio, qui haud longe absit, interea accersito, ac Duce ex veteri more proclamato; haud dubie majores ad se concursus facturum; majoremque popularium civium, ac plebis partem, Adornio nomine attractam, se ad ipsum applicaturam: quin & illos ipsos, qui Fliscos secuti fuerint, illis desertis, ad Adorniorum partes, quas intimis sensibus colant, cum reliquis transituros. Qua oratione & auctoritate Lazaniæ confirmatus Figueroa, omni abeundi consilio plane abjecto, eventum exspectare constituit.

At Juvenes, cum lux appropinquaret, neque quemquam ex primoribus, affinibus, & cognatis suis secum trahere potuissent; multitudine quoque spe frustrata, ab ipsis dilabi incipiente; Flisco, cujus ductu & impulsu rem essent ingressi, & Verrina, qui rebus diffidens, in triremem se receperat, nusquam apparentibus; animis debilitati, consilium sibi quisque capere cœperunt: atque alii in privatas domos, alii in eandem triremem sese recipiunt; Hieronymo cum extenuata hominum manu relicto: qui inops consilii, urbe discurrens cum suis, intermortuas voces jactabat.

Interea summus Magistratus, qui tumultus initio, nullo satis firmo præsidio contra tantum motum munitus, tanto circumfuso pavore obtorpuerat, cum nonnulli ex Optimatibus in ædes publicas subinde convenire cœpissent, animos colligere cœperat: ac leniter potius rem ducere, quam aperta vi agere, tutius ratus; quattuor ex principibus ad Hieronymum, ad res componendas, mittit: quos ille obvios factos contumaci responso, ut erat stolide ferox, à se dimittit. Sed paulo post, desperatis tandem rebus, ad portam Divi Stephani cum paucis reliquiis, à Thoma Assereto nunquam desertus, sese recipit. Ibi de conditionibus cum Magistratu agi cœptum: Nicolaoque Auria affine, internuntio, ultro citroque concursante, res ita convenit: *Discederent Flisci ab armis: urbe excederent: civitatem tumultu liberam relinquerent: id si fecissent; Magistratum illis & consortibus culpam condonare.* Quo decreto per Scribam recitato, urbe excedunt; atque in arcem Montobium, quæ ab urbe decem circiter millium passuum distat intervallo, cum suis concedunt. Ita magni Fliscorum motus eodem die excitati & compressi sunt.

Urbe tumultu liberata, Magistratus quid facto opus sit, deliberat. Cumque Jurisconsulti respondissent; non impediri Magistratum decreto & fide, non tam voluntate data, quam necessitate expressa, quominus sibi in Fliscos & socios animadvertere liceat; cum aliquandiu sententiis variatum esset; tandem tantæ impunitatis exemplum magnam similia admittendi illecebram esse censentes, ad severitatem versi, bona Fliscorum publicant: ædes ad divæ Inviolatæ, amplas & præclaras, complanant: ipsos, & Verrinam, auctores & capita seditionis, perduellionis damnant: reliquos consiliorum participes nominatim, quinquaginta annorum exsilio mulctant: exercituque ad arcem Montobium oppugnandum misso, Duce Augustino Spinola, additis Dominico Franco & Dominico Auria procuratoribus; complurium dierum oppugna-

gnatione, Hieronymum ad deditionem subigunt: capitis ac rerum suarum summo Magistratui libera potestate permissa. Quæ res magnas Genuæ præbuit contentiones, magnosque animorum motus excitavit. Ac res ingentibus verborum & sententiarum certaminibus complures dies extracta est; cum non paucorum studia pro Fliscis quoque exarsissent. Ii mitioris sententiæ auctores esse; neque ad extremum sæviendum dicere: satis pœnarum Fliscos dedisse, omnibus bonis, ac peramplis & optimis ditionibus eversos; ædibus & arce Montobio complanata. Ac si quis rem vere existimare velit; quid tandem Hieronymum & Othobonum commeritos, ut iis tam implacabiliter succenseatur? Miseros adolescentes, omnium rerum ignaros, ne consilii quidem participes factos, improviso deprehensos, nullo ad cogitandum temporis spatio dato, ad lanienam à violento fratre raptos: ad illius nutus miserorum inscitiam circumactam. Igitur habuisse meritam pœnam noxium caput; ipsos extra noxam existimandos. Neque se ea re, quam in primis jactari audiant, magnopere moveri, posteritatis exemplo; ut reliqui videlicet atrocitate supplicii à talibus cogitandis deterreantur. Nam & nostra, & omnium seculorum memoria, maleficia semper acerbissime punita; quotidieque in omnibus urbibus latrones, sicarios, fures, ac reliquos maleficos homines capitali supplicio affici; quorum tamen suppliciorum exemplo, aut metu, homines ab iisdem facinoribus admittendis haud quaquam deterreri. Quod in majestatis crimine eo minus sperandum; quo præmiorum amplitudo acrioribus stimulis homines ad illud impellit. Ac ne illud quidem perpetuum esse; ut in majestatis & perduellionis crimine nullus sit misericordiæ locus. Id enim, ut innumerabilia alia exempla omittantur, refelli Caroli Quinti Cæsaris, sapientissimi Principis, exemplo & auctoritate: qui Saxonem bello victum, & in acie captum, morte mulctandum non duxerit; satisque habuerit hominem imperiali edicto & exsilio majestatis damnatum; quique totam Germaniam in Cæsarem Dominum suum excitarit; jure suffragii in Cæsare creando, & ditionibus avitis mulctare.

Contra alii mirari se vehementer dicere; unde hic mos nunc primum inducatur, voluntates non facta exquirendi. Quod si suscipiatur, nullum jam fore legum aut judiciorum usum: quod nemo tam hebes ingenio futurus sit, qui nesciat facta à voluntate sejungere; & se, aut errore, aut inscitia lapsum, aut extrema necessitate adactum proponere, aut infinitis aliis calumniis facinus tegere. Qua voluntate Flisci usi sint; neque se, nec quenquam omnino mortalium divinare: pravam fuisse, quæ secuta sunt facta indicare: ea spectanda, ac suis momentis ponderanda. Qui post Joannis cædem, fratre etiam mortuo, à quo adacti excusentur, incœpta non omiserint; sed portas, triremes, ac reliqua occupata retinuerint; totaque urbe discurrentes, plebem ad arma vocarint, & in Magistratum incitarint; sibique tanquam Dominis, ædibus publicis à Magistratu cedi postularint. Avertisse Deum immortalem nefaria consilia; ac Magistratui punienda reliquisse. Quam vero compar esse Saxonis & Fliscorum factum? Illum magnitudine animi inductum, nullum scelus concepisse; non de cæde Principum, aut de ullo maleficio cogitasse; sed conspirationi maximæ Germaniæ partis, in libertate illius Provinciæ defendenda, quam à Cæsare imminui præseferrent; ac ne ad detestatam ipsis religionem suscipiendam cogerentur, Ducem se non subtraxisse. Divino Numini cordi fuisse, ut inde victoria esset, unde jus stabat. Non igitur Cæsarem tam ipsum Saxonem spectasse, in illo incolumi servando, quam totius Germaniæ consensum: haud dubium, quin, si in illum animadvertisset, omnium tam civitatum, quam Principum ejus Provinciæ odia sibi esset irritaturus. Fliscos vero, quam tandem injuriam, quemve metum tam atroci facinori prætexere? illi ne impune ferant, ut regni invadendi, patriæque libertatis opprimendæ causa, omnes bonos ad cædem destinarint? tum vero majus prope flagitium factum iri à Magistratu, in tantis parricidiis impunitis relinquendis; quam ab ipsis Fliscis in illis suscipiendis factum sit.

Vicit tandem melior & frequentior pars; Andrea adnitente, ac gravissimas injurias pio justoque bello persequente: decretumque est, de Hieronymo & consortibus capitale supplicium sumendum. Ex eo decreto, in ipsa arce Hieronymus & Verrina securi percussi: reliqui inferioris sortis suspendio necati: ipsaque arx, quæ turbulentorum hominum receptaculum sæpe fuisset, ac quieti civitatis immineret, solo æquata.

VBERTI FOLIETAE,

PATRICII GENVENSIS,

TVMVLTVS NEAPOLITANI.

GENVENSES motus, felici celeritate oppressos, Neapolitani Tumultus exceperunt: quorum initia verborum contentionibus, & jurgiis jactata, ad perniciosam mox seditionem, postremo etiam ad ferrum, ac sanguinem, atrociaque prælia exarserunt. Conflati autem sunt, partim Neapolitani populi contumaci temeritate, nonnullorum hominum res miscere ac novare cupientium astu incitata; partim Petri Toleti pertinacia, ac nimia dominandi cupiditate. Is erat in regno Neapolitano Vicarius Cæsaris; maximæ parti Neapolitanæ plebis mire gratus; cæterum Nobilitati hostiliter invisus: quippe cujus libido, quæ antea paulo solutior fuisset, à Petro esset cohibita. Nimia enim superiorum Vicariorum lenitate Nobiles ac potentiores abuti soliti, legumque & judiciorum metu pene soluti, omnia æquabilitatis jura perfregerant; indomitasque cupi-

piditates suas in tenues & humiles homines exercebant, eosque omnibus iniquitatibus vexabant. Hanc tantam, tamque effrenatam omnium rerum licentiam compresserat Petrus: sive ille miserorum injuriis permotus, justitiæque studio adductus; sive ob conceptum in Nobilitatem odium, à qua se graviter læsum putabat. Nam cum Petrus, initio magistratus, apud Nobilitatem multis de causis graviter offendisset, ejusque severitas nimia videretur, neque illum Nobiles apud Cæsarem criminari unquam destitissent, multisque nominibus invidiam homini conflare studuissent; eaque de causa Cæsar Petrum Patiecum Pontificem Geennensem ad res cognoscendas, cum amplissima potestate, Neapolim misisset; illeque multa emendasset, ac Magistratuum arbitria certis legibus cohibuisset; ad extremum cum Cæsar bello Africano confecto, Neapolim venisset; duo ex principibus Nobilitatis, Ferdinandus Sanseverinus, Princeps Salernitanus, & Alphonsus Davalus, Marchio Vastii, adhibito Andrea Auria, summo maritimarum rerum Præfecto, magna parte Nobilitatis adnitente ac studiis consociatis, summa contentione cum Cæsare egerant, ut Petrum è Provincia revocaret, neve ullo modo Neapoli dimitteret: Virum, quem omnibus bonis offensum, cuique omnia venalia esse dicerent; tum autem dissolutum & ignavum: qui Regnum florentissimum in pace esset eversurus, in bello amissurus. Cæterum perpetuam constantiam retinuit Cæsar; ne virum, quem semel extulisset, sine gravissima causa everteret. Quibus injuriis irritatus Petrus, vir ingenio vehemens & impotens, in Nobilitatem omnem iram, omnemque imperii sui vim effuderat: eam judiciis severis faciendis, delictisque acriter puniendis assidue exercere: nullus, ne in minimis quidem erratis esse ignoscendi locus: quodque in primis Nobilium animos vulnerabat, levissima quaque de causa, Proceres, ac summæ nobilitatis viri, luce ac palam in medio foro comprehendi, & in carcerem duci: ibi tanquam nocturni fures, atque infimæ sortis homines, sine ullo dignitatis discrimine adservari. Quæ res, ut Nobilitatem ad exsecrabile odium Petri efferaverant, ita magnam homini apud plebem & tenuiores gratiam conciliabant: qui, cum ob summum illius beneficium, à quo sese ex maximis miseriis extractos præseferebant, tum ob natura insitum plebi in Nobiles odium, Petrum injuriarum suarum vindicem, in oculis ferebant: vulgoque lætabantur, quibus ipsi à Nobilitate premi soliti essent acerbitatibus, eas omnes à se depulsas, in eandem ipsam Nobilitatem vertisse.

Is status rerum, isque habitus animorum Neapoli cum esset, Romani Inquisitores, (in quibus erat Joannes Cardinalis Compostellanus, Petri frater) cum rumor in dies percrebesceret, Regnum Neapolitanum novis hæresibus tentari, eamque luem in dies gliscere, duos Dominicanos Monachos, Inquisitores in urbe & Regno Neapolitano creant. Ii cum ad Petrum accessissent, ostensoque diplomate, regium assensum de more postulassent, quo mandatam jurisdictionem exercere possent, Petrus, multa præfatus de sua ac Cæsaris Regis sui pietate, summoque religionis studio, cujus causa tantam molem belli in Germania suscipere non dubitasset, respondit; cupere se quidem hæreses de Regno exterminari; cæterum rem, quam petant, magnæ ac diuturnæ deliberationis esse, neque temere movendam. Abominandum enim Neapolitanis esse Inquisitionis nomen; cujus mentio haud dubie magnos sit tumultus excitatura: proinde non ita properandum. Diploma igitur secum haberent, ac rem silentio tegerent, bonoque animo essent: sese enim eam curam suscepturum, aliquamque rationem initurum rei sine offensione expediendæ; fidemque & observantiam suam sanctæ Pontificiæ Sedi, ut omnibus in rebus semper fecerit, in hac quoque probaturum. Et secundum eam responsionem, Petrum anceps cura in diversum trahere. Hinc cupiditas, illinc timor animum versare. Cupere, ab insito sibi, ac Cæsari, & vero nationi Hispanorum religionis studio, Inquisitionem instituere; rem necessariam hominibus à pravarum opinionum contagione integris ac puris servandis, tum præterea veteri Ecclesiæ disciplinæ, sacrisque institutis tuendis. Quanquam nonnulli (vana fortasse interpretatione) illam quoque addebant causam, viro imperii nimio Inquisitionem cordi esse, quæ suas opes ac potentiam mire esset amplificatura, cujusque metus Neapolitanis subinde injectus, eos magis obnoxios pedibus suis esset subjecturus. Contra, rei magnitudine deterreri. Intelligere enim, quanto odio & exsecrationi summis infimisque esset Inquisitionis nomen: vererique ne eam contentionis molem excitaret, cui par esse non posset: cum præsertim in vulgi benevolentia haud multum sane poneret, quod sciret omni levi aura mobile. Contra, haud dubitaret, quin Nobilitas hostili odio sibi infensa, ex re tam populari occasionem esset arreptura injuriarum suarum ulciscendarum: ad quam si se plebs applicuisset, (ut præsens offensio majorem vim habet ad animos hominum irritandos, quam præterita beneficia ad eosdem in amore retinendos) victusque propterea succubuisset; jam nunc animo providere, ad quam intolerabilem arrogantiam ea res Neapolitanorum animos esset inflatura: quippe qui experti conspiratione sua Toletum inferiorem, nimios spiritus essent sumpturi: contumacesque facti, infinitum illud imperium, quo tot annos homines devinctos ac subjunctos habuerit, perfracturi: sic fore, ut auctoritatem diu ac paulatim collectam, uno tempore universam profundat, formidolosumque illud Petri antea nomen, brevi contemptui sit.

Cum in his difficultatibus consilium hæreret, multosque dies, incertus animi, fluctuatus, exitum non reperiret; tandem consilio in omnes partes cauto rem expedivit. Commodissimum visum est, per clientes & beneficiarios suos, quorum, ex plebejorum præsertim primoribus, haud exiguum numerum habebat, Neapolitanorum animos sensim, occulteque disseminatis sermonibus tentare, remque ea lenitate, eoque astu ducere, ut ipse nomine suo minime interposito, Neapolitanos inter se committeret; ac spectator tantum, quorsum excitati motus evaderent, ex illis in die consilium caperet. Ac si in suam causam fieri inclinationem videret, tum vero voluntatem nudaret, omnibusque suis ac Magistratus viribus connixus, rem inclinatam impelleret: quod si obstinati in resistendo, ac quidvis potius perpeti parati Neapolitanorum animi perstitissent, inexsuperabilibus vim haudquaquam afferre: sed cum se medium in certaminibus gerere simulasset, neque idcirco victus videri posset, nulla dignitatis facta jactura, desistere. Quod sapiens consilium si perseveranter ad finem tueri potuisset, profecto omnis tumultuum ac seditionum causa sublata esset.

Igitur sermones de Inquisitione per emissarios sensim sunt injecti: qui cum brevi in immensum percrebuissent, magnos animorum motus, mox etiam tumultus excitarunt. Res enim statim cœtibus & contentionibus agitari cœpta est. Eam vulgo pro se quisque adspernari, ac tanquam civitatis pestem exsecrari. Humani enim ingenii vitio fit, ut anticipationes inveteratæ, multitudini præsertim, apud quam plurimum valent, eripi vix possint: quæ res tum Neapolitanis usu venie-

veniebat. Nam, cum forte per ea tempora sub ditionem Ferdinandi Hispaniarum Regis venissent; cum ille Inquisitionem in Hispania in Hebræos & Mauros instituisset, multaque severitatis exempla in homines pertinaces edi necesse esset, aliique exsilio, alii bonis, alii etiam morte mulctarentur; Neapolitani, haud reputantes in quam diversum hominum genus ea expromerentur, metu, ne eædem acerbitates, si Inquisitionem accepissent, sibi essent subeundæ, Inquisitionis nomen exsecrantes, omni vi restiterunt: ut Ferdinandus rem summa contentione tentatam tenere non potuerit. Quin etiam Inquisitores, Neapolim missos, male acceptos ac mulctatos ejecerunt. Nulla igitur ratio opinionem animo penitus comprehensam evellere poterat: sed tempora Ferdinandi memoria repetentes Neapolitani, viri cæteroqui pii, ac religionis, divinique cultus in primis observantes, Inquisitionem, rem sanctam, ac salubrem, sacrisque institutis ac sinceræ doctrinæ tuendæ apprime necessariam horrere, ac tanquam civitati exitiosam detestari: neque contraria, quamvis salubria suadentium orationem auribus admittere: sed sese ad resistendum mutuo hortari, atque confirmare: præter paucos, & ex Nobilitate, & ex plebe, partim apertos, partim obscuros, Inquisitionis fautores. Ii omnes cum Petro amicitia, familiaritate, beneficiis fere conjuncti, cum sese ad ejus voluntates semper aggregassent, Petri cupiditatem studiis suis satis declarare putabantur. Neque aberat suspicio, eorum in primis hortatu in eam mentem Petrum impulsum; cum magnum ex ea re proventum, magnamque immanis pecuniæ conficiendæ facultatem homini ostentassent: suæ etiam ipsi privati quæstus spei servientes. Eorum voces nemo auribus admittere: quin etiam homines ipsos, veluti patriæ hostes, communisque libertatis proditores, omnes aversari, ac contumeliis & probris lacerare.

Igitur, cum in dies sermones & tumultus augerentur, res à populari jactatione ad publicum civitatis consilium traducta est. Ii sunt ex Nobilitate quinque viri, singuli ex singulis curiis, in quas omnis Nobilitas distributa est, & unus de plebe. Hi sex unum in locum congregati, de rebus civitatis consulere & statuere solent: ac si qua gravior deliberatio incidit, Nobiles singuli ad singulas curias suas, plebejus item ad plebem referre: frequentiorque curiarum & plebis sententia, paribus singularum curiarum ac plebis suffragiorum momentis, pro civitatis decreto habetur. Igitur, cum Nobilitatis ac plebis quotidie consilia haberentur, res in dissensionem venerat: omnibus fere, omnisque generis hominibus Inquisitionem repudiantibus; perpaucis tantum, quos diximus, accipientibus. Qui motus ac dissidiorum causæ ut tollerentur, Magistratus Petrum adit, ac civitatis statum homini demonstrat; quam sollicitam suspicione, atque ejus rei, qua nulla Neapolitanis sit acerbior, metu suspensam, non prius quieturam dicunt, quam Inquisitionis mentio plane fuerit oppressa. Id ut faciat, vehementer rogant. Cum id assidue facerent, Petrumque sæpe adirent, Petrus adversus tantam civitatis voluntatem propositi retinens, hilari vultu, ac blandis verbis homines accipiebat: eos bono animo esse jubere, variisque ac perplexis responsis à se dimittere: nam modo aperte negare, sibi unquam in animo fuisse Inquisitionem inducere; quin etiam sese Cæsari ipsi, si ad eam rem animum adjecisset, acriter restiturum; modo affirmare, sese compertum habere, non paucos esse Neapoli, quorum nomina apud se subscripta habeat; qui novarum opinionum erroribus depravati, à perpetuis Ecclesiæ institutis deflexerint. Horum puniendorum, atque hujus contagionis de civitate tollendæ aliquam omnino esse ineundam rationem. Non tam varia Petri responsa, quam eorum, qui & de Nobilitate, & de plebe, partim occultis, partim apertis studiis, Inquisitionis rebus favebant, Petri voluntatem declarabant. Eorum oratio, quod omnes fere familiaritatis, ac munerum, & beneficiorum acceptorum necessitudine Petrum attingerent, de ipsius ore mitti videbatur. Novam vero hæresis compescendæ viam quærere, cum omnia veteribus Ecclesiæ institutis diligenter provisa dicerent, ad eam interpretationem revocabatur; ut Inquisitionem, quam aperte se consequi posse non speraret, artificio expugnaret. Cumque quodam die, in plebis concione certatum sententiis esset, Dominicumque Tarracinum, qui in sexvirali magistratu locum plebis tenebat, (quamvis rem verbis dissimulare niteretur) Inquisitionis auctorem esse, ac Petri voluntati servire manifeste appareret; Petrus Antonius Saponus, ex principibus plebis, haud contemnendis Regni honoribus usus, qui & ipse Inquisitioni favebat, ita disseruit: *Neque novum hoc facitis, Neapolitani; neque principes vos adversus benemeritos ingrati existitis. Fecerunt hoc idem alii sæpe populi. Cæterum in illis aut magnorum commodorum spes, aut ingentium detrimentorum metus, aut postremo nova aliqua injuria præteritorum beneficiorum memoriam exstinxit: vos vero qua tandem ejusmodi, aliave ulla de causa Petrum nunc oppugnatis? Equidem nullam aliam invenio; nisi ut iis ipsis inimicis vestris gratificemini; à quorum acerbissimis injuriis vos ille sæpe defendit. Agite igitur primum hoc vos, perfidiæne, an summæ dicam stultitiæ, exemplum posteris prodite. Atque ego inimicos vestros usque adeo felices esse doleo; quibus facultas data sit non modo Petrum ulciscendi, sed etiam per vos ulciscendi. Crimen illi jam diu Petro apud Cæsarem quærunt: en ex seditione vestra tandem reperient. Ejus causam, si Diis placet, Petro assignabunt: perinde quasi non ipsi, vobis adjuvantibus, illam conflarint. Hostile igitur odium, quod ideo in hominem gerunt, quod vobis benigne fecerit, vosque ex ipsorum faucibus eripuerit, iisdem vobis sociis & administris, per summum vestrum dedecus, atque adeo scelus, in illum exproment. Vbi sunt vestra illa ardentia studia? Vbi vocum & acclamationum significationes, cum Petrum Neapolitanæ plebis parentem appellabatis? cum vota pro illius salute faciebatis? Vbi contra, exsecrabile odium, quo Nobilitatem detestari soliti estis? neque id injuria, tot sæpe ab illa iniquitatibus vexati. Tam cito hæc omnia exciderunt? tam parum stabili gratia beneficia apud vos collocantur? tam leviter vestra fundata est fides? Vnde ista subita tanta animorum mutatio? Quæ res vos de pristina mente vestra depulit? Quam causam tanto furori prætexetis? Aliquam ne ex iis, quas modo commemoravi, aut commodorum spei, aut incommodorum metus? nam injuriam quidem vobis à Petro factam, ne ipsi quidem ejus inimici ullam possunt comminisci. Duo illa, quæso, sigillatim quæramus: quanquam nulla spes, nulla formido homines debet de officio ac fide deducere. Sed tamen, quia multi sæpe idem fecerunt; quia his moribus jam usitatum peccatum est; de utraque re separatim videamus. Ac spem quidem quam tandem consectamini? Illud fortasse spectatis, ut Petro insectando, infensam Nobilitatem vobis concilietis? Ita credo. An nondum, cum ex iis rebus, quas ipsi experti estis, tum ex omnium seculorum memoria satis didicistis, Nobilitatem & plebem inexpiabili odio inter se dissidere? neque id temere: nimis enim elatos spiritus vanum hoc Nobilitatis nomen solet afferre, nimisque homines inflare. Itaque plebem & tenuiores homines nusquam alio, quam ad serviendum natos existimant: quos ita despectui habent, ut hominum forma & effigie illos uti prope indignentur; nedum ullo in pretio aut honore habendos censeant. Furor est, ita affectos animos putare ullis aut officiis mitigari, aut beneficiis demereri. Evertite vero Petrum, Neapolitani: experiemini, utrum hoc beneficio vestro gra-*

gratiam à Nobilitate inieritis; an præsidio illo sublato, quo uno adversus illam adhuc communiti fuistis, viam ad vos opprimendos expediveritis. Quid? quod Petrum non modo à nobis alienamus, nosque illius ope nudamus; sed etiam ad societatem nos evertendi, cum inimicis nostris ineundam, invitum attrahimus. An ille tanti animi vir, tantam proditionem inultam feret? Cumque nostri misericordia, nullo à nobis beneficio affectus, cum illis tantas inimicitias susceperit; nostri nunc odio, tanta à nobis lacessitus injuria, non cum illis amicitiam conjunget? Quod si in inimicos nostros tam severus ac vehemens fuit, nostra tantummodo causa; qui tandem in nos futurus est, suismet stimulis, qui longe acriores sunt, incitatus? Jam vero præclarum documentum nos complectendi, atque offensionem Nobilitatis negligendi, successoribus Petri constituimus; cum viderint illum tam effusæ in nos benevolentiæ, tantorumque beneficiorum ejusmodi fructum cepisse. Utilitatem hujus consilii videtis, Neapolitani. Quin illud igitur celeriter arripimus? nosque in illud, perpetuis inimicis nostris auctoribus, præcipites damus? neque præ hac utilitate, quoniam ita magna est, ullam aut officii aut fidei rationem ducimus: at enim missam facimus utilitatem. Ingentis mali imminens periculum nos terret. Quod tandem? Inquisitio nimirum nobis ad timorem proponitur. Hic, Neapolitani, non jam aut inscitiam vestram reprehendo, aut adversariorum vestrorum calliditatem accuso, sed fati iniquitatem conqueror. Non, inquam, aut vos naturali quadam inscitia labi verisimile est; neque tanta mentis cæcitas in ullo omnino mortalium esse potest; neque tantum est in inimicis vestris ingenium; ut vos in tam evidenti re circumvenire possint: fatum vos præcipites rapit: fatum, inquam, mentem vobis plane eripuit: quod mentes hominum cæcare, ubi ingruentem vim suam infringi non vult, vere à sapienti viro scriptum est. Nam, per Deum immortalem, unde ista suspicio ita penitus mentibus vestris insedit? En adest Petrus, qui Inquisitionem se unquam constituturum, aut id in animo habere negat: fidemque suam dat, ac clarissimis verbis testatur; etiam Cæsaris imperio se in re, quam tantopere civitatem hanc aversari videat, restiturum. Quæ, malum! tanta est ista mentis cæcitas; ut majorem fidem hostibus vestris habeatis, qui capitali odio à vobis dissident, quam ipsi parenti vestro Petro, cujus omnes curæ semper fuerunt in omnia vestra commoda versæ? quique tanta benevolentia vos ac salutem vestram semper est complexus; ut pro ea Nobilitatis inexpiabile odium sibi irritare non dubitarit? falsamne opinionem ita penitus animis comprehendistis; ut eam ratio, atque ipsa evidens veritas extorquere non possit? quin etiam ego, ac mei similes, invidia apud vos ea de causa laboremus; quod aliquem locum gratiæ apud Petrum obtinere existimemur? quæque res nos acceptiores vobis facere deberet, ea invisos facit; perinde quasi consilia cum illo de Inquisitione sociasse arguamur. Ego vero clarissima voce pronuntio, me neque Inquisitionis accipiendæ vobis auctorem esse; neque in ea re, quam tantopere vos abominari videam, consilia & sensum meum à totius civitatis consensu posse separare. Assentior equidem Petro ea in re, quam neque vos, neque quenquam pium recusaturum puto; aliquam rationem ineundam serpentium hæresium ex hoc Regno exstirpandarum. Ac quanquam ego nihilo minus, quam cæteri, Inquisitionem repudio, tamen non verebor quæ cogitatio sæpe animum versavit, vobis exponere: quod in bonam partem accipiatis, rogo: Si quis peregrinus, nobisque amicus huic concioni intersit, atque ita nos universos roget: Agite, Neapolitani, quid est quod Inquisitionem tantopere expaveatis? quæ tandem regna, aut urbes ab illa eversas unquam audistis? utrum tandem Christianorum instituto vivere, ac gliscentem hanc pestem cohibere non placet; an est ulla præterea satis certa & explorata ad eam rem, quam Inquisitionis via? Et utrum vos Venetiis, libera, ac sapientissima civitate, Romaque ipsa, religionis & imperii arce ac capite, cæterisque civitatibus & regnis, quæ tota fere Europa Inquisitionem acceperunt, sapientiores estis; an dignitate eximii esse postulatis? Quid amabo, hæc amanter monenti respondeamus, Neapolitani? sapientia ne an dignitate nos cæteris nationibus præstare? At cavete, ne arroganti responso sermones, qui de nobis apud multos percrebuerunt, paulo tumidiora & inaniora esse Neapolitanorum ingenia, confirmemus & augeamus: Majores ne nostros acriter Inquisitioni semper restitisse? At ille è vestigio occurrat; res humanas temporibus in primis regi: quodque Majores nostri fecerunt, tempora illa tulisse: nunc nobis ad præsentia tempora consilia accommodanda: nondum patrum nostrorum ætate exortas fuisse has hæreses, quæ nunc seculum tenent: quid igitur mirum, si unde nullum tum periculum metuebatur, ejus rei remedium suspectum patribus nostris fuit? Quod si ille ipse porro rogare pergat. Quid si Petrus in animo habeat Inquisitionem Neapoli omnino constituere? Idque Cæsare auctore moliatur? (neque enim illum tantam rem, Cæsaris injussu, de suo capite moturum verisimile est) Petro ne ac Cæsari ipsi in contentione vos pares putatis fore? Quem igitur alium fructum ex tanto certamine, quod animis imbibistis, vos percepturos speratis, quam ut Inquisitionem, quam nunc bona Regis vestri gratia accipere potestis, inviti tandem, illiusque odio vobis irritato, accipere cogamini. Si ita, inquam, admoneamini; an non digna hæc videantur, quæ mentes vestras ab ardore isto ad vestra sedatis mentibus cogitanda convertat? Verum nihil horum est; neque Petrus quicquam, nisi de commodis vestris cogitat; neque consentienti voluntati vestræ adversaturus est unquam; si modeste & leniter, ut adversus summum imperium decet, cum illo agatis; quod si contumacia vestra illum temere pergitis vobis irritare; cavete, ne virum acrem & vehementem cum vestro malo ad ea, quæ non cogitat, invitum attrahatis: lenitatem hominis & mansuetudinem sæpe experti estis; videte, ne iracundiæ & severitatis vobis sit periculum faciendum. Extremum illud faciam, Neapolitani: quamvis dolus istorum, qui vos tam levibus de causis in fraudem inducere conantur, non manifesto teneretur; non tamen vos animis labare oporteret; sed ad ejus potius auctoritatem, in cujus benevolentia firmissimum præsidium vobis semper experti estis, voluntatem conformare; quam eorum, qui vos semper hostiliter vexarunt, verbis fidem adjungere: illud vobiscum reputantes; nihil esse tam stultum, quam eorum sequi consilium, quos naturale ac penitus insitum odium in consilio dando vestram potius perniciem, quam utilitatem cogat spectare.

Oratio contra tantam in contrariam partem voluntatum inclinationem, nullo assensu audita est: acriter majore parte principum plebis resistente; atque omnibus undique reclamantibus. In quibus Joannes Suessanus, vir acer & experiens, & in causa usque ad extremum acriter versatus, de superiore loco ita populum allocutus fertur: *Perturbavit me, Neapolitani, oratio Saponi: nam de Inquisitione, cujus causa convenimus, tantummodo nos verba facturos putabam: de qua ut sententiam dicerem paratus veneram. Verum Saponus, causæ fortasse diffisus, quod veritate & ratione desperat, id artificio assequi nititur. Causam enim Inquisitionis, in qua non satis firme se consistere posse intelligit, leviter & diffidenter, ac per peregrini personam attigit; in meritis vero Petri extollendis, ingratique animi culpa nobis exprobranda, multus sane fuit; ut videlicet, nobis verecundiam imponeret, hominis de nobis optime meriti lædendi; cujus etiam rei nefariam nos societatem cum communibus inimicis coiisse arguit; moramque studiis nostris, quæ ardentia huc attulimus, injiceret. Quo callidius isti nobiscum agunt; eo diligentius nobis ab illis est cavendum. Atque ego paulo ante Saponi sapientiam mirabar; qui cum à Petri voluntate offendenda, ab homineque, ut ipse dicebat, oppugnando tam multis nos verbis deterreret, planum non fecerit, in quo Inquisitione repudianda, Petrum aut offendamus, aut oppugnemus? Id si fecisses, Sapone, ancipitem nobis deliberationem præbuisses; utrum ne ingrati*

in Petrum existeremus, Inquisitionem acciperemus; an veniam nobis daret Petrus, si in re, à qua hunc populum tantopere cernimus abhorrere, explodenda; nostræ potius ac liberorum nostrorum saluti, quam illius cupiditati obsequi maluissemus. Nunc tu nullam satis dignam causam attulisti. Nam eam quidem quam attigisti, crimen ex seditione nostra Petro conflatum iri, ipse tu alia parte orationis tuæ imprudens diluisti: cum Cæsaris injussu, tantam rem Petrum haudquaquam ausurum fuisse, palam affirmasti. Quod igitur crimen, quæve invidia adversus Petrum constitui potest in motibus ac tumultibus, si quos forte ea res excitarit; quam ille Cæsaris jussu tentet? Quin tu igitur istas ambages, istamque à te de Petro evertendo, ex tempore confictam fabulam omittis? Nihil enim ista nos movent. Ut ne illa quidem, quæ in amplificando odio, quod inter plebem & Nobilitatem viget, plurima protulisti. Equidem scio nonnullas esse solere inter plebem & Nobilitatem voluntatum dissimilitudines; nonnullas quoque inter se dissentiendi causas sæpe incidere. Cæterum, non usque adeo exsecrabili ac perpetuo odio ista exercentur; ut non sæpenumero commune bonum in iisdem rebus adsciscendis & repellendis illorum voluntates conjungat. Neque nos ad Inquisitionem detestandam, Nobilitatis auctoritate adducimur; sed studiis ipsi nostris ducimur: cujus rei, vel ea sit fides; quod simul atque mentio Inquisitionis in hac urbe facta est; omnes nos, pro suo quisque animi sensu ac dolore, ad eam recusandam, à nemine instigati, studiis nostris exarsimus. Nihil est igitur, quod nos istis præstigiis vestris, Petrique nomine opponendo, aut nostro in Nobilitatem odio inflammando, de stabili nostra, certaque sententia conemini dejicere. Quare ad ea, quæ propiora hujus deliberationis sunt, tandem veniamus. In qua re, pace tua dixerim, perridicule facere mihi visus es, Sapone, qui, ut deliberationem de tanta re tardares; te esse Inquisitionis auctorem, aut illam suadere negasti: quasi vero deliberatio nostra à tua sententia pendeat. Non nos, Sapone, quid tu censeas, aut velis, curandum ducimus; sed ea nos terrent, quæ tam ingentibus initiis moveri videmus; sermones, inquam, qui majus in dies robur sumunt: ii à Petro, qui nutu posset, non compressi; ejus voluntatem nudare videntur: hæc nos suspicio sollicitos habet. Verbis quidem, iisque perplexis, se Inquisitionem velle Petrus negat; re affirmat. Cur enim hos sermones, tantorum tumultuum causam, ferendo alit? Unum urgebas; ne à Petri voluntate nos disjungeremus. In qua tandem re? fidem faciat Petrus Inquisitionem se nolle; sermones in dies percrebescentes cum auctorum malo ac supplicio compescendo: metum, quo civitas suspensa est, demat: jam hæ, quibus nunc omnia ardent, conticescent turbæ: jam Neapolitanus populus totus Petri erit: omnesque nos in obsequiis erga illum tibi ac cæteris gregalibus tuis præcurremus. Quod si Inquisitionem dissimulanter & per ambages instituere Neapoli cupit; dabit veniam Petrus, si nulla merita tanta putamus; quin illis exitii timorem (omnes enim ita existimant) potiorem ducamus: dabis veniam tu ipse, Sapone, si in assensu nostro ad illius voluntatem adjungendo, te auctorem non satis locupletem putamus. Ut ne peregrini quidem persona, à te inducta, satis ponderis habet ad nos movendos: cui facile oratio præcidi potest, si respondeamus; exteros alienarum civitatum studia ac mores plane tenere non posse: nosque recte vivendi, non exteros, sed Majores nostros magistros habere: neque cæterorum judicia Majorum nostrorum auctoritati præferre: neque quæ in aliis civitatibus fiunt, quanquam optima ratione ab illis fieri credimus, ad mores nostros accommodari: quantacunque tandem amplitudine illæ civitates sint, & in quantacunque prudentiæ laude versentur. Neque Neapolitanus populus ulli omnino mortalium de pietate concedit: qui etiam sine Inquisitione, Christianorum instituto, ut semper fecit, victurus est. Quam Inquisitionem, non ut rem suapte natura malam, sed ut minus sibi in præsentia aptam recusat. Quin etiam illam sanctam rem, & in primis necessariam confitetur: eorumque Principum, ac populorum, qui illam acceperunt & colunt, prudentiam & pietatem probat ac laudat. Hæc Neapolitanum populum respondere peregrino tuo renuntia, Sapone, ac larvam depone: neque eorum similis sis; qui petitionem conjiciunt, & brachium student occultare. Omissis igitur istorum præstigiis, ad vos me, Neapolitani, converto: lætorque, quod eum omnium vestrum ardorem cerno; ut nulla unquam justa causa fuerit, quæ eadem esset æque popularis. Non igitur, ut vos hortarer, aut docerem, huc orator veni; sed ut sententiam meam & charitatem erga patriam testatam relinquerem. Nam neque incensa studia vestra, aut mea, aut cujusquam adhortatione egent; & quæ in Inquisitione, re non improbanda, atque adeo laudanda, verum Neapolitano populo fugienda, horremus; ea vos tacitos cogitationibus vestris subjicere scio: satisque sunt per hos dies, omnium sermonibus jactata, ac disputationibus agitata. Neque ego Cæsarem aut Petrum tacite perstringo. Nihil in illis sordidum, aut humile unquam cognovi: religionisque tantum studio illos puto ad hoc consilium animum adjecisse, si modo adjecerunt: sed, quod de Briareo est in fabulis, libet commemorare; quem ferunt centum manibus usum; ministros videlicet, manus Principis interpretantes. Non igitur Cæsarem, aut Petrum timeo; sed vos: vos, inquam, (libere enim in tanto salutis discrimine agendum est) qui Petri latera stipatis: qui ejus voluntatum administri, satellitesque estis: quorum magnam partem ad omnia nostra cupiditatis oculos adjecisse suspicor. Hæc nos terrent: hæc nos non Inquisitionem, quam si hic abesset metus, ultro adsisceremus; sed hiantem & rebus nostris imminentem avaritiam abominari cogunt. Neque præsentes vos modo formidamus; sed eos quoque, qui vobis succedent. Hæc Neapolitani hoc tempore pugnantur. Facite memineritis, quanta Neapoli, ut in magna urbe ac celebri, copia sit egentium hominum & profligatorum, quibus nihil religiosi, aut sancti sit; quique nullo divini Numinis metu contineantur; & exigua mercede fidem addictam habeant. Quem enim nostrum, quamvis pium ac purum, ab istorum cupiditate integrum; quam domum clausam; cujus rem tutam ab istorum rapacitate putatis fore? Accipite vero Inquisitionem, Neapolitani: nã illam in capite, fama, fortunis vestris, liberorumque vestrorum dominantem cernetis. At enim Cæsar & Petrus cœptam rem, cum religionis, tum etiam constantiæ & existimationis causa, perseveranter tuebuntur. Nondum nudarunt voluntatem Principes: nulla igitur illis inconstantiæ fama in desistendo est timenda. Neque ego apud illos putem consentientia studia nostra tam levia fore. Illud credo verendum erit Cæsari, ne victus destitisse videatur; quod non illi fuerit par nobiscum contentio; potius quam meliore ratione adductus, quæ res in laude semper posita fuit; sententiam mutasse, Ferdinandum maximum ac sapientissimum Regem imitatus; qui Princeps vehemens & experiens, tamen in hac eadem re, adversus patrum nostrorum incitata studia tendere destitit. Cumque causæ, quamobrem patres vestri Inquisitionem tam constanter tum recusarint; ut illis Ferdinandus cedere in animum induxerit, eædem adhuc maneant; cur vos diversam à patribus vestris sententiam habeatis non video. Denique sic statuo, omnia pericula adeunda, omnes acerbitates subeundas, mortem denique oppetendam potius, quam tam durum jugum accipiamus. Quod igitur me facturum negavi, vos hortor, Neapolitani, ut quæ singuli in quotidianis sermonibus, qui per hos dies fuerunt, præ vobis tulistis, ea nunc universi, consentiente clamore, ac voce libertatis indice, declaretis: quodque caput est; ut quæ de libertate vestra, de vita, de fortunis decreveritis; ad ea constanter defendenda vos comparetis: similesque patrum vestrorum sitis; quos accepimus ad omnia extrema descendere paratos fuisse potius, quam sibi, liberisque suis illud

illud jugum imponi paterentur; quod morte ipsa, iterum dico, si nulla sit alia ejus vitandi via, sit depellendum. Cunctis assentientibus, in ejus sententiam discediturur.

Igitur civitatis Magistratus fortiter & libere agendum esse statuentes, Petrum adeunt; ut summam & extremam civitatis voluntatem homini proponant. Atque Annibal Bozutus, Juvenis acer, in primisque Neapolitanorum copiosus, cui id negotium publice datum est, hujuscemodi ad Petrum orationem habuit: *Utinam, Petre, nulla unquam incidat res, qua nos magis à te dissentire, aut à perpetua, contestataque fidelitatis laude, cujus titulo hæc urbs insignis semper fuit, deflectere cogat. Summam in te, Petre, pro singulari tua religione, urbis ac Regni hujus ab istis novarum opinionum contagionibus purgandi voluntatem videmus. Cui rei tantum abest, ut adversemur, ut contra omnibus precibus efflagitemus; ut in pia ista ac sancta mente permaneas: ad nullamque rem ardentiora, aut magis consentientia studia nostra sis habiturus: neque ullum virtutis tuæ, & istius loci, quem obtines, munus Neapolitano populo gratius esse possit. Quod si gliscentis mali tollendi nulla est alia quam Inquisitionis via; nos vero illam non libenter modo, sed etiam cupide accipimus, atque adeo ultro adsciscimus. Nostra enim ac Majorum nostrorum pietati proximi semper futuri sumus: religionisque studium omnibus rebus anteponemus. Ceterum, ut Inquisitionem, rem sanctam ac piam fatemur; quique illam Principes ac populi in regnis & civitatibus suis acceperunt, eos pie ac sapienter fecisse non dubitamus; ita Neapoli non id adhuc habet vitii res; neque tantum robur impura lues assumpsit; ut non multæ aliæ rationes facile iniri possint, eam ex hac urbe, atque ex toto hoc Regno exterminandi. Extremum remedium extremis temporibus reservetur. Notum tibi est, Petre, populum Neapolitanum exsecrabili odio Inquisitionis nomen abominari. Neque inveterata ac penitus insita animis opinio, ulla ratione illi evelli potest. Multa in novo & inusitato Tribunali instituendo ad terrorem proponuntur: quæ, ne quenquam asperius appellare, aut perstringere cogar, in cogitatione tua relinquenda puto. Neque debes tu, Petre, pro tua sapientia, ex tua natura cæteros existimare; aut putare ministros, quibus septus es, eadem qua te mente omnes uti. Religionem tu, ac Cæsar Rex noster, unam propositam habetis: neque id cuiquam nostrum dubium est. Longe alia illi possunt spectare. Quales autem successores tuos simus habituri, quis divinare possit? Ignosce timori nostro, vano forsitan, cæterum non sine magna ratione suscepto. Civitatem hanc tuam, quam charissimam patriam appellare soles, metu, quo nunc suspensa pendet, libera: suspicionem, quæ illam sollicitam habet, deme; ut tecum in gratia & in amore, quemadmodum semper adhuc fuit, ita in perpetuum esse possit. Neque ullam nostram temeritatem, aut contumaciam debes arguere; si juris eximii, quo Ferdinandus Rex Catholicus nos esse voluit, retinentes sumus: qui Inquisitionis mentionem in præclara hac urbe in perpetuum interdixit. Proinde, ut summa & extrema hujus civitatis, cæteroqui dicto audientis, sententia tibi exposita sit, ita cum animis nostris statutum habemus, ut quidvis perpeti satius ducamus, quam Inquisitionem accipere. Quanti ponderis hæc civitatis voluntas apud te futura sit, ignoramus. Gravem certe illam speramus fore. Illud te oramus, tuamque fidem imploramus & obtestamur; ne ejus rei perseverantia, cujus nomen nobis non modo odio & acerbitati, sed morti etiam sit; nos eum in locum progredi cogas, à quo & natura, & voluntate, & instituta vitæ ratione remotissimi semper fuimus.*

Vehementi animo, ac nimiæ libertatis hominum insolenti, tam libera oratio quasi faces quasdam admovit, atque ab optimo proposito voluntatis non nudandæ, occæcatam iracundia mentem abstraxit. Igitur intemperantia provectus, *Ego pol*, inquit, *Inquisitionis Tribunal, vobis invitis, in medio Neapolitano foro constituam.* Cum non minus libere, nec minus ferociter à Bozuto responsum esset, discedunt; quæque Vicarius respondisset, civitati renuntiant. Quod responsum civitas ita graviter tulit, ut ira & indignatione exæstuans, non sibi diutius cunctandum arbitraretur. Itaque compluribus consiliis à plebe habitis, cum res disputationibus & altercationibus diu extracta esset, nonnunquam etiam ad jurgia exarsisset, studiis in utramque partem accensis, tandem universa plebs ad divi Augustini congregata, conclamavit, *Populum Neapolitanum nullo modo Inquisitionem accipere: jubereque viros à se creatos, conjunctionem omnium consiliorum, omniumque studiorum societatem cum Nobilitate inire. Id nisi gravissimis & extremis pene civitatis temporibus fieri solet.* Ex eo decreto creati à plebe, ad divi Laurentii, societatem cum Nobilitate sanxerunt: quæ sacris solemnibus ea de causa peractis, postero die summa cum omnium lætitia, tota urbe pronuntiata est.

Qua re vehementer perculsus Petrus, cum ad haud dubiam seditionem res spectaret, tempori cedendum statuens, duos ex consilio viros ad Magistratum mittit; qui demonstrent, non satis perceptam fuisse sententiam suam; quæ à civitatis voluntate nunquam discrepatura sit. Vocatoque ad se Magistratu, eadem fere, quæ per Legatos egerat, ostendit; sibi nunquam in animo fuisse, civitati, quam paterna benevolentia, omnibusque officiis semper complexus sit, vim afferre. Eam cum ab Inquisitione tantopere abhorrentem videat, eo metu se omnes liberare, atque omnem mentionem Inquisitionis plane tollere. Gratiis, quantæ maximæ agi potuerunt, actis, cum divinum hoc beneficium præteritorum meritorum cumulum superare dixissent, in urbem reversi, cum quæ acta essent renuntiassent, ingens lætitia est consequuta: omnesque animorum motus in præsentia consederunt: ac civitas post id factum paulisper quieta fuit.

Ceterum Petrus, qui infinito quodam imperio Neapolitanos humiles habere semper consuevisset, indignatus homines, hac veluti victoria de se parta, nimios sibi spiritus paulatim sumere, ne auctoritas sua ferendo & connivendo debilitaretur, eorum contumaciam compescendam ratus, in eos, qui sese paulo liberius in causa jactassent, gravioresque de ipso sermones habuissent, animadvertere constituit: ut eorum pœna reliquos ad severitatis suæ timorem revocaret. Itaque per jurisdictionis Præfectum, quem Vicariæ Regentem vocant, in homines inquirere instituit: quæ res à Neapolitanis cognita pristinos tumultus majoribus animorum motibus renovavit; majoremque voluntatis Petri suspicionem commovit, ac liberiores sermones excitavit. Vulgo enim dictitabant; cui non apparere, Petrum ad Inquisitionem, quam aperte consequi non potuerit, his cuniculis sibi viam munire? idque agere; ut eorum, qui recusandæ Inquisitionis auctores fuissent, supplicio reliqui deterriti, vocem contra ejus libidinem mittere non auderent? Igitur multi cum ex Nobilitate, tum ex honestis plebejis, communicatis consiliis, sese omni ope ad resistendum parant: in quibus Cæsar Mormilius princeps, studia sua civitati profitetur. Is ex Nobilitate multitudini maxime erat acceptus: plebem enim atque infimæ sortis homines omnibus officiis semper coluerat: magnumque in illo oppressis & laborantibus erat perfugium: eos sublevare, ac quibuscunque rebus poterat, juvare, familiariterque tenuiorum consuetudine & convictu uti. Erat præterea ejus domus obæratorum, ac reorum, & exsulum receptaculum. Eos omni ratione tegere, opemque suam iis libentissime porrigere. Quibus rebus id assecutus fuerat; ut plebi esset charissimus, plurimumque apud illam posset; magnamque

hominum multitudinem ſemper domi ac ſecum haberet: ſunt qui affirment, præter communem recuſandæ Inquiſitionis voluntatem, alias fuiſſe privatas cauſas, quæ hominem rerum permiſcendarum & novandarum in primis cupidum facerent; æris alieni magnitudo, anteactæ vitæ ratio, qua ſe Petro inviſum ſentiebat. Itaque in cauſa tam populari, vir maxime popularis, ſtatim multitudinis ſtudia ac frequentiam ad ſeſe attraxit: tantamque ſibi auctoritatem brevi comparavit; ut Regnum civitatis tenere videretur, ſummaque in illo eſſet omnium rerum poteſtas, omniaque in ejus arbitrio ac moderatione verſarentur. Cujus gloriæ æmulus, Joannes Franciſcus Caracciolus, adoleſcens impiger, magnæque inter Nobiles gratiæ, cum plebem à Mormilio teneri animadverteret, paucis poſt diebus Nobilitatis ſtudia ſibi adjunxit: Nobiliumque juventute ſtipatus, nomen & auctoritatem ſuam Mormilio æquavit. Horum uterque ingenti aſſectatorum multitudine ſtipatus, urbem circumiens, Inquiſitionem deteſtari; libere & aſpere in Petrum loqui, civium animos in illum incitare. Verſabantur quoque acriter in cauſa nonnulli ex plebejorum Optimatibus. Horum omnium voces magno aſſenſu, magnoque ab omnibus plauſu accipiebantur.

Cum hic eſſet rerum ſtatus; atque ii, quos ſupra diximus, populum in Petrum incitarent; contra juriſdictionis Præfectus in eos inquireret; Vicarius Archiepiſcopi, pro jure muneris ſui, edictum ex veteri Eccleſiæ more, atque inſtituto, alieno civitatis tempore, propoſuit: quo ſeſe Diœceſim luſtraturum atque in vitam & mores ſacerdotum inquiſiturum, pronuntiavit. Hanc occaſionem arripientes ii, qui turbandarum rerum erant cupidi; populum circumeuntes, Inquiſitionis verbo, quod in edicto ſcriptum eſſet, ad imperitorum animos decipiendos abutebantur. Quid cunctarentur? quid ceſſarent? Non jam in opinione dubia, aut in metu; ſed in re ipſa eſſe Inquiſitionem: edictum Inquiſitionis palam propoſitum: quid igitur exſpectarent? an dum vincti in carcerem pertraherentur? Leves auditiones pro re comperta multitudo ſæpe ſolet habere. Igitur magna animorum commotio facta eſt, ac tabernæ clauſæ, totaque urbe diſcurſum. Interea juriſdictionis Præfectus in auctores turbarum inquirere perſeverabat: Thomaſque Anellus, qui ad cauſam dicendam vocatus fuerat, in ædibus publicis, ubi forum agitur, in cuſtodiam retentus fuit. Is erat infimæ ſortis vir; nulliuſque ſtudia in Inquiſitione deteſtanda erant ardentiora, aut voces liberiores: magnoſque ſibi ſuæ ſortis hominum concurſus, magnamque audientiam faciebat. Quæ res curiis nuntiata, ingentes turbas, magnoſque animorum motus excitavit: neque cuiquam dubium fuit; quin Anellus, communis libertatis cauſa in diſcrimen adductus, omni ratione à pernicie liberaretur. Igitur Magiſtratus, magnuſque cum Nobilium tum plebejorum numerus, in quibus fuit Mormilius; arcem verſus iter capiunt; juriſdictionis Præfectum obvium factum circumſiſtunt; atque ut Thomam Anellum civitati reſtituat, rogant. Ille primo recuſare, ac tergiverſari; Magiſtratus acrius inſtare, ac docere multitudinem vehementer commotam; quam regere in poteſtate ipſorum non ſit: monere ſe atque teſtari, rem ad ſeditionem atque ad arma ſpectare: neque illum, Anello non reſtituto, tuto per urbem ire: ſibi quidem ingentis alicujus mali non ſuſpicionem modo, ſed etiam ſpeciem in oculis verſari. Proinde caveret, ne contra concitati populi ſtudia pertinaciter tendendo, ſalutem ipſe ſuam in diſcrimen offerret; atque armorum cauſa eſſet. Hoc metu injecto, Petro tamen prius conſulto, qui his motibus auditis, ex hortis Puteolanis in urbem venerat; Anellum dimittit: nec prius tumultus conticuit; quam Anellus per urbem equitans à multitudine conſpectus eſt.

Paucis poſt diebus longe gravior tumultus, quo majore de homine, excitatus eſt. Ipſe enim Mormilius, vocatu Præfecti, in ædes juriſdictionis venit. Quod ubi per urbem divulgatum eſt, ac ne retineretur veritum, incredibile eſt, quanta in ſalute hominis tuenda totius civitatis ſtudia exſtiterint: quantaque fuerit erga illum, omnium ordinum, atque ætatum, voluntatum ſignificatio. Nemo enim fere fuit, qui non arma caperet; atque ad ædes juriſdictionis accederet: temporiſque momento omnes viæ, omneſque areæ, in quas ex ædibus eſt deſpectus, infinita hominum multitudine completæ ſunt. Quam rem Præfectus per feneſtram cernens; Cæſarem benigne appellatum, alia à ſe de cauſa accerſitum fingens, dimittit. Quas res Petrus animo & cogitatione circumſpiciens, cum ſibi nihil procedere videret, ſeque nullius partis voluntatem tenere ſentiret, veritus, ſi ulterius tendendo aliqua ſeditio excitata eſſet, ne eam ipſe conflaſſe videretur, totam eam cogitationem ſibi aliquando deponendam ſtatuens, ac plebis ſaltem voluntatem recuperare cupiens, Capitibus regionum, (ſunt ii novem & viginti) ad ſe à Dominico Tarracino adductis, queſtus eſt; eos, qui ſua erga ipſos benignitatem, paternamque voluntatem ſemper experti eſſent, illorum verbis potius, qui ipſos à ſe alienare ſtuduiſſent, quam ipſius factis crediſiſſe: tamque malam de ſe opinionem habuiſſe; ut à quo omnibus beneficiis ſemper fuiſſent ornati; eum putarint quicquam, quod contra rem, aut ſalutem ipſorum eſſet, cogitare potuiſſe. Cum ſuperioribus diebus Inquiſitionem plane ſuſtulerit; ne crediſiſſe quidem illos, neque à tumultibus ceſſaſſe: nullam igitur eſſe rationem, ex ipſorum animis opinionem, eorum aſtutia, qui Inquiſitionis propulſandæ ſimulatione, longe alia ac graviora ſpectent, inſitam evellere. Dolere ſe, atque ægre ferre; quod gratiam, quam apud ipſos tantis, tamque multis meritorum & officiorum gradibus paulatim collegiſſet, una leviſſima ſuſpicione univerſam, uno tempore, perdiderit. Inquiſitionem Neapoli inſtituere, nunquam ſibi, aut Cæſari in animo fuiſſe; idque ſe ſæpius teſtatum eſſe. Quamquam nonnullos novis opinionum erroribus depravatos, pœna aliqua ad ſanitatem revocare, ac providere, ne pernitioſi morbi contagio latius ſerperet; cum Deo immortali gratum, tum præclariſſimæ civitati honorificum fuerat. Itaque, ut omnem prorſus ſuſpicionem tollat, omnemque iis, quos nefaria conſilia animo agitare dubium non ſit, excuſationem eripiat, fidem ſuam non modo verbis, ſed etiam chirographo interponere: omnia præterea verba contra ſeſe, ac dignitatem ſuam habita, omnem contumaciam, omniaque poſt eam mentionem à Neapolitanis commiſſa, condonare. Proinde bono animo eſſent, ac ſuſpicionum & tumultuum finem facerent; ſibique eam, quam deberent, obedientiam & voluntatem præſtarent. Se quidem de priſtina erga ipſos benevolentia non modo quicquam non remiſiſſe; ſed multum etiam ad illam in poſterum additurum. In eam ſententiam chirographum dedit. Quo divulgato, ingens lætitia tota urbe fuit; igniumque & facium ſignificationibus tribus diebus celebrata; Deoque immortali ſupplicationibus gratiæ ſolenniter actæ.

Neque tamen civitas iccirco quieta fuit; alia motuum cauſa excitata: de mittendis enim Legatis ad Cæſarem agebatur, qui pro negotiis civitatis ac regni in futurum apud Cæſarem aſſidui eſſent: quique in præſentia civitatis factum purgarent; ac perduellionis & perfidiæ crimen, cujus à Petro inſimulabantur, diluerent. Petrus enim, ſive ut invi-

vidiam conflatorum tumultuum à se deprecaretur; sive quod nonnullos occulta consilia rerum novandarum cum Gallis communicasse, ad se delatum esse diceret, perduellionis ream civitatem facere contendebat. Cum quotidie consilia haberentur; resque contentionibus & controversiis diu extracta fuisset; amicis Petri, (quorum haud contemnendum numerum in singulis curiis habebat) omni ope contra tendentibus; tandem decretum est, Legatos mittendos: Legatusque creatus Ferdinandus Sanseverinus, Salernitanorum Princeps, ac Placitus Sangrius illi additus; qui, cum præsenti legationis munere perfuncti essent, ac Sanseverinus Neapolim reverteretur, apud Cæsarem esset. Tulit graviter eam rem Petrus multis de causis: quarum illa non in postremis pungebat; quod Salernitanum, virum fortunæ amplitudine, genere, tum autem auctoritate, & gratia omnium Neapolitanorum facile principem, lædendi cupidum, quod multæ inter ipsos simultatum causæ intercederent, criminatorem esset habiturus. Additæ sunt à Neapolitanis novæ irarum causæ. Nam Dominicus Tarracinus, & cæteri Petri studiosi, qui in præteritis consiliis pro Petri voluntate acriter pugnaverant; omnibus convitiis & contumeliis vulgo jactabantur: nomenque hominum summa erat apud omnes infamia & offensione: quippe quos dicerent, privatæ assentationis gratia, communem libertatis causam prodere: in illudque hominum odium pervenerant; ut sibilo à populo sæpe conscissi, in publicum prodire non auderent. Ac forte, quodam die, duo ex illis ab impuberibus pueris forte conspecti in publico, primo maledictis, deinde lapidibus appetiti sunt: ac crescente paulatim turba impuberum, ad famam rei, ut fit, ex tota urbe accurrentium; cum gravius urgerentur, in templum quoddam compulsi, atque ibi diu obsessi; non procul ab extremo fuerunt discrimine: impuberibus (qui ad trium millium amplius numerum deinceps abundarant) tam obstinate in eorum perniciem incumbentibus; ut auctoritate & minis Præfecti jurisdictionis, qui ad homines liberandos venerat, ab incœpto deterreri non potuerint. Nec finem pertinaciæ fecissent; ni Mormilius, ac nonnulli alii intervenissent: qui plurimo negotio, omnique verborum blanditia, impuberum ardorem tandem sedarunt; hominesque ex periculo eripuerunt. Neque tamen prius impetus consedit; quam ad ipsius Tarracini ædes accederent; ac conceptum imbecillis mentibus odium, in januam & parietes, quando in aliam rem nullam poterant, lapidibus & contumeliis verborum expromerent. Ea res Petrus cum in contumeliam suam verteret, indigneque ferret nomen suum, tam antea formidolosum, paulatim consenescere, ac pene jam contemptui esse; Neapolitanosque intelligeret, hac peccandi impunitate provectos, non prius nimia libertate abutendi finem facturos, quam illorum insolentiam, quam ipsemet tolerando aleret, fregisset; statuit severitatis suæ aculeos, quos illi excussos putarent, sibi aliquando excitandos: atrocique aliquo edito exemplo homines ad sanitatem ac pristinam formidinem revocandos.

Eripuerant forte per idem tempus nonnulli adolescentes nobiles ab apparitoribus quendam infimæ sortis hominem; qui ob exiguum æs alienum in carcerem ducebatur. Ex iis adolescentibus jurisdictionis Præfectus tres comprehendi fecerat, & in carcerem concludi. Vis ministris regiis allata, jurisdictioque impedita, satis justa causa animadvertendi visa. Igitur adolescentes in arcem clam noctu traducti, propinquis rem ignorantibus, mane extra arcem producti, ab Æthiope deinceps jugulati sunt: causaque mortis à tubicine pronuntiata, quod jurisdictionem impedivissent. Quæ res non motibus, ut sperarat Petrus, finem attulit; sed seditionum ac malorum principium fuit. Tantæ enim atrocitatis fama omnes Neapolitanos subito commovit: statimque tabernas claudi conclamatum: quæ res initium seditionis esse solet: omniumque hominum & ætatum concursus ad arcem factus. Ibi miseri adolescentes conspecti, extremum adhuc spiritum retinentes; cruore, sordibus, pulvere fœdati, vix ut agnosci possent; per solum se volutantes; omnium animos misericordia, dolore, ira, indignatione vulnerabant. Qui toto eo die, Petri jussu, in eodem loco relicti, sub vesperum in ædem quandam, per terram, pedibus tracti sunt. Severitati additus Neapolitanorum contemptus. Per urbem enim Petrus equitare, ac præter Neapolitanorum oculos circumvehi constituit. Cujus rei cum nonnulli illi auctores essent; multi contra ab eo consilio hominem magnopere revocare nitebantur: cum dicerent, recenti dolore & iracundia civitatem ardere: quibus rebus cæcam, non posse ullius rei rationem ducere: neque debere illum, pro sua prudentia, Cæsaris majestatem, quæ in illius persona læderetur ac salutem ipse suam in tantum discrimen temere offerre; neque committere, ut fidelissima civitas tanto sese crimine Cæsari obstringat. Quibus monitis spretis Petrus, cum existimaret homines non tam temere re committere solere, quam verbis ferociter loqui, ingenti Principum regni caterva septus, quos omnes fere comites habuit, arcem exivit. Sunt qui dicant, Petrum consilii è vestigio pœnituisse; cum etiam tenuiores indignationem vultu præferentes, in nemineque ullam, aut capite, aut alia re honoris significationem cerneret.

Operæ pretium est audire, quanta sit in multitudinis animis mobilitas: quamque parum stabilis sit apud illam beneficiorum gratia. Pro certo enim creditur, eandem plebem, apud quam paulo ante pro beneficiorum magnitudine, terrestris cujusdam Numinis majestatem obtinuerat; hoc uno facinore in homines ejus ordinis, quem odisse solita esset, edito; omnium præteritorum meritorum oblitam, ab eo manus non fuisse temperaturam: eamque rem præ se tulisse; nisi ipsorum Nobilium voces & preces incensa studia repressissent. Eorum nonnulli, tota urbe perequitantes, homines appellare: ac ne sese commoverent, neve quicquam committerent, quo alienam culpam in se transferrent, hortari: necatos esse ex Nobilium corpore: non plebi, sed Nobilitati injuriam factam: eam plebi remittere, ne vicem suam doleret; neve injurias suas ulcisceretur. Igitur Petrus celebriores urbis partes cum obiisset, in arcem reversus est.

Postero die (is fuit octavo Kalendas Junias) quod tanti animorum motus jam diu parturiebant, tandem pepererunt. Seditio enim excitata est: quam à Mormilio conflatam, sunt qui putent: quem ferunt, cum satis sciret Petrum sibi implacabilem fore, id quod Petrus semper præ se tulit, pestem à sese communi incendio removere voluisse: illudque semper studuisse; ut res ad arma deduceretur: cujus rei hanc rationem iniisse. Ad loca arci circumjecta nonnullos armatos misisse: qui cum ibi speculabundi aliquandiu fuissent; ab iisque, qui in arce in speculis erant, essent conspecti, multos ex arce armatos exiisse: quam occasionem Mormilius cum arripuisset; sermones dissipasse; armatos ex arce à Petro mitti, qui multos ex Optimatibus caperent, atque in arcem pertraherent: jamque nonnullos comprehensos: in quibus ipsum Mormilium nominabant. Is se de industria occultarat. Enimvero ad arma subito vulgo conclamatum est: armaque ipsa ab omnibus raptim sumpta, atque ad arcem concursum: seditioneque tandem commissa, Mormilius apparuit. Ingens igitur prælium inter

Neapolitanos & Hispanos commissum est; in quo multi undique ceciderunt: cumque ad vesperum finis esset pugnandi factus, non tamen arma deposita sunt. Omnis enim civitas ad divi Laurentii armata convenit: cunctisque Principibus accersitis, societas renovatur: ipsaque, ac Cæsariani status defensio tota urbe pronuntiatur: Cæsarisque vexillum in turri publica defigitur. Inde crucem præferentes, ad templum maximum accedunt. Ibi solennibus jurisjurandi verbis societas sancitur. Ea nocte, dispositis stationibus, civitas in armis fuit.

Postero die ad ædes jurisdictionis missi, qui Hieronymum Fonsecam, jurisdictionis Præfectum, civitatis verbis monerent; ut ædes patefaceret, ac de more jus diceret. Civitatem enim Cæsaris imperio parentissimam præsto illi futuram. Ille se, nisi armis positis, jus dicturum negare. Circiter meridiem, ad arma iterum multis in urbis locis, incertum qua de causa, conclamatum: acriusque & atrocius prælium, quam hesternum, factum, majorque cædes edita; arce bombardas in urbem displodente: quarum ictibus multi cadebant; magnisque detrimentis proxima arci ædificia afficiebantur: ex quibus ab omnibus statim est demigratum. Postero die, Fabius Arcella, Bessinianorum Episcopus, & Petrus Antonius Sanseverinus, Bessiniani Princeps, compluresque alii ex principibus, Petrum in arcem adeunt: queruntur in fidelissimam urbem, tanquam in hostilem, tormenta displodi, atque armatos emitti: rogant, ut finem faciat; aliquaque componendarum rerum ratio ineatur. Quorum orationem tum adspernatus Petrus, non sibi satis fieri posse respondit; nisi viginti capita, quæ ipse depoposcisset, sibi in potestatem darentur. Cum aliquantum esset altercatum, ut postridie reverterentur moniti. Quarum rerum fama, complures exsules, quibus Neapolitanum Regnum fere refertum est, exciti, in urbem, per speciem opis ferendæ, conveniebant. Quorum adventu, veluti hominum ad omnia facinora, atque ad omnes rapinas paratorum, complures perterriti, simul odio ac tædio præsentis rerum status, urbe excedebant: tantaque erat quotidie abeuntium multitudo; ut nisi Magistratus portas urbis claudi, atque edici fecisset, ne quis exiret; urbs habitatoribus inanis brevi futura fuerit.

In exeuntibus fuit Joannes Andreas Curtius; qui summum vitæ discrimen adiit. Ejus casus mihi duabus de causis, litterarum monumentis paulo diligentius mandandus visus est: altera, quod ex eo in primis apparebit, quam inconsulta, quamque præceps sit vulgi temeritas: quæ ita cæco & impotenti furore sæpe rapiatur; ut nullus illam aut pudor cohibeat, aut consilium regat: altera, quod ex illo locus mihi datus est, rem ætate nostra in primis memorabilem posteritatis memoriæ prodendi. Is igitur Curtius, Majoribus urbe Papia, loco claro oriundis, cum in summo regio consilio, in quo Magistratu principem locum facile obtinebat, multa eximiæ doctrinæ & ingenii, tum autem singularis probitatis ac morum gravitatis documenta perpetuo tenore dedisset, multaque illius essent in Regem & in patriam merita, (quæ res hominem ad summum Præsidis locum in supremo Neapolitani Regni consilio, atque ad munus magni Protonotarii administrandum postea extulerunt: quibus in magistratibus perpetuo gerendis maxima cum laude & auctoritate versatur) tædio tam turbulenti civitatis status, ac ne in tanta rerum colluvione, ullius dicti, factive contagione violaretur; cum neque aut contra Petrum ire, aut contra civium incitata studia tendere sibi honestum censeret; illis sese turbis subtrahere decrevit, urbeque excedere. Quare uxore, ac parvulis natis, totaque familia præmissa, ipse paulo post cum Octaviano fratre, eximio & ipso Jurisconsulto, ac laudatis moribus, haud contemnendisque Regni honoribus uso, luce ac palam, ut in nulla suspecta re, per urbem equitans, à plebe in foro conspectus iras commovit: ea solum de causa, quod hominem Petro acceptum scirent; atque iccirco participem consiliorum, contra civitatis voluntatem initorum, interpretarentur: ut est multitudinis natura, omni levi suspicionis aura mobilis. Impetum igitur in homines parant. Quem illi ex vultibus aversantium, ac minitabundis similium, in sese intentum providentes, in proximam sacram ædem confugiunt; ne horribili commota procella obruantur: sacerdotumque & Monachorum fidem & opem implorant. Illi dignitate virorum & rei atrocitate permoti, latebris quam maxime abditis homines occultant. E vestigioque turba, rabie furens, sacram ædem irrumpit, nefariaque ac perfidiosa capita sibi indicari minaciter clamant. Constanter negant Monachi illos apud sese esse; alia enim via evasisse. Plebs omnibus perlustratis, ac spe frustrata, rabieque ardens, inclusum odium, quod venerabilium hominum sanguine explere non potuerat; in parvulos natos expromere decrevit. Furore igitur inflammata, prægressos cursim insequi instituit: & ad oppidum, quod Turrim Græci, vulgo appellant, assequitur: neque dubitatur, quin innoxiæ ætatis sanguine se commaculaturi fuerint, tantamque labem mentibus concepturi, ni nefaria consilia Deus immortalis avertisset. Rei enim atrocitate & misericordia oppidani commotis, armis statim arreptis, sese furenti multitudini opponunt: consertaque manu eam tandem repellunt. Ita innoxia ætas è furentium faucibus erepta est: quod periculum, divini potius Numinis, quam ulla hominum ope discussum crediderim: ne ea indoles virtutum, quæ humanum captum excessisse vere existimanda est, simul interiret. Quæ mihi causa in primis fuit, ut hunc Curtii casum scriptis illustrarem. Unus enim è pueris, Marius fuit, ætatis quatuor annorum. In hoc puero tanta vis animi, ingeniique fuit; ut cum in ipsa infantia, antequam prima litterarum elementa attingere potuisset, utroque oculo captus sit, lucisque usura in perpetuum plane orbatus, tam acrem tamen ingenii vim in litterarum studia intenderit, eaque fuerit in perdiscendo felicitate, ut quintum decimum ætatis annum nondum egressus, eam in humanioribus, & eloquentiæ, ac Poetices studiis facultatem adeptus sit; ut præclara scripta tam soluta oratione, quam vario metrorum genere omnes mirarentur. Mox ad graviora scientiarum studia animo, versatilique ad omnia ingenio converso, eos brevi in Philosophia progressus habuerit, ut undevigesimo ætatis anno, ejus scientiæ interpretandæ, ac de superiore loco explanandæ munus illi publice mandatum sit. Quod munus ita implevit; ut disputando, disserendo, docendo, arduas atque abditas, majoribusque controversiis implicatas quæstiones explicando, magnam sibi audientiam, magnosque hominum concursus faceret: ad extremum, pari cum laude in Theologiæ studiis sit versatus. In qua nihil est tam difficile, ac reconditum, totve obscuritatibus involutum, tam apud Thomæ, quam Scoti sectatores, (duæ enim hæ scholæ in prima commendatione ponuntur) quod egregii adolescentis scientiam effugiat. Ut omittam ne Musices quidem illum expertem esse; fidibusque egregie canere: adeo in omnibus ingenii specimen agnoscas. Quæ tantæ ac tam multæ virtutes miraculo mihi fuerunt in homine vigesimum septimum ætatis annum nondum egresso, cum Neapoli fuissem; jucundaque unici exempli adolescentis consuetudine persamiliariter usus essem; quæque fama acceperam,

peram, præsentia comprobasset & auxisset; simulque suavitatem ac sanctitatem morum cognovissem; quodque in primis miratus sum, ingenium ad civiles quoque & magnas ac publicas res tractandas, non minus, quam ad doctrinæ studia aptum. Quæ res ne posteritati ignotæ essent, deberi à me, cum summis & præcellentibus virtutibus, tum nostræ animorum conjunctioni existimavi. Igitur duo millia peditum ad urbis custodiam, & tutelam, in consilio decreta sunt.

Postero die, Magistratus fide Petri Gonsalii, arcis Præfecti, accepta, in arcem ad Petrum accedit. Ibi Arcella & Bessiniano interpretibus, res ita convenit. Ne tumultus & seditiones cuiquam fraudi essent: neve ipse, eorum causa, in quemquam animadverteret: aut quicquam omnino faceret, dum legati civitatis, ac Petrus Gonsalius, quem ipse ad Cæsarem cum mandatis missurus esset, ad Cæsarem accessissent; Cæsarisque, quibus standum esset, imperata venissent: in quæ verba chirographum dedit: quæ res præliorum potius & contentionum finis, quam quietis initium fuit. Nam quamquam ædibus jurisdictionis patefactis, jus dici, & in maleficos animadverti cœptum est; non tamen arma posita sunt, neque nocturnæ stationes tota urbe omissæ: ad alias sollicitudines, exsulum, quorum in dies numerus augebatur, addito metu. Interea annona, aliæque res ad obsidionem tolerandam idoneæ, in arcem quotidie comportari: summaque in iis rebus administrandis diligentia adhiberi. Vulgo præterea ferebatur, magnum Hispanorum numerum à Petro exspectari: quæ res suspiciones & sollicitudines augebat, tumultusque, ut necesse erat, sæpe excitabat. In ipso etiam consilio, sententiis & studiis, nonnunquam etiam jurgiis certabatur: ut nonnulli haud procul à vitæ discrimine fuerint. Magnus igitur hominum numerus, tam ex Nobilitate, quam ex cæteris cujusvis ordinis hominibus, ex urbe quotidie exire; ac sese in proxima loca recipere: neque jam à Magistratu retineri posse. Quibus de causis, summa erat in omnibus urbis partibus mœstitia. At Mormilius, & Caracciolus, Joannes item Suessanus, qui magna erat cum plebe in gratia & benevolentia, nullo loco patriæ deesse: urbem cum magna sectatorum manu, armati dies noctesque circumire; civium animos metu suspensos confirmare.

Eodem tempore, Petrus in civitatem, civitas in Petrum crimina quærebant. Cumque Salernitanus ac Sangrius jam urbe essent profecti; nova quoque criminum & odiorum causa excitata est. Nam libelli, ut in summa omnium rerum licentia, quotidie proponebantur; quibus Bessinianus ac nonnulli alii principes, veluti patriæ hostes, probris & conviciis lacerabantur. Ipse etiam Petrus nonnunquam aspere & acerbe perstringebatur; Hispanorumque imperium ejiciebatur, ac Galli accersebantur. Enimvero Petrus iracundia & stomacho exarsit: atque hanc civitatis criminandæ occasionem arripiens, per epistolam ad consilium datam, *Ut missa omnia præterita*, inquit, *fiant; quod in præsentia facerent de accersendis Gallis, quo tandem nomine appellandum esse? aut si hoc non esset, quod tandem esse perduellionis & majestatis crimen? Quomodo igitur tantam labem civitati, quam fidelissimam vocare soleant, conceptam eluant, nisi nefariorum hominum, qui ista admiserint, suppliciis? aut quam aliam esse civitatis purgandæ rationem; quam si eos constrictos ac pedibus tractos sibi tradidissent; ut digna in homines tanta perfidia exempla ederet?* Lecta epistola, Magistratus Petrum adit: docet, nihil eorum, quorum civitatem insimulet, publico factum consilio: neque scire Magistratum, neque in tanta omnium rerum perturbatione, invenire potuisse, qui hæc admittant: proinde civitatem extra omnem noxam esse. Id sese ut testatum relinquant, venisse. Gravibus verbis à Petro male accepti dimittuntur: libellusque testationis, quem attulerant, concerptus: additæ minæ, si Scriba ea de causa in arcem reverteretur. Cæterum à Nola, & Cava, nonnullisque aliis urbibus, Petri verbis postulatum; ut sibi per epistolas suas ad Cæsarem bene gestæ provinciæ testimonium ac laudationem darent: quæ res impetrari non potuit; respondentibus civitatibus, non esse moris, ut à præclarissima urbe Neapoli, quæ caput Regni sit, consilia separent: ejus auctoritatem sese omnibus in rebus secuturas. Quin etiam, Neapolim ab totius fere Regni civitatibus legationes missæ, studia atque opem suam profitentes.

Interea Cæsarianæ triremes Neapolim veniunt; ac non exiguum Hispanorum militum numerum in terram exponunt: qui in urbem à Petro sunt accepti; civitate frustra omni ope contra tendente ac petente, ut viginti millia passuum procul ab urbe, ut jura sua esse dicebat, collocarentur. Quæ res suspiciones auxit, magnosque tumultus & animorum motus excitavit: cum præsertim, eodem tempore Petrus edictum pronuntiari fecisset; quo omnes Principes, ac fiduciarii Regni, ad ædificia arci circumjecta incolenda commigrare jubebantur. Ea res multis diebus in conciliis & cœtibus jactata; Petro modo eam necessitatem remittente, modo edictum renovante. Plurimi tamen sua sponte dicto audientes fuerunt: multique cum ex principibus, tum ex reliqua Nobilitate, ac plebejorum Optimatibus, & in arce, & in proximis locis erant cum Petro. Ceterum Neapolitani, innumera exsulum multitudine in dies in urbem confluente, ancipiti exsulum & militum metu suspensi, dies noctesque in armis esse: ad consiliumque armati accedere: summaque contentione à jurisdictionis Præfecto petere; ut ad exsules conquirendos atque expellendos prodiret. In eam rem opem suam polliceri: ac testari, direptionis urbis culpam (quam imminere cui non apparere?) non civitati, quæ exsules non accersivisset, sed ipsi, qui illos non expulisset, assignatum iri. Quod ille se facturum negavit: ipsosque jussit, qui levissimis de causis ire ad arma tam facile solerent; eadem nunc arma ad exsules expellendos sumere. Multi igitur in tanta rerum perturbatione tumultus quotidie excitari: multi concursus ac clamores fieri: sæpeque ad arma conclamari: ædes jurisdictionis modo claudi, modo aperiri: Præfectusque ipse, modo jurisdictione sese verbis abdicare, modo ad exsules comprehendendos irrito incœpto prodire: contentionesque & certamina inter civitatis primores excitari.

Cum duos circiter menses post inducias factas, in iis rerum perturbationibus atque animorum suspensionibus civitas fuisset; longe gravior, quam prior, seditio orta est. Hujus seditionis alii casum, alii Petrum auctorem faciunt: quem ferunt, cum nullam aliam rationem invidiæ conflatorum tumultuum detestandæ satis explicatam haberet, semper illud studuisse; ut civitatem malis subactam in eum locum, atque ad ea committenda perduceret; ex quibus perduellionis crimen colligere posset. Initium armorum fuit Hispanus miles, qui per leves quasdam causas Neapolitanum gladio percussit. Re comperta, frater Neapolitani, qui tum forte prope aberat, nonnullique alii ad opem ferendam accurrunt: gladiisque eductis, cum percussore & sociis manum conserunt. Id cernentes Hispani, quorum non exigua manus ex arce à Petro composito ante missa fuerat, statim advolant, atque in Neapolitanos, qui supervenerant, impetum faciunt; sclopisque displosis multos interficiunt. Cujus rei fama

fama urbe divulgata, omnes ad opem ferendam excitavit: magnusque ad eum locum concursus est factus, atque ingens prælium commissum; magnoque irarum certamine res gesta est: cum multi mortales utrinque caderent. Major tamen Neapolitanorum numerus eo die est desideratus; utraque arce, & ea, quæ in plano sita, cum portu conjungitur, & ea, quæ montis divi Martini cacumini imposita, urbi imminet, bombardas in urbem displodente: quibus non modo homines exanimabantur, sed ædificia etiam diruebantur. Quibus malis impulsi ii, qui loca arci proxima incolebant, sedes ac domicilia sua relinquere, atque alias urbis partes petere cogebantur: magnamque misericordiam commovebant confusum mulierum, infantium, ac senum vulgus: qui partim seminudi, partim ea, quæ rerum suarum, in tumultu, raptim, trepidantesque eripere potuerant, capitibus imposita gestantes, passim, nulloque ordine, ignorantes quas urbis partes peterent, errabant. Sed longe miserabilior erat eorum, qui ex pugna inter manus auferebantur, species. Ii partim saucii, partim manibus, & cruribus, ceterisque membris detruncatis, partim plane exanimati, cum præter oculos hominum, tota urbe, omnibus horis, ferrentur; deformem, in primisque miserabilem adspectum faciebant. At Mormilius, & Caracciolus, item Suessanus, ac complures præterea ex Nobilitate, tota urbe discurrentes, cives ad opem ferendam, atque ad succedendum prælio hortari: quæque prælio usui essent, hastas, gladios, sclopos, globulos, pulverem, cibaria impigre suggerere. Cumque ad vesperum pugnatum esset; nox certamen ingentibus animis accensum diremit. Postero die prælium repetitum; tribusque urbis partibus, ad eundem modum arcibus tormenta continenter displodentibus, magnaque detrimenta inferentibus, acriter pugnatum. Hispani loca urbis arci circumfusa tenebant: quæ munitionibus à reliqua urbe sejunxerant. Ad eas munitiones quotidie pugnabatur. Insignisque illo & subsequentibus præliis, Camilli Monecæ virtus & audacia fuit. Is, eo die, munitione quadam expugnata, Hispanos urgendo, ad Incoronatæ pedem referre coegit. Horum tumultuum fama divulgata, complures ex finitimis populis civitati subsidio veniebant: eorumque undique confluentium multitudine urbs quotidie complebatur. Præterea tria millia peditum ad urbis defensionem scribi decreta.

Igitur omnibus illis diebus, quibus ab undecimo Kalend. Augusti, ad tertium Non. ejusdem mensis, quotidie multis in urbis locis præliatum est, maxime miserabilis fuit civitatis Neapolitanæ status & adspectus. Innumerabilibus enim malis eodem tempore conflictabatur: continentibus omnium dierum præliis, bombardarum ictibus, ædificiorum ruinis, atque incendiis, civium cædibus, direptionis metu, Optimatum discordiis, repentinis ac quotidianis fere inter ipsos Neapolitanos jurgiis, ac turbis, mutuis suspicionibus, ac ne quid esset in calamitatibus reliquum, quod ad miseram urbem non perveniret; civium domus eorum, qui cum Petro erant, ab ipsis civibus diripiebantur: neque ulla tantis malis remedii ratio inibatur: quamvis Nicolaus Maria Caracciolus, Catinæ Episcopus, nonnullique alii in arcem ad Petrum ititantes, sæpe de rebus componendis egissent; rogassentque ut iracundiæ finem faceret; atque Hispanos dimitteret; parceretque præclarissimæ urbi, quam ipse patriam appellare soleret: quamque à se novis atque amplis viis, magnificisque ædificiis exornatam, è sordibus extraxisset, & in augustiorem speciem redegisset; eam nunc ruinis & incendiis ne pergeret deformare. Igitur animis tanta malorum vi fractis, magna ex urbe omnium generum atque ætatum fugæ fiebant; Magistratu frustra homines retinente: tantaque erat omnibus horis urbe excedentium multitudo; ut præ fugiendi studio, mutuo se prementes, cum quisque sibi primum fugæ locum peteret, magnas turbas apud portas urbis excitarent. Neque tamen fuga saluti, sed quamplurimis majori calamitati fuit: à celocibus enim Hispanorum complures ex iis, qui mari exibant, intercepti, sub arcem ducti, sese redimere cogebantur. Summa igitur erat tota urbe solitudo ac squalor, ingensque mœstitia & omnium rerum desperatio.

Per ea tempora, Gonsalius à Petro missus, cum iter præcepisset, prior ad Cæsarem pervenit; potestateque dicendi facta, ita Cæsarem est allocutus: *Optaret Petrus ne causa sua cum tua, Cæsar, esset conjuncta, neve Neapolitani in his, ut ipsi vocant, tumultibus, ut re vera appellandi sunt, perfidiæ criminibus, multo magis tuam & imperii majestatem violassent, quam ipsum oppugnassent: ne in Petro omni culpa liberando, non tam hominis innocentiam secutus videri posses, quam quod non aliter injurias tuas cum illius causa conjunctas posses ulcisci. Nulla enim alia re nititur Petrus, quam veritate: cui in tua virtute atque constantia firmissimum semper præsidium fuit adversus malevolorum calumnias; eorum præsertim, qui tantas capitalis odii causas adversus accusatum habeant. Nec dubitat Petrus, quin Neapolitani ad non ferendam peccandi audaciam, projectam quoque mentiendi impudentiam sint addituri; ac pro eo, ut facinora sua oratione conentur defendere: (quamquam quam ego defensionem nomino, aut quæ potest in tam manifestis parricidiis ulla omnino esse defensio?) sed tamen illos putat Petrus pro eo, ut se purgent, ac veniam supplices petant, ipsum ultro accusaturos, culpamque suam ad ipsum transferre conaturos. Qui etiam, cum ea, quæ in te & nominis tui majestatem admiserint, longe graviora sint, ac majoribus suppliciis punienda, quam ea quæ nunc patiuntur; tamen tanquam hæc indignis accidant, ita miserias suas flebiliter exponent, earumque deploratione ad invidiam Petri abutentur. Quibus tamen commoveri non debes, Cæsar, neque indignum putare, qui ipsi priores hostilia fecerint, eos hostilia pati. Illud autem lætatur Petrus, quod cum non minor in te sit mansuetudo, quam justitia; si Neapolitani crimina non inficiantes, ad genua provoluti, tuam in ignoscendo clementiam implorarent; periculum esset ne potiores apud te essent miserorum lamentabiles fletus, quam immanium delictorum stimuli: ita eorum impunitatem facile auferrent. Nunc quoniam (quæ est hominum superbia) sese demissuri non sunt, liberius erit tibi & sincerius judicium tuum: neque severitatis tuæ aculei, hominum contumacia excitati, eorundem supplicibus precibus hebetabuntur. Noti sunt, Cæsar, tibi Neapolitanorum inflati ac tumidi spiritus: quos cum aluisset nimia superiorum Vicariorum lenitas, eo arrogantiæ processerant, ut jam ferri non possent: non illi imperiis parere; in humiles & tenues superbe & libidinose consulere; nullæ illis leges sanctæ; nullus esse judiciorum metus. Ut necessario Petro summa illa severitas fuerit suscipienda, te, Cæsar, approbante: qua hominum audaciam & arrogantiam tandem fregit; illosque ad officium & ad æquabilem vitæ rationem revocavit, idque cum magna ipsorum utilitate: quippe qui urbem ac regnum scelerum ac facinorum antea officinam, latrociniorumque receptaculum, justitiæ & honestatis domicilium fecerit. Cæterum tanta est in Neapolitanis ingeniis perversitas; ut nullam Petrus ab hominibus, quos ab interitu sua virtute servavit, pro tanto beneficio non modo gratiam inierit, sed capitale illorum in se odium commoverit: quippe qui sese infinita illa omnium rerum licentia privatos ægre ferant. Quod igitur illorum animus jam diu parturiebat, id tandem peperit: quique primus locus illis datus est odii expromendi, eum non prætermiserunt; atque atrocem hanc seditionem in illum exci-*

ta-

citarunt. In qua re plebs naturali mobilitati suæ affinis fuit. Consilia enim cum illis ipsis perpetuis inimicis suis consociavit, è quorum faucibus sese à Petro ereptam semper præ se tulit: cum Petrum plebis Neapolitanæ parentem, ac libertatis columen, divinis pene laudibus in cœlum ferret: tanta est in vulgo levitas; tamque male apud ingratos homines beneficia ponuntur. Neque vero Inquisitionis nomine Neapolitanorum causa sublevatur. Nam primum non intelligo, quod tantum malum habeat Inquisitio, ut in ea fugienda ad omnia extrema liceat descendere, ac legum vincula perfringere, majestatemque imperii contemnere & violare. Delicata mehercule sunt Neapolitanorum ingenia, si quod cæteræ omnes nationes, atque urbes sine retractatione accipiunt, idque cum magna ipsarum utilitate; ipsi soli ferre indignantur. Deinde Petrus sese Inquisitionem positurum nunquam est aperte professus, neque aspere aut pro imperio cum Neapolitanis egit; sed leniter rem ducendo, hominibus persuadere nitebatur, ut aliqua ratio iniretur impietatis in dies magis grassantis cohibendæ, hæresiumque tollendarum. Quo major est eorum, qui cum imperio sunt, lenitas; eo contumacia dicto non audientium magis cumulatur. Verum finge Petrum aperte præ se tulisse, sibi in animo esse Inquisitionem instituere, continuo ne verum fuit, Neapolitanos in resistendo tantam adhibere contumaciam, atque imperium contemnere? aperteque Petro denuntiare; sese omni ratione restituros, remque, si opus sit, ad manus revocaturos? Hoccine ferendum est, Cæsar? cum præsertim, si rogando & persuadendo Petrum de sententia deducere non possent; expedita esset hominibus via (quæ bonis, & pacatis, ac sui Regis obedientibus populis semper patuit) te, Cæsar, appellandi; atque in tuam justitiam & æquitatem perfugiendi. Jam posthac subditi tui in imperiis accipiendis, aut recusandis, non tuam, aut Magistratuum tuorum voluntatem spectabunt; sed libidine sua ferentur: ipsique arbitri & moderatores eorum, quæ jubebis, de iis pro voluntate sua statuent. Ita homines cum imperio ad illos mittere posthac desinas, licebit. Si hoc, Cæsar, non est imperium perfringere, majestatem tuam spernere, ac per causam Inquisitionis detrectandæ, longe aliud spectare; nescio quod tandem facinus eo nomine sit appellandum. Verum age, Petrus cum societatem plebis cum Nobilitate junctam accepisset, resque ad arma & seditionem spectaret; ut animorum motus sedaret atque urbem pacaret, de jure suo decessit: ac quanquam iracundia ob illorum contumaciam provectus, inter verborum contentionem projecisset, sese illis invitis, si libuisset, Inquisitionis tribunal in medio foro constituturum; tamen hominibus morem gerere in animum induxit: promisitque, neque se Inquisitionem constituturum, neque ab alio constitui passurum: quæ summa Petri humanitas ac lenitas, non modo animos debuit incitatos mitigare; sed eos ad virtutem modestiæ æmulandam invitare; dictoque impensius audientes facere. Quod si motus sola Inquisitio excitarat; cur non causa sublata, penitus consederunt? atque adeo cur longe majores exarserunt? Etenim Neapolitani hac veluti de Petro victoria parta, tantos sibi spiritus subito sumpserunt; ut perinde quasi de Petro vellent triumphare, nulla jam modestia, nullo pudore, nullo legum metu aut imperii tui majestate continerentur. Quæcunque igitur levissima de causa tumultus quotidie excitabantur: cum sontes comprehensos de manu apparitorum luce ac palam eriperent: eoque furoris processerant; ut quadam die in publico Præfectum jurisdictionis circumstiterint; neque prius dimiserint, quam turbulenti quendam ingenii & seditiosum infimæ sortis hominem, quem in vinculis habebat, sibi restitueret. Cumque paucis post diebus, Cæsar, Mormilius, inquieti ingenii vir, qui sese in his tumultibus excitandis principem palam semper professus esset, in ædes publicas jurisdictionis ejusdem Præfecti vocatu venisset; tantus subito concursus hominum Cæsarem minaciter poscentium ad ædes publicas est factus; ut hominem Præfectus ne inclementer quidem appellatum è vestigio dimittere coactus sit. Quæ intolerabilis audacia, ac tanta alia super alia cumulata facinora, nisi consopitam Petri virtutem tandem excitassent ad tantam licentiam aliquo fræno coercendam, eo processerat; ut nihil jam esset, quod Neapoli, aut Vicarius tuus, aut ullus omnino magistratus existeret: sed omnium rerum gubernatio Neapolitanorum ipsorum libidini esset permittenda. Necessariam igitur severitatem adhibuit; ac tres adolescentes, qui comprehensum hominem, cum in carcerem duceretur, ex apparitorum manibus per vim & audaciam eripuerant, morte mulctavit: ut exemplo ad speciem terribili, ad rem salubri, atque in ejusmodi motibus necessario, jureque usurpari solito, reliquos à maleficiis & peccandi licentia deterreret, ac civitatem pacaret. Quod consilium, non modo Petro non processit, verum etiam causam Neapolitanis præbuit, quam quæsierant; ut non jam perplexe & per ambages, sed aperte à te deficerent; diuque in te ac tuos conceptum odium effunderent. Igitur armis sumptis, milites tuos præsidiarios interfecerunt: ipsumque Petrum, in quo imperii tui majestas læditur, arce inclusum & obsessum quotidie oppugnatum veniunt. Nihil est, quod quisquam tantorum facinorum atrocitatem verbis elevare conetur; neque apertum majestatis crimen alio nomine appellare. Neque attinet verbis inficiari, quod factis confitearis. A vobis enim, inquit Petrus, Neapolitani, quæro, utrum jure, an injuria adolescentes supplicio affecerim? si jure; arma in me, atque adeo in ipsum Cæsarem sine scelere ac perfidia sumere non potuistis: si injuria; quis ea de re adhuc judicium tulit? Quis vos in me judices constituit? aut qua tandem lege pœnam maleficiorum à me repetere potestis? cur per Legatos vestros nomen meum ad Cæsarem de eo crimine non detulistis, quemadmodum nunc per eosdem Legatos vos purgatum & me accusatum venitis? Atque adeo, cur ad Cæsarem Legatos mittitis, si (quod re declarastis) vestrum est punire delicta, quæ Neapoli admittuntur? Atque etiam Neapolitani cum hostilia in te, Cæsar, aperte sumpserint arma, tanta tamen sunt impudentia, ut gravitati tuæ ultro illudant, vexillis tuis extollendis, nomineque tuo subjiciendo; tuamque veluti puerilem inscitiam ludibrio habeant; perinde quasi verba magis, quam facta spectanda sint, cumque seipsi tot obstrinxerint parricidiis; ultro etiam (si Diis placet) Petrum accusatum veniunt. Is tamen, ut initio dixi, minus de se laborat; quem perpetuus innocentissime actæ vitæ tenor omni liberet suspicione: tua & imperii majestas hominem sollicitum habet. Quæ si tibi tantæ curæ semper fuit; ut pro illa adversus multo maximam Germaniæ partem (qua Provincia nulla toto orbe terrarum bellicosior, aut opulentior est, aut servitutis impatientior) bellum periculosissimum suscipere non dubitaris; quanto minus hæc tibi negligenda non sunt in Neapolitanis? quos (ne quid gravius in eos dicam) semper exteræ gentes obnoxio imperio devinctos habuerint. Quod si te precibus hominum animis à te alienissimis, per mollitiem flecti sines; quid aliud futurum est, quam ut soluta severa illa disciplina, qua una Neapolitanorum superbia & fastus frangendus est; auctoritatem & obedientiam in eo regno amittas; quod majores tui pacatum tibi, dictoque audientissimum sua virtute reliquerunt?

Hac oratione Cæsar in Neapolitanos haud mediocriter irritatus est; nondum Legatis eorum auditis: qui cum sero Norimbergam, ubi tum erat Cæsar, pervenissent, quod utrique in itinere aliquandiu subsistendi morbus causa fuisset, se audiri à Cæsare petunt: quam rem cum multis viis sæpe tentassent, tamen, quod Cæsaris aures cum litteris Vicarii, tum oratione Gonsalii, ipsorum criminibus occupatæ essent, impetrare primo non potuerunt: cum illis responsum esset; satis esse, si eos, ad quos Cæsar illos delegasset, causam suam docerent: neque enim Cæsari, in tantis occupationibus esse operæ legationes audire. Ita coacti sunt coram Atrebate & Figueroa causam suam agere: ac defensiones suas scripto edere: quibus lectis, haud visi sunt commisisse Neapolitani, ut perduellionum loco haberentur: resque ad tumultuum & seditionum, non ad læsæ

majestatis interpretationem est revocata: Legatisque triduo post revocatis, decretum Cæsaris scriptum traditum est; cujus erat summa: *Extemplo ab armis Neapoli discederetur: ac sine retractatione Neapolitani obedientiam, quam deberent, Vicario præstarent.* Imperatum deinde est Salernitano, ne à Cæsare discederet; Sangrio, ut extemplo Neapolim versus una cum Gonsalio iter caperet, neque ab eo unquam discederet: si imperata neglexissent, capitalem fraudem fore. Salernitanus sese in imperio futurum respondit, æquoque animo decretum accipere; dum Cæsar veritate exploratius cognita, sententiam mutet. Sangrius vero, sese nisi facultate Cæsaris alloquendi facta omnino discessurum negare: neque enim eam esse fidelissimæ & nobilissimæ civitatis dignitatem; quæ ab aditu Principis sui debeat excludi: cum præsertim non beneficium, sed jus petitum veniant: neque esse Cæsaris æquitatis, tam justa postulata ab eo non impetrari. Proinde, posse illos quidem se vinctum Neapolim mittere, aut etiam morte mulctare, si ita libeat; sua vero voluntate, nunquam se, nisi in conspectum Cæsaris venerit, discessurum. Permoti sunt hac oratione animi. Ita postero die Sangrius ad Cæsarem introductus, talem habuit orationem: *Deo immortali gratias ago, Cæsar, tui conspectus facultatem mihi tandem factam, tuamque æquitatem omnia impedimenta superasse. Igitur non ita omnes superos à causa nostra aversos posthac existimabo: qui si nullam habemus miseriarum allevationem, aut salutis spem; saltem interitus nostri coram te, Cæsar, deplorandi (quod unum exitii solatium reliquum est) facultate non simus orbati. Cujus tamen rei magna me spes semper tenuit. Nam quanquam sciebam tantas esse Petri opes ac potentiam, ut nobis nullo modo par esset cum illo contentio, nunquam tamen putavi tantum illum apud tuos gratia valere, ut etiam nos ab aditu tuo excluderet, nimisque durum & à tua justitia alienum erat, Cæsar, quod nemini quamvis scelerato & perdito unquam est negatum, ut ejus defensio audiretur, id à te nobilissimam & fidelissimam urbem tuam non impetrare. Atque ego Petri prudentiam & ingenium hac in re vehementer requiro; qui Neapoli primum ne hæc legatio ad te decerneretur, tanta ope pugnarit, & heic ne ea audiretur tanta cum sua, tum amicorum gratia, quæ plusquam modica est, præpararit. Quod totum contra facere debuit: nam si veritate causa illius nititur, ac si horum tumultuum culpam penes nos esse se demonstrare posse sperat, quæ ejus rei via erat expeditissima, ab ea non tantopere debuit declinare. An non intelligit vir eo ingenio, numquam apud homines, præsertim graves, qualis tu es, Cæsar, veritatem satis liquere; neque verba, quamvis verisimilia, fidem plane habere; nisi quæ contra ex altera parte afferantur, prius cognoscantur; controversæque rei veritas præsentibus reis, orationibus inter se contrariis, judice disceptatore eluceat: quod quoniam ille effugere tam impense studuit; causam ipse suam plane damnavit: qui illud certamen detrectarit, quo uno veritas à calumniis discerni potest: quoque astu se criminum vim subterfugere posse speravit; eo se plane ipse convicit. Quamquam, Cæsar, Legatos ad te mittendi non una causa fuerunt tumultus nuper exciti; neque hoc novum est Neapolitanorum consilium, sed pervetus, variis rationibus à Petro semper impeditum: quod ne nunc quidem ad effectum adduxissent, ne hominis iracundiam sibi magis irritarent; ni summæ temporum angustiæ, rerumque asperitates eos coegissent, salutem suam quibuscunque rebus anteferre. Causa igitur Legatos ad te, Cæsar, decernendi vetus illa fuit; ut esset aliquis apud te Neapolitanorum nomine, quicum de rebus illius Regni agere in loco posses: ut quæ officia & obsequia tibi subinde multa alacriter præstamus; ea tu à nobis potius, quam à Petro, aut à quoquam ministro tuo recognosceres: gratiamque eorum, si qua est, fidelium subditorum effusæ in te voluntati & propensis studiis potius, quam ministrorum operæ aut diligentiæ deberes: quoniam sentire cœpimus, Petrum de officiis in te nostris, ad tam altum apud te auctoritatis & amplitudinis gradum pervenisse, nulla nostri, ex quibus ille crevit, habita ratione. Cæterum quoniam tibi aliter placet, Cæsar; mihique imperatum est, ut extemplo Neapolim revertar, parebo imperio: illud prius pro ea quam tibi debeo pietate, Deos hominesque testatus; Neapolitanos, quoniam nullam esse apud te impensorum officiorum gratiam intelligent, ac ne ea cognosci quidem, ut ab se profecta, coactos posthac fore sese totos sine ullo commodorum aut majestatis tuæ respectu, ad Magistratuum, quos mittes, libidines conformare: neque illos jam pro ministris tuis, sed pro suis Regibus habituros: quæ res quam multa & Regno Neapolitano, & tibi detrimenta allatura sit; malo in cogitatione tua relinquere, quam in oratione mea ponere. Illud te pro tua humanitate rogatum volo, Cæsar, ne me audire graveris breve hoc horæ curriculum, dum patriam meam purgo à causa horum motuum, atque horum malorum, quæ per hos dies urbem nostram miserabilem in modum lacerarunt. In qua re illud me haudquaquam movet; quod Gonsalius aures tuas criminibus nostris impleritt. Tantum enim compertum habemus in te animi esse, ac roboris; ut de tanta re, nisi causa ex utraque parte audita, præceps non facturus sis judicium. Atque utinam adesset Gonsalius: multo facilior esset nostra causa. Nam mihi de singulis rebus roganti vera (sat scio) pro ejus fide responderet: ita ex illiusmet confessione veritatem cognosceres. Nunc quoniam ille congressum vitavit; quippe ex quo inferiorem sese discessurum intelligeret; dabo operam, ut res quemadmodum gestæ sint plane cognoscas.*

Hic Cæsar Sangrium interfatus, *Nihil esse*, ait, *quod ille plura oratione persequatur: sese enim ex scripto rem cognovisse; jamque decrevisse quid fieri placeat: ac stare sententiam, nec mutari posse. Proinde revertatur; civitatique persuadeat, ut imperata faciat; armisque positis, Vicario dicto audiens sit: bonoque animo suis verbis Neapolitanos esse jubeat: sese enim de illorum fide ac propenso studio omnibus locis perspecto, nunquam dubitasse: neque malam de illis opinionem unquam imbibiturum: eorum commoda & incolumitatem sibi magnæ curæ fore: brevique civitatis quieti & tranquillitati se consulturum.* Ita Legatum benigne appellatum, gratiasque agentem ob tam mite responsum, dimittit.

Cæterum quoniam defensionem Legati, ut supra diximus, scriptam Cæsarianis tradiderunt, quam non licuit oratione complecti; cujus exemplum mihi ostensum est cum Neapolim accessissem, rei diligentius cognoscendæ causa; ea non mihi prætermittenda visa est: quo causa utrinque audita, legentibus exploratius sit judicium: remque sic exponemus; quasi Neapolitani Cæsarem præsentem alloquantur. Ad cæteras calamitates, quas passi sumus, ac nunc cum maxime miseri patimur, ille etiam cumulus accedit, Cæsar; ut Vicarius tuus Petrus, qui inauditæ crudelitatis exempla in nos per summam injuriam & immanitatem edidit; pro eo ut sese purget, ac meritas pœnas deprecetur, nos ultro apud te criminibus insectetur; proditionisque ac perfidiæ reos faciat: illud fortasse existimans, sese causam suam aliqua ex parte sublevaturum, si studium & operam nostram à se accusando ad nos ipsos defendendos traduxerit. Quæ quantum hominem fefellerit opinio, mox apparebit. Neque enim defensio nostra ab illius accusatione potest esse disjuncta; neque veritas, quocunque orationis genere exponatur, minus elucebit. Illud igitur primum pro causæ nostræ fundamento accipimus, Cæsar, quo nullum esse potest firmius, ipsiusmet Petri confessionem, quam ipsius chirographo consignatam habemus, omnium horum malorum causam fuisse Inquisitionem. Heic homo suamet confessione manifesto tenetur: quippe qui ipse Inquisitionis auctor fuerit; dum vel illam instituere studet; vel sermones de ea in dies percre-

crebescentes non prohibendo, alit: quam rem præsertim nos tam sæpe, tantisque contentionibus ab illo efflagitaverimus; cum denuntiaremus ac testaremur, quam multarum turbationum ac malorum causa futuri essent ii rumores. Quod si ille quæcunque voluit se semper Neapoli, vel invitis nobis, effecisse gloriari solet; quanto hoc ei facilius fuit, omnium ordinum atque ætatum studiis & voluntatibus cum illo conjunctis? Neque nos in obsistendo lenius, ut isti volunt, aut moderatius agere potuimus; teque, Cæsar, appellare, Inquisitionemque à te deprecari; nam periculum imminebat, resque in dies magis urgebat: cum præsertim Petrus quadam die Magistratui civitatis palam affirmarit, sese nobis invitis Inquisitionem constituturum: tuque longissime aberas, Cæsar, tanta belli mole implicatus; ut neque te adire interea possemus; neque, si maxime adissemus, otii satis habuisses in tanto rerum discrimine ad legationes audiendas, controversiasque disceptandas: quam rem vix nunc impetrare potuimus bello confecto, Neapolitanaque urbe in extremum discrimen adducta. Cumque Inquisitionis nomen Neapolitano populo non modo odio & acerbitati, sed etiam morti sit; omnisque dilatio periculosissima esset; in eum profecto locum adducti eramus, in quo non leges modo, verum etiam natura ipsa omnem salutis expediendæ rationem honestam facit. Neque tamen nos longius protulit animorum concitatio, quam ut consiliis & studiis plebis cum Nobilitate consociatis, obedientiam tibi debitam clarissima voce profitentes, insigniaque tua proferentes, paratos nos esse præferremus omnes acerbitates subire, quin etiam mortem ipsam oppetere potius, quam abominandum jugum cervicibus nostris imponi pateremur. Nulla in re imperii majestas per quenquam violata est; nullus, ne minimus quidem apparitor attactus: quin etiam omnia nostra studia ad Magistratus tuos delata: atque etiam malefici per nos comprehensi & Judicibus traditi. Ubi est illa, quam tantopere jactari atque amplificari audio, projecta Neapolitanorum contumacia? atque adeo quæ in tanta rerum perturbatione, tantaque animorum commotione major excogitari potest moderatio? Igitur Petrus, cum hac via consilia parum procederent, pollicitus est tandem, neque se Inquisitionem constituturum, neque quemquam toto suo magistratu constituere passurum. Si in Inquisitionis deprecandæ simulatione, longe aliud, ut isti nos criminari solent, latebat; si in societate jungenda longe aliud spectavimus; molesta profecto nobis fuisset hæc Petri facilitas & benignitas: quæ nobis causam tumultuum præcidebat, viamque sceleratorum consiliorum, ut isti vocant, ad exitum perducendorum obsepiebat. Velim, Cæsar, tum adfuisses, profecto admiratus esses omnium exsultantem ac superfundentem se lætitiam: cognovisses, quibus prædicationibus, quantis voluntatum significationibus hoc beneficium Petri simus complexi; quam amplis verbis illi publice gratias egerimus; cum illum parentem & servatorem nostrum plausibus & acclamationibus salutaremus: ac cum divinis prope laudibus hominis virtutem & humanitatem conjungeremus. Non igitur beneficium Petri ullam, ut isti calumniantur, arrogantiam nostram provexit; sed contra studia ad demissius & impensius parendum accendit. Jam vero quæ postea consequutæ sunt novorum motuum causæ, nobis nullo modo assignandæ sunt, sed illi ipsi Petro: qui si vere cogitationem de Inquisitione prorsus abjecerat; quid ita ab iis, qui paulo apertius illam detestati fuerant, pauloque vehementius in causa versati, pœnas per judicium persequi instituit? animis præsertim à recentibus motibus nondum plane sedatis; idque omni civitate constantissime contra nitente: quæ sæpenumero illum publice ab ea mente, atque incœpto, omnibus precibus deducere conata est. Adversus quæ omnia ille cum tam obstinato animo fuerit; neque in ulla alia crimina homines vocarentur, quam quod eorum sermones de Vicario liberiores fuissent: tumultusque concitassent, quid aliud suspicari debuimus, quam id spectare Petrum, ut hanc novam viam, quoniam prima parum processisset, ad diu concocta de Inquisitione consilia sibi expediret? Quod si priores motus venia digni sunt, longe magis probandi sunt hi posteriores, quibus eidem causæ resistebatur, asperioribus viis tentatæ. Deinde cum eadem esset omnium Neapolitanorum causa, quippe qui Inquisitionem aperte omnes detestati simus, ac societati nomina dederimus; quomodo supplicia, ad quæ nonnullos in præsentia rapi videbamus, non pro se quisque ad se, eodem noxium crimine perventura suspicaretur? Jam vero, si Inquisitio Neapolitanis induerat arma, ut ipse Petrus fatetur; quomodo putabat in iis, quæ illam necessario consequuntur, eosdem quieturos, atque adeo non multo acrius exarsuros, quanto gravius erat pœnis quam verbis agere? Postremo civitas suam ipsa causam damnasset, si à quibus causa ipsa acriter ac libere fuisset defensa, eos pœna affici passa esset. Tantis igitur acerbitatibus subacta civitas, cum Legatos ad te decerneret; longum esset, Cæsar, dicere, quam ea re Petrus sit perculsus, quibus ille artibus, quibus contentionibus, quibus allegationibus, quibus postremo dimicationibus rem impedire conatus sit: quam omnes in ea re auctoritatis & potentiæ suæ nervos intenderit. Ut etiam accersitis Centurionibus populi, multaque de sua perpetua in Neapolitanum populum benevolentia præfatus, chirographum ediderit; quo non modo Inquisitionem in perpetuum tollebat; sed etiam omnia delicta, omnemque noxam Inquisitionis causa commeritam condonabat: quo populum ab Nobilitate abduceret. Adversus tantam contentionem cum civitas in incœpto perstitisset, Legatosque tandem decrevisset; tum vero Petrus, cui nullum consilium processisset, in rabiem versus (dat enim animum ad libere loquendum tanti facinoris immanitas) tres miseros adolescentes apprime nobiles, vix dum pubertatis annos ingressos nonnullis ante diebus comprehensos per causam, quod infimæ quidam sortis homo, qui ob debitam perexiguam pecuniam præter eorum oculos in carcerem ducebatur, ex apparitorum manibus illis (ut ajunt) adjuvantibus esset elapsus, quæ causa semper levissima habita est, eos igitur adolescentes ante arcem productos ab Æthiope crudelissime jugulari fecit: jugulatosque veluti imperii proditores per terram trahi. Quæ ex omni seculorum memoria in nulla barbaria audita crudelitas; quæ fœdissimi spectaculi deformitas si nos ad id attraxisset, à quo semper natura & voluntate remotissimi fuimus, quis tandem justo dolori non ignosceret? cum præsertim Petrus nullo titulo tantæ crudelitatis facinus possit velare. Nam si sedandorum tumultuum causam prætexit; hoccine fuit tumultus sedare, an multo magis inflammare? Tu, cum tantæ injuriæ, tantæque crudelitatis facinus in oculis nobilissimi populi edas, animis præsertim ob recentes dimicationes commotis & exacerbatis; quemque populum tantum animi habuisse expertus sis; ut societate sancita cupiditatibus tuis palam ire obviam non dubitarit; motus te sedaturum, ac non potius ad perniciosam seditionem irritaturum sperasti? cum præsertim multis locis venia per leges populis detur, si malis victi nimiisque inju-

riis & asperitatibus subacti arma in Magistratum convertant, neque ab ejus sanguine manus abstineant. Et tamen tanta fuit, Cæsar, Neapolitanorum moderatio, tantus imperii tui respectus, ut cum postero die Petrus per urbem equitaret, populusque arma sumpsisset, ac societatem omnibus solennibus renovasset, in oculisque ejus præterveheretur is à quo tam insigni tamque exsecrabili injuria esset affectus, recenti crudelitatis memoria animos stimulante, nihil gravius admiserit: sed injurias suas, quarum pœnas à noxio homine sumere, & jure poterat, & nemo prohibebat, tibi puniendas reservavit. Et adhuc contumaces Neapolitanos, ac superbos non pudet appellare? neque quo nomine ejus temeritas sit appellanda cogitat potius; qui quantum in illo fuit, majestatem tuam in persona sua violandam objecit? Jam vero seditionis, quæ postea casu excitata est, & certaminum, quæ inter populum Neapolitanum & præsidiarios tuos commissa sunt, nulla, si quis vere rem existimare velit, in nobis culpa est. Qui si injurias nostras armis ulcisci in animo habuissemus, nunquam eam facultatem prætermisissemus, quam Petrus ipse in publicum eo tempore prodiens expeditissimam nobis præbuit: cum præsertim non minore scelere (si scelus ullum in re tam justa est ponendum) præsidiarii tui, quam Magistratus violentur: in utrisque enim nominis tui majestas læditur: atque adeo, cum magis ignoscendum esset justo dolori, si arma vertissemus in eum potius, à quo tam gravem plagam accepissemus, quam in eos, à quibus nihil læsi essemus. Illud unum eximiæ Neapolitanorum moderationis, incredibilisque in te observantiæ signum prætermittere non possumus, Cæsar, quod cum Neapoli tanta sit omnium rerum colluvio, tantaque exsulum multitudo in eam urbem confluxerit, plenique sint carceres obæratorum ac maleficorum, capitalia etiam ausorum, qui omnes aut propinquitate, aut aliqua necessitudine, aut etiam noxæ societate exsules attingant, non modo carceres non sint refracti, (quod primum fere esse solet seditionum opus) sed ne ædes quidem jurisdictionis à quoquam attactæ. Habes, Cæsar, voluntatem in te, ac fidelitatem Neapolitanorum tuorum multis rebus perspectam: contra Petri injurias, quæ nulla honesta ad speciem re possint velari. Quid reliquum est, nisi ut Deum immortalem precemur, ut tibi eam mentem det, qua calamitates miseræ civitatis tandem respicias? quæ cum sese è tantis miseriis auctore de medio tollendo posset eripere, jureque posset, tanta tamen in te est pietate, tamque sancte nomen tuum colit, ut illud etiam in atrocissimo hoste suo venerata sit: quæ nunc misera jussu Petri, ac voluntate hostilem in modum direpta, continentibus bombardarum ictibus ut tui nominis hostibus verberata, magnaque ex parte diruta ac deformata, habitatoribus pene vacua, ab omnium ope deserta, omnibus contumeliis jactata, injuriis agitata, malis lacerata, omnia denique, quæ captarum urbium extrema esse solent, perpessa, in tuam fidem, misericordiam, justitiam confugit: à qua una malorum finem exspectat, cum illorum pœna, qui tantorum malorum ob cupiditates ac libidines suas fuerunt auctores.

At Sangrius Neapolim cum venisset, Magistratusque in ædem divi Laurentii convenisset, plebs excita est: ex omnibusque urbis partibus, pluribusque agminibus ad templum concursus factus: momentoque temporis vestibulum & circumjectæ templo plateæ armatorum plenæ fuerunt. Cumque Sangrius imperata Cæsaris exponere cœpisset, armaque deponenda, ac sub Petri obedientiam redeundum dixisset, isque sermo in vulgus manasset, rumor primum ac fremitus indignantium tota concione pervasit: qui mox in furiales clamores erupit; cum omnes undique vociferarentur, Nobilitatem cum communibus inimicis conspirasse, seque ab illis, quorum impulsu ad arma ierint, desertos ac proditos. Enimvero nullo modo id esse ferendum; sed arma ab exteris in cives proditores vertenda, ferociter ac minaciter conclamant. Jamque sclopi displodi incipiebant, apparebatque vim ultimam parari; Magistratusque, ac qui cum illo erant ex Nobilitate, tanto circumfuso pavore perterriti, consiliique inopes, omissa publica cura, pro se quique, quomodo tantæ se procellæ subtraheret, quaque evaderet, circumspectare. Neque dubitabatur, quin furore ardens multitudo atrocia crudelitatis exempla in Nobilitatem editura esset.

Cæterum Joannes Franciscus Caracciolus periculum audacia discussit. Is cum armatorum globo, quos circa se habebat, templo prosiliens, cum, manu intenta, silentium fecisset, *Quis vobis*, inquit, *rabiem istam objecit? quousque furor vester progredietur? Nobilitatemne ad cædem deposcitis? En ego primus jugulum offero; hoc ferite: per meum enim latus Nobilitas vobis petenda est.* Cum ad primum aspectum hominis multitudini acceptissimi, cuique magnam fidem plebs habebat, tumultus, quo paulo ante omnia ardebant, conticuisset; Caracciolusque homines commotos sensisset, apta tempori oratione subsecutus, iras permulsit. Docuit enim nullam subesse fraudem; armaque, quæ contra Petrum, justissimæ causæ induerint, quæque ad eum diem, nulla contracta perfidiæ noxa, tractata sint, posthac sine ingenti flagitio retineri non posse: contra Cæsarem enim Regem suum, qui ab illis discedi imperet, Neapolitanos ituros. Dum licuit, sese illis non modo socium, sed Ducem præbuisse: nunc se tanto crimine Regi suo non obstricturum, sed in privatas ædes illico recessurum, sagoque & armis positis togam resumpturum, pacatumque in publicum proditurum. Idem ut illi faciant, hortatur. Non tam oratione, quam auctoritate viri, quæ apud multitudinem supra omnia valet, mitigati, qui furentes ira venerant, quieti in sua se tecta recipiunt. Ex imperio igitur Cæsaris arma posita sunt, obedientiaque Petro reddita, pacata civitas fuit. Petrusque potens rerum factus, civitatem centum millibus aureorum nummûm mulctat: ac centum, quorum in præliis & tumultibus insignior ardor animorum fuerat, exsilio damnat: quæ tamen multa paulo post à Cæsare civitati remissa est; numerusque exsulum ad viginti redactus: qui etiam haud multo post patriæ sunt restituti, præter Mormilium, & Caracciolum, ac Suessanum. Nonnulli tamen voluntarium exsilium sibi consciverunt: in quibus fuit Bozutus; qui acriter in causa fuerat versatus, vehementemque & liberum Oratorem egerat.

VBER-

VBERTI FOLIETAE,

PATRICII GENVENSIS,

CAEDES PETRI LVDOVICI FARNESII, PLACENTIAE DVCIS.

NEAPOLITANAE seditioni, ne eo anno ulla Italiæ pars domesticis tumultibus intacta esset, Cædes Petri Ludovici Farnesii, Placentiæ ac Parmæ Ducis, continuatur: quæ Placentiæ conjuratione principum civitatis facta est. Eam conjurationem nunc exponere pergam. Petrus Ludovicus simulatque Ducatum iniit, longe diverso à superioribus institutorum genere uti cœpit. Pontificii enim Legati, eorumque Vicarii, ne potentiorum odia bono publico sibi irritarent, illorum cupiditatibus servire consueverant, arrogantiamque Nobilitati natura insitam connivendo alebant. Quare illi legum metu soluti, libidinem pro lege habentes, omnibus iniquitatibus tenuiores & rusticanos vexare; contumeliis afficere; bonis etiam & fundis, per varia calumniarum genera evertere. At Petrus Ludovicus contrariam gerendæ Reipublicæ, ac maxime popularem rationem ingressus, quod boni erat in Pontificio imperio, retinuit; quod mali, præcidit: nam immunitates à tributis & oneribus, aut servavit, aut illa non multum auxit: & effrenatam Nobilitatis licentiam, judiciorum severitate, æquabilitateque juris dicendi plane sustulit. Quin etiam, quo nihil popularius est, facilem aditum ad se omnibus patefecit: statosque dies habuit, quibus in publico, Proceribus præsentibus, ad querelas humilium & tenuiorum audiendas posita sella sedebat: seque injuriarum illis factarum acerrimum vindicem aperte ferebat. Quibus artibus duas res, ut necesse fuit, est assecutus: nam plebis & agrestium animos mira benevolentia in se firmavit, & Nobilitatis inexpiabile odium sibi irritavit. Hoc enim fere est Nobilitatis vitium; injuriam sese accipere putant in eo, quod facere prohibentur. Vulgo igitur indignari Primores; ac fremere, sese tantæ nobilitatis Proceres, ab adventitio cadavere, lutulentis vitiis inquinato, adspectu etiam ipso, & despecta oris specie inviso ita contemni, atque omni dignitate spoliari. Cui vero non apparere, quid ille iis simulatæ æquitatis artibus, quæ in viro contaminatissimo esse nullo modo potest, moliatur? nimirum ut per has species miserorum sublevandorum, Nobilitate in ordinem coacta, omnique auctoritate & resistendi audacia Proceribus sensim detracta, illos tandem, simulque plebem ipsam, inani defensionis specie in præsentia lætam ac deceptam, arctissimis servitutis vinculis constringat, indomitasque cupiditates in illos, si jugum acceperint, exerceat: quibus quam impotentibus rapi soleat, declarare omnem superioris vitæ cursum.

Ægros sua sponte animos Ferdinandus Gonzaga, Mediolanensis ditionis Vicarius, assiduis stimulis insuper incitabat. Is & privatim multis de causis, Farnesiæ genti erat infensus, & publice magis in dies, in illum acuebatur. Nam multi ex ditione Mediolanensi, tributis & exactionibus sese subtrahentes, in ditionem Placentinam, immunitatum & æquabilitatis juris fama attracti, commigrabant: ibique sedes & domicilium collocabant. Et in lite, quæ per eos dies inter utramque ditionem de oppido quodam Romagnesio intercessit, Petrus Ludovicus cedere Mediolanensibus noluit: sed acrem sese jurium ditionis suæ vindicem præbuit. Hominem igitur Gonzaga ad Cæsarem assidue criminari, ac formidolosum accolam dicere, res novas aperte molientem: quarum occulta consilia cum Gallis concoquat. Indicio esse, quod superioribus mensibus Strozio, ac Gallicis copiis non modo tutum transitum per suos fines dederit, sed commeatibus etiam juverit; amnes pontibus straverit; omnibusque rationibus iter expediverit. Illud invidiam in primis augebat; quod Genuensium motuum & cædis Joannis Auriæ auctor haud dubie insimulabatur. Quin contra, Apollonius ejus intimus Scriba, cui omnia arcana credere solebat Petrus Ludovicus, quique omnium occultorum administer semper fuit, ut nullô modo ejus notitiam tanta res effugere potuerit, tribus annis Mediolani in carceribus continenter adservatus, cum ab eo tormentis ea res sæpe quæsita esset, constantissime semper negavit, herum suum, aut auctorem ejus cædis, aut omnino affinem fuisse. Ad hæc, constans, neque ea vana fama erat, quæ nescio quomodo emanarat, cum Farnesius filius, Legatus exercitum Pontificium in Germaniam ad Cæsarem duceret, ad parentemque invisendum paulum ex via flexisset, auctorem illi fuisse Petrum Ludovicum, ut florentissimas copias in ditionem Mediolanensem converteret: quam ab omnibus rebus imparatam, Cæsare tanta mole belli in Germania implicito, Gallisque opem suam tam propinquam deferentibus, nullo negotio, nemineque resistente, in potestatem suam redacturi essent: quod consilium Farnesius, ut supra diximus, adspernatus est. Quarum rerum Petrus Ludovicus cum sese apud Cæsarem insimulari sensisset, nunquam se purgare satis potuit: Atrebate pro Cæsare nuntiis respondente, majorem fidem habendam Gonzagæ, & Mediolanensibus, vera scribentibus. Quin etiam Cæsar Alexandro Vitellio suadenti, ut ad suspiciones de Farnesiorum fide susceptas prorsus extinguendas, urbem Senas illis donaret; se ne pinnam quidem de Italiæ urbibus, aut Farnesiis, aut cuiquam mortalium concessurum respondit. Ad hoc, nunquam adduci potuit Cæsar, Pontifice omni ope contendente, ut concessionem fiduciariæ ditionis auctoritate sua comprobaret: cum re-

 spon-

ſponderet, ſi Placentia & Parma juris eſſent Romani Imperii; ſuæ fidei non eſſe, quicquam de rebus Imperii largiri; ſi Pontificii, tum eas eſſe Pontificis partes. Quin etiam in literis, quas ad Petrum Ludovicum dabat, nunquam ſolitus erat adſcribere, Duci Placentiæ ac Parmæ; ſed veteri titulo Ducatus Caſtri hominem nominabat.

Ex tanta igitur, neque ea obſcura voluntatum exulceratione, animiſque tam utrinque ſuſpectis occaſionem arripientes quatuor primæ nobilitatis Placentiæ Proceres, de Petri Ludovici cæde conjurant, Auguſtinus Landus, Comes Complani, Joannes Anguiſciola, Ludovicus Confalonerius, Alexander Palavicinus: ſinguli Petro Ludovico, præter communem cauſam, privatis injuriis infenſi. Ii ſtudiis cum Gonzaga conſociatis, cum Cæſarem accuſationibus diu fatigaſſent; illeque incertus animi fluctuaretur; intervenit res parva dictu, quæ Cæſarem, ad eum diem nutantem, in conjuratorum ſententiam tandem attraxit. Quæ res documento erit, à quam parvis ſæpe & neglectis rebus magni motus excitentur, regnaque interdum evertantur. Exegerat Petrus Ludovicus illis forte diebus quod reliquum erat triremium Fliſco venditarum pretium: fuit autem ad aureorum nummûm quatuordecim millia. Eam pecuniam in interiore cubiculo ſub lecto collocarat. Cumque forte per eos dies Joannes Bellajus, Cardinalis Gallus, Romam petens, illac iter faceret, Petrus Ludovicus, ut virum eminentis dignitatis apparate ac magnifice acciperet, mille aureos nummos ex eo loco prompſit. Motus eo in loco factus, ac mentio pecuniæ in adventu Proceris Galli, per exploratores à Gonzaga cognita; ſuſpicionem injecit, ingentem aliquam auri vim à Gallorum Rege ad Petrum Ludovicum, hominem Cæſari ſuſpectæ fidei miſſam, ad res in Italia miſcendas.

Huic ſuſpicioni fidem alius caſus affirmavit. Nam, cum paucis interjectis diebus Petrus Ludovicus Parmam eſſet profectus; cubicularius quidam, cui in primis Petrus Ludovicus confidebat, diligentioris cuſtodiæ cauſa, in eo cubiculo, juſſu heri, cubabat. Is, cum ſacram virginem, cum qua inceſtam conſuetudinem habebat, quadam nocte, de more cubitum ſecum accerſiſſet, illa admirata, cauſam mutati cubiculi quæſivit. Ille, ut amantes nihil inter ſe tecti habere ſciunt, ſimul ingenio vanus & jactans, ut ſe exiſtimatione ſummi apud Principem gratiæ & fiduciæ loci, ad amatam magis commendaret, mentitur immanem auri vim ibi reconditam adſervari: ejuſque cuſtodiam ſibi uni ab hero creditam: magnas enim res Pontificem & herum moliri. Illa muliebriter loquax, in cœnobium reverſa, rem ſodali aperit; illa alteri; & tertia quartæ; & ſic deinceps, donec res ad omnium virginum notitiam pervenit: & ab illis ad cognatas & affines, quibus mos eſt incluſas virgines ſubinde inviſere: quæ viris ſuis ea, quæ à ſacris virginibus audierant, fando narrarunt: virique inter ſe, quæ ex conjugibus ſinguli cognoverant, communicant. Ita res tota urbe brevi divulgata; ab exploratoribus, quorum urbs plena erat, ad Gonzagam illico perfertur. Ille Cæſarem certiorem ſtatim facit. Enimvero Cæſar non jam procraſtinandum ſtatuere, ſed de cæde adhuc retractare: illa excepta, cæteris aſſentiri.

Verum, cum Ludovicus Gonzaga, Anguiſciolæ affinitate junctus, qui miſſu conjuratorum ad Gonzagam & Cæſarem ultro citroque ititabat, omniumque conſiliorum internuntius & interpres fuit, Cæſari dixiſſet; *Qua tandem ratione ſperas, Cæſar, populum in noſtram ſententiam tractum iri, niſi illi interfecti corpus ante oculos projiciatur? Vos vero*, inquit Cæſar, *rem via, quæ expeditiſſima ſit, conficite.* Cæſaris mandato accepto, duo ex conjuratis, Landus & Anguiſciola, alias cauſas prætexentes, Genuam ſe conferunt: quo etiam ea de cauſa venerat Gonzaga, per ſpeciem uxoris, quæ ex Regno Neapolitano advenerat, excipiendæ. Ibi ſermones inter ſe conferunt: ac quemadmodum ducenda res ſit, conſtituunt, Placentiamque revertuntur.

Multorum literis & nuntiis monitus fuerat Petrus Ludovicus, caveret ſibi. Conſilia enim de ejus pernicie agitari: quibus ille fidem nunquam habuit: cum adduci non poſſet, ut crederet, ſuperſtite Pontifice parente, tanto vindice, quenquam tantam rem auſurum: cum præſertim arx nova, quæ ad recentem muniendi formam, approperato opere ædificabatur, ad eam altitudinem eſſet perducta, ut haud procul à ſummo abeſſet. Ac ne ea quidem re motus eſt; quæ à pleriſque in omen ac prodigium accepta eſt. Aquila enim (quod eſt Cæſaris inſigne) circiter quindecim continentes dies ante cædem factam, interdiu, ſupra arcem, alis ſuſpenſa apparuit. Ibi cum aliquandiu circumvolaſſet, tandem avolabat. Conjurati Placentiam reverſi, multas & expeditas facultates habuerunt hominis interficiendi: medius enim inter illos per urbem circumvectari ſolebat: ſed arcem veterem, quod erat Petri Ludovici domicilium, locum cædis deſtinarunt: ne ſi extra illam, rem confeciſſent, arx in poteſtate Farneſiorum remaneret.

Igitur cum dies conſtitutus veniſſet, Anguiſciola & Confalonerius cum clientibus, ſclopos brevioris formæ ſub veſte tegentibus, arcem de more ingrediuntur. Cumque in aulam penetraſſent, Confalonerius cum comitibus ſubſiſtit. Anguiſciola, cui cum Petro Ludovico familiarior erat uſus, cum uno tantum comite primum cubiculum ingreditur, cum jam Petrus Ludovicus, à prandio, in cubiculum interius ſeceſſiſſet, ibique deambulare cœpit, ſignum conſtitutum à Lando exſpectans. Landus paulo poſt, cum haud exiguo clientium numero (neque erat comitatus ſuſpectus, quod eorum magnum numerum, ut ſummæ nobilitatis Proceres, circum ſe ſemper habere conſueviſſent) arcem ingreditur: quæ prætorii quoque uſum habens, Magnatibus Principem adeuntibus ſemper patebat: ſtatimque ingreſſus, ſclopum, ut convenerat, diſplodit, ac ſtationem, quæ erat ad portam, eorummet haſtilibus arreptis, improviſo, ac nihil metuentem adortus, obtruncat, portamque in ſuam poteſtatem redigit. Sclopi ſonitu exaudito, Anguiſciola ſubito in interius cubiculum irrumpit. Ibi Petrum Ludovicum inermem, omnibus membris captum, & ad ſuſtinenda arma invalidum, gladio transfigit. Eodem temporis momento, Confalonerius Germanos corporis ſtipatores, qui omnes in aula haſtilibus poſitis, aleæ erant intenti, ſclopis in incautos diſploſis, necat. E veſtigioque Palavicinus, qui extra arcem cum magna armatorum manu in proximo ſubſtiterat, ſonitu ſclopi exaudito, accurrit, atque intra arcem cum tota manu à Lando accipitur. Proceres, foribus obſeratis, arceque in poteſtatem redacta, bombardæ ter diſploſæ ſonitu, ſignum Cæſarianis dant: qui magno numero à Gonzaga miſſi nocte iter fecerant; atque in finibus ditionis Mediolanenſis, prope Placentiam circiter paſſuum millia decem, occulti ſubſtiterant.

Fama de cæde Ducis tota urbe divulgata, ingentem tumultum ſubito excitavit: populuſque omnis momento temporis in armis fuit; & in aream ante arcem omnis multitudo convenit. Proceres exanime corpus ex feneſtris in aream projiciunt: Tyrannumque ſeſe interfeciſſe clamitantes, concitatam iram mitigare ſtudent. Eorum orationem plebs

plebs auribus adspernatur: sesesque acerrimos conscelleratæ cædis fore ultores, minaciter vociferantur: momentoque temporis, equitum alæ armis arreptis, equisque conscensis, se populo adjungunt. Quibus rebus perculsi Proceres animo concidunt: jamque fugæ consilium ceperant, ni plebs area, nescio qua de causa, relicta, in partem urbis ab arce adversam concessisset: quare Proceres iterum collectis animis, manere constituunt. Interea Cæsariani, pluribus agminibus Placentiam pervenientes, in arcem subinde introducuntur. Sub vesperum Alexander Interamnas, copiarum Præfectus, optimum factu ratus ad Parmam præsidio firmandam accedere, ne ea quoque urbs ab hoste tentaretur, cum equitatu atque omnibus copiis, quæ merebant, Placentia discedit. Plebs cum se solam relictam, militumque præsidio nudatam vidit, ipsa quoque arma ponit: seque unusquisque in sua tecta recipit. Proceres, affirmantes sese in Ecclesiæ ditionem redituros libentissime fuisse, ni superstitem Paulum necis filii haud dubium vindicem merito horrerent, urbem in potestatem redactam Cæsarianis tradunt. Illudque omittendum non est, in Cæsaris nomine proclamando, nonnullos clarissima voce nomen Romanæ Ecclesiæ subjecisse, mansueti imperii ac populos oneribus minime gravantis memores. Ita nobilissima urbs, virtute Julii secundi Romanæ Ecclesiæ adjecta, successorum culpa ab ea abiit.

Interea Sfortia, Comes Fani Floræ, qui tum forte in finibus Parmensibus erat, cæde audita, statim Parmam advolat, Gonzagæ monitis auribus non admissis, qui magnopere homini suadebat, ne sese Cæsaris, tanti Principis, in cujus ipse clientela esset, voluntati opponeret, neve in rebus Parmensibus interponeret: cum respondisset, se quidem summa studia Cæsari debere, nunquam inficiaturum; verum longe arctiore, & affinitatis, & beneficiorum necessitudine Pontifici obnoxium: quem deserere non esse fidei suæ. Illum igitur Parmenses subito urbi & armis præficiunt, cum quatuor armatorum millia ex provincialibus delectibus urbem intrassent. Mox nuntii à Gonzaga superveniunt, urbem, quæ esset juris Mediolanensis, Cæsari tradi postulantes. Iis, de Magistratus & consilii sententia, Sfortia respondet; sese Ecclesiæ Romanæ fidelissimos semper fuisse, proinde neminem Dominum, nisi illam, aut quem illa dedisset, unquam habituros. Eodem tempore Joannes Angelus Medicius, Vicarius Legati Bononiensis, re cognita, incredibili celeritate sex peditum signa conscribit, citatumque agmen Parmam rapit, urbemque ingressus, non parum Parmensium animos confirmavit. Neque multo post, Octavius filius eo pervenit, novas copias secum ducens: ut esset peditum merentium numerus omnino trium millium, equitum quadringentorum: quo præsidio urbe firmata, Octavius discedit: cui successit Præfectus, Camillus Vrsinus, à Paulo missus. Arci autem præfectus est Mutius Mutus, Romanus civis: qui illam Octavii nomine obtinebat.

Petri Ludovici cædes haud dubie magnorum motuum, magnarumque turbarum causa Italiæ futura fuerat, Gallosque & Cæsarem inter se, non sine ingenti totius Europæ motu, funesto bello commissura, si aut Paulo vita longior contigisset, aut Franciscus Galliarum Rex non paulo ante decessisset. Neque enim dubitatur, quin Franciscus inexpiabili odio Cæsari infensus, quique cogitationem de ejus pernicie omnibus consiliis semper aluisset, occasionem Pontificiæ societatis, non à se appetitæ, sed ultro cupidissime delatæ esset arrepturus: cum præsertim de Pontificis societate & constantia, tantis à Cæsare & in re, & in existimatione, & in sanguine affecti injuriis, haudquaquam esset dubitandum. Cum etiam specioso & populari titulo Italicæ libertatis asserendæ, ac Ducis in Mediolanensi ditione constituendi, multos ex Italicis Principibus, ac populis, si non ad apertam societatem, saltem ad opem occulte ferendam sese attracturos, haud desperandum esset. Mors Francisci peropportuna quieti Italiæ fuit. Henricus enim, etsi neque animum imbellem gerebat, ut res postea docuit, neque cursum regni sui imbellem transire in animo habebat, tamen alienum tempus ratus, Cæsarem in tanto felicitatis cursu, atque in tam alto fastigio, Germania perdomita, collocatum bello lacessere, simul regni sui curam propiorem sibi ducens, initia sua in rebus, dissoluta parentis negligentia multifariam collapsis, restituendis & emendandis ponere decreverat.

Nullis igitur persuasionibus, nullaque magnarum rerum spe, à Paulo ad belli consilia potuit impelli: qua spe destitutus Paulus, ad illud consilium, quod reliquum erat, Cæsarem sibi placandi, necessario convertitur. Cæterum commodius visum est, per nepotes rem tentare. Mittitur igitur Margaritæ & nepotum nomine ad Cæsarem Julius Ursinus: qui cum in ejus conspectum venisset, deplorata primum miserabili Petri Ludovici cæde, se à Margarita & fratribus Farnesiis missum dicit, oratum, ut Farnesios, quos in fidem acceperit, quin etiam affinitate sibi junxerit, miseros & orbatos, tuendos suscipiat: ac Placentiam illis imperet restitui. Comiter & blande accipit Urbinum Cæsar, benigneque respondet: Bono animo sint Farnesii: sese enim illos filiorum loco semper habiturum, neque ope sua unquam deserturum. Quod ad Placentiam attinebat, ad Granvelanum hominem rejicit. Granvelanus ab Ursino aditus, longe alio vultu, longeque alia oratione hominem accipit. Perfidiam enim Petri Ludovici graviter incusat: à quo occulta consilia cum Gallis, Cæsaris in Italia evertendi, agitata sint. Ea omnia emanasse, ac Cæsari plane esse comperta: nam illo auctore Joannem Auriam cæsum, ut Fliscus rerum potens factus, Gallos Genuam introduceret: atque illinc Galli cum maximis copiis, Alpibus superatis, hinc ipse cum Italicis viribus, Mediolanensem ditionem invaderent: quibus de causis Margarita, Regis filia, Farnesio Cardinali in matrimonium dabatur. Discussisse Deum immortalem nefaria consilia. Neque vero injussu Pontificis tantas res moliri ausurum fuisse Petrum Ludovicum, quas sine illius opibus ne exsequi quidem potuisset: quinimo cui non apparere Pontificem ejusmodi consilia jam diu animo volventem, ideo Cæsarem ad bellum in Germaniam suscipiendum hortatum esse, ne Cæsar tanta negociorum mole implicitus, res Italicas respicere posset, ac proinde iter sibi expediret ad cogitata perficienda? Ursinus non se ad Petrum Ludovicum purgandum missum dicere, neque ea se à Farnesiis mandata habere, sed ad ipsos Cæsari commendandos: qui, qualiscunque tandem Petrus Ludovicus fuerit, egregiam ipsi & sinceram fidem erga Cæsarem semper coluerint: proinde cum ipsi extra omnem noxam sint, non debere Petri Ludovici consilia, qualiacunque fuerint, ipsis fraudi esse. Instare proinde, ut Placentia illis restituatur. Hic Granvelanus dicere, Placentiam & Parmam ...tæ ditionis Mediolanensis semper fuisse: quæ ditio sit juris Romani Imperii: neque fidem Cæsaris, aut justitiam ferre, ut is jura Imperii imminuat, quæ contra amplificare debeat. Placentiam igitur nullo modo restituturum: quin contra postulare, ut Parmam quoque Cæsari tradant. Id si facere in animum inducant, Cæsarem, tot ditionibus, sive in uno, sive in pluribus ex regnis suis

suis malint, rem compensaturum, quorum vectigalia, non modo ea, quæ ex Placentia & Parma percipiantur, æquent, sed duodecim millibus aureorum nummûm superent.

Ursinus ad Cæsarem reversus, negat Pontificem Parmam unquam traditurum, aut compensationem accepturum: cum præsertim illud constet, Placentiam & Parmam in jus Pontificium, multis abhinc annis, cessisse. Negare id Cæsar, seque paratum dicere, ut res per judicium cognoscatur: æquorumque Judicum sententia libentissime se staturum confirmare. Ursinus respondere: jus esse, ut ejecti prius in possessionem restituantur, deinde res in judicium veniat. Nihil opus esse, respondere Cæsar, tot ambagibus: nam si Farnesii, etiam sine judicio, doceant, Placentiam & Parmam in Pontificem translatas, sese Placentiam illico restituturum: ejus rei se fidem dare. Cum hoc responso, quod de scripto datum secum tulit, dimittitur Ursinus. Cui etiam Cæsar literas dedit ad ipsum Pontificem, humanissime & peramanter scriptas: quæ res illis initium fuit literas inter se dandi, quo officio post cædem Petri Ludovici uterque abstinuerat. Legatione renuntiata, literisque Cæsaris Pontifici redditis, iterum revertitur Ursinus, dato mandato, ut instet de Placentiæ restitutione: quæ haud dubie cum Parma, postquam oppignorata fuit, ex novo fœdere translata sit in Romanam Ecclesiam: tabulas se interea fœderis & translationis perquisituros, exemplumque illi, quod Cæsari ostendat, transmissuros. Pauloque post, tabulis inventis, ad Ursinum exemplum mittitur. Is illud Cæsari ostendit, ac promissi fidem implorat. Cæsar lætari se in primis dicit, facultatem sibi ex eo fœdere dari, qua sine invidia rerum Imperii alienatarum, Farnesiis, qui filiorum charitatem apud se obtineant, gratificetur: quamquam sese ejus fœderis haudquaquam memorem esse: neque id mirum; nam tum, cum sancitum dicatur, se in media adolescentia, juvenilibus cogitationibus ac lusibus animo distento, neque rebus gerendis vacante; omnibus, quæcumque ad se Scribæ & Ministri deferrent, subscribere solitum, plerunque ignarum quæ in scripto continerentur. Mendozæ igitur Legato suo apud Pontificem, qui tum erat Senis, per literas mandat, ut tabulas fœderis inspiciat: ac, si in illis Placentia & Parma Ecclesiæ Romanæ cessum scriptum sit, Placentia è vestigio Farnesiis restituatur. Ursinus cum iis mandatis lætus revertitur, rem confectam putans: atque in itinere literis Cæsaris Mendozæ Senis redditis, illo comite Romam pervenit. Romæ fœdus Mendozæ ostenditur, non in tabulis ipsis archetypis, in quibus Cæsaris chirographum esset; sed codex, qui in mole Hadriani adservabatur; in quem jura Ecclesiæ Romanæ describi solent. In hunc, testibus præsentibus, & complurium Scribarum chirographo descriptæ erant fœderis tabulæ: archetypi inventi non sunt. Fama est, Clemente Pontifice mortuo, Scribam illius quendam Neapoli eas tabulas, quæ erant apud se, Cæsari occulto tradidisse, ejus gratiam eo facto captans Mendoza, re inspecta, ac Jurisperitis consultis, de eorum sententia respondet: fidem nullam habendam codici, aut tabulis Cæsare non monito, neque ejus legato adhibito, descriptis: nihil igitur se facere posse, nisi Cæsare consulto. Tertio igitur ad Cæsarem mittitur Ursinus: qui nihil impetrare potuit; Cæsare semper excusante, fidem suam non ferre, ut res Imperii alienet. Itaque omni à Cæsare spe destitutus Paulus, omissa consilia cum Gallis repetit: eaque cum Henrico iterum moliri cœpit, quæ suo loco scribemus.

F I N I S.

VBERTI FOLIETAE,
PATRICII GENVENSIS,
DE SACRO FOEDERE IN SELIMVM
LIBRI IV.

EJVSDEM

VARIAE EXPEDITIONES IN AFRICAM,
CVM
OBSIDIONE MELITAE.

AD

PHILIPPVM,

REGEM MAXIMVM,

PAVLI FOLIETAE

IN HISTORIAM VBERTI FRATRIS

PRAEFATIO.

MIRVS est ille appetitus, REX MAXIME, quem summus opifex rerum omnium Deus naturæ nostræ indidit, solidæ gloriæ, atque veræ excellentiæ: ex eo enim, tamquam ex fonte, oriri præclara illa consilia, atque facta, quibus mortales seipsos quandoque superant, atque superiorem quandam naturam æmulari videntur, judicandum est. Occurrunt mihi statim quotquot fuere à mundi primordiis excellenti virtute præstantes viri: qui sapere tam alta, egregiaque conari visi sunt; ut rei admiratione quidam eorum à sensibus abalienati, mirabile illud aliquando mente comprehenderint, quod verbis deinde minus assequi potuerunt: nimirum terrenum hominem Deum esse mortalem, Deum vero cælestem esse immortalem hominem. Quod si cuiquam antiquitatis maxime studioso, itemque diligenti humanæ naturæ contemplatori sententia ista philosophiam acutam magis & admirabilem, quam veram & antiquam sapere videretur; convertat iste paullisper mentis oculos ad eam unam gentem, quam oriens sol, & occidens antea quidem plurimum, hodie vero etiam longe magis veneratur, Austriacam dico: & illico laudare sententiam, quam respuebat, nedum amplecti, vel invitus cogetur: modicum mihi & temperatum sermonem de iis, qui adhuc vivunt, sed de te ipso in primis, Rex modestissime, imperas: de iis, qui hujus lucis usuram amiserunt, præsertim vero de CAROLO V. parente tuo, liberiorem orationem, & parem etiam virtuti illius, si possem afferre, concedis. Sed quis, si appetitus ejus, quem dixi nobis ingenitum, admirandos effectus in tua gente demonstrare velit, (& quanam quæso in alia commodius poterit?) non CAROLVM ac PHILIPPVM ex omnibus eligat? quis tum alterius divinas res gestas, aut extenuare verbis, aut silentio involvere audeat? quis ejus animum offendere timeat, qui omnem humanam gloriam superarit, etiamsi ei cælestium laudes tribuat? dicam igitur jam libere, hujus præstantis appetitus vim omnem in patre expressam antea, in te perfecte, pleneque defluxisse: nec sua sponte tamen; sed magnis tuis studiis, perpetuaque animi & corporis contentione derivatam. Exhorrescunt enim fere homines virum, quo cum Deus immortalis divisum orbis imperium habere videatur: tantam majestatem stupefacti intuentur: tantum numen in terris constitutum humano augustius esse putant. Verum de ista gloria illud vere affirmari potest, quod de permultis aliis rebus: quod licet natura sua simplicissimæ sint, neque divisionem aliquam, aut distributionem in partes patiantur, tamen ad id, quod in eis perfectum est omnino & omnibus suis numeris absolutum, per plures quosdam veluti gradus pervenitur. Sic gloria, una quidem ea est, & simplex, neque ex pluribus partibus ita confla-

ta,

ta, ut ab ea illæ abscindi, ac separatim aliæ ab aliis constitui possint; non ejus tamen insatiabili pulchritudine sola voluntate frui possunt mortales: non ejus eximium splendorem uno atque altero conatu intueri: sed contendendum est ad eam variis studiis atque constantibus: & quasi, quæ per exiguos radios sese paullatim ad nos effunderet, sic cupidissime & intente excipienda. Hinc igitur illa existit in hominum genere varietas admirabilis; dum omnes quidem (si modo homines se esse meminerint) inflammato studio ad gloriam rapiuntur; non omnes tamen id, quod in ea summum putatur, attingunt: quamvis alii aliis præstantiores ejusdem gradus, & plures teneant: hinc illa deinde præclara & eximia species orbis universi, ex tam diversa præsertim hominum dignitate enata, dum summi, medii, infimi status (honesti tamen illi quoque, quod aliqua gloria sint illustrati) omnes inter se cum quodam lepore consentiunt. At quis non videat ad gloriam consequendam magni referre, quam quisque rationem ineat, qua via insistat? quis viæ maxime certæ atque illustri similem exitum respondere neget? Invitus à gemino in omni gloria pari, raro, excellenti, non omnibus ætatibus obvio, discedo, cum est præstantis rei experientia in certis viris ostendenda; à te videlicet, ac genitore tuo. Nam etsi vestrum utrique in luce clarissima nasci, hoc est, nobilitatem gloriosam generis ab ipso ortu trahere contigit; quod inde nihilominus eam manare amplitudinem, quæ summa est, ad quam nimirum vos ipsa natura genuerat, minime videretis; comites vobis virtutes omnes, quæ Christianum virum ac Principem ornare possunt, adjunxistis: tum, quæ extrinsecus posita erant, præclara quæque, difficilia, ardua, labore, patientia, armis pervicistis; sic tandem, ut cum, nec orbis hic noster antiquus, nec novus inventus à vobis & edomitus, vestram gloriam capere videatur, jam cælum ipsum penetrarit. Cogor ingenio meo, ac stylo satis negligenti, ac rudi diffisus, infinita propemodum in angustum verborum gyrum compellere: ne si tot facta, tam gloriosa, quæ vix, & generatim, & conjunctim attigi, vel persequi, etiam moderatius, vel mediocrius saltem distinguere velim, iis aliquam labem adspergere videar: commodius fortasse ac tutius de fratre meo, patruoque, mediocribus viris, dicerem aliquid, si mihi à te hoc loco daretur venia. Nam cum hominum genus universum isthæc attingat gloria, exiguam quoque ejus partem illi sibi vindicare possent: in quo illud omnium instar esse poterit, quod iis primum parenti tuo Carolo, cui, & quanto Imperatori? ac tibi deinde Regi omnium maximo, patrio non solum splendore, sed tuo longe clarissimo, divinitus servire contigit: hæc via quam sunt ingressi ad laudem, quam directa illa sit, quam nobilis, judicent ii, qui Caroli V. ac Philippi decus atque splendorem mente atque animo suo consequuntur. Ac licet ejusdem regiæ viæ, latissimæ sane, innumerabiles fere habuerint comites; in ipsa tamen incedendi ratione, dicam apertius, in obsequii genere, non ita multos habuerunt: etenim Augustinus Folieta patruus meus, homo alicujus doctrinæ atque consilii, quo tempore ardebat in Italia bellum contra Gallorum Regem, cum esset Leoni X. Pontifici Max. à consiliis, prævidens fore, ut si Imperator, in quem summa tanti belli incumbebat, Pontificis animum leviter tum à se abalienatum recollegisset, Galli conatus omnes comprimerentur; non modo eam voluntatem Pontificis, quæ fuerat erga Cæsarem, recuperavit, sed eum etiam suis consiliis & hortatibus sociali fœdere cum Cæsare conjunxit: mirum, quam fuerint illo fœdere consternati Galli: quam repente velut quodam fulmine icti, revulsis castris ac signis, Italicum solum verterint: quanta est porro gloria Imperatorem hoc eventu secuta? quæ amplitudo imperii? qua demum be-

Ooo 2 ne-

nevolentia, qua charitate, quibus gaudiis recreatæ jam urbes ex diuturno malo liberatorem suum exceperunt? Edoctus itaque de Folietæ officio, ea facilitate, atque incredibili munificentia animi, qua sibi omnes devinciebat, hominem complexus est; impetravitque à N. ut Mazarensi Episcopatui in Sicilia præficeretur: at paullo post quattuor millibus aureis nummis in singulos annos auxit. Sed major sane humanitas, major voluntas, singularis fides Caroli erga patruum meum enituit, cum illo Romæ commorante Joannem Emmanuelem Oratorem suum, ac reliquos omnes, qui suo nomine vel Romæ, vel in aliis Italiæ urbibus negotia tractarent, de rebus omnibus maximis Folietam consulere jussit: hoc enim ipse de se judicium, hoc fidei & amoris argumentum, istud honoris ac dignitatis ornamentum divitiis omnibus ac commodis præferendum putabat. Augustinus igitur suam omnem operam, laborem, studium, consilium, & quæcunque in eo tenuia reperiebantur, Imperatori maximo addixit. At vero Vbertus frater meus, virtutes tuas atque facta, Rex invictissime, quæ splendent quidem per se satis, nulla hominum laude illustrata, sed tamen, ut sunt humanæ res omnes, vetustate obscurari, ac penitus tandem exstingui possent, scriptis suis ab interitu vindicanda putavit. Contulit igitur suum omnem laborem ad scribendam *Historiam* de rebus tuis; arbitratus fore, ut ea tibi non minus officii præstaret, quam Augustinus antea parenti. Nam, ut in ista vita mortali sapientum & fortium virorum prudentia atque lacertis indigent principes viri ad sua consilia atque facta perficienda & exsequenda; sic in æterna illa eruditorum hominum litteris atque doctrina ad sui nominis commemorationem cum omni posteritate adæquandam: hic itaque fratris mei labor unus ex eis erit, Rex maxime, qui magnitudinem nominis tui in omni hominum memoria immortalem conservabit: si minus tua caussa, qui non, ut multi insipientes, tuæ virtutis mercedem laudem & gloriam hanc falsam & nullam hominum constituisti, sed veram illam & solidam, quæ Deus est; at saltem posterorum, quibus memoria rerum à te gestarum vehementissime animus ad virtutem accendetur; crescetque illis in pectore tamdiu excitata hæc flamma, quoad virtutes tuas in se ipsis expresserint, & gloriam etiam non longe inferiorem consecuti sint. Statuæ quidem tuæ & imagines circumferuntur passim: tradentur etiam posteris ad omne tempus duraturæ: sed ista non animi simulacra sunt, sed corporis: consiliorum igitur ac virtutum tuarum effigiem mediocri suo ingenio expressam & politam reliquit Vbertus. Ergo ambo illi honestum naturæ appetitum egregie secuti sunt: neque, ut video, exiguum laborum suorum fructum retulerunt. Utinam mihi quoque hujusmodi aliquid polliceri possem: quem nescio, utrum magis natura ipsa, an familiæ exemplum ad ea, quæ præclara putantur, impellat. Prospexi quidem jampridem, quæ via me duceret ad laudem domesticæ parem, à qua nullo tempore mentem avocare poteram: exarsi etiam diu ad illam voluntate incredibili; sed voluntati defuere vires; quibus, non dicam humi jacere semper, sed quidem humiliora tractare studia sum coactus: neque enim iis me naturæ atque animi dotibus præditum esse cognovi, quibus egregie instructi fuere frater ac patruus meus: quid igitur? naturam ne ego tamquam injustam novercam impudenter accusem? minime vero: habebo potius illi gratias immortales, quod me non solum maximi honoris domestici spectatorem & participem fecerit; verum etiam compotem eximiæ illius & singularis voluntatis, qua incitati nostri sua omnia studia, quæcunque illa essent, familiæ tuæ dicanda putaverunt: quam cum factis egregiis explere me posse non videam, indicabo tamen demisse, ut potero, commemorato jam opere fratris: divulgatur

gatur enim à me typis, ut vides, tuo nomine inscriptum: & tibi redditur id, quod tuo jure repetere poteras. Nullum est istud munus, si gravem illam majestatem tuam intueamur: aliquod forte, si admirabilem illam facilitatem consideremus, qua vel levissimorum hominum munuscula excipis, quæ à devoto erga te animo profecta esse cognoscis. Quod ego si à te acceptum humaniter fuisse intellexero, si locum aliquem in maximis illis regnorum & provinciarum curis, saltem ad relaxandum animum habuisse, tum tibi & non invisam esse patrui memoriam, & fratris acceptum laborem, & gratam meam voluntatem cognovero, & inde etiam mirabiliter triumphabo. Genua quarto Kalendas Decembris.

SERENISSIMI
AMBROSII DE NIGRO,
Reipub. Genuensis Ducis.

DVM Patriam celebras, & facta, Uberte, tuorum,
Pro meritis debet Patria sola tibi.
Nunc tua sit celebris majori fama theatro,
Atque orbis tibi jam debet utrumque latus.
Tunc ego cum multis cecini, sed laude minora.
Idem ego pro multis nunc tua, teque probo.

ALEXANDRI JVSTINIANI.

QVIS ne aurum donet? gemmasve Oriente petitas?
Aut in Erythræo munera lecta sinu?
At tua tunc donet; nam sol oriensque cadensque
Subjectos populos & tua regna videt.
Jure ideo Paulus præclara volumina fratris
Donat; non regnis munera nata tuis.
Quod si Thraca mari domitum victricibus armis
A te scripta ferunt, jam tua facta dabit.
Sume tuos igitur titulos, Rex Maxime, quando
Fortuna, aut virtus nil dare posse sinit.

POMPEII ARNOLPHINI, LVCENSIS,
EPIGRAMMA.

HIS foliis Folieta docet populata, Philippe,
Auspiciis toties Barbara castra tuis;
Oranum, & Meliten dira obsidione levatam,
Et capta in Libycis opida littoribus;
Nec non Threiciæ celeberrima funera classis,
Fractaque in Ambracio Turcica rostra salo:
Hæc merito ergo tuum præfert sibi pagina nomen,
Cum referat titulos, magne Philippe, tuos;
Adde quod ut Regum tu primus, sic quoque fertur
Ubertus Latia primus in historia.

PERMISSV SVPERIORVM.

VBERTI FOLIETAE,

PATRICII GENVENSIS,

DE SACRO FOEDERE IN SELIMVM

LIBER I.

Bellum, quod fœderati Christiani Principes cum Selimo Turcarum Rege potentissimo gesserunt, tempore quidem breve fuit, non plus trienne, cæterum magnitudine rerum gestarum, ac navali pugna ex omnium sæculorum memoria clarissima in primis insigne, illa quoque re memorabile, quod docuit Turcarum opes superabiles esse, neque tam suis ipsas viribus, quam nostra ignavia Christiano orbi terribiles esse, dum nos armis, quæ in communem hostem vertenda essent, ad nosmet ipsos mutuis cladibus conficiendos abutimur, illique assiduis damnis nos carpendo majores vires, majusque robur in dies assumunt. Contraxit hoc bellum Insula Cyprus, quam Veneti hæreditario imperio possidebant. Cujus Insulæ invadendæ consilia, ab hoc ipso Selimo jam pridem occulte animo agitata, hoc anno, qui fuit Christianæ Salutis millesimus quingentesimus septuagesimus, in apertum bellum eruperunt. Quo bello jurisjurandi religio spreta, ac fides recentium fœderum violata dubiam existimationem fecit, utrum Solimanus parens cursum vitæ perpetuis gloriæ incrementis celebratum præclariore exitu concluserit, an filius à fœdiore initio primam Regni commendationem duxerit. Suscepisse autem duabus de caussis cogitationem hanc, jam inde ante initum Regnum, Selimus dicitur, cum Provinciam Ciliciam cum imperio obtineret; quod & se parum reverenter, ut putabat, parumque demissis obsequiis à Venetis cultum vir tumidi & superbi ingenii indignabatur; & quod piratas continentibus excursionibus Asiæ ac Syriæ oram infestam facientes, prædasque navium & hominum Ottomanico Imperio subjunctorum sub ipsius oculos agentes, vel Cyprios esse; vel in illius Insulæ portus, quæ in Ciliciæ conspectu est, recipi ac refici pro certo credebat: quam rem genti Ottomanicæ in tanto rerum fastigio turpem & erubescendam putabat. His de caussis Venetis acerbissimo odio irritatus, sæpe persancte juraverat, si Imperii aliquando compos fieret, sese eam Insulam Venetis adempturum, simulque genti Ottomanicæ inveteratam maculam deleturum, ac primum initi Regni opus eam expeditionem fore. Accedebat parva dictu res, ac non modo tantæ fortunæ altitudini indecora, sed ne in obscura quidem sorte ferenda: nam vir omnis Divini & humani juris, præ indomitis libidinibus suis, aperte contemptor, vini dulcedine illectus, cujus usus lege Mahumetica diserte interdicitur, quodque Cyprus generosissimum fert, tantæ voluptatis materiam non ab aliis precariam habere, sed sui juris esse volebat.

Haud parva quoque momenta ad Selimum impellendum fuisse dicuntur in Joannis Michii adhortationibus. Is vir Lusitanus genere ex iis Hebræis oriundus, qui ne edicto Regis solum vertere cogerentur, avita lege ejurata, in Christianam religionem nomina dederant, patria extorris, variisque casibus jactatus, Constantinopolim tandem concesserat. Ibi Mendesiæ conjugio ex egenti repente ditissimus factus animum ad spem altioris ac splendidioris fortunæ continuo extulit. Præterea infensus Venetis, à quibus, cum ad illos divertisset, urbe exactus fuerat, occasionem quærebat contumeliam ulciscendi, cui consilio aptum in primis Selimi ingenium ratus, sese in Ciliciam ad illum contulerat; in omneque assentationis artificium compositus, qua re ad animos Principum captandos nihil est validius, in intimæ familiaritatis jura pervenerat, cujus munera leniter & comiter obeundo, brevi sese in ejus animum ita insinuarat, ut illius ingenio & humanitate delectatus Selimus, hominem ad conviviorum quoque & jocorum hilaritates, & ad secretiores voluptatum secessus adhiberet. Is igitur, quo æstus cupiditatum Selimum ferebat, oratione incumbens; ac modo illius vicem indignando, modo iram sua sponte commotam acuendo, modo vectigalem Insulam Ottomanorum dicendo, quæ fiduciaria olim Memphitici Sultani simul cum Mamalucico Imperio in jus Ottomanicæ domus cessisset, haud parum valuisse ad Selimum incitandum dicitur. Qui cum quodam die in convivio paullo hilarius fuisset, multoque vino incaluisset, surgens è convivio Michium, qui in eodem triclinio haud procul discubuerat, ad se accersitum, corpore illi acclinatus, humerumque altero brachio in signum effusi animi amplexus, ita allocutus fertur. Tu vero Cypri Rex, si votis Numina annuerint. Graves auctores habeo, Michium ita certa spe sibi Regnum illud despondisse, ut ejus insignia in vexillis picta regio diademate superposito intra domesticos parietes parata haberet, cum tali inscriptione: *Josephus* (mutaverat religionem Hebræus factus, ne à Mendesia respueretur, ac simul cum religione, ut moris est, nomen) *Rex Cypri.* Quin etiam ea de caussa fertur Selimus, cum ex Ungaria Imperator acclamatus cum reduci exercitu rediens, Michium, qui gratulatum processerat, obvium in itinere habuisset, ad genua advolutum amplexus continuo Insula Naxo, vetere Domino ex possessione dejecto, cum insigni Ducatus titulo donasse; ut mentionem promissi, ad quod impetu animi temere provectus fuerat, præcideret: pœnitentia ductus, cum ardor ille resedisset, remque sedato animo suis momentis ponderasset, cum etiam Mahumetes, cum quo de ea re sermonem contulerat, cæcum consilium vehementer improbasset, cum diceret turpe tantæ majestati, tum autem cum magna Procerum & militantium offensione fore, si discriminum & laborum exsu-

exsudandorum in Insula acquirenda, tantæque hominum atque pecuniarum faciendæ impensæ præmium degener transfuga, ac nulla alia re, quam vilibus ac scurrilibus prope ministeriis commendatus auferret: iis, qui ipsum virtute sua ejus Regni compotem facturi essent, præteritis.

Suspectum esse cœperat Venetis hoc bellum, ante obitum Solimani: nam iniquo in se animo Selimum cognoverant, cui Regni successio haud dubia destinabatur; horrebantque barbarum ac trux ingenium, nullisque satisfactionibus placabile: ad hoc nonnulla loca oræ Ciliciæ, ex quibus brevissimus est in Insulam trajectus, jussu Solimani communiri cœpta erant, in eaque tormenta atque omne bellici apparatus genus comportari: quæ res ad bellum aperte spectare videbantur. Quare, ne improviso opprimerentur, loca Insulæ magis necessaria communire, validioribusque præsidiis firmare constituerant; eaque de caussa Julium Savornianum eo miserant. Qui, simulque cum illo Præsides Veneti, adhibitis Insulæ Primoribus, abjecto consilio portus Limisi, qui Veteribus Amathus fuit, Nicosiam caput Regni munire decreverunt: nam & hoc ratio belli postulare in primis videbatur, quippe ex qua in cæteras Insulæ partes veluti in membra virtus influeret: & Procerum studiis gratificati sunt, qui cum semper egregiam fidem, omniaque singularis pietatis officia in Rempublicam Venetam præstitissent, tum vero præclarum cumulum superioribus meritis addiderunt, maximam partem impensæ subeundo, videlicet cupientes locum munitum atque amplum habere, quo veluti in tutum receptaculum conjuges, liberos, ac pretiosiora sua à belli procellis subducerent. Erat natura loci munientibus opportuna. In patenti enim planitie uberrimi soli est Nicosia, quam Tremitum fuisse nonnulli putant; nullo colle, aut edito loco alicunde urgente, cuicunque munitionis formæ apta. Quare Savornianus tantum spatium munimento amplexus, quantum locus dabat, undecim prominentibus turribus, quas *belloardua* vulgo appellant, justis intervallis ex bellica ratione inter se distantibus, ac valido terreno muro urbem rotunda forma cinxit. Cui deinde tectorium cæmento ac calce duratum superinduci cœptum est: quas res ut sedulus & impiger tanta diligentia animique contentione administravit, ut nulla sibi diurna, aut nocturna quiete à laboribus data, decem mensium spatio hæc perfecerit.

Cæterum ad aliarum rerum procurationem pessimo publico ab opere avocatur: nam cum ex Insula discessisset, successorum culpa & negligentia, ac præsertim Nicolai Danduli summi Insulæ Præsidis ignavia, quæ toto eo bello damnosissima Reipublicæ fuit, ita lente omnia administrata sunt, nulla in præsens necessitate urgente ac diligentiam stimulante; ut cum tempus belli venit, murus multis in locis nondum ad summum esset perductus, neque fossæ in eam altitudinem depressæ, qua *belloardua* perviis bombardarum ictibus mutuo defenderentur, nec tectorium calce duratum terreno muro superinductum. Quare factum est, ut in oppugnatione muri terrena crusta facile & ad omnem levem ictum decussa fossam impleret, conscensumque hosti expeditum præberet.

At Selimus Imperator factus, quamquam nihil habebat antiquius, quam expeditionem Cypriacam, tamen multis occupationibus distentus eam cogitationem in commodius tempus differre coactus, vetus amicitiæ fœdus ad antiquam formulam, consuetisque inter Venetos & Ottomanicos conditionibus renovavit, Mustapha Damasci Bellerbejo absente. Hunc Selimus ob bellicæ virtutis commendationem, ac multa & egregia in se merita, tum, cum adhuc in privata fortuna esset, Imperator factus à Bellerbejatu Damasci ad summum Bassæ Visiris locum extulit, in Regiamque evocavit. Is præcipuam in rebus bellicis scientiam omnium concessu sibi assumens, ac materiam belli undique quærens, in quo ipsius virtus elucesceret, Imperatoremque eximio aliquo obsequio demereretur, cupiditatem Regis in res Cypriacas ultro versam incendebat. Nec parva vis fuit ad animum sua sponte propendentem prorsus inclinandum in Mophti oratione, (ita appellant Turcæ eum, qui in sacris rebus summum obtinet munus) cujus verbis tamquam Divino numine afflati magnam fidem habent Imperatores; nec quidquam fere magnæ rei illo non consulto incipiunt; ex illiusque responsis tamquam Divino oraculo editis de maximis rebus ac de summa Republica sæpe consilia capiunt.

Mos est Turcarum Imperatoribus diversoria advenis & peregrinis per Regna sua iter facientibus immenso opere, immanique sumptu ædificare: quos, simulque illorum jumenta, benigne & comiter exceptos gratis alunt, triduique quiete refectos dimittunt. Hospitio sacram ædem rei Divinæ faciendæ caussa, peramplaque ædificia continuant puerorum receptacula: qui magno numero legis Doctoribus in disciplinam traduntur. Cæterum pecuniam ad tantos sumptus tuendos, neque ex veteribus ac jam constitutis Regni vectigalibus, neque ex ærario erogari fas putant; sed adventitios fructus novæ alicujus Provinciæ Imperio adjectæ illis assignant: hoc pietatis ac religionis suæ maximum ac præstantissimum opus existimant; Deoque immortali supra omnia acceptum credunt, atque ejus Numen hac liberalitate in primis propitium fieri, labesque ex noxis animo conceptas elui. Quare Selimus, ne pietate atque animi magnitudine ulli Majorum suorum concedere videretur, hospitium, quod mole sua superiorum ædificiorum magnificentiam superaret, Hadrianopoli ædificari jusserat, qui cum in eam urbem operis inspector se contulisset, Mophtum secum habuit. Is in multo familiari sermone, cum pietatem & magnificentiam laudasset, perpetui moris Imperatorem admonitum hortatur, ut Majorum exempla æmulatus, ad novam aliquam Provinciam Imperio adjungendam animum adjiciat, nullam autem esse opportuniorem affirmat Insula Cypro, quæ parta Divinum Numen dupliciter conciliaret, duplicemque utilitatem afferret; primam hanc ipsam institutæ hospitalitatis ex novis illius Insulæ fructibus tuendæ; alteram navigationis & commercii Musulmanis hominibus Mecham urbem, & sacrum Mahumetis sepulchrum religionis caussa petentibus tuti reddendi, quibus ipsorum pietas in malum & perniciem vertat, à Christianis piratis, per summum ipsius Imperatoris dedecus, ac sacræ legis suæ ludibrium, quotidie interceptis, & in miseram servitutem abductis: illis receptaculum esse Cyprum, nec finem malorum & miseriarum prius fore, quam ea Insula Christianis adimatur. Nec minus felicem, quam piam & utilem, eam expeditionem fore, lumen sibi Divinitus menti præferri. Læte ab Imperatore auribus admissus est sermo Mophti libidini jam commotæ aptus, novumque hoc incitamentum veteri cupiditati admotum est, tamquam Divino Numine perfidiæ & perjurii auctore accepto. Submissum à Mustapha & Piali, qui omnibus artibus omnique ope Imperatorem ad belli Cypriaci consilia impellendum sumpserant, pro certo creditur Mophtum ea Imperatori suggessisse, quam opinionem alterum ejus factum priori contrarium confirmavit.

Per idem tempus Legati à Mauris Granatensibus Constantinopolim venerunt, miserias suas lugentes: quibus tandem compulsi sint à Rege Hispano deficere, atque intolerandum jugum excutere, opemque orantes; tum autem, consilia precibus mi-

miscendo, ac vires Hispaniæ & Philippi opes elevando, spem magnam facientes, si eo classem & copias suas mittat Imperator, totius Hispaniæ Imperio brevi ac sine discrimine potiundi: in quam rem fortem ac strenuam & fidelem operam suam pollicebantur, qui adhuc haud leve operæ pretium fecissent, aditu illi patefacto, cujus in Provinciis invadendis, ac rebus magnis aggrediendis maxima semper fuerint momenta: sexaginta enim ipsorum millia in armis esse; præter Valentinos & reliquarum Provinciarum Mauros, qui nunc metu compressi haud dubie in adventu Turcici auxilii ad bellum ipsi quoque ingentibus animis sint consurrecturi. Se haud contemnendam Provinciam occupasse, ac locis munitis se tenere, adventumque Imperatoriæ classis exspectare posse, si maturet. Præclaram occasionem enimvero arripuit Mahumetes à cogitatione rerum Cypriacarum Imperatorem abducendi, à quibus ipse abhorrebat. Quare callidum ac vafrum ingenium eodem astu commentum Mustaphæ & Pialis ludificandum intelligens, eundem Mophtum ingentibus præmiis inductum ad Imperatorem allegat. Is suasisse se quidem ait superioribus diebus Cypri expeditionem Granatensium motuum ignarum: cæterum ubi major sit fructus, eo rectius operam & laborem impendi; idque etiam Divino Numini magis cordi esse, miseros Granatenses in ipsius opem confugientes nullo modo deserendos, nec quidquam tam pio & religioso officio prævertendum. Cæterum imbecillum fuit secundum hoc monitum ad animum jam contraria cupiditate insessum mutandum, quam confirmavit triremis piratarum à Siroco Præfecto Alexandriæ per eos dies capta, ac Constantinopolim missa: qui tormentis extorti fassi sunt, sese tutum & certum receptum, tutamque aquationem in Insula Cypro habere, ibique sese & alios piratas reficere solere. Satis idoneus titulus visus est, qui perfidiæ in rumpendo fœdere prætexeretur, si Veneti priores ipsi illud violasse insimularentur. Accendebat cupiditatem spes facilis effectus concepta ex recenti Navalium Venetorum incendio, quo incertum, fortuito, an hostili machinatione oblato, omnem illam veteris fortunæ coacervatam bellicam ac navalem opulentiam conflagrasse, fama res in majus semper augente, vulgo ferebatur, quæ non nisi infinito, vixque opulentissimis Regnis tolerabili sumptu, ac multorum annorum labore reparari posset. Quare inermes ac maritimis classibus nudatos, in quibus spes Victoriæ, ac summa belli vertebatur, sese Venetos oppressurum sperabat. Consilium distinebat Mahumetis & Mustaphæ, Bassarum dissensio: actaque res est ingentibus certaminibus: quæ non tam contrariæ ac discrepantes sententiæ, quam taciti simultatum atque æmulationum stimuli accendebant, cum uterque bonum publicum atque Imperii dignitatem præferens consilii privatis rationibus ac studiis apti auctor esset. Mahumetes enim, qui & opinione prudentiæ & meritis in Regem antecellebat, occasione Granatensium motuum arrepta, bellum in Hispaniam intendebat, idque ea de caussa, ut æmulum potentiæ in extremum orbem ablegaret, haud dubie tanta mole obruendum: id fieri non poterat, nisi Regem à rerum Cypriacarum cogitatione avertisset, quæ expeditio certioris & exploratioris exitus haud dubie Mustaphæ destinabatur. Is igitur à Rege equitante, ut mos est Principum Ottomanorum, seorsum rogatus sententiam ita locutus fertur: *Majores tui, Imperator, initia Regni magno aliquo & memorabili facinore insignia facere semper studuerunt: bellorumque caussas idcirco serendo materiam crescendi undique quæsiverunt, neque umquam ullam utilitatem amplexi sunt, quæ abhorreret a dignitate, sed omnia consilia ad gloriam & ad amplitudinem dirigentes, nihil umquam humile, aut submissum, nihil non celsum atque amplum cogitarunt: quæ res Turcarum nomen antea obscurum clarum fecit, gentisque Ottomanicæ Imperium à parvis initiis ad hoc fastigium extulit. Hujus moris clarissimus Imperator parens tuus non in ipsis modo Regni initiis, sed in omni vitæ cursu, atque in extremo ipso spiritu retinens fuit, quem in castris vindicem Turcicæ Majestatis per summam gloriam effudit. Illorum te virtutis non minus quam Regnorum hæredem esse oportet, Imperator, neque crescendi occasionem tibi à Granatensium defectione oblatam, quæ & ad gloriam amplior est, & ad præmia ac fructum major, & ad facultatem inchoata perficiendi expeditior, per summam turpitudinem & inscitiam præterire. Austria gens eversa, Hispaniensisque Regia excisa, cujus opibus nostra ætate Christiana res imprimis stat, iter tibi ad cælum ipsum gloria conscendendum, & ad totius Europæ Imperium communiunt. Contra Veneti nulla aut perexigua gloria, minimoque emolumento vincuntur, majorisque laboris, ac magis dubii exitus est cum Venetis, quam cum Philippo dimicatio, neque id mireris, priusquam totam rem audieris. Principio aditus laborem, qui magni moliminis semper fuit, ac sine quo nullus sapiens Regnum ullum unquam tentavit, fortuna gentis Ottomanicæ tibi adimit, Mauris tantis motibus ad res novandas consurgentibus, teque ultro accersentibus, quorum haudquaquam dubia esse debet fides ac constantia; quam desperatio ac metus suppliciorum, si in Hispanorum manus reciderint, in te firmant. Parem animorum habitum, eosdemque motus in Valentinis & Aragonensibus Mauris, qui & ipsi magno numero sint, similis fortuna, eademque injuriarum atrocitas factura est, simulatque tua arma viderint. Hoc aditu firmato, reliqua proclivia futura sunt: nam unum Philippum, unamque Hispaniam hostem habiturus es: quæ Provincia non, ut splendidi ac magni nominis, ita difficilis & ardua est, pecuniis quidem locuples: cæterum hominibus, armis, bellicis apparatibus inanis, ad hoc continentibus sumptibus & expeditionibus exhausta, extraque, quam intra se, validior: nulla præterea sunt in ea munita opida, neque ea præsidio firmata, quæ lentas habeant oppugnationes, Hispanis, ut nullo suspecto bello, & in longa quiete, pacis more incuriose agentibus. Regna vero, quæ possidet Philippus, oneri potius, quam præsidio illi futura sunt, propter parum sinceram populorum fidem superbia & avaritia imperantium exasperatorum. Quorum nonnulla etiam tumultibus & intestinis seditionibus ardentia Hispaniæ potius opes ad se trahant, quam ipsa illam suis juvent. Circumstant præterea Philippum & Hispanos acerbissima omnium Europæ Principum odia: qui gentem invisam atque omnibus prægravem exscisam cupiunt, nedum illi opem sint laturi. Gallia quidem tot veteribus injuriarum caussis in nomen Hispanum perpetuo implacabilis, ac nobiscum fœdere & amicitia conjuncta tibi studio suo in illis evertendis pene præcurret: in qua Provincia Hugonianorum prævalens factio, haud dubium est, quin armis tecum subito conjuncta, ad sese à metu Philippi dies noctesque animo insidentis vindicandum sit exarsura: ut non tam supplicibus Maurorum precibus, quam Christianorum ipsorum votis communium injuriarum vindex voceris: ostende modo arma tua, obtorpebit, mihi crede, Philippus tantis terroribus circumventus: quique vix nunc stare potest, tua insuper tanta superincumbente mole, ab omnibus desertus priusquam sese colligat, obruetur. At contra Venetis invadendis arma totius Europæ moves; Italiam certe omnem armis, viris, equis, pecuniis, omni bellico instrumento & apparatu, omni terrestrium & navalium copiarum genere, omnium Provinciarum, quæ sub cælo sunt, refertissimam, unaque Philippum ipsum in te excitas haud gravate cum Venetis arma conjuncturum: quippe quos ruere non posse intelligat, quin Italicas ipsius Provincias secum trahant, nudas & apertas tibi relinquendas, Venetorum classe deleta, tuaque sub-*

subsidiorum iter intercludente, cum ipse solus tibi par esse non possit: quod idem periculum tibi à Venetis consilia cum Philippo consociandi à te non lacessitis imminere non potest. Non igitur illud nunc agitur, utrum tibi Philippum hostem sumas, nec ne; sed utrum cum eo solo, solaque illius classe, an cum eadem & Veneta conjunctis majore mole, periculosioreque exitu pugnes. Nec parva moles Cyprus est, Nicosia valida munitione ad horum temporum formam cincta, & Famagusta Regni emporio natura & opere munitissima: quæ singulæ urbes validis præsidiis firmatæ (ut in semper suspecto bello verisimile est) copias tuas diu possunt distinere, irritosque fortasse conatus facere. Jam vero illud consilium prius ac potius esse debet, quod omissum revocari non possit, eo quod sit perpetuo nostræ facultatis: at Cypriaca expeditio semper tuæ potestatis est, Hispaniæ petendæ si divinitus oblata è manibus emittatur occasio, sine qua omnis conatus irritus est; quando eandem de cælo iterum putamus nobis in sinum devolaturam? At enim magna hæc quidem sunt, quæque magnos ac fortes viros acuere possint, cæterum nullam eadem necessitatem specioso consilio adhibent: at religio, at justitia, at tuorum misericordia, ad hoc hostium multorum temporum injuriæ, postremo indignatio, necessaria tibi ac pia induunt arma. Religionis dissidium justum nobis & sempiternum bellum cum Christianis facit: quorum omnes curæ in legem nostram de toto orbe exterminandam sunt intentæ, nullam ejus rei occasionem prætermittentes. Id quod, iis ipsis Granatensibus subactis, docuerunt, quos per summam injuriam, & contumeliam, religionem nostram ejurare coegerunt. Iidem nunc Granatenses diuturnis atque intolerandis acerbitatibus tandem victi defecerunt, ab hostibusque nostris circumsessi in tuam opem confugiunt, cujus una spe arma sumpserunt: fidem tuam implorant: eos si deserimus, ibi socios posthac quæramus licebit, ubi Granatensium nomen non sit auditum, qui ne tuis quidem armis defensi fuerint, quos sola nominis tui majestas tutos facere debuit. Contemnantur Granatensium querelæ, nihil te moveant illorum miseriæ, quid? tibi ipsi ac domui tuæ factæ injuriæ nihil ad te irritandum valebunt? poteris, inquam, ferre, in tantis Ottomanorum opibus, Hispanos non modo de Africanæ oræ imperio cum domo tua tot jam annos vario Marte bellare, verum non veritos esse, ultro tibi arma inferre? Urbesque & opida in mediis Peloponneso, & Dalmatia, ac prope in oculis Ottomanorum expugnare? satisque famæ hominum & gloriæ factum putabis, si eos dumtaxat à te lædendo arcueris, ac capta dimittere coegeris: cum ipse nihil animi habeas ad par illis referendum, paresque reddendas clades, ne nunc quidem tam præclara ulciscendi occasione à Diis armatus? Tibi vero Ottomanica majestas sancienda est gravi illorum pœna & excidio, qui eam lædere ausi sunt, memorabilique documento providendum, ne quis Turcarum Regiam ullo tempore injuriæ opportunam ducat. Neque tantam turpitudinem velabit excusatio moderati animi & aliena non appetentis: quam nobis adimunt Veneti, cum quibus sacrosanctum fœdus icisti omnibus obsequiis ab illis diligenter cultus: sed existimabunt homines te conscientia imbecillitatis tuæ à Philippo & Hispanis abstinere, cum quibus parem tibi dimicationem non videas fore. Duo igitur prima erunt Imperii initi opera; alterum Turcarum nomen cunctis gentibus adhuc terribile contemptum facere: existimationemque, qua Regna & Imperia in primis continentur, à Majoribus tuis, paullatim, tantaque laborum & sanguinis impensa collectam, universam profundere: alterum fidem & jurisjurandi religionem, quas virtutes nulla umquam gens, quam nostra, sanctius coluit, violare. Cum igitur decus, gloria, justitia, religio, misericordia, existimatio, Majorum exempla, ad hoc præmiorum magnitudo; præterea injuriæ, indignatio; postremo occasio, quæ recurrere haudquaquam solita numquam sine pœnitentia omittitur, te ad Granatense bellum vocent; quæ, malum, tanta ista est mentis cæcitas, ut pro magnis, amplis, facilibus, exploratis, tutis, piis, parva, humilia, ardua, incerta, periculosa, nefaria consectemur: idque bellum præferamus, in quo (Dii omen avertant) majore cum dedecore victi, ac minore cum emolumento victores simus?

Apta fuerat tanti Imperii magnitudini generosa Oratio, valereque poterat ad ambigentem in suam partem trahendum. Cæterum animus angustus & jejunus tanti consilii splendorem non capiebat: neque alte insidens cupiditas ulla ratione poterat extorqueri. Æquioribus igitur auribus auditus est Mustaphas, ipse quoque seorsum à Rege consultus; cui eximia, ut diximus, bellicarum rerum scientia magnam auctoritatem, magnaque hominum studia conciliabat, cujusque opes secundum Mahumetem inter cæteros Bassas eminebant, ac cum eo Pialis Bassa Regis gener, cui classis Præfectura, ac summa navalium rerum destinabatur: ii conjunctis studiis expeditionem Cypriacam urgebant, pro qua Mustapham cum Rege equitantem ita disseruisse accepimus: *Non utilitas modo, Imperator, qua deliberationes fere gubernantur, sed decus quoque ac gloria, quas res primas in consilio habendas non inficior, te à rerum Hispanicarum cogitatione deterrent. Nam non magna amplecti, sed quæ amplexus fueris, ad exitum perducere, laudem & utilitatem habet. Aliter nihil ab ignavo strenuus differat: æque enim uterque ampla expetit. Quare ea, quæ supra vires sunt, & in suscipiendo pro magni animi laude temeritatis famam, & in deponendo præter damnum dedecus pariunt. Nec Majores tui magis audacia, quam consilio tantam gloriam, tantumque imperium pepererunt, qui tibi magis in hoc, quam in illa sunt imitandi, quod audacia à consilii societate deserta damnosa & ad exitium præceps semper fuit, consilium etiam per se fructuosum & amplum est. Atque Imperia, nisi efferentes se cupiditates salubriter cohibeantur, quanto altius adscenderunt, tanto fœdius corruunt. Quattuor jactari audio ab iis, qui curas tuas à Cypro in Hispaniam avertunt: aditum, quem tibi Granatenses patefaciunt, quam occasionem magnam ac magni faciendam nullo modo è manibus emittendam contendunt: Imbecillitatem Hispaniæ, Provinciæ videlicet hominibus & armis, ut ajunt, vacuæ: Periculum, ne Venetos petendo omnes Europæ Principes tibi irrites, ipsumque in primis Philippum, cum contra Philippo lacessendo quieturi sint Veneti: Addunt misericordiam Granatensium, quos intolerandis malis & iniquitatibus ad necessitatem deficiendi subactos in tuam opem & misericordiam confugientes turpe tibi sit in tanto Ottomanicæ gentis Imperio deserere: singula exsequamur. Aditum in Provinciis aggrediendis magnam partem habere non negaverim, sed non omnia sunt in eo: qui tum prodest, cum cætera spem effectus faciunt: quæ nisi adsint, non ad victoriam & gloriam, sed ad cladem & dedecus aditus fit. Quamquam hæc quoque pars magis mecum, quam cum adversantibus facit. Neque enim tam tibi Granatenses aditum patefaciunt, quam mare ac cælum, & natura ipsa rerum humanis viribus insuperabilis obstruunt. Cumque bellum, ut omnia feliciter procedant, diu extrahi necesse sit, ac propterea novis sit subinde hominum & commeatuum supplementis sustentandum, quæ ipsa nisi in tempore adsint, inutiliter submittuntur, quod in bello magnarum rerum momenta puncto temporis sæpe vertantur: iis rebus fit, ut subvectiones certæ, exploratæ, neque infestæ esse debeant: at mare & tempestates quid tandem certi habent præter ipsam mutabilitatem? quam is demum corriget, qui idem cælo, mari, ventis poterit imperare. Quis igitur furor est, spem & cupiditatem in illud Regnum extendere, ad quod tanto cæli & terrarum tractu à nobis dissitum ne accessus quidem ullus certus & expeditus est, nedum aditus pateat? cum contra in Cyprum in oculis nostris positam insulam ex Regnis tuis, à quibus undique circumsidetur, brevissimus*

sit dimidii diei trajectus. Multa ætatis nostræ exempla, nisi ea nota essent, commemorare possem eorum hominum, qui brevissimo ducentorum millium passuum trajectu, adversis tempestatibus complures menses intercepto, morbis ex mutatione cœli conceptis, varia peste perierunt. Et nos immensa spatia quotannis sine offensione nos emensuros speramus? ac classes nostras cælo eximias, nec maris casibus obnoxias stulti somniamus? Nam, qui elevant Hispaniæ facultates, occasionisque, ac primi impetus, non diu extrahendi belli esse eam Provinciam volunt; ab iis quæro, quid ita tam imbecillum Regnum ætate nostra omnibus Christianis Regibus, quibus ex propinquo ejus vires notæ sunt, terribile fuerit, ipsisque in primis Gallis, quorum opes maxime excellunt, quique in bellica laude sibi primas apud Christianos vindicant, ut illi amicitiam nostram tantis impendiis redimere coacti sint, formidinem Hispaniæ turpi, ut Christiani putant, consilio prætexentes? neque enim cum Hispania sola, ac simul cum opulentissimis Regnis, quibus subnixus est Philippus, futura tibi res est: sed cum tota fere Italia, atque Germania, utique ea parte, quæ genti Austriæ paret. Quarum opulentarum & bellicosissimarum Provinciarum vires conjunctas ipsemet Philippus, ut ab omnium Christianorum Principatuum societate deseratur, tibi in ipsa Hispania est oppositurus: præ quibus quota tandem pars sunt Veneti? Nam, ut dem tibi, Hispaniam ab assiduis bellis nonnihil exhaustam; præsto habet Philippus eas, quas dixi, Provincias: quæ nulla re magis, quam nimia subnascentis sobolis multitudine prægraventur: cujus utriusque nationis homines non modo non retractanter ex Provinciis suis educantur, sed ipsi ultro à nemine evocati, ubi arma concrepare audiant, eo subito accurrant. Quas Provincias non longe dissitas, sed cum ipsa Hispania conjunctas, atque adeo esse in ipsa Hispania debes putare. Quippe quas classes Philippi cum illa conjungant, brevissimo expedito ex Liguria, quo utriusque Provinciæ copiæ momento temporis contrahuntur, in Hispaniam trajectu; quem nemo intersepire possit, Philippo maris Europæi potente. Qui verentur, ne simul cum Venetis omnes Europæ Principes concites, non iidem animadvertunt, eosdem, te Philippum aggrediente, eo promptius & celerius in te arma versuros, quo majus discrimen ex Philippo, quam ex Venetis oppressis sibi imminere intellexerint. Longe, mihi crede, alius animorum habitus Christianis Principibus erit, te Cyprum parvam, ac procul ab ipsis remotam insulam, quæ nullum, aut perleve momentum in Christianarum rerum statu faciat, petente, atque ad intima Christiani orbis penetrante, eamque Christianæ libertatis arcem invadente, qua dejecta, ipsorum quoque res mox sint ruituræ. Ipsique in primis Galli eo celerius ac promptius ad illud incendium restinguendum accurrent, quo illi propiores sunt; ac propterea ne, eodem per continua serpente ac proxima quæque prius absumente, mox conflagrent, verebuntur, fœderum tecum ictorum obliti, quibus interitus metus præponderabit. Quos Gallos si suspecta propinqua Hispaniæ potentia nobiscum lege diversis hominibus conjunxit, quanto minus illi longe majores opes tuas alienigenæ & diversæ religionis hominis prope se convalescere sunt passuri. Amicitiam tuam cupiunt Galli; vicinitatem horrent: illam sibi utilem, hanc damnosam & periculosam putant. Neque Philippus iis ipsis Gallis, aut cæteris Christianis Regibus suo nomine est invisus, quo etiam stimulo spem tuam incitari & cupiditatem acui ab istis audio; quippe cum quo affinitates quotidie jungunt: sed illius potentia suspecta & formidolosa illis est: quanto igitur formidolosiores iisdem, & suspectiores, magisque invisas censes fore tuas tanto majores vires? Misericordia vero tua Granatenses non magis digni sunt, quam si quis stultitia sua sese in puteum projiciat, vecordiæ moxque pœnitens crudelitatem illorum accuset, qui, ut imploranti opem ferant, sese præcipites simul nolint dare. Temere, teque inconsulto, Granatenses defecerunt. Suam igitur ipsi stolidam temeritatem suppliciis suis luant, consiliumque sua sponte cœptum suis viribus exsequantur: neque te furoris sui socium quærant, qui particeps consiliorum non factus nulla illis verecundia es obstrictus. Existimationem agi dicunt in illis deserendis, nihil immo tam existimationi adversarium est, quam te tantæ majestatis Principem ad nutum paucorum degenerum Maurorum circumagi, tamque levibus de caussis tantam rem ingredi. Parentis tui obliti sunt; qui cogitationem Cypri humilem, ac tanto fastigio indignam putant: qui parens expeditione Rhodiensi, cui ipsemet præfuit, haud parum insignia Imperii sui initia se facturum putavit. Cyprus igitur sordebit, aut bellum cum Venetis inferius majestate tua duces; cum parentem tuum clarissimum Imperatorem gloriæ partæ in Rhodo expugnanda, longeque imbecillioris hostis victi non pœnituerit? Denique jurisjurandi religio objicitur: quæ res responsu multipliciter facilis est. Quid enim præposteri in consiliis sumus? Priorem locum in deliberando obtinet utilitas, quæ cætera post se trahit: utilitatis consiliis explicatis aliqua juris species accommodari solet: at hanc speciem tibi Veneti ipsi ultro præbent, qui priores, fœdera multipliciter frangendo, fidem tuam liberarunt. Quorum peccata si quibus levia videntur, ii nondum didicisse videntur injurias non tam suis momentis, quam dignitatis comparatione ponderari: ut levissima inter pares, eadem adversus longe superiores atrocissima fit injuria. At enim tolli possunt injuriæ legationibus & satisfactionibus. Certe ab iis, qui disceptationem juris, non caussam belli quærunt: cui honestandæ satis est speciosum titulum prætendere: quem perpetuum Respublicas gerentium morem non nos primi usurpamus: ergo inanibus & damnosis abjectis, te ad solida & frugifera convertas censeo, Imperator: illudque statuas, caussas à victoria justas fieri; ac moderationem, æquitatem, jus, vocabula bello superiorum semper fuisse.

Quo æstus cupiditatis rapiebat, Oratio incumbens magno assensu audita est, in eamque sententiam bellum Cypriacum decretum. Cujus Mustaphas ipse Dux creatus est, addito Piali collega maritimæ classis Præfecto; occasioque Granatensium motuum præterita, peropportuna ad tegendam bellicorum apparatuum caussam, qui ingentes expediri cœpti sunt, opinionemque hominum à Cypriaca expeditione ad res Hispanienses avertendam, quæ res rationi propior, & ipsis commodior, cum pronior esset ad fidem, fecit, ut Veneti plurimum de diligentia & industria in comparando remitterent, omniaque lentius administrarent, quam si certa belli exspectatio eorum curam & sollicitudinem stimulasset. Qui tamen ingentibus motibus auditis non omnino cessarunt.

Cæterum magnam conatuum partem in ipsis initiis fortuna variis adversis casibus elusit: nam Hieronymus Martinengus cum valido præsidio Famagustam missus, ut urbi præesset, in itinere ex morbo decessit; præsidiumque omne, quod ducebat, varia peste absumptum ac dissipatum est: ut necessario Astor Balionius, omissa Nicosia, ad cujus custodiam destinatus erat, Famagustam se contulerit; Palavicinusque Rangonus, qui in locum Martinengi suffectus fuerat, triaque militum millia nova conscripserat, unaque cum illo Sebastianus Venerius Quæstor variis casibus in Creta Insula retenti numquam in Provinciam pervenerunt, cum Rangonus paullo post ex morbo decessisset. Quibus rebus factum est, ut Nicosia, cum circumsessa est, sine Præfecto bellicarum rerum perito, ac cum infirmo præsidio mille & quingentorum stipendia facientium fuerit; exiguo numero in longe minore urbe, minoreque mole incumbente.

Interea Turca, omnibus rebus ad bellum necessariis comparatis, maturum ratus inchoata consilia ad

ad effectum perducere, Mahumeti negotium dat Legatum Venetum per colloquium tentandi. Ille per interpretem Legatum appellat, eique demonstrat, Imperatorem multis injuriis & indignitatibus compulsum insulam Cyprum à Venetis petere. Eadem autem, quæ supra commemoravimus, de Memphitici Imperii juribus, & de receptis piratis perfidiæ in rumpendo fœdere prætexebat: cum illud insuper adderet, homines Imperatori subjunctos piraticam facientes à triremibus Venetis captos capitali supplicio affici; qui ex fœdere essent restituendi, cum sese tantummodo defendentes in prælio interficere liceret: cohorruit Legatus atroci & subita re, Mahumetemque continuo adit, ac postulatorum iniquitatem conqueritur: quæque objiciantur cum re falsa, tum facilia responsu esse docet.

Nam nulla monumenta exstare insulam Cyprum Musulmanorum aliquando fuisse; quam justo titulo partam, ac tot annorum pacata, numquamque intermissa possessione retentam, ferentibus tacitum atque approbantibus Ottomanis, diuturno usu suam fecerint: cujus usus jus si labefactetur, tum vero ad incertum omnia revocatum iri, nulliusque rei dominatum, ac ne Regnorum quidem, quæ plurima & amplissima gens Ottomanica possideat, stabilis ac firmi juris fore. Damna, quæ à Christianis piratis facta dicantur, ea non modo ipsorum injussu, sed ne scientia quidem facta esse. Mirum vero non esse, si cum magnus Imperator, cujus immensæ sint opes, piratarum latrocinia & excursiones prohibere numquam potuerit, ipsi, apud quos omnia sint tenuia, eadem careant facultate: iniquum igitur esse ipsos insontes sceleratorum latronum culpam luere: quemadmodum ipsi longe majora detrimenta sibi, suisque ditionibus à piratis continenter illata Imperatori non assignent: quos etiam piratas docere possint à ministris Imperatoris non modo non coerceri, sed foveri etiam ac tegi dulcedine prædæ, (sibi enim ad libere agendum tantam rerum iniquitatem animum dare) quam piratæ cum illis partiantur. Illud autem non modo non verum, sed ne verisimile quidem esse, piratas Turcas post pugnam à Ducibus Venetis interfici: quos constet metu suppliciorum, quæ ipsorum audaciæ & sceleri debita sint, si capti à Venetis in potestatem Imperatoris tradantur, occumbere pugnantes malle, quam in manum carnificis fœdum in modum excarnificandos dari: sæpe tantas injurias ad Præfectos & Præsides Provinciarum Ottomanicarum ipsorum querelis delatas; multosque piratas captos in illorum manus datos. Verum ludibrio fuisse suas calamitates Ottomanicis Proceribus. Atque hæc, qualiacumque tandem sint, tamen armis vindicanda non esse, neque bello persequenda, aut ad interpretationem rupti fœderis revocanda. Disertis enim verbis in fœdere caveri, ut ejusmodi rerum controversiæ ac querelæ per judicium transigantur, damnaque utrimque reficiantur; ac pax nihilominus & amicitia firma duret: quod haud ambiguum fœderis caput querelis Venetorum sæpe testatum Præfectos Ottomanicos semper neglexisse: neque appellatos de injuriis satisfecisse. Intolerabilis esse arrogantiæ ac præmortui pudoris, quam rem sibi impune licitam faciant Imperatoris Proceres, ex eadem in aliis crimen perfidiæ & jurisjurandi violati colligere; judicium non recusare Venetos ex fœdere: quod si non accipiat magnus Imperator, nihilque juris inopi adversus se relictum putet; omnia divina & humana jura potentia sua perfringere sibi fas putet; at sese ad Deum immortalem jurisjurandi & fœderis rupti testem, Numinisque sui spreti vindicem confugere.

Adversus ea Mahumetes, omisso juris certamine, sese pro Venetis acriter pugnasse respondet; summaque omnia fecisse, ut Imperatorem ab ea mente deduceret: cæterum illi stare sententiam, adversus quam si ipse tendere pergat, pertinaciam sibi capite luendam: notam illi esse egregiam suam ac perpetuam in Venetos voluntatem; de quorum commodis & dignitate non minus quam de sua ipsius semper laborarit. Quare sese omnibus officiis amicitiæ erga illos perfunctum hoc unum, quod restat, fidelis consilii additurum. Sapientis esse consilia ad tempora accommodare; atque animum æqualem fortunæ, nec supra eam gerere, cuique pares esse bello non possint, ejus odium sibi non irritare; neque parvæ rei caussa omnia sua in præcipitem casum dare.

Ulla se de tanta re à Senatu habere mandata Legatus negat; aut secum de ea agendum; aut se injussu Senatus in illud consilium interpositurum. Venetias igitur mittendum, ac mandata Imperatoris Senatui exponenda: id duabus de caussis faciendum: nam & tantam rem magnum Imperatorem à Senatu ipso petere verum esse; & fieri posse, ut Senatus, cui nihil sit antiquius, quam gratiam magni Imperatoris sibi integram conservare, vel vectigali augendo, vel immani auri aliqua vi difficultates ærarii Ottomanici sublevando, eas conditiones ferat, quæ ab animo magni Imperatoris non omnino abhorreant: quam rem perpetuæ ipsius Bassæ, & egregiæ in Venetam Rempublicam voluntati ac pacis studio, quod ille præferat, aptam in primis esse; viamque illi expedire, ut quod aperte non potuit, id per hos ambitus assequatur, ut magnum Imperatorem à pravo incepto deducat; caussasque diffidiorum ac belli & imminentium cladium discutiat.

Probat consilium magnopere Bassa; seseque enimvero de eo cum magno Imperatore non modo haud gravate, sed cupide quoque acturum respondet, neque desperare sese rem cum tanta æquitate conjunctam facile persuasurum: quod paullo post, se impetrasse Legato demonstrat. Qui extemplo Senatum de iis, quæ Bassa secum egit, certiorem facit; ut in adventu Internuncii à Turca mox adfuturi præparata consilia habeant. Quæ res Venetiis cognitæ, adeo iram & indignationem accenderunt, ut quamquam inventi sunt nonnulli, qui in consilio suaderent, nihil per iram aut impetum agendum; neque deliberationem de tanta re, aut atrocitate injuriæ, aut indignitate, aut justitia caussæ; sed ipsorum fortuna metiendam, quæ omnem contentionem cum potentissimo Principe respuat: neque Rempublicam in tantam aleam dare sapientis consilii esse, sed aliam consilii viam ingrediendam; satiusque esse Turcæ animum pecuniæ vi (quam unam semper experti sint optimam & certissimam belli gerendi rationem) expugnare; ac Bassarum favorem magnitudine munerum, quorum avidissima gens est, emere: omnia denique prius tentare, quam ad arma eatur; quæ res certa ipsorum pestis sit: quamquam ita nonnulli disputabant, nemo tamen illorum orationem auribus admisit.

Bellum igitur, simulque responsum Internuncio dandum, magno cum animorum ardore decretum est. Quam rem cum Senatus jussu Michael Sorianus vir gravis ac prudens Legatum apud Pontificem eo tempore agens Pontifici exposuisset. Indoluit quidem Venetorum vicem Pontifex; cæterum vehementer lætatus est, manusque ad cælum sustulit, occasionem sibi divinitus dari, optata consilia fœderis inter Christianos Principes adversus communem Christiani nominis hostem sanciendi (quæ cura jam inde ab initio Pontificatus antiquissima ipsi fuerit) ad effectum perducendi; quorum voluntates sua sponte nunquam movendas, Venetorum

exemplum excitaturum speraret: neque enim illos suæ ipsorum saluti tam supine indormientes fore, ut patiantur, Venetis oppressis, quorum opibus maritimæ Christianorum res magna ex parte stent, facilem viam Barbaro hosti, atque omnibus Christianis regnis perpetua atque hianti cupiditate imminenti ad se evertendos sterni. Interea sedulitate sua ipsi Venetorum desiderio præcurrens, ne omni ope plane destituti essent, cum Philippo Hispaniarum Rege enixe per litteras & nuncios agit, ut ille quinquaginta triremes, ex iis, quas plurimas alit, Venetis laborantibus eo anno auxilio mittere ne gravaretur: & secundum ea totus animo & mente in consiliis de fœdere ad effectum perducendis insistit: quamquam nonnulli humanarum rerum usu & scientia præstantes viri illum à molesto, magnique sumptus negotio, sine ulla fructus spe, sese involvendo magnopere deterrerent: cum dicerent numquam Turcam in majore virium flore fuisse, omnibus circa regnis & Provinciis late perdomitis: quibus Christiani omnes Reges, si facultates suas in unum conferant, vix pares fore. At conjungendi, & in Turcam armandi tantis injuriis exulceratos inter se animos, ad hoc suis quemque privatis molestiis & curis implicitos, quæ publicis potiores sint: quam tandem spem ostendi? Maximilianum Cæsarem fœdere quamvis iniquo atque obnoxiis induciis Turcæ alligatum; ad hoc non suarum virium dimicationem cum Turca existimaturum. Illum igitur Turcæ objectum non aliter tantam molem, qua illico solus obruatur, sibi conflaturum, quam Germaniæ subsidiis fultum. At eam Provinciam compluribus Principibus parentem, qui sua quisque habeant privata studia, ac sua quisque separata consilia, ad hoc in mille sectas distractam, quæ animos disjungant, atque inter se suspectos faciant, quando tandem, aut quomodo consensuram? Galliam veteri gloria Christianæ religionis adversus cæteros & domesticos hostes perpetuo propugnante fulgentem, nunc conversa ratione amicitiam cum Turca constitutam habere: ad hoc intestinis flagrantem odiis, tumultibus, & seditionibus omnem ardere; diuturnisque malis, ac quamquam nonnumquam consopitis, subinde tamen majore motu semper exsurgentibus fessam suarum ipsam rerum potentem non esse, nedum illa externo sese bello possit onerare. Impuram & sacrilegam Angliæ Reginam ab Ecclesiæ corpore divulsam, potius formidandam, quam adjutricem sperandam. A Polono quid exspectandum sit; docuisse illum proximo Ungarico bello, quod ingens & formidolosissimum ad Zighetum constitit, Solimano ipso clarissimo Imperatore præsente, atque omnibus viribus Orientis septo. Quod incendium ipsius oculis subjectum tamquam nihil ipsum attingens si illum excitare non potuit ad ulla Maximiliano in tantas adducto angustias submittenda publice auxilia, quid tandem Venetorum mala immenso pene terrarum spatio ab illo remota illum esse commotura? Transsylvanum in fide Ottomanorum exsistentem illorum partes palam profiteri. Jam vero liberas civitates, & Italos Principes, quid tandem, ut ardentissima sint illorum studia, in tam angustis finibus & tenuibus opibus eniti posse? spem omnem in uno Hispaniæ Rege Philippo esse, cujus invictum animum, expertamque in caussa religionis fidem & constantiam nulla umquam discrimina, nullique terrores infregerint, aut labefactarint, alacremve & impigram operam inhibuerint. Cæterum pium, ac fortem, omnibusque laudibus cumulatum Principem amplissimis illum quidem multorum regnorum opibus subnixum, verum duobus ingentibus bellis implicitum Flandrico, & Granatensi; quorum illud infinito, ac vix toti orbi Christiano tolerabili sumptu tueatur, hoc in ipsis Hispaniæ visceribus hæreat; quomodo Venetos, aut alienas res respicere posse? Accedebat nondum oblitterata memoria superioris fœderis inter hos ipsos Venetos, ac Paulum tertium Pontificem, & Carolum Quintum Cæsarem icti, quod & tempore breve, & conatibus irritum evasisset.

Valuissent hæc ad cujusvis animum desperatione debilitandum. At non invictum Pontificis animum fregerunt, neque à stabili, certaque sententia deduxerunt; non magis humanarum rationum momentis res ponderare solitum, quam Divina spe & fiducia fultum de illis statuere. Igitur Legato Veneto demonstrat, se quidem Pontificii solii opibus, quantæcumque eæ sint, Venetos adjuturum. Idem Philippum facturum confidere, cujus perspectam habeat pietatem: qui, Pontifice præsertim efflagitante atque enixe agente, postulatarum triremium auxilium non sit negaturus. Cæterum unam esse salutis arcem, fœdus inter Christianos Principes. In eam rem sese omnem sollicitudinis & Pontificiæ auctoritatis nervos intendere decrevisse, neque prius desistere, quam re ad effectum perducta. Debere Venetos, quibus primis arma inferat Turca, quique propiores sint exitio, atque adeo quorum caussa cæteri arma sumpturi sint, primos quoque nomen in fœdus & in sacram militiam dare; aliisque exemplo præire: quam rem, ut haud retractanter faciant, hortatur. Enimvero Veneti, cognita Pontificis voluntate, eo, quod omnibus votis ab ipsis expetendum fuerat, ultro delato læti, sese in sacrosancta fore potestate paullo post respondent. Secundum Venetos appellandus erat Philippus, virque aliquis ad eum mittendus, qui ingenio & consilio pollens, ac Philippo gratus, ad animum tanti Regis tractandum, tantamque molem sustinendam aptus esset. Nemo in Aula potior visus Ludovico Torrio ex septemviris Quæstore, viro impigro, quique cum nobili ingenio, ac genere, & non vulgari dicendi facultate, litterarumque ornamentis summam morum gravitatem & vitæ integritatem conjunctam haberet, tum autem Philippo, ut eventus docuit, in primis acceptus Archiepiscopatu Montis Regalis omnium Italicorum opulentissimo ab illo ornatus. Huic igitur ad se vocato necessariis mandatis instructo, ut sese è vestigio itineri det, imperat, litterasque gravitatis & religionis plenas ad Regem dat; in quibus cum præsentem ac miserum Christianarum rerum statum pluribus & gravibus verbis deplorasset, quæ hinc à Turca nefario & exitioso bello petantur, qui non Venetorum modo res, sed omnia Christiana regna inexhausta cupiditate jampridem devorarit, id quod proximis bellis Ungarico & Melitensi declararit: illinc ab hæreticis, qui in Flandria, in Gallia, in Anglia omnia seditionibus, tumultibus, cædibus, incendiis, rapinis, direptionibus, stupris, sacrilegiis, misceant, consilia precibus conjungendo postulat & obtestatur, ut fœdus secum, & cum Venetis, cumque cæteris Christianis Principibus, quos ipse exemplo suo multis de caussis excitare debeat, inire ne cunctetur, ventum ad extrema esse, neque Christianorum vires nisi conjunctas ad tantam molem suffecturas. Interea ex classibus suis eum triremium numerum, qui visus fuerit, in Siciliam contrahi imperet; quæ ex propinquo ad omnes Turcæ conatus, quocumque ille belli terrorem intulerit, oppositæ sint.

Responso à Venetis accepto, cum illi postulassent, decumas vectigalium sacerdotiorum ditionis ipsorum sibi concedi. Rem ad Senatum refert Pontifex, sententiasque Patrum exquirit. Ad unum omnes in tam pia & necessaria caussa dandas censent, cum Pontificis sedulam curam atque operam tanta

tanta cum pietate conjuncta laudassent. In quibus Antonius Perenottus Cardinalis Granvelanus cæterorum orationem in Pontifice laudando subsecutus, multa dixit in eam sententiam, quamobrem non modo decumæ Venetis dandæ essent, sed nullis impendiis parcendum, omnia denique summa facienda, Christianis ut Cyprus Insula retineretur, detrimenta ex illa amissa, & commoda, & opportunitates ex retenta sigillatim persecutus. Quæ omnia sese dicere ait, Reipublicæ caussa, non Venetorum, quos alienarum cladium ac funerum spectatores, nullamque partem publicorum discriminum umquam subeuntes, tamquam commune periculum nihil ipsos attingat, indignos omnium misericordia dixit; qui nullius ipsi umquam miserti sint: neque fœdus illos ad Turcam oppugnandum, sed ad meliores pacis conditiones impetrandas quærere: quod fœdus eadem inconstantia ac parum stabili sententia, ne quid gravius dicat, sint elusuri, qua superius fœdus Paulo tertio auctore cum Carolo Cæsare Philippi parente ictum destituerint. Commeritos igitur Venetos, ut ipsi vicissim deserantur, suumque ipsorum exemplum in ipsos vertatur.

Granvelani verbis exarsit Joannes Franciscus Commendonus Venetus, cui paullo post ordine sententia dicenda fuit, haudque tacitum præteriens; *Ita ne vero*, inquit, *Granvelane, hujus sacrosancti solii & Ecclesiæ ope indigni sunt Veneti, quam ipsi sua numquam deseruerint? Expeditiones sacri belli numquam sine Venetis susceptæ, Ahenobarbus Cæsar contusus, & ad Pontificem adorandum supplex adactus, pro suo jure mutuum officium à nobis reposcunt. Ut mittam Italiam patriam, cujus tu Pater ac Sanctum hoc solium magna pars & caput est, cui Veneti semper & in pace ornamento, & in bello adjumento fuerunt. Nam, quod fœdus superius exprobratur, id est ejusmodi, ut & mirandum sit, eam rem alios non silentio comprimere; & optandum piis & communis salutis studiosis viris ex animis Venetorum sempiterna oblivione deleri.* Approbatione igitur Patrum decumæ Venetis datæ sunt; ab ipsis quoque Cardinalibus sacerdotia in Veneta ditione possidentibus exigendæ. Quin etiam Pontifex magni Quæstoris, quem vulgo *Camerarium* vocant, amplissimum munus, quod Michael Bonelus Cardinalis Alexandrinus ex sorore pronepos obtinebat, de illius voluntate, & Pontifici morem gerentis, & Rempublicam privatis commodis anteponentis, venale habuit; pecunia ex illo redacta in usus belli impendenda.

At Venetiis litteras Legati Veneti paullo post Cubates Turcæ internuncius consecutus, epistola Imperatoris Duci & summo collegio reddita, mandata exponit. Quorum hæc fuit summa: *Quanti magnus Imperator Venetorum amicitiam semper fecerit, vel eam esse fidem, quod simulatque Regnum inierit, fœdus cum illis haud retractanter, nullisque iniquis, aut novis adjectis conditionibus renovaverit. Id fœdus ab Imperatore integra & sincera fide perpetuo cultum. Dolere illum non eandem sibi voluntatem a Venetis redditam; neque par studium observandæ fidei in illis fuisse: qui receptum in suos portus piratis dando, hominesque ditionis suæ captos necando, fœdus sæpe violarint. Quæ injuriæ, quamvis bello ulciscendæ fuerint, magnum tamen Imperatorem honoris illorum caussa magis adhuc amicitiæ, quam majestatis memorem fuisse. Cæterum finem injuriarum nullum fieri; eoque ventum esse, ut dissimulatio non jam lenitati, sed ignaviæ possit dari. Amicitiam inter ipsos integram, inviolatamque servari, longe magis ipsorum Venetorum, quam Imperatoris interesse, cupereque proinde illos non minus, quam ipsum debere, ut omnes eam labefactandi caussæ præcidantur; ac providendum esse, ne in tanta mutua benevolentia animi novis quotidie suborientibus querelarum caussis exacerbentur: ejus rei unam omnino esse viam, si Insula Cyprus, quæ caussa dissidiorum sit, sibi tradatur. Debere Venetos, pro sua sapientia, tam parvam rem præ tanti Principis gratia levem ducere: qua si libenter cesserint, bene & sapienter illos rebus suis consulturos; Imperatoremque cum illis in perpetua pace & amicitia futurum. Quod si pertinaces sint; tum Imperatorem enimvero non modo illis insulam belli caussam adimere in animo habere, sed acerrimo illos bello terra, marique persequi; testemque se Deum facere cladium, quarum mercede temeritas, ac violata fides illis statura sit: omnem culpam penes fœderum ruptores fore.*

Ad ea Veneti responsum in hanc sententiam ante compositum, nulla mora deliberandi petita, descriptum dederunt: *Magnum Imperatorem non magis pudoris oblitum in tam improbo postulato faciendo, quam in eo tam levibus caussis, ac vix puero dignis commentis velando: quæ genere levia, ac re falsa sæpe antea à se & à suis Legatis refutata nihil esse, quod nunc refellere aggrediantur adversus eum, qui non disceptationem juris, sed locum injuriæ aperte quærat. Amicitiam Imperatoris sese cunctis rebus semper prætulisse, ac perpetuo prælaturos, quæ modo non sibi excidio sit; remittereque se illi, ne in consiliis, quæ ipsi non petant, dandis ipsorum vicem sollicitus sit. Cypro Insula jure ab ipsis tot annos possessa se non cessuros, quam ab illius injusto impetu sese defensuros sperent, Dei immortalis auxilio freti: quem non dubitent violati jurisjurandi, ac Numinis sui spreti vindicem fore, cladesque, quas ille ipsis minetur, in ejus caput, ejusque regna versurum. Neque mirari se ab illo divinum Numen fide amicitiæ violanda contemni, quod in legis præceptis à Majoribus, & à Solimano parente perpetuo cultis, cum summa populorum suorum offensione perfringendis quotidie contemnere non erubescat. Præclara vero Regni initia, quæ tantæ perfidiæ nota commaculet; dignam Majoribus, ac nomini Ottomano pro tanta gloria relicta redditam gratiam, quod lutulentis flagitiis suis assidue inquinet. Egregium Imperatorem, qui perpetuo hoste & splendido certamine declinato, miserorumque spe in suam opem confugientium fœde destituta, virium suarum impetum in veteres & innoxios socios, quia viribus sint inferiores, flectat. Accipere sese bellum ab illo per summam injuriam ac summum scelus indictum, quod se non suis modo, sed Christianorum Principum viribus fultos ita gesturos sperent, ut citius illum, quam ipsos nefarii consilii pœniteat.*

Cum hoc responso Internuncio dimisso, consiliis ad bellum destinatis Veneti partitas curas in comparandum, & auxilia quærenda acriter intendunt. Ac legationibus ad Christianos Principes tota Europa circummissis, opem implorant, precibus consilia addentes, ac multa de Barbarorum cupiditate disserentes, quam tota Asia, ac maxima Europæ pars explere non possit. In cæteris regnis, quæ Turcæ singula capiant, damnum tantum modo amissæ Provinciæ fieri; at in Venetis subigendis omnes Christianas Provincias labefactari & enervari; magna maritimarum virium parte adempta, quibus res Christiana in primis contineatur: expergiscendum igitur esse aliquando; communique hosti obviam eundum, ac pro se quemque ad illud incendium exstinguendum accurrere debere, quod sedendo & inspectando adhuc aluerint. Quæ legationes quamquam vera dicere videbantur, neminem tamen moverunt; fatali quadam insita hominum ingeniis cæcitate, qua nemo gliscentem pestem, ac proxima quæque, & ante oculos posita corripientem prius ad se perventuram credit, quam illam visceribus hærentem sentiat. Ne ipse quidem Maximilianus Cæsar quidquam motus est; cujus in Turca contundendo & profligando non minores partes, quam Venetorum esse videbantur: quippe cujus ditiones Turcæ finitimæ, expositæ quotidia-

nis, neque parvis damnis ab illo carpantur, ac periculoſiſſimis bellis ſæpe vexentur: qui non modo ſe illi bello interpoſiturum negavit; Turcamque tantum ac tam formidoloſum hoſtem, tum autem finitimum, cum quo ſit in induciis, temerario bello provocaturum; Germania præſertim adverſa, quæ à laceſſendo Turca perpetuo abhorreat, arma tantummodo inferenti reſiſtere parata; verum ne Jacobum quidem Superantium Venetum Legatum Viennam accedere paſſus eſt; ut omnes ſuſpicionum cauſſas cum tam potente hoſte præcideret, juſſitque illum certo homine de ſuis obviam miſſo, ſe Ratisbonam conferre, quo ipſe mox acceſſurus eſſet, ad conventus Germaniæ habendos, in quam urbem cum ambo veniſſent, cum eo, quod diximus, reſponſo deſcripto dato Venetus dimiſſus eſt. Quod Cæſaris reſponſum fecit, ut Veneti Antonium Teupolum ad Regem Polonum miſſum ex itinere revocarent; haud dubii Polonum minoribus odii, ac minus neceſſariis belli cauſſis ſtimulantibus, nihilo alacriorem, aut promptiorem ad arma capienda fore. Unus Pius V. ut diximus, officii ac muneris ſui memor cauſſam Venetorum non libenter modo, ſed ita cupide eſt amplexus, ut illis ipſis ardore pene præcurreret.

At Veneti in apparatum belli omnibus curis intenti, centum triginta duas naves longas armarunt: quarum duodecim majoris formæ fuerunt, quas *galeatias* vocant, reliquæ centum viginti omnes triremes, ac non exiguus onerariarum numerus ad commeatus tranſvehendos, atque ad alios belli uſus neceſſariarum: quam claſſem breviſſimo ſpatio, poſtquam parari cœpta eſt, omni commeatuum genere abundantem, atque omni bellico apparatu, navalibuſque armamentis inſtructam, ac frequenti remigio, tum magna egregiorum bellatorum copia firmatam pluribus agminibus è portu ſubinde emiſerunt: conſcenderunt claſſem præter nautas ac navales ſocios, quibus affatim referta eſt, duodecim bellatorum millia ſtipendio conducta, ac mille exteri ætate florentes, ac virium robore inſignes: ad hoc fortuna & genere Principes; quos cupido oſtentandæ virtutis, ac fama ſplendidæ ac ſacræ militiæ Venetias attraxerat: quibus voluntariam & gratuitam operam profeſſis à Senatu gratiæ ingentes actæ ſunt, ac magnus habitus honos. Quæ res cum celeritate & copiis exſpectationem longe ſuperaſſet, omnium mentes in admirationem præpotentis civitatis, ac veteris fortunæ opulentia abundantis convertit. Tantæ claſſi præfectus eſt Hieronymus Zanes; duoque Legati adjuncti Antonius Canalius, & Jacobus Celſus, uterque rei navalis ob diuturnum uſum peritiſſimus habitus, ſocius additus eſt Præfecto Sfortia Palavicinus terreſtris militiæ Dux, quem *Gubernatorem* vocant, qui fama prudentiæ ac bellicæ virtutis multis locis conſpectæ ad eum auctoritatis locum adſcenderat, eamque conſiliis ſuis apud Venetos fidem firmarat: ut, præter perpetuum illius Reipublicæ uſum, vi imperii exterus homo Præfecto æquatus ſit, re ita inter illos comparata, ut mari Præfectus, terra Gubernator cum ſummo imperio res adminiſtraret. Cujus ſententiam non conſilii tantum pondus & auctoritatem, ſed jus & vim ſuffragii habere voluerunt: ita ut è quattuor ſuffragiis, quod maxima pars cenſuiſſet, id ratum eſſet: idque ſummus Præfectus mari, terra Gubernator exſequeretur. Quod ſi par fuiſſet utrimque numerus; momenta ſententiæ Præfecti & Gubernatoris conſentientium præponderarent ac vincerent.

Per idem tempus Turcæ menſe Martio nondum exacto Amurathem magni nominis piratam è portu Conſtantinopolitano emiſerunt; qui Rhodum uſque pergens interea, dum reliqua claſſis comparatur, commeatus & ſubſidia; ſi qua à Venetis in Cyprum ſubmitterentur, interciperet. At Venetiis de Palavicini conſilio decretum eſt, claſſem Ladram contrahi: quæ priuſquam omnes naves, ac quorum facta erat à Pontifice ſpes, quinquaginta Philippicarum triremium auxilia conveniſſent, non ſe moveret, ne parvo numero in hoſtem incidens, iter retro cum dedecore repetere cogeretur, quæ res militum ac Ducum ardorem peſſimo publico reſtingueret: ut periculoſiſſima ſemper fuit in ipſo initio gerendarum rerum omnis offenſio. Diſſenſerant ab eo conſilio nonnulli, qui tum erant in ſummo Magiſtratu; reque ad Senatum relata, multa in eam ſententiam diſſeruerant, quamobrem ceſſandum non videretur, neque otio marceſcendum in portu Ladrenſi; ſed ex tota claſſe ſexaginta delectas triremes interea, dum reliquæ contrahuntur, in Cretam mittendas, multiplicemque ex ea re utilitatem fore demonſtrarant. Sed vicit, ut diximus, contraria ſententia, quæ conſilium dividendæ claſſis, ut in omnes partes inutile & periculoſum repudiabat. Decretum tamen eſt, ut Quirinus ſinus Præfectus cum viginti quinque tantum triremibus ex vetuſtioribus in Cretam extemplo ſe conferat; ibique cum Præſidibus inſulæ omni adhibita contentione viginti triremes armet, quarum alvei ad ejuſmodi belli caſus in ea inſula pridem relicti fuerant; reliqua claſſis Hiſpana auxilia exſpectans Ladræ ſubſiſtat. Ut ſic eo anno res Veneta centum quinquaginta duabus triremibus, quarum duodecim majoris formæ erant, adminiſtraretur. Quæ res, ut ſuo loco dicemus, ad effectum perducta eſt.

Interea Torrius à Pontifice miſſus cum acceleraſſet, in Regiam Hiſpaniæ pervenerat, quæ tum erat Cordubæ, iterque Hiſpalim habebat: ac quamquam Regis juſſu, adventu ejus cognito, monitus fuerat, ne primo illo congreſſu mandata attingeret; ſed omnia integra Hiſpalim reſervarentur, tamen ſecum reputans, id genus eſſe nonnullorum negotiorum, quæ dilationem nullam ferrent, ad Regem admiſſus monitum diſſimulans Pontificis litteras reddit, quas oratione apta ſubſecutus mandata exponit: quorum ſumma fuit: *Fœdus & ſocietatem adverſus Turcam tam inferendi, quam propulſandi belli cum Pontifice & Venetis jungere ne gravaretur; eaque de cauſſa vel Legatos cum liberis mandatis Romam mitteret, vel idem negotium daret ſuis, quos Romæ habebat. Cæterum, quoniam rem ſuo ipſam molimine gravem aliquandiu extrahi neceſſe eſſet, Turcaque urgeret, Venetos mox faucibus preſſurus; interea imperet Præfectis ſuis, ut claſſem ex omnibus Italiæ locis in Siciliam contrahant, Pontificiæ & Venetorum claſſi præſidio futuram, quam illi ingentem, omnibuſque rebus inſtructiſſimam paratam habeant: nam præter longas naves, quarum numerum recenſuit, magnum onerariarum numerum coegiſſe, ad pedeſtres, equeſtres copias, & commeatus, ac reliquos belli apparatus tranſvehendos: quæ claſſes conjunctæ ex conſiliis & cœptis hoſtium conatus capiant. Ad hoc imperet Præſidibus Siciliæ & Neapolitani Regni, ut Venetos commeatibus, annona, ac cæteris in uſum claßis neceſſariis petentes juvent.*

Rex Pontificis ſollicitudine & pietate laudata, paucaque & modica de ſua in illum obſervantia, deque ſuo in Chriſtianam rem ſtudio, quam numquam opibus ſibi à Deo immortali largitis deſerturus ſit, præfatus; mora ad deliberandum, ut mos regius eſt, ſumpta, ſe reſponſum quamprimum daturum reſpondet. Poſteroque die per Internuncium Torrio demonſtrat, ſe Jo. Andreæ Auriæ illico imperaturum, ut voluntati Pontificis morem gerat. Idem ſe Præſidibus de neceſſariis rebus Venetorum claſſi ſuppeditandis juſſurum: quod utrumque fecit litteris cum enixis mandatis continuo ad ſingulos datis. Quod ad fœdus attinet, cupere ſe non

non minus hac in re, quam in cæteris voluntati Pontificis tanta præſertim pietate incenſæ morem gerere: verum rem eſſe in tantis bellorum occupationibus, quæ religionis cauſſa in primis ſuſtineat, magnæ ac longæ deliberationis. Cogitaturum ſe, & reſponſum brevi daturum, bonoque animo nuntium eſſe jubet. Poſtulata enim ſacroſancti Pontificis imperii vim ac majeſtatem apud ſe obtinere, monetque, ut interea cum Proceribus conſilii ſermonem conferat, ac rem animo verſent, & diſputationibus agitent.

Primus congreſſus fuit cum Didaco Spinoſa Cardinali, Principe regii conſilii, qui ſummum auctoritatis locum apud Regem obtinebat: cum eo multa diſſeruit Torrius, quamobrem non pium modo & honorificum, ſed utile quoque & neceſſarium eſſet Regi ad fœderis & belli conſilia animum adjicere. Nam, ſi libera eſſet Regi deliberatio, utrum ſeſe bello inter Venetos & Turcam conflato interponeret, tamquam in Venetorum caſibus nulla ipſius res ageretur, nihilque illorum excidium ipſum, aut Regna ipſius attingeret; illius tamen pietatis & animi magnitudinis eſſe, Pontifice præſertim enixe adhortante, ejuſque fidem implorante, laborantibus opem ferre, communi Chriſtianorum officio adductum; turpeque fore cum cæteris Regibus, & Chriſtianis Principibus, tum in primis ipſi Philippo in tanto imperio, tantiſque opibus, ejuſdem religionis neceſſitudine conjunctos homines, quorum Reſpublica Chriſtianis rebus magno præſidio & ornamento ſemper fuerit, in tantas anguſtias adductos deſeri; Chriſtianoque nomini tantam labem, Chriſtianis Principibus ſedentibus & inſpectantibus, inuri, ac Rempublicam aſſiduis damnis ſubinde carpi; Chriſtianique orbis fines quotidie imminui & coarctari. Verum nemini dubium eſſe; quin Turca non minus cæteris Chriſtianis Regnis, quam Venetorum ditionibus effrenata cupiditate immineat; neque minus perniciem illis machinetur: nullo enim privatim odio Venetis infenſum: quin contra, recenti fœdere cum ipſomet perſancte icto, nullaque re ab ipſis violato, cum illis conjunctum ambitione & inexplebili aliena rapiendi cupiditate inſtigatum arma illis inferre: cujus cupiditatis ſtimuli non magis illum in Venetos, quam in cæteros acuant; ſed proximum quemque priorem invadere, & ex illo ſibi ad cæteros viam munire. Venetis igitur domitis, Philippum ipſum, atque ipſius regna, quæ proxima ſint, petiturum. Quare non illud nunc agi, utrum ille à bello abſtineat, vel illo ſeſe oneret, ſed utrum ipſum ſolum, an Venetorum claſſibus adjutum adverſus Turcam belligerare ſatius ſit: ſapientius igitur eſſe Venetos & Philippum, cum ſuis ipſi per ſe viribus ſtare non poſſint, alternis innixos ſeſe à caſu mutuo ſuſtinere. Intellexiſſe id vafrum hoſtem; qui inſidiatus ſit, ac tempus captaverit, quo Philippum Granatenſi ac Flandrico diſtentum bello non putarit ad defenſionem quoque Venetorum ſuffecturum. Mirifice præterea Pontificis voluntatem & beneficentiam, quæ tot in rebus ipſi & ipſius regnis commodo & ornamento eſſe poſſit, morem gerendo ad ſe attrahere. Ad hoc ipſos Venetos magis obnoxios habiturum, ſocietatem cum illis jungendo tanto diſcrimine cervicibus impendente, quam ſi idem feciſſet eiſdem integris, & ab omni clade belli intactis; aut vero utriſque mutua ope egentibus: magiſque honorificum id etiam Regi fore. Tum enim neceſſitatem, & privata commoda, formidinemque excidii fœdus ab ipſo expreſſiſſe vulgo exiſtimaretur; nunc rem ipſius pietati, religioni, animi magnitudini omnes aſſignaturos. Magna igitur ipſius felicitate facultatem datam Regi neceſſitatem ad materiam gloriæ flectendi. Jam vero, ſi Veneti ſubſidiis Philippi deſerti in contentione ſuccubuerint, (quis autem utriuſque viribus penſatis non illos brevi caſuros videat?) illorum clades cum Philippo communes fore: quod ſi ſocietate illius fulti vincant, totam futuram penes Philippum gloriam: eum enim viciſſe exiſtimari, ſine cujus ope victor victus eſſet. Magnificum illud etiam Philippo & Regiæ Hiſpanienſi fore, eas videri fuiſſe ejus opes, eamque potentiam & majeſtatem, ut omnes, vel aperti aliquando illius hoſtes, vel diſſimulanter iniqui, ejus opis indiguerint, in eamque confugerint: quos omnes eadem Regia amplexa ab injuria defenderit. Ad hoc, ſi quis rem vere exiſtimare velit, tantum abeſſe, ut majoris ſe impenſæ neceſſitate oneret Rex, ut contra eas haud exigua ex parte levet: ſi enim Turca arma in ipſum vertat, quam rem Venetis ſubactis, ut diximus, nemini dubiam eſſe poſſe, augendam magno numero ipſi claſſem, atque infinito ſumptu tuendam: at Venetorum claſſe communito, illam ſufficere, quam ordinariam alat: ſummæ igitur nolle dicere inſcitiæ, ſed ſupinæ negligentiæ fore, occaſionem oblatam tanto ſeſe munimento ſepiendi prætermittere. At enim Venetorum perſeverantiam incertam & dubiam eſſe, hominum videlicet longa armorum deſuetudine à bellis abhorrentium, atque ad omnem auram ſpei pacis mobilium; quare facile ſit Turcæ illos, cum libuerit, à Rege abſtrahere quibuſcumque tolerabilibus conditionibus pacis oſtenſis, quas illi illico arripiant & ad ingenium redeant. Quæ una ſuſpicio cum conſilium in primis tardaret; multique ex Proceribus Regem pro ſe quiſque ſedulo monerent, etiam atque etiam caveret, ne publici boni ac pietatis ſpecie deceptus privatam ſibi perniciem conflaret, atque in præcipitem caſum temere demitteret; memoriaque repeterent ſuperius fœdus cum iiſdem Venetis & Pontifice adverſus eundem hoſtem icti, quod in ipſo initio Veneti deſeruerint. Me quoque, inquit Torrius, iſta moverent, ſi Venetis libera eſſent conſilia: ac niſi neceſſitas omnibus rebus prævalens me ſecurum illorum conſtantiæ faceret: illoſque indiſſolubili vinculo Regi adſtringeret. An illos tam deſipere putandum eſt, ut certam & ſtabilem amicitiam pii, fidelis, ac religioſi Regis, quæ una ipſos è manibus barbari hoſtis eripere poſſit, cum infida pace hominis, apud quem religionem, fidem, jusjurandum, pudorem nihil ſancti habere experti ſint, ſint commutaturi? quæ pax quid aliud tandem, quam ipſos præſidio Regis nudatos ſuperbiſſimi hoſtis pedibus proculcandos ſubjiceret? Cujus hoſtis profundam voraginem, vel ipſa Cypro ſine dimicatione cedendo haudquaquam ſe expleturos ſperare debeant; ſed potius impotentem libidinem ad alia ex aliis iniquiora poſtulanda, donec ipſos plane exinanierit, mollibus iſtis & imbellibus conſiliis provocaturos. Ad extrema ventum eſſe intelligunt Veneti; Turcæ perfidia omnem ſpem ſalutis pacatis & quietis conſiliis retinendæ prorſus abſcindente: ad extrema proinde deſcendendum, ſeque ſuæ ipſos ſalutis vindices armatos & omnia experientes eſſe oportere: quam ne à perdito & impio homine perpetuo precariam habeant, omni dimicatione aliquando enitendum. Neque Veneti vitio ingenii multis ab hinc annis, ſed temporibus coacti à cogitatione bellorum remoti fuerunt. Neque quod conſilii & ſapientiæ fuit, id ad ignaviæ interpretationem eſt revocandum: novæ enim res nova conſilia hominibus facere ſolent. Arma illi olim cum magna gloria tractarunt: converſa temporum ratio arma illis exuit; iterum in aliam partem converſa induet: ut omittam deſertionem ſuperioris ſocietatis non tam Venetorum ignaviæ, ac fugæ laboris, & periculorum, quam neceſſitati, annonæque ino-

piæ aſſignandam : quam Cæſar parens levare non potuerit, ipſomet Cæſare Venetorum factum haud magnopere improbante.

His atque ejuſmodi in eam ſententiam cum Torrius Regem & Proceres conſilii ſigillatim ſæpe conventos ad belli & ſocietatis coeundæ conſilia impellere conaretur, Orationem ad extremum ita concluſit, ut religionem Regi leniter injiceret: ſecumque Regem & Proceres reputare juberet, qui ſermones hominum eſſent futuri, ſi, cum Pontificii ſolii beneficio tam immanem pecuniarum vim è ſacerdotiis & ſacris locis eroget ad claſſem adverſus religionis hoſtes tuendam, (ſpecioſum enim hunc præferri titulum) eam Eccleſiæ laboranti tam duro illius tempore, ipſo Pontifice petente atque obteſtante, ſubtrahat.

Oratio ſententiæ Regis atque animi propenſioni congruens, facile illum & maximam conſilii partem commovebat. Cæterum obſtabat habitus animorum, quem in Proceribus à Pontifice tamquam parum Hiſpanienſibus rebus favente abhorrentem offendit. Cujus rei multa opponebant ſigna. Nam in bello Granatenſi, quod ipſis cervicibus immineat, nullum exſtitiſſe Pontificis officium; nullamque illum in tanta occaſione benevoli animi in Regem ſignificationem dediſſe; nulla umquam per nuncios aut litteras Regi dediſſe ſolatia, neque illius vicem ſollicitum ſe oſtendiſſe: numquam non modo illius pietatem & conſtantiam laudaſſe in tantis exantlandis laboribus, & ſubeundis diſcriminibus pro Chriſtiana re, quæ illius in primis virtute & opibus innixa ſtet; ſed ne quæ gereret quidem ſaltem approbaſſe. Jam vero multa à Pontifice quotidie manare ad jura & juriſdictionem Regiam tam in Regno Neapolitano & ditione Mediolanenſi, quam alibi imminuendam, aliudque ex alio diploma contra ipſum naſci: quæ omnia Regi gravia & acerba ſint. Poſtremo ſuperiorum Pontificum munificentiam perpetuo promptam & prolixam in Regem exſtitiſſe; idque rebus Regis minus aſperis, minuſque duris temporibus; at hujus Pontificis nullam Regem experiri benignitatem. Aſſiduis impendiis in religionem undique oppugnatam tuendam, ſanguineque quotidie mittendo exſanguia & enecta eſſe Regna ſua; nulla tamen ope Regem tantis circumſiſtentibus bellis ſuffocatum, tantiſque anguſtiis circumventum à Pontifice ſublevari; neque ea rogatum concedere Pontificem, quæ ultro deferre debeat; cum non minores Pontificis, atque adeo majores partes in religionis oppugnatoribus atque hoſtibus reprimendis, quam ipſius Regis agantur. Jus decumas à ſingulis carptim laribus parœciatim exigendi nullis precibus impetrare potuiſſe: conceſſam quidem ſocietatem crucis titulo inſignium; verum beneficium tot conditionibus adſtrictum & coarctatum, ut Regi plane inutile ſit. Æquum cenſere Pontificem, ut Rex novo, atque alio ex alio ſeſe oneret bello; ejus fidem, religionem, virtutem obteſtari; ſuperos & mortales ciere, ut adverſus communem hoſtem pia & juſta arma capere ne cunctetur. Cæterum unde pecunias eroget in tam immanes faciendos ſumptus, nihil ſane laborare: contra Regem ſeſe in ſacroſancta poteſtate fore dicere, (quem enim pium Regem conſilia ab Apoſtolaris ſolii auctoritate umquam ſeparaſſe?) ſed Pontificis ſapientiam, pietatem, liberalitatem implorare ac poſtulare, ut quantum in ipſo ſit, viam ſibi expediat tantas pedeſtres & navales copias alendi.

Hæc cum Proceres levius, aut acrius pro ſuo quiſque ingenio agerent, magni operis, magnæque contentionis fuit, illud vulnus ſanare; ut opiniones animis penitus inſidentes difficile evelluntur: cum omnia firmis rationibus refelleret Torrius; doceretque, grave ac ſincerum Pontificis ingenium, ac fucis & blanditiis minime aſſuefactum, ab omnique ejuſmodi artificio abhorrens inania iſta & futilia contemnere: illum rebus, non verbis ſemper Regi declaraturum, quem is gradum, quamque filii charitatem apud ſe obtineat; quanti ipſum faciat Pontifex, quantum in ejus virtute & conſtantia ponat. Non igitur ceſſationem Pontificis in eo officio, quod ille ſupervacuum ſemper putarit, mirari debere Regem. Id ſeſe omni aſſeveratione affirmare, cui ex diuturno uſu perſpecti ſint intimi Pontificis ſenſus: quæ vero à Pontifice mandata gravia Regi eſſe dicantur, ea non à malevolo animo, quo immo in Regem indulgentiſſimo utatur, ſed à ſtudio ſacerdotalis ac Pontificiæ juriſdictionis & auctoritatis propugnandæ proficiſci, ad quam lædendam ambitio & aſſentatio Regum Vicarios & Procuratores propenſos faciat. Qua de cauſſa Pontifici ſuccenſere, id & à ſapientia & ab animi magnitudine Regis eſſe in primis alienum: qui contra ſuſpicere debeat talem Pontificem juris & dignitatis ſacerdotalis retinentiſſimum: quem ab eo munere, cujus colendi cauſſa à Deo Eccleſiæ præfectus eſt, tuendo nulli neque terrores infringant, neque gratia flectat. Nam quod in comparatione ſuperiorum Pontificum parum benignus videatur: non ex ea re minorem ipſius indulgentiam in clariſſimum filium colligendum; ſed cogitandum aliam eſſe ſanctiſſimo ſeni, atque ab omni ſordium labe integro morum viam: qui damnatis largitionibus Regum gratiam non ſtudeat captare; neque Eccleſia prodenda cum magna Chriſtiani populi offenſione genti & cognatis ſuis opes & potentiam ſtruere; ſed divinum Numen ſemper in oculis habeat, ad ejuſque præſcriptum omnes cogitationes dirigat, ac præ mentis ſuæ conſcientia omnia levia putet. Neque vero beneficentiæ Pontificiæ provocandæ hanc eſſe aptam viam, qua occaſionem arripuiſſe videantur Philippici Proceres illum in ipſo articulo temporis adſtringendi, atque ad ſuas conditiones adducendi, veluti ſocietatis ſpem cauponantes. Indignationem iſta movere celſis & generoſis ingeniis, quale ſit in Pio. Libere & ſincere cum illo agendum, ejuſque voluntatem alacri & prompto obſequio demerendam. Id ſi faciant, recipere in ſe, Pontificem omnia cumulatius etiam, quam ipſi optent, facturum: tempus & melius cogitatam rationem ſcrupulum illum & religionem, quæ ejus animo inſederit, erepturum: poſtulataque omnia, leniter & reverenter Pontificis animum tractando, ſemper Regem impetraturum. Hæc atque ejuſmodi multa cum in eam ſententiam magna contentione diſputaret Torrius; nullumque inſtandi & urgendi finem faceret, pervicit tandem, ut Proceres illos ab inveterata opinione deduceret. Hocque præcipuum & maximum exſtitit legationis ipſius officium, quod animos exaſperatos, incommodis ſuſpicionibus plane exſtirpatis, magno bono publico in Pontificem firmavit. Quæ res non ita facilis fuiſſet alienigenæ homini; libertatemque orationis communis Patriæ neceſſitudo Proceribus & Regi ipſi gratam fecit, quam forte in extero haud patienter tuliſſent.

Multa ſunt Hiſpanorum in Chriſtianam Rempublicam omnium temporum merita; multa Regia Hiſpanienſis pro religione magna ac gravia bella ſuſcepit & geſſit; multos labores exhauſit; magnaque hominum & pecuniarum impendia perpetuo fecit in Sarracenis tota Europa expellendis, Africæque ora Chriſtianis littoribus perpetuo infeſta perdomanda ac pacanda. Ut nulli omnino genti majora ac plura beneficia quam Hiſpanicæ nationi Chriſtiana res debeat. In quibus illud eſt haudquaquam comparabile promeritum, quod Chriſtianum nomen anguſtis Herculei freti terminis antea

antea inclusum in ignotum ad eum diem, atque ab ipsis repertum orbem per vastissima maris ac terrarum spatia protulit; humanæque salutis religionem præsidem per immensa cæli climata late propagavit. Majorum suorum contestatæ pietati, atque animi magnitudini proximus fuit Philippus: cujus rei quam plurima ac varia in omni vita documenta dedit: sed nihil magnificentius, quam quod, cum duobus maximis & periculosissimis bellis (ut diximus) urgeretur, Flandrico, & Maurico; quorum alterum etiam Hispaniam in intimo sinu ureret, quæ res illum à sese novis negotiis implicando posset deterrere; tanta tamen in illo fuerit animi altitudo, tamque incensa in religionem studia, ut immensa mole novi ac longinqui belli sese onerare non dubitarit, quod tantam virium suarum partem tam procul à se esset abstracturum, ac potentissimum Principem sibi irritare non formidarit. Quare nuntio tandem respondet; sese, ut ipse, ac Majores sui semper fecerint, adversus communem hostem, Pontificis jussa facturum. Nec dictis, quam factis promptior, extemplo Granvelano, & Patieco Cardinalibus ditionis suæ hominibus, ac Joanni Sunicæ Legato suo apud Pontificem imperat, ut fœdus & societatem contra Turcam quibus conditionibus visum fuerit, ac quibuscumque in rebus Pontificis voluntati obsequendo, cum Pontifice ac Venetis jungant; in easque res amplissima ac libera mandata ad illos mittit. Quod si Philippi promptam voluntatem in mandatis dandis, Procuratorum alacritas in exsequendo mandata subsecuta fuisset, major fructus tantorum apparatuum percipi potuisset.

Interea in Italia inter Pontificem & Venetos de ratione belli gerendi magnis disputationibus actum est. Veneti enim sese iis conditionibus fœdus icturos dixerunt; in quas superioribus annis cum Carolo Philippi parente societas convenisset. Formam tantum summi Imperii præteritorum incommodorum memores mutatam voluerunt, neque absolutam omnium rerum potestatem penes unum tantum Ducem, sed penes tres classium Præfectos esse postularunt; sententiamque duorum in consiliis capiendis valere, quam is, qui titulum summi Ducis haberet, exsequeretur: summum autem Ducem à Pontifice creari verum esse: amare se quidem hanc Venetorum voluntatem & pietatem respondit Pontifex: cæterum rem per se ita perspicuam esse, ut nemini de ea controversiam inferre in mentem sit umquam venturum. Illud rem aliquandiu distinuit, cujus caussa litteræ ac nuntii ultro citroque sæpe commearunt. Nam Pontifex sese pecuniis ac reliquis opibus suis fœdus juvaturum dicebat, quam rem illi quoque subjectam fuisse à Philippi Procuratoribus, sunt, qui credant, majorem fore in imperando suam auctoritatem ratis, si in classe vexillum Pontificium non erigeretur, cujus majestati omnes cederent. Negantibus Venetis se à perpetuo suo more recessuros; neque fœdus ullum icturos, in quo non essent naves, vexilla, ac Præfectus Pontificius; sese illis morem gesturum Pontifex respondet; duodecimque triremes armaturum: summumque classis suæ Præfectum M. Antonium Columnam nominat, cui multis, iisque gravibus de caussis plurimum fidebat. Veneti, & exiguum numerum triremium conqueri, quæ, quemadmodum in priore fœdere, non pauciores triginta esse debebant; neque Columnam Præfectum probare Philippicarum partium hominem, peramplasque ditiones in illius Regnis possidentem, eumque locum illi homini mandandum contendere, qui libera fide ac neutro propendente animo utens, sententia nemini obnoxia controversias inter ipsos & Philippi Duces, si quæ suboriantur, pro communi amico transigat. Utrumque tenuit Pontifex, cum & numerum navium satis esse magnum diceret ad Præfectum creandum, & vexillum erigendum, neque M. Antonii suspectam fidem illis esse debere, quam sese præstaturum confirmat; cujusque hominis studia in Venetam Rempublicam, à qua antiquitus sit civitate donatus in Patriciorum corpus acceptus, egregia cognoverit. In potestate Pontificis Veneti tandem fuerunt: qui in Æde beati Petri tertio Idus Junias, qui dies divo Barnabæ tutelari insulæ Cypri festus est, sollemni ceremonia vexillum Pontificii solii M. Antonio tradidit. Ille è vestigio se Anconam confert, duodecimque triremes extemplo comparatæ & armatæ sunt, remigio undique conquisito, cujus partem Romani quoque Proceres ac pecunias in illorum stipendia conferre coacti sunt; alveis quoque navium à Venetis, nonnulloque nautarum & navalium sociorum numero stipendio Pontifici commodatis.

Dum Veneti toto Orbe Christiano bellum Turcæ concitant; dumque; Christiani consulendo, de conditionibus disceptando, nuntios ac litteras ultro citroque mittendo, aliusque alium exspectando, tempus terunt, interea Turca non parabat, sed gerebat bellum: quod primum in Dalmatia commisit, incursionibus, cædibus, rapinis, incendiis, agrum Ladræ urbi circumjectum pervastans, in quem major belli procella incubuit. Interea Pialis Bassa carinis navium ad Eubœam sartis & refectis, commeatibusque necessariis acceptis, è portu solvit, iterque Rhodum dirigit; atque in itinere cum Mustapha Bassa, & Ali, qui reliquas naves ducebant, se conjungit: qui omnes Rhodum Kalendis Junii appulerunt: quo etiam convenerunt omnes navium Præfecti, quorumque in navalibus rebus nomen apud Turcas notum erat, præter unum Uluzalim magni nominis piratam: qui littora Siciliæ eo tempore excursionibus ac prædationibus infesta faciebat. Is vir Calaber genere, à Turcis forte captus ac remo mancipatus, liber factus, Christianaque religione ejurata, ex humili & obscuro loco egregia audaciæ, fortitudinis, consilii documenta dando, meritorumque gradibus ad magnam amplitudinem, summumque in rebus maritimis locum tandem pervenerat.

Interea classis Veneta, quæ non dubitatur, quin si cursum statim in Cyprum intendisset, magnum aliquod operæ pretium factura fuerit; dum tardum Philippi auxilii adventum exspectans ad littora Dalmatiæ in ancoris inaniter terit tempus: & præclaras occasiones rei bene gerendæ corrupit, & morbis tentari cœpta est, qui ex mutatione cœli, aliisque caussis contracti copias in dies imminuebant. At Turcæ cum Rhodi tres dies fuissent, corporibus & animis refectis, è portu solventes iter Finicam dirigunt: quæ urbs est in ora Ciliciæ è regione Cypri insulæ: unde pedestres & equestres copiæ ad bellum destinatæ, quæ in eam urbem convenerant, bellicique apparatus & commeatus in Cyprum trajiciendi erant. Gliscebat interea vis morbi, quæ Venetam classem, dum in littoribus Dalmatiæ otio marcescit, ut diximus, invaserat: quæ non jam parvis damnis, ut primo, classem carpebat, sed funera catervatim pereuntium cumulabat, ut necessario in ea ora morandum diutius fuerit, ut absumptæ copiæ supplerentur. Verum cum vis morbi major in dies ingrueret, eaque ederet funera, quæ nullis supplementis sarciri possent, Præfectus cum assiduis nunciis & litteris Senatum diu fatigasset, ac docuisset, unum tantis malis ac pesti, quæ totam classem brevi esset absumptura, remedium esse, cæli mutationem atque exercitationem; tandem tribus post

menſibus, quos in portu Ladrenſi deſes contrivit, poteſtate diſcedendi ac porro ire pergendi à Senatu impetrata, pridie Idus Junias ſolvit, undecimque dierum navigatione Corcyram tenuit; atque ibi menſem commoratus, cum nihil vis morbi remitteret, remigiumque in dies minueretur, inde proficiſcitur, iterque in Cretam dirigit, remigium in itinere, ex inſulis Zacyntho, Cephalenia, Cythera, quæ *Cerigum* nunc vocatur, ſubinde ſupplendo, atque in itinere urbe Margariti fruſtra à Palavicino tentata eſt, cum ille enixis precibus diu multumque contendens non plus tres dies à Præfecto nullam moram ferente, quæ iter tardaret, ad rem conficiendam abſtuliſſet: quod inceptum non modo ſine fructu ullo, ſed magno etiam malo rebus fuit: nam milites languoribus, nauſea, jactatione maris vexatos, quorumque affectæ vires aliquot dierum quiete reficiendæ fuerant, novus inſuper additus labor confecit: cum paucis ante diebus Sebaſtianus Venerius Præſes Corcyræ Supotum arcem in littore Epiri felicius tentaſſet. Uſus enim opera & conſilio Emanuelis Mamurii civis Epidaurii, viri impigri & experientis, ac rerum Græcarum, illarumque regionum prudentis, Turcis inde dejectis, arce potitus eſt, cui eumdem Mamurium præfecit; cum etiam per eos fere dies Marcus Quirinus, quem in Cretam cum viginti quinque triremibus præmiſſum diximus, ex itinere Tenariam urbem expugnaſſet; arcemque paullo poſt, tormentis admotis, Turcis tradentibus recepiſſet.

Per eadem tempora Columna ipſemet operi inſiſtens, nihilque de ſumma contentione remittens, brevi ac præter omnium exſpectationem duodecim triremes armaverat, alveis navium à Venetis commodato, ut diximus, ſumptis: cum qua claſſe omnibus neceſſariis rebus affatim inſtructa è Piceno ſolvens octavo Idus Auguſtas Hydruntem appulit, ibique ſubſtitit, Auriam & Plilippicam claſſem exſpectans. At Præfectus Venetus cum in inſulam Cretam tandem perveniſſet, ibi claſſem Pontificiam atque Hiſpanam exſpectare conſtituit: quibus adjunctis, è veſtigio Cyprum, ac claſſem Turcicam peteret, cum eaque prælium committeret: quam unam victoriæ ſpem, unumque remedium ad illorum impetum refringendum Senatus, Pontifice pugnæ non minus cupido, ipſo quoque adhortante & inſtante, omni ratione ac quocumque loco in eam incidiſſet tentandam præceperat. Interea ipſe in claſſem exinanitam remigio, ſociiſque nauticis, aliiſque neceſſariis rebus ſupplendam omnes diligentiæ & induſtriæ nervos contendit.

Per idem tempus Pialis cum circiter dies viginti in portu Finicæ fuiſſet; omnibus, quæ belli uſus poſtulabat, tandem expeditis, prætorianiſque, quos Imperator Conſtantinopoli miſerat, in naves impoſitis, ad quartum Kalendas Julias cum tota claſſe ſolvit, quæ fuiſſe dicitur ducentarum viginti longarum navium, quarum centum ſexaginta triremes fuerunt, reliquæ minoris formæ roſtratæ, atque octoginta circiter onerariarum varii generis, variique nominis, ac modi: cum qua claſſe Kalendis Juliis littora Cypri inter urbem Limiſſum, ac promontorium, quod *Gatte* incolæ vocant, tenuit, Turcæque, exſcenſione in terram facta, opido ac nonnullis circumpoſitis pagis defenſoribus nudatis ignem injiciunt, circumjectumque agrum populationibus & incendiis pervaſtant: inde Salinas petunt, ibique nemine obſiſtente, copias, quas adduxerant, omnemque bellicum apparatum quinto Nonas Julias per otium in terram exponunt: quam rem magni certaminis crediderant fore. In quo Nicolai Danduli ſummi Præſidis inſignem culpam coargui à magnis viris ſæpe audivi, qui quanta negligentia & deſidia ante bellum in annona non providenda, nullaque re in uſum belli neceſſaria præparanda uſus eſt, non minorem ignaviam in bello gerendo adhibuit. Is igitur vir nullis precibus, aut obteſtationibus ab Aſtorre Balionio ſummo rei bellicæ, ut vocant, Gubernatore perpelli potuit, ut cum equitatu, quem haud contemnendum habebat (erant enim ad mille ducenti numero) ad littora occurreret; neque præclaram occaſionem omitteret, vel Turcas ab exſcenſu omnino prohibendi, vel certe magnam illorum partem de melioribus trucidandi. Verum timidus & humilis animus magnitudini ſplendidi conſilii, quod unum ſalutem expedire poterat, impar fuit: qua in re ne Eugenius quidem Sineliticus, Comes Rocaſii, Venetorum collateralis, qui magiſter equitum eo bello creatus, Balionio Famaguſtam in præſidium ejus urbis concedente, ſummæ bellicarum rerum præfectus Nicoſiæ relictus eſt, culpa liberandus eſt: qui cauſſatus Præſidem Dandulum, penes quem ſumma imperii eſſet, iter illud detrectare, ipſe quoque ire recuſavit. Denique Danduli ignavia & ſocordia ita inſignis fuit; ut primores tam Veneti, quam exteri ſecretis conſiliis inter ſe egerint de imperio & rerum adminiſtratione homini flagitioſo, qui deſidia ſua Rempublicam eſſet perditurus, auferenda; ipſoque comprehendendo, atque arcta cuſtodia conſtringendo: quam rem utique Savornianus, qua fuit fortitudine & fiducia vir, ob innocentiæ & virtutis conſcientiam, facturus fuiſſe creditur, ac coacturus profligatis moribus hominem ſe abdicare, aut recuſantem interfecturus: quæ res bono ac fortaſſe ſaluti rebus fuiſſet.

Igitur Muſtaphas regionis potens factus cum vallo ſe ac copias, quas habebat, communiſſet; non prius inde ſe movere conſtituit, quam reliquæ copiæ cum reliquo belli apparatu adveniſſent, ad quas tollendas Pialim cum centum triremibus ac nonnullis onerariis in Ciliciam, & Alim cum reliqua claſſe in Pamphiliam mittit. Ipſe interea aſſiduis incurſionibus interiora inſulæ penetrando, hominumque & pecorum prædas agendo, ac ferro & igni ubique graſſando, omnem circumjectam regionem late infeſtam facit. Quarum rerum nuntio Nicoſiam perlato, vehementer trepidatum eſt; ut nulla re tantæ adventanti moli ſuſtinendæ neceſſaria ſatis proviſa; cum etiam, ſe ſtipendio menſtruo parcere dictitans, Dandulus copias ex delectu dimiſiſſet. Itaque adventu Turcarum ipſorum exſpectatione celeriore perculſi æſtuare Dandulus, ac cæteri primores, raptimque omnia ac per tumultum agere; dimiſſas copias revocare, annonam, quantam in tantis temporis anguſtiis poſſent, in urbem convehere; edicto propoſito, ut quam quiſque importaſſet, eam ſuam ſibi haberet; opportuna loca ſtationibus firmare, munera inter Duces & milites partiri, aliaque quæ uſus belli poſtularet, expedire. In quibus rebus dum ſedula opera & cura verſantur, Monachus quidam à Turcis inter captivos repertus à Baſſa dimiſſus cum litteris ad Præſides datis in urbem venit, litteraſque reddit: quarum hæc fuit ſumma: *Regnum Cypri veteris juris Regiæ Sultanorum Memphiticorum eſſe: quæ cum in Turcarum ceſſerit Imperium, una cum illa Regnum quoque Ottomanicæ ditionis factum, illud ſeſe vindicatum veniſſe; ducentaque armatorum millia adduxiſſe, quibus copiis, atque adeo Ottomanicorum Regnorum opibus, quas omnes ſummus Imperator, ſi res poſtulet, eo miſſurus ſit, atque omnibus viribus connixurus, ne omnes quidem Chriſtiani Reges, ſi in unum vires ſuas conferant, pares eſſe poſſint; nedum Veneti tam exigua Europæ pars ab omnium ſocietate deſerti reſiſtant. Hortarique proinde, ac monere, proque veteri amicitiæ jure, quod illis cum*

cum celsissima Ottomanica domo intercedat, postulare, ut Regno injuste possesso maximo Imperatori, cujus nomen sit toti orbi terrarum, omnibusque gentibus formidolosum, cedant; insulaque libere & sine certamine excedant, integra tanti Imperatoris gratia & amicitia, quæ inter ipsos sincera fide sit perpetuo culta. Quod si tam sanis consiliis inanes species anteposuerint; tum vero omnes belli clades, omniaque exempla, quæ irati victores in captos edere soleant, exspectent: adscripseruntque sese spatium deliberandi ac respondendi usque ad dimidium mensem dare, accersita videlicet auxilia interea exspectantes.

Nonnihil certaminis hæ litteræ in consilio præbuerunt: nonnullis respondendum censentibus, vicit sententia negantium. Quod enim tandem esse consilium respondere superbissimo ac barbaro hosti; qui recenter conventorum fide violata, & jurisjurandi religione neglecta, injusta arma fœderatis & amicis inferens, verbis ultro illudat? quemque in tanta ac tam aperta perfidia juris mentionem facere non pudeat, omnis ipsum divini & humani juris perfractorem? Nam neque de jure cum illo disputandi locum esse, cujus rei non Bassæ, sed ipsius Imperatoris judicium sit; & per litteras illi supplicare, id tum sine ullo fructu fore, tum etiam nimis servile, atque os contumeliæ ultro offerentium videri. Non igitur tantam, tamque apertam injuriam verbis coarguendam, sed factis propulsandam.

Interea inter Turcas obvios prædas agentes, & equites ex urbe ad hostium res & consilia speculanda subinde missos levia prælia, ac Christianis secundiora committebantur. Cum nullum Turcæ populationum ac cædium finem facerent, incolæ pagi Lecpharis, quorum exemplum continuo nonnulli alii circumjecti pagi secuti sunt, sive veteris imperii tædio, parumque sincera in veteres Dominos fide, sive incendiorum & appropinquantis pestis metu, missis ad Bassam nunciis, sese in Turcarum ditionem tradunt, quos Bassa benigne acceptos incolumes & omni injuria intactos esse jubet; ingentibusque promissis oneratos inducit, ut reliquos Montanos ad exemplum suum imitandum iisdem præmiis invitent, qui cum imperata cupide fecissent, compluriumque fidem labefactassent: Præsides, ut Lecpharitanorum perfidiam ulciscerentur, simul, ut supplicii exemplo cæteros ab ejusmodi rebus tentandis & audendis deterrerent, gravique documento obedientiam sancirent, Cæsarem Tienium cum centum equitibus, sexcentis additis peditibus ex delectibus, quorum tamen fidem, uxorum ac liberorum pignore, quos in urbe relinquebant, auctoratam habebant, mittunt ad pagum delendum, dato mandato, ut quoscumque Lecpharitanorum comprehenderit, ejus ætatis, quæ sit armis ferendis, ad unum interficiat, imbecilloque sexui & ætati tantum parcat. Ille imperata impigre exsequitur: cumque nocte concubia ad pagum pervenisset, alto somno oppressos adortus ad unum omnes interficit; quorum numerus quadringentorum fuisse traditur; pagoque incenso, mulieres ac pueros abducit: qui in loca montana urbi propinqua distributi sunt. Lecpharitanorum casus cæterorum agrestium animos fregit, à novarumque rerum cogitatione abductos imperiis obedientissimos fecit.

At Pialis & Alis, cum quincto decimo Kalendas Augustas rediissent, advectasque copias, tormentaque, ac cæteros bellicos apparatus in terram exposuissent, primum omnium Ceraunaim urbem ad littus, quod Ciliciam & Septentrionem spectat, sitam, commeatibus ex continenti trajiciendis opportunam, præsidio Venetorum dejecto, primo adventu in suam potestatem redigunt: inde de ratione gerendi belli deliberant: certatum sententiis est. Nam Alis Famagustam, quæ urbs olim Salamina fuit, (nonnulli Tamassum fuisse contendunt) priorem petendam censebat: cum se munitionem illam inspexisse diceret: quam viginti summum diebus in potestatem venturam in se recipiebat. Illa urbe expugnata, maritimoque commercio adempto, omnem prorsus viam subsidiis intercludi: qua præcisa spe, Nicosiam per se casuram. Tenuit Mustaphas, ut à Nicosiæ oppugnatione bellum ordirentur, in cujus præsidio exiguas Italorum copias esse constaret, cujusque munitio, nondum perfectis operibus, longe infirmior quam Famagustæ sit: neque exspectandum, dum valido præsidio inducto, quæ res expedita Christianis sit, ipsis in Famagustæ oppugnatione occupatis, munimentisque ad effectum perductis, aggeribusque excitatis, ac fossis alte depressis, magna urbs inexpugnabilis fiat. Ad hoc in eam urbem omnem fere Regni nobilitatem convenisse; omnesque Regni opes, quæque cara homines habeant, congesta; ut cum Nicosia expugnata totum simul Regnum captum sit: caput igitur primum petendum, ex quo veluti in membra in Famagustam & in cætera loca virtus influat. Quare ita munera inter se partiti sunt, ut Pialis, qui numquam in terram descendit, in classe maneat, ac centum & triginta triremes bellatoribus atque omnibus necessariis rebus refertas paratas habeat, quas Christianæ classi, si illa Cyprum accesserit, opponat, nec fortunam pugnæ detrectet: qui etiam, ne improvisus deprehendatur, novem triremes in insulam Rhodum mittat; quæ ex propinquo consilia & conatus hostis speculentur, ac de omnibus Bassas subinde certiores faciant: Mustaphas terra res gerat.

Turcarum consilio cognito, Nicosiæ Præsides à Præsidibus Famagustæ per litteras postulant, ut, quoniam vim belli omnem in Nicosiam vertendam constet, in eaque urbe exiguum præsidium sit, neque ad Turcas omnibus viribus in illam incumbentes sustinendos validum, iique ipsi exiguo numero defensores morbis magna ex parte sint impliciti; copias, quas Famagustæ habeant, cum nullus in præsentia ibi sit illorum usus, unaque cum illis Balionium summum Ducem belli ad se mittere ne cunctentur; ipsumque Balionium litteris quoque ad illum datis accersunt; atque ut maturet, rogant. Nihil à Famagustanis varia excusantibus impetratum est, cum Balionius respondisset, non satis certum, aut exploratum esse, quam primam urbem petituri essent Turcæ, quorum morem eum esse constaret, ut ad aliam urbem se accessuros sermonibus differant, alio copias admoveant: ut securos atque incautos improviso adventu opprimant: atque ea cum ita sint, sese tamen imperata facturum, nisi ab alio imperio retineatur: seque Nicosiam collaturum, si à Famagustanis Præsidibus, quibus ipsis quoque parendum sit, dimittatur.

At Bassa, omnibus rebus comparatis & instructis; tormentisque & omni bellico apparatu præmisso, annonaque, quæ sit menstruo exercitus alimento, sumpta, profectione indicta, undecimo Kalendas Augustas movet, iterque Nicosiam intendit. Interea Nicosiæ omnis opera in defensionem instruendam conferebatur, recensæque sunt copiæ, quæ fuerunt Itali merentes mille quingenti, quorum multi morbis erant invalidi: ex insulanis delectibus tria millia, & opidanorum armatorum duo millia sexcenti: insulanorum partim publice, partim privatim conductorum duo millia centum; majorque hominum numerus scriptus fuisset, si facultas armandi fuisset. Nam ipsi quoque, qui

coacti sunt, gladiis carebant, hastilibus tantum armati; Epirotæ equites quingenti, ejusdem nationis pedites ducenti; bombardarum displosores insulani ducenti numero, Itali sexaginta; Proceres ac nobilitate insignes viri mille numero fuerunt: ut bellatorum numerus, quorum tamen nonnulli, ut diximus, morbis correpti erant, esset circiter undecim millium. Convenerant quoque in urbem Præsidum accersitu ad octo agrestium millia, quorum omnis usus erat in opere faciendo; mulieres, atque infirma ætas, omnisque imbellis multitudo fuerunt quinquaginta sex millia: ut mortalium fruges consumentium numerus esset omnino sex & septuaginta millium: cum, quam curam & diligentiam in providendo, comparando, instruendo virtus antea excitare non potuerat, eam nunc intempestivam extrema necessitas ac metus ultimi discriminis stimularent, ut quæ expedienda erant, non omnino negligenter administrarent, ad divinam opem exposcendam piorum more sese convertunt, cum sua sponte, tum Francisci Contareni Episcopi Paphi adhortationibus & concionibus commoti, assidue monentis & testantis, frustra spem excidii à se avertendi in humanis præsidiis & munimentis poni, nisi divini Numinis pro sceleribus ab ipsis aversi opem & misericordiam sibi concilient. Quare toti in religionem & preces versi jejuniis, supplicationibus, peccatis confitendis & detestandis, sacrificiisque, ac sacri Christi corporis communione, aliisque cælestis iræ placaminibus divini Numinis pacem exposcunt. Igitur noxis expiati, ac veluti certa fiducia divini auxilii erecti sese alacri animo ad hostes exspectandos parant. Qui septimo Kalendas Augustas ad urbem copias admovent, opidanosque in mœnibus per totum circuitum dispositos ac confertos, fiduciamque virium præferentes cernunt: acrique duarum horarum prælio inter ipsos & duorum signorum milites opido erumpentes dimicatum est: in quo Andreas Cortesius Epirota ordinum ductor fortiter dimicans cecidit, cum illum in medios hostes impetus animi tulisset; quos circumsistentes, in seque unum incumbentes, ac virtutem mirantes diu sustinuit; cum in cruribus tantummodo vulnera acciperet, reliquo corpore armis tecto: neque prius ad terram dejici potuit, quam equo suffosso.

Sed locus admonet, ut situm ac formam urbis Nicosiæ, simulque insulæ Cypri describamus. Est autem ea insula in mari Syriaco ducenta circiter passuum millia in longitudinem patens: latusque longitudinis dextrum Ciliciæ opponitur, sinistrum in Ægyptum versum est, sexaginta passuum millia ab utroque littore distans. Urbs autem Nicosia in media fere insula in plano sita est, exiguo illam interfluente amne, qui proprio nomine carens, communi Græco vocabulo *Potamus* appellatur. Forma urbis rotunda anguloso ambitu undecim circum prominentibus *belloarduis* pari intervallo inter se distantibus, ac fossa communita: quorum nomina sunt Podacatarum, quod Meridiem adversum habet; cui in orientem solem procedendo proximum est Constantia; post illud Davila; & deinceps cætera hoc ordine, Tripolis, Rocasium, Mula, Quirinum, Barbarum, Lauredanum, Hatrum, Carafa. Urbs tres habet portas: quarum quæ Salinarum nominatur, Meridiem spectans *belloarduis* Carafæ & Podacataro interjecta est. Trojanam alteram, quæ in occidentem solem vergit, Tripolis & Rocasium *belloardua* cingunt. Tertia, quæ citadellæ nominatur, inter *belloardua* Quirinum & Barbarum Septentrioni objicitur.

Cum copiæ duobus in locis consedissent, ad sanctam Marinam, & pene cœnobium sancti Georgii; situ urbis explorato, exercituque lustrato, qui fuisse dicitur peditum merentium quinquaginta millium, equitum duorum millium quingentorum, cum omnis multitudo ex calonibus, lixis, ac Procerum & primorum ministris, aliisque varii generis hominibus, quos spes prædæ in voluntariam militiam traxerat, ad centum millium numerum confecisse pro certo credita sit: urbem quadripartito invadere ac quatere constituunt, muneribus ita partitis: *belloarduum* Podacatarum Alexandro Bassæ quatiendum attribuitur: Davila Musafero, Tripolis Drevisio obvenerunt: Constantiam ipse Mustaphas Visir Ali adjuncto sibi suscipit: imperatumque est, ut, dum urbs ab ea parte quatitur & oppugnatur, singuli Bassæ de copiis sibi attributis centenos equites, totidemque pedites circummittant; qui urbem continenter circumeuntes prohibeant, ne qua subsidia, neve quod commeatus genus in illam introducatur. At obsessi in parte oppugnationi destinata omni ratione firmanda & communienda, omnem operam & curam ponunt, eique muri parti, quæ humilior erat, munitionem pectus tegentem nondum superpositam superstruere incipiunt: terram operi faciendo per portam ab ea parte aversam in urbem inducentes: à Balionioque per litteras & nuntios omnibus precibus iterum postulant, ut quoniam non jam dubia sint Turcarum consilia, cui urbi copias sint admoturi, sese quamprimum Nicosiam conferat: postulare id ab illo locum, quem teneat: ubi enim belli sedes sit, atque adeo quo omnis belli moles incubuerit, ibi quoque eum, qui summæ rerum præsit, esse debere. Nihilo magis eæ litteræ, quam superiores, (ignotum qua de causa) Balionium moverunt. Omni tam obsessorum quam obsidentium opera & cura in opere occupata, utrique assiduis sclopetorum ictibus se mutuo incessere; iis multi mortales quotidie vulnerari, exanimari & nonnulli; majore tamen obsessorum detrimento: quod paucitas obsessorum Turcas parum læderet, at multitudo obsidentium multos de medio tolleret: quare fiebat, ut qui erant in opere, præ crebris ictibus in mœnibus nondum summa munitione superstructa consistere non possent. At Turcæ, nullo impedimento tardante, opusque die ac nocte urgentes, aggeribus deinceps producendis fossæ paullatim appropinquare: jamque eo processerant, ut à crepidine non procul abessent: castellisque adversus belloardua, Podacatarum, Constantiam, Davilam, ac quidquid inter ea est muri, excitatis, alioque castello super ruinis sancti Georgii adversus belloarduum Tripolim exstructo, opposita mœnium loca, & belloardua continentibus ictibus à prima luce usque ad vesperum quatere instituunt, cum castella Turcarum vicissim ab obsessis verberarentur, Turcæque assiduo sagittarum jactu, quæ multum ignem alligatum ferebant, ipso motu majores flammas excitante, munitionem ex saccis bombice refertis, quam obsessi ab ea parte mœnium & belloarduorum duxerant, concremarunt, adversus quæ obsessi in quassatis locis murum introrsus retractum ducere incipiunt. At Turcæ, cum ad fossæ crepidinem pervenissent, muro illam sustinente perforato, fossamque ingressi belloardua multis in locis subruere incipiunt, cava ita ampla facientes, ut, qui erant in opere, illis tecti à latere vulnerari non possent; tutoque belloardua suffodere pergerent: brevique, cum suffodiendo veluti gradibus factis facilem adscensum in belloardua fecissent. Mustaphas, ut quid animi, quid virium haberent obsessi, periculum faceret, egregiam delectorum manum mittit, qui belloarduum Constantiam per simulatam speciem urbis justa oppugnatione aggrediendæ conscendere contendant; ac si

si fortuna aliquam facultatem det rei bene gerendæ, illa utantur. Idem facit Alexandriæ Bassa: mittitque, qui Podacatarum, quod illi attributum diximus, simili simulatione tentet. Imperata missi impigre exsequuntur; verum dispari eventu. Nam qui ad Podacatarum accesserunt, facile à defensoribus pugnæ paratis & intentis expulsi sunt: at, qui Constantiam tuebantur, neque animis, neque armis ad pugnam paratis, subita, nec opinata re perculsi locum deserere cœperunt. Qua re animadversa, Turcæ favorem fortunæ subsequentes haud exiguo numero munitionem ipsam pectus tegentem supergressi in urbem perrumpunt: procedebantque, obvios quosque vulnerando: quam rem conspicatus Bassa majoribus viribus occasionem adjuvare insistit; alios, atque alios deinceps submittendo, qui belloarduum conscendentes signum super illo statuunt: obstitit virtus Herculis Podacatari, & Andreæ Spelii ordinum ductoris, ac nonnullorum ex primoribus: qui eo accurrentes paventium fugam primo sistunt, deinde hortando & castigando illos in hostem convertunt; auxiliisque supervenientibus omnibus viribus connixi Turcas tandem avertunt, & de muro deturbant. Constans opinio fuit Bassàm, si ille vera, non simulata oppugnatione urbem tentasset, eo die illa potiturum fuisse.

Ea erat obsidionis ratio, ut continuis ac crebris bombardarum ictibus Turcæ turres ædificatas atque interiora urbis, contra obsessi exercitum incesserent: quibus multi utrimque quotidie exanimabantur: sed longe major erat Turcarum cadentium numerus, ut nullo inani ictu in confertos, plurimisque uno ictu cadentibus: qua una peste quinque illorum millia periisse constat. Erat tota res in munitionibus & operibus, quæ varii generis ad varios usus utrimque inchoata celerius è Turcis ad effectum perducebantur: cum illi die ac nocte in opere versarentur: obsessi vero ad ictus aperti à sagittarum veluti densa nube à Turcis assidue immissarum vulnerati in mœnibus consistere non possent, opusque desererent; vitandæque certissimæ pestis caussà, in sacris ædibus & privatis ædificiis laterent; nonnulli etiam in puteos & sepulcra se demitterent; ut ex quattuor operarum millibus vix mille in opere essent: omnia igitur lente fieri; neque inchoata opera perfici; neque murus introrsus retractus, in quo multo maxima erat defensionis spes, ad effectum perduci. At Turcæ à munitionibus suis ad belloardua urbis perpetuam viam ducere cœperunt: quam aggeribus quinque passuum latitudine, ut ab ictibus bombardarum penetrari non posset, utrimque muniebant ad eam altitudinem, quæ summa belloardua æquaret: cum neque eruptiones, quæ nonnumquam in operi intentos noctu ex urbe fiebant; neque ignes in illos die immissi illos ab opere removerent: magnaque in urbe erat omnium rerum confusio, variaque & incerta erant imperia: cum Dandulus, cujus virtute & consilio res regi debuerant, majestatem ignavia corrupisset; neque idcirco milites aut pro imperio posset coercere, aut verecundia continere, ne omnia illorum arbitrio & libidine administrarentur: qua re fiebat, ut in variis imperiis omnia temere & sine ratione fierent; sæpeque opera summo cum labore & periculo ad effectum adducta, tamquam non è ratione militari facta, essent diruenda, aliaque de integro facienda. Ad hoc, ut nulla re satis ante provisa, vini, lignorum, omniumque fere necessariarum rerum inopia laborari cœptum erat; ut vinum parce, ac non nisi in milites, eosque, qui arma ferebant, distribueretur. Qua re fiebat, ut qui erant in opere, cum assiduo labore, tum detracto vino viribus debilitatis; pueri quoque ac mulieres, ut quibus generoso vino assuetis potus aquæ insolens esset, tanta victus facta commutatione, alvi profluvio fere tentarentur. Quæ res coegerunt Præsides, ut per certum nuntium Balionium rem sæpe frustra tentatam accerserent: à quo enixis precibus contendunt, ne se atque urbem Regni caput, cujus ab excidio servandæ una sit in illius virtute & præsentia spes, deserat; sed ad se quam primum accedat: res enim, ut nemine, qui sit tanto oneri ferendo, moderante, in pessimam spem inclinatas esse, nisi ipse ad eas collapsas restituendas quamprimum veniat. Sine effectu ea quoque legatio fuit; non quidem Balionii retractatione: nam is justis precibus obsequi paratus fuerat: jamque re divina facta sese criminum confessione expiatum, sacra Eucharistia sumpta, itineri clam accinxerat, nullo commeatu à Præsidibus postulato; metu, ne, ut semper, denegaretur. Cæterum Præsides cum rem sensissent, hominem retinent; caussasque illius à se non dimittendi per litteras Præsidibus Nicosiensibus demonstrant. Nam Balionii adventum nihil aut parum res Nicosienses sublevaturum dicunt; contra discessum Famagustanas eversurum: milites enim clarissimis verbis denuntiare, sese una cum illo discessuros, neque sub alterius imperio futuros: populum quoque Deûm atque hominum fidem implorare, ac testari, si ab illo deserantur, se sibi consilium capturos, Turcisque se ultro tradituros; neque exspectaturos, ut à præsidio destituti, quod cum Balionio urbe excedere statuerit, ipsi Turcis trucidandi, urbsque diripienda & exscindenda projiciatur: longe majorem vim habuit ea legatio renuntiata ad animos Nicosiensium dejiciendos; quam id, quod in Præsidum litteris erat scriptum, ad illos erigendos: tria Turcarum millia, quæ prope à Famagusta sex passuum millibus consederant, noctis insidiis à Balionio circumventa ac deleta; duobus millibus ex illis interfectis, in quibus fuerunt duo haud obscuri nominis Sangiaci, signaque nonnulla capta. Solatium fuit in litteris, quæ per idem tempus à Præsidibus montanæ regionis acceptæ sunt: quibus cognitum est, ad centum mortalium millia in eos montes, ut in loca tuta se subduxisse, in quibus essent viginti millia armis ferendis; omniaque illorum in Rempublicam Venetam fidelium ac bene obedientium subjunctorum munera constare. Turcasque multis agminibus totam insulam incursionibus, populationibus, incendiis passim vastantes ab ipsis per varias occasiones excipi & trucidari, ac plus quingentos illorum à Joanne Sinclitico pluribus præliis interfectos. Igitur in urbe, cum bombardarum, scloporum, sagittarum assiduis ictibus non modo ii, qui erant in opere, sed milites quoque in belloarduis & stationibus quotidie vulnerarentur, multique ex vulneribus caderent; in primis vero à sagittis læderentur, quæ veluti densissimæ nubes à Turcis non modo recta regione, sed in sublime emissæ in capita confertorum militum decidentes ab ictibus superne venientibus haudquaquam tectorum, illos vulnerabant, ut in mœnibus & locis, quæ defendenda attributa erant, consisti non posset. Exaudiebantur quotidie militum ac ductorum querelæ frementium & indignantium, sese hoste numquam non modo tentato, sed ne prope quidem inspecto, ac nulla navata Reipublicæ opera, nulloque militari edito facinore, paullatim confici, nullamque facultatem dari saltem bene moriendi; neque se virorum more pugnando cadere, sed funerum tantum spectatores, eundemque casum exspectantes mœnibus inclusos veluti inertia pecora mactari; magnum ex tanta timoris significatione animum hostibus addi, ipsis contra imminui. Quin ipsos aliquando emitterent, ac bene gerendæ rei fortunam tentare permitterent. Quibus vocibus vi-

cti Præsides, etsi ab ejusmodi consilio perpetuo abhorruerant, paucitati copiarum parcentes, tanto tamen ardori indulgendum esse statuunt; modo id cum aliquo operæ pretio fiat. In se recipit Cæsar Tienius, cujus tota ea obsidione virtus & audacia in primis enituit, hostium bombardas configere. Probato consilio, duo peditum millia, & quadringentos equites Epirotas emitti placuit: reique gerendæ ratio ita composita est. Ipse Cæsar cum quattuor signis Italorum militum, ac duobus millibus ex delectibus, ad hoc tredecim urbanorum manipulis, qui singuli ex vicenis quinis armatis constarent, porta Salinarum exiens hastis submissis, ne erectæ prodant, per fossam ad Potamum accedat, quem ingressus usque ad veterem urbis portam pergat, copiasque secum ductas usque ad locum, qui est è regione belloardui Davilæ, dilatet; inde signum cæteris det, extemploque Gregorius Panteus ex belloarduo Constantia prodeat cum sexcentis armatis partim Italis, partim Græcis; amboque Duces ad castella Turcarum advolent, eaque invadant; quibus potiti, custodibusque obtruncatis, antequam Turcæ è castris subsidio accurrant, bombardas configant clavis, ac malleis secum allatis. Per idem tempus, signo edito, Hieronymus Calesius porta Traconæ cum equitibus prosiliens sanctam Marinam petat, ubi Turcæ tendebant: qui paratus & intentus Turcis subsidio accurrentibus sese opponat, illorumque impetum tardet; ac pro loco & re nata consilium capiat. Jussa impigre exsequitur Tienius: verum ordo compositæ rei maxime militum ac ductorum partis culpa turbatus est: nam, cum Tienius ad Potamum occultus pervenisset, multi ex Græcis, ut erant imperio Ducum soluti, munitionem Turcarum, quam ad fossæ crepidinem perductam diximus, temere invadunt: quam rem nonnulli ordinum ductores conspicati, imperii parum ipsi quoque metuentes idem faciunt, seu metu à consilio ad castella accedendi deterriti, seu indignati sese imperio Tienii subjectos; gloriamque præclari facinoris illis invidentes, manumque cum iis, qui erant in statione, conferunt: quæ res eos prodidit, Turcæque pugnam consertam è castris conspicati armis statim arreptis subsidio suis accurrunt: at Tienius nihil suorum defectione animo infractus, signo, quod convenerat, dato, fossamque veterem ingressus duobus ordinum ductoribus, qui illum non deseruerant, illorumque militibus comitantibus ad castella pervenit; quibus statim defensoribus expulsis, duas bombardas configit; omnes profecto confixurus, si occultus ad castella, antequam Turcæ è castris moverent, pervenisset: à quorum ingenti multitudine circumventus, cum signum edidisset; Calesiusque auxilio accurrere paratus jam se cum equitatu movisset, prohibitus est à Dandulo, affirmante nolle se ad peditum desperatam salutem equitum cladem addere; fuitque hoc in numero cæterorum Danduli dedecorum: non enim dubitatur, quin Tienius peste eripi potuerit, si equitatus in tempore advolasset. Quare Tienius à suis & à Præsidis ignavia proditus, capta castella defendens, ac fortiter dimicans, multisque editis incredibilis fortitudinis & audaciæ exemplis, cum præ lassitudine arma jam tenere non posset, interficitur: unaque cum illo Joannes Baptista Bertocius à Fano Fortunæ, & Comes Scotus ordinum ductores, nonnullique milites, à quibus desertus non est; cum reliqui multitudine accurrentium Turcarum perterriti fuga se pesti subtraxissent. De Turcis eo die ad mille cecidisse pro certo creditur; cum de Christianis non amplius octoginta desiderati sint: qui tamen utrasque copias æstimando, ac genus hominum amissorum, (fuerunt enim omnes delecti ex ipso copiarum robore: in primis vero tres strenui ac conspectæ virtutis & audaciæ ordinum ductores) majus se detrimentum accepisse, quam intulisse existimarunt. Quo damno perculsi Præsides nullis post eum diem precibus expugnari potuerunt, ut facultatem erumpendi cuique facerent, Epirotis equitibus, ac Randasio eorum Duce, magni nominis ac sæpe expertæ virtutis viro, vociferantibus, Deosque & homines obtestantibus, sese, quorum nullus usus intra mœnia sit, ab equestri opera, qua una valeant, Reipublicæ navanda prohiberi.

Dum ea ad Nicosiam geruntur, Pialis ne segne tempus tereret, sed quæ sui muneris essent, exsequeretur, cum centum triremibus ex tota classe delectis, quas omnibus necessariis rebus affatim instruxit, ex Salinis solvens Rhodum contendit, Christianorum rerum statum, ac Ducum consilia exploratum; simul occasionem, si quam dent Christianorum metus & conatus, rei bene gerendæ non omissurus. Cum ad insulam appulisset, substitit, ac quinque triremes minoris formæ in Cretam mittit; imperatque Præfecto, ut quæ plurima possit de Christiana classe omnibus vestigiis indagata ad se referat. Ille imperata impigre facit; Cretamque appulsus, exscensione in terram facta, quinque incolas capit: omnium sermo constitit, classem Venetam solam in Cretam applicuisse, ibique in portu stare mancam & debilitatam, militibusque, ac navalibus sociis & remigio exinanitam, omnemque Præfecti curam in accepta detrimenta sarcienda impendi, exspectari Hispaniensem classem: neque prius se moturam Venetam, quam illa secum conjuncta ipsa se refecerit. His satis exploratis, Pialis in Çyprum revertitur.

Per idem tempus Joannes Andreas Auria triremes regias, quotquot erant in Italiæ portubus, Messanam contraxerat. Ibi litteras Pontificis accipit, monentis & postulantis, ne tempus gerendarum rerum totum inane elabatur, porro pergere ire maturet, ac cum classe Veneta, & navibus suis, quæ tota æstate tanto cum suo detrimento sedentes eum præstolatæ sint, se conjungat. Negare Auria ulla se habere de ea re à Rege mandata; litterasque Regis proferre, in quibus erat scriptum, ut, quoniam pro comperto affirmaretur, præpotentem Turcicam classem eo anno è portubus exituram, sese Auria in Siciliam conferret, ac quot plurimas posset naves eo contraheret, cum quibus ad omnes Turcarum conatus paratus esset; ut Pontifici, qui per litteras & nuncios ea de re secum vehementer egerat, gratificaretur; si tamen res Tunetanæ aliaque vicina loca regia irruptionibus hostium opportuna, ut jam mandatum fuerat, justis præsidiis & apparatibus prius firmata essent. Quibus litteris affirmare, se non obscure prohiberi, ne procul ab insula Siciliæ abscedat, nedum imperetur, ut Orientem petat: sese igitur injussu Regis pedem ultra prolaturum negare. Hoc responso graviter exarsit Pontifex, majestatemque suam ludibrio esse vociferari. Neque mentiebatur, aut extrahebat Auria. Caussa erroris fuit, quod Torrio responsum fuerat, Regem Auriæ imperaturum, ut Pontificis voluntati obsequens sese cum Italicis triremibus, Pontificis & Venetorum caussa Messanam conferret. Id pro eo acceperat Torrius, & ita Pontifici scripserat, tamquam Auriæ mandasset Rex, ut jussis in omnibus pareret. Rem ad verba litterarum Auria interpretari: in quibus erat scritum, ut Pontificis honoris caussa, cui obsequendum sit, sese Messanam conferret, obsequium erga Pontificem non ad omnia, quæ mandare libuisset, pertinere, sed loco Messanæ terminari: novis igitur mandatis opus fuit. Quare Pontifex fremens tabellarium ad Torrium præcipiti cursu mittit; jubetque, ut Regem adeat, ac secundum jussum postulet.

ſtulet. Cui enim uſui claſſem in portubus Siciliæ deſidem ſibi, aut Venetis fore? Rex æqua poſtulare Pontificem fateri; erroremque Scribæ aſſignare: qui ſententiam ſuam, ut ſæpe fit, non ſatis perceperit. Dat igitur è veſtigio litteras ad Auriam, ut omnibus in rebus, ſine ulla retractatione, Pontificis juſſa faciat, illiusque Præfecto pareat; atque illum, quocumque is duxerit, ſequatur. Is ſive Scribæ, ſive alterius cujuſvis error fuit, menſem & dimidium rebus gerendis exemit. Auria mandato regio accepto, non prius duodecimo Calend. Septembr. è Meſſanæ portu movet; iterque ad Columnam, qui illum exſpectans ſubſtiterat Hydrunti, dirigit, quo non prius undevicesimo die, quam ſolvit, pervenit, variis rebus iter ejus tardantibus. Ibi Auria non ſolum Venetorum ſe, ſed totius Chriſtianæ Reipublicæ vicem angi ait, Venetorum claſſem pugnatoribus exinanitam, neque ſatis ad tanta imminentia diſcrimina firmatam; quam rem pro comperto cognoverit: ire tamen porro pergendum, ac cum Venetorum claſſem adepti fuerint, tum ſubjectam oculis rem certius & exploratius conſilium ſubjecturam: quod ut celerius & expeditius fiat, omittendas Inſulas interjectas, quæ crebris appulſibus morari iter poſſint: extraque eas curſum in Cretam dirigendum. Ita prorſus faciendum fateri Columna. Hydrunte igitur ſolventes ſecunda navigatione uſi tertio Kalendas Septembris in Cretam perveniunt; deque adventu ſuo Præfectum Venetum certiorem faciunt: qui extemplo illis cum quinquaginta triremibus in ſinu Amphimali, quem Sudæ portum nunc appellant, Kalend. Septembris obvius fuit; continuoque promiſſa flagitare, atque inſtare cœpit, ut conjunctis claſſibus, iter ſecum in Cyprum, & ad claſſem Turcicam intendant: quam adepti fortunam pugnæ, quæ una ſit ſalutis ſpes, experiantur. Columna ſuper ea re Proceribus trium claſſium in conſilium vocatis, ſingulorum ſententias, atque ipſius in primis Auriæ exquirit: qui ita locutus fertur: *Seriorem adventum meum à nonnullis pervelli audio: ego contra vereor, ne præproperus ac nimis tempeſtivus fuerim: nihil enim aut hic paratum, aut de ſtatu & conſiliis hoſtis cognitum & exploratum offendi: quibus duobus non ante proviſis, numquam ſapientes Duces ullam magnam rem aggreſſi ſunt: & tamen nos de hoſte adeundo, ac prælio committendo, tanquam maturum ſit, conſilia agitamus præpoſteri homines: nam comparare & neceſſaria expedire tempore & natura prius eſt; pugnare poſterius. Cum Veneti claſſem ſuam ſufficienti pugnantium numero, nauticis copiis, remigio ſuppleverint, quarum omnium rerum ſummam nunc illis eſſe inopiam audio, ſeque ad pugnam firmarint; cumque hoſtiles vires, & noſtræ exploratæ, & luſtratæ fuerint; tum deliberatio de fortuna pugnæ experienda, vel vitanda ſuccedet. In duas igitur res, quas dixi, in præſentia omnis cura & diligentia noſtra conferenda eſt: alterum fiet, viro aliquo impigro & experienti cum duabus expeditis triremibus è veſtigio mittendo; qui eo uſque procedat, ubi ſtatum rerum ac conſilia hoſtium inveſtiget, ac cognita & comperta referat: alterum, nihil de ſumma diligentia in rerum apparatu remittendo; ac claſſe Veneta & Philippica luſtranda, earumque vitiis cognoſcendis & corrigendis. Ego quas adduxi naves tibi, Columna, ac Venetis Ducibus veſtro arbitratu inſpiciendas præbere è veſtigio paratus ſum: idem me in Venetis triremibus facere verum eſt: noſtris & hoſtilibus viribus cognitis & inter ſe collatis; ſi non inferiores noſtræ apparuerint, tum in præclaro conſiliorum curſu cenſeo non eſſe cunctandum: ſi longa inferiores, non arbitror te, Columna, pro tua ſapientia, ac ne ipſos quidem Venetos, quorum tantam pugnandi voluntatem video, temere ſeſe, ac Rempublicam ſuam, atque adeo omnes Chriſtianas ſpes in præcipitem & irrevocabilem caſum velle demittere. Caute igitur ac graviter in tanta re, in qua decus, & exiſtimatio, atque adeo ſalus ipſa Chriſtianorum vertitur, agendum eſt: feſtinatio ac fervida conſilia improvida ſemper & cæca fuerunt.* Vera monere viſus Auria: duæ igitur triremes miſſæ ſunt: quibus imperatum eſt, ut quoad procedere poſſint, porro ire pergant, ac conſilia Turcarum, terreſtriumque & maritimarum rerum ſtatum, numerumque navium, ac quo in loco claſſis ſit, quidque animi habeant hoſtes, explorent, atque omnia diligenter indagata renuncient.

Interea in comparando omnia lente, neque pro ardore Ducum fiebant; cujus cauſſa erat parum ſincera inſulanorum fides, animuſque vetus imperium averſans: qui omnia ſegniter, negligenter, contumaciter adminiſtrantes, parumque dicto audientes, curam & diligentiam comparantium extrahebant, Auria increpante, monente, teſtante, ſi tempus gerendarum rerum interea labatur, ſe omnis culpæ exſortem, qui paratus, inſtructuſque venerit; ſed penes eos totam culpam fore, qui vel negligentia, vel penuria occaſiones corrumpant: monuitque Columnam per primores Philippicorum Procerum accelerarent Veneti: rationes enim Regis ſui ita ferre, ut non plus toto Octobri menſe vertente cum illis eſſe poſſit: quod ſatis ſufficiens ſpatium ipſi quoque Columnæ viſum eſt. Aſſidua funera, quæ ne in Creta quidem remiſerant, coegerunt Venetos claſſem ad numerum centum viginti triremium contrahere: Columnamque claſſem ſuam ipſam quoque affectam una triremi imminuere: ut ſic claſſis una & viginti triremibus minor, cum è Creta ſolvit, omnino eſſet centum ſeptuaginta triremium, undecim roſtratarum majoris formæ, unius myoparonis, ſeptem onerariarum, ad bellum tamen inſtructarum.

Interea triremes exploratum miſſæ cum Carpathum uſque proceſſiſſent, nonnulloſque ex incolis atque aliis Græcis, quibus ex propinquitate & aſſiduis commerciis res hoſtium notæ erant, quoſque Chriſtianis rebus favere cum religionis neceſſitudo, tum odium Turcici imperii perpetuo cogit, ſecum adduxerunt: qui conſtanter affirmarunt, hoſtem claſſem ad centum quinquaginta triremium numerum contraxiſſe. Claſſe tandem refecta, ac copiis quamquam nec genere, nec numero abſumptas æquantibus firmata ac luſtrata; Venetus inſtare profectionem, ac conſilium rei prælio committendæ urgere: ſeſe in officio & in illius poteſtate eſſe reſpondere Columna, neque detrectare; ſed tempus nimium proceſſiſſe, ac vereri, ne occaſio è manibus emiſſa ſit: proinde, ſi ipſis idem placeat, aliam ſe certioris ſpei rem aggrediendam cenſere. Re ad Venetum conſilium delata, variatum eſt ſententiis. Nam Palavicinus & Celſus Columnæ aſſentiebantur: tenuit Præfectus conſentiente Canalio, ut porro iri pergatur: omniaque fiant, ut hoſtis ad pugnam trahatur. Columna, re Auriæ demonſtrata, petit, ut ſuam ſententiam de tota re ſcripto dare ne gravetur. Morem geſſit haud retractanter Auria: qui jam inde exorſus, cum ſe primum Columnæ conjunxit, omnia, quæ adhuc acta erant, quæque ipſe monuerat, ſtrictim perſecutus, *Quamquam*, inquit, *quæ homines adducti de contracto numero navium referunt, iis omnino fidem non derogo; quod fortaſſe Turcæ ignari adventus noſtri ſe vel illo numero Venetis ſolis ſuperiores fore non ab re confidant; tamen auctoritas Græculorum & humilium hominum non ſatis mihi magna eſt ad tantam rem movendam. Duo omnino ad hoſtem petendum nos incitare poſſunt: Alterum eſt, error hoſtis, qui nos numquam tantam rem ac tanti diſcriminis moturos fuiſſe exiſtimans, niſi omnibus rebus vel ex ſupervacuo inſtructos; ac ſeſe contra copiis non ſatis paratum, neque ad tantum impetum excipiendum ſatis firmum*

mum sentiens, certamini se subtrahat, classemque in continentis portus, qui illi sub manum sunt, subducat: quod illi, vel post classem nostram conspectam, expeditum est; cujus motum propter impedimenta rostratarum ac claudicantium navium, quas trahimus, tardum esse, necesse est: quamquam (cum noster adventus ex quattuor triremibus ab ipso exploratum missis, quas Rhodum usque processisse constat, & ex ceteris speculatoribus circummissis, quorum nonnullos ad hanc usque insulam penetrasse constat, jam notus sit) verisimile sit illum in tanta classis nostræ propinquitate in speculis fore, ut nulla jam spes sit illum improviso deprehensum iri. Alterum est, si forte classis copiis, ac commeatibus, reliquisque necessariis belli apparatibus omnibus jam per otium trajectis, ac munere suo plane impleto, nullam esse caussam putet, cur se minime necessariæ Martis aleæ offerat, ac propterea domum repetat, classe nullis extraordinariis copiis firmata: quæ si incaute & improviso in nos ad pugnam præparatos incidat, haud desperandus sit felix aliquis effectus. Hæc duo, ut dixi, ad hostem adeundum nos hortari possunt. Ceterum utrumque ejusmodi est, ut neque postremi levissime fundata spes ullam certam effectus fiduciam præbeat; neque in priore ulla satis digna tanto labore ac tanto discrimine merces cupiditatem nostram magnopere inflammet. Hoste enim certamen detrectante, ad existimationem quidem ac decus nonnihil, ad fructum & ad summam belli nihil profectum fuerit. Neque enim idcirco Turcam Cypro excedere cogimus, aut à Nicosia abstrahimus. At contra si hostis nos exspectare constituat; quod illum facturum, nemini, cui illius superbia, & fastus notus sit, fore dubium credo; momento temporis, nulloque negotio triremes desertas iterum armare potest; tanta præsertim, ut in magna classe, administrorum copia: id quod ego pro diuturno usu navalium rerum possum affirmare: ut ne illud quidem dubitandum est, classem pugnatoribus refertam illum habiturum, copiis à terrestri Bassa ad rem tam necessariam ultro ac cupide delatis: quibus ille ad utramque rem, & urbis oppugnationem, & classis defensionem abundat. Cumque classem hostilem, Venetis ipsis non inficiantibus, constet esse centum septuaginta quinque triremium, ac viginti præterea minutiorum navigiorum, quæ remis agantur; ad hoc centum caramussalorum, decem mahonarum, atque octo onerariarum; Venetæ contra naves à copiis flagitiose sint imparatæ, (libere enim in re, qua omnia nostra continentur, agendum est) in quibus singulis cum classem lustravi, præter remigium, non plus octogenos homines inveni partim pugnatores, partim nauticos; non video qua ratione tam magnæ ac periculosæ pugnæ classem mihi creditam possim offerre; atque adeo in certam perniciem temere projicere: quod si aliquis porro ire pergendum censeat; consilio in utramque partem tuto, ut, aut si hostis se certamini subtrahat, nos decus illius fugati adipiscamur; aut si stet, neque certamen detrectet, nos nobis consulamus, atque in nostra nos recipiamus, tamquam utraque res nostri arbitrii sit; is longe fallitur: nam in fugando hoste decus tantum quæritur sine ullo fructu; at fugiendo præter certam ignominiam, cujus periculum nos magis movere debet, quam decoris inaniter fundata spes, illud damnum sit gravissimum, quod maximam classis partem amissuri sumus, etiam longe minore numero navium, quam nostra classis sit, nos insequente, compluribus, ut in magna classe, navibus claudicantibus. Ego igitur sic statuo sapientis consilii non esse, aliter Turcam adire, quam centenis bellatoribus, ut minimum, in singulas Venetas naves impositis, præter remigium, ac nautas, & ordinarios navales socios: in qua re expedienda summa ope laborandum censeo & obtestor. Quibus rebus ad effectum perductis, tum vero tantum abest, ut ab hoste adeundo abhorream, ut contra omnes horter atque obsecrem, ut, quod bene vertat, itineri nos statim dantes, corpora & animos ad decus, ad gloriam, ad opulentam prædam acuamus: teque testor, Columna, omissi certaminis culpam non penes eos fore, qui omnibus rebus classem instructissimam habentes, non parati modo ad pugnam fuerint, verum illam ultro flagitarint; sed penes eos, qui inopia omnium rerum bene procedentia consilia morati sint, ac studia & ardorem pugnare cupientium eluserint: illudque repeto, me mense vertente exacto, cum magno dolore occasionis tanti decoris omissæ iter retroversurum.

Contra ea M. Antonius differere: *Non adeo esse infirmam Christianam classem, vel cum iis ipsis, quas habeat tum, copiis, quæ nullo modo in præsentia augeri possint, ut à manu cum Turca conferenda abhorreat, atque ut numero & genere militum Turcas aliquanto superiores libeat fingere; Christianos contra multis rebus præstare, numero navium: ad hoc armis & pluteis tectos pugnaturos esse suos milites; majoreque vi bombardarum, tormentorum, ignium artificio compositorum esse instructos, quibus rebus vires pugnantium mire adjuventur: contra Turcas omnibus his rebus longe inaniores, nullis armis, aut pluteis tegentibus, nuda & patentia corpora ictibus Christianorum habituros: magnam vero felicis eventus spem facere Galeatias, quo præsidio Turcæ omnino careant: quæ reliquæ classi intermixtæ atque opportunis locis dispositæ instar munitarum arcium pugnantibus imminentes, creberrimisque ac supernis bombardarum majoris formæ ictibus, vel ipsæ solæ classem hostilem disjicere & profligare valeant: neque consilium esse in conspectum Turcarum venire, ut si ipsi certamini se offerant, Christiani, magna parte classis omissa, turpem retro repetant fugam; sed immo contra optare, ut is animus Turcis detur, ut prælio committendo materiam sibi tantæ speratæ gloriæ præbeant. Deinde quid turpius, quid nomini tantorum Principum, à quibus missi sint, deformius, quam tam exiguam virium suarum partem nolle iis discriminibus objicere, quibus Veneti offerre non dubitent eam classem, quæ duplo & amplius major sit, quaque ipsorum omnis res contineatur, omnesque spes innixæ stent? Postremo cum fœderis contra Turcam sanciendi jam inchoata sint consilia; è re Christiana non esse, timore tam parvæ & ambiguæ jacturæ, quam, ut maxime offendatur, Philippus & Pontifex facturi sint, Venetos à Pontifice & à Philippo Rege alienare; atque ad necessitatem amicitiæ Turcicæ appetendæ, ac societatis cum illis jungendæ adigere Christianorum auxilio desertos. Ac nos, inquit, perinde, quasi nostri consilii & arbitrii res sit, ac non Principum, à quibus missi sumus, imperio sit parendum, ita deliberamus. Instant assidue & urgent pro imperio Pontifex & Senatus Venetus, ut rem communi Marti decernendam demus, quod illi disertis verbis imperant, idem tibi Auria à Philippo mandatum puta; qui, ut vexillum & consilia Pontificis sequaris, imperavit. Non igitur ad decus modo, sed ad fidem quoque nostram pertinet; quam ignominiam detrectati certaminis fugiunt, eam nos illis non conflare. Non nostræ, sed Principum nostrorum hæ classes sunt, eas si vel in certam perniciem dare illis cordi esset, parendum tamen censerem; neque debere nos in alienis rebus majorem sapientiam, quam ii ipsi rerum domini, assumere. Verum non habet id vitii res; cum multa immo certam nobis, ut dixi, victoriæ spem faciant. Nostram fidem agi dixi, verius Principum ipsorum nostrorum dixissem. Polliciti sunt Pontifex & Philippus Venetis, non classes suas ad inane spectaculum mittere, sed auxilio mittere. Præclare vero fidem promissorum præstiterint, si pro eo ut illorum classes Venetis laborantibus opem ferant, etiam damno atque impedimento ad rem gerendam fuerint: quippe qui classes nostras totam æstatem exspectantes non modo tempus gerendarum rerum & occasiones prætermiserint, sed florentissimam classem, quam Turcis opponere potuissent, atque ita illorum cursum retardare, dum caussa nostra terunt tempus, corruperint. Quid? illud parvum est atque indignum, quod in consilium adhibeatur? nos, pro eo ut maculam per hos annos tot navalibus cladibus, quas aliam super aliam à Turcis acce-*

cepimus, Christiano nomini conceptam deleremus; videri huc venisse, ut insigniorem illam faceremus: quippe quod superiores clades paucorum Ducum vitiis assignari potuerunt; hic si offendimus, quo quidquid maritimarum opum Christianus Orbis habet, convenit, paucorum adhuc ignominia commune dedecus fiet: quibus numero navium, atque omni bellico apparatu superioribus ad Turcas prælio attingendos animus non suppetierit. Numero & multitudine copiarum nos superare Turcæ antea existimabantur; virtute, ac bellicis artibus, & militum robore inferiores, at posthac de virtute quoque illis concedamus licebit: ego ne, ut tantum flagitium admittam? scilicet tanta maris spatia emensi sumus, si manum cum Turcis conserere in animo non habemus, ut cladium Venetarum spectatores essemus; utque cum majore Christiani nominis infamia Cyprus nobis inspectantibus & sedentibus, Venetis adimeretur; atque hucusque processimus ad gratum spectaculum oculis fruendum. Mihi stat sententia, illud consilium sequi, quod decus, fama, existimatio, religio, officium, fides, voluntas, & imperium Principum mihi imponit: illudque prælium committere, quod Deum immortalem spero perfidia fœdifragi hominis commotum numine suo profligaturum.

Cui Auria, *Quid opus*, inquit, *est verbis? Tibi imperium datum est: mihi unæ relictæ sunt obsequii partes: quodcunque aggredi decreveris, id Deum volo fortunare: in eo fidelem ac fortasse non omnino segnem operam meam experieris: cujus rei vel ea sit fides, quod dextrum cornu ac primum agmen mihi deposco. Neque vero minus me desiderium, quam te, aut quemquam mortalium perfidi & arrogantissimi hostis contundendi tenet: neque, quod dixi, ad stabile & certum consilium tuum de hoste adeundo mutandum dixi; sed quærenti sententiam meam superbum fuisset reticere: vitiaque, quæ in classe Veneta animadverti, mihi indicanda fuerunt, quæ me à præclaro consilio exsequendo deterrent: illudque meum ad extremum teneo; si te satis paratum & instructum sentis, (de qua re illius est judicium, cujus est imperium) Deo bene juvante non esse cunctandum: si contra, (quod quidem mihi videtur) non esse conandum.* Igitur Pompejo Columna, atque Alvaro Bassano Marchione S. Crucis Neapolitanæ classis Præfecto assentientibus, cum Joannes Cardonius Sicularum triremium ductor cum Auriæ sententia staret, profectio decreta est.

Interea Nicosiæ post infelicem eruptionis exitum, quæ fuit decimo septimo Kal. Septemb. ea fuit belli gerendi ratio, ut Turcæ, cum facilem assensum sibi ad belloardua Constantiam & Podacatarum fecissent, eluderent potius, quam committerent pugnam, aut mœnia justa oppugnatione aggrederentur. Bis enim in die orto, & inclinato in vesperum sole, per binas horas levibus præliis obsessos tentabant, non tam expugnandæ urbis consilio, aut spe, quam ut obsessos assidue in armis haberent, lassitudineque & tædio ad deditionis necessitatem tandem adigerent: ad quam etiam litteris ad sagittas alligatis in urbem quotidie immissis, miscendo promissis minas, modo Præsides, modo populum adhortabantur. Postremo cum sub signis instructi stantes aliquos ex obsessis ad colloquium evocassent: ac jurejurando affirmassent Bassæ sese à capienda urbe ad eum diem abstinuisse, quæ res in ipsorum manu sit, quod tot mortalium capitibus, tantæque urbis excidio parcerent; addiderunt, ni pertinaciæ finem tandem obsessi faciant, se enimvero militum ardori indulgere, urbemque prædæ & direptioni dare coactum iri. Cum nihil minis movissent, tertio Kal. Septemb. quatuor belloardua multos dies ante quassata, summo propugnaculo pectus tegente decusso, eodem tempore aggrediuntur, acerrimaque fuit duarum horarum oppugnatio: quam tandem omittere nox coegit, quæque multa cæde Turcis constitit; cum de obsessis quoque nonnulli cecidissent. Ea oppugnatio opidanos ejus, quod sentire jampridem cœperant, certos plane fecit, sese tantæ dimicationi impares. Nam & ad summam paucitatem redacti erant, (cum ii, qui arma ferrent, non plus essent quinque millia) ut integri & recentes in fessorum & sauciorum locum succedere non possent; & ii ipsi diuturno labore confecti præ lassitudine vix arma sustinerent: accedebat, quod non omnes hæ copiæ pugnæ interesse poterant. Nam neque reliqua belloardua sine stationibus relinquenda erant; neque interjectus illis murus sine custodibus: quæ custodiæ in tam late patente urbis ambitu, totque belloarduorum numero dimidiam fere defensorum partem absumebant. Omnis igitur spes erat in adventu subsidii, & classis, quæ nusquam apparebat; Turcæque interea assiduis oppugnationibus modo levioribus, modo acrioribus obsessos urgere; non tam quod urbem se expugnaturos crederent, quam ut labor, qui eosdem in tanta paucitate assiduus urebat, & lassitudo confectos vinceret: despondissentque animos haud dubie obsessi, tot angustiis circumventi, ni spes adventus classis eos sustinuisset: quam ut alerent Præsides, cum Præfectis montanæ regionis agunt, ut signum conventum classis appulsæ extollant. Quod conspectum obsessorum animos à summa rerum desperatione ad bonam spem erexit; tantumque fuit, ac tam effusum omnium ætatum & omnis sexus gaudium, ut lætis acclamationibus omnia in urbe personarent; ac non milites modo, sed pueri quoque ac mulieres ex mœnibus procacibus verbis Turcis ultro illuderent, ignaviamque exprobrarent, nomenque Melitæ sæpe subjicerent, eundem exitum belli, eundemque ignominiæ plenum discessum ominantes. At Præsides, quibus nota res erat, animo angi, omniaque circumspectare, quomodo tantæ moli, cui impares essent, occurrerent. Quare, auxiliis à classe & à Famagustanis desperatis, ad id, quod unum reliquum erat, descendunt; petuntque à Præfectis montanæ regionis, ut, quoniam ad extrema ventum sit, urbsque defensoribus sit vacua, si Regni caput, ex quo omnis ipsorum ac totius insulæ salus suspensa sit, salvum velint, cum decem millibus ex omni numero armatorum, quos habeant, delectis subsidio properent venire: rationemque ac tempus ad urbem tuto accedendi, ac signum edendum illis demonstrant. Verum nuncius cum litteris interceptus est: Turcæque captam epistolam, quam non usitatis litteris, sed conventis notis exaratam interpretari nesciverant ejusmodi rerum rudes, sagittæ annexam simul cum litteris suis in urbem mittunt. Scribebat Bassa se misericordia à capienda urbe adhuc retentum, qua quoniam illos abuti videat, neque pertinaciæ finem facere, sese nisi deditionem se facturos extemplo spondeant, urbem diripiendam & exscindendam militibus daturum: nihil esse, quod subsidia aliunde exspectent, classe Veneta in Creta insula consistere coacta, pestilentia grassante, omnibusque fere militibus, nauticis sociis, remigibus assumptis, Philippoque Rege in se ac suis defendendis occupato; ad hoc copias Nicosiam obsidentes auctas mentitur, atque ad ducenta millia primo adducta novum centum millium supplementum additum.

Cum nullum responsum redderetur, Bassa, re, non verbis agendum statuens, pronunciari jubet, se eo die omnium virium connixu urbem tentare decrevisse: proinde ad pugnam, atque ad opera virorum fortium edenda corpora & animos parent: utque illos magis acueret, prædam captæ urbis militibus donat; ingentibus insuper præmiorum additis promissis, si cujus virtus & audacia in ea expugna-

gnatione enituisset: atque unam & vicesimam horam constituit, qua omnes copiæ ad castella & munitiones accedant. Cupide imperata facta sunt à militibus, spe prædæ & præmiorum accensis. Cum præstituta hora venisset; obsessi copias omnes castris motas ad munitiones tendere cernentes, rati Turcas Christianæ classis ac subsidii adventu tractos consilium solvendæ obsidionis cepisse; atque ideo constituisse urbem ultima oppugnatione tentare; ac propterea non dubitarent, quin illi summa omnia essent facturi, atque omnibus viribus connixuri; se ipsi quoque ad extremam dimicationem parant. At Turcæ omnibus rebus comparatis & instructis, signo invadendi à Bassa dato, ingenti clamore sublato quattuor belloardua oppugnationi destinata eodem tempore tanto impetu invadunt, cum postremi primos urgerent; ut primo connixu in summam munitionem pectus tegentem evaserint: qui non minoribus animis ab obsessis, quamquam corporibus affectis, excepti, cum res à sclopis & missilibus ad hastas & ad gladios venisset; tandem aversi ac postremo de munitione deturbati sunt: cum, Bassis in media mole pugnæ versantibus, suosque ad certamen accendentibus, atque in defessorum & sauciorum locum recentes & integros assidue submittentibus, oppugnationem sæpe integrassent. Nox pugnam ingentibus animis accensam tandem diremit; quæ cruenta in primis fuit, cum in singulis belloarduis centeni de obsessis occubuerint; longeque major Turcarum numerus ceciderit: luctuosior tamen is dies obsessis fuit. In ipso enim oppugnationis initio Comes Tripolis, cujus virtus tota ea obsidione conspecta in primis fuit, ex vulnere à sagitta in superioribus præliis in capite accepto decessit. Cum primores extremum discrimen imminens expavescerent; omnibus humanis auxiliis desperatis, in preces & in divini Numinis pacem exposcendam vertuntur, Episcopoque Paphi hortante, ac verba præeunte, populoque approbante, Magistratus Nicosiensium die Deiparæ Virginis natali sollemnibus verbis eidem Virgini Ædem vovit de pecunia à civibus corroganda.

At Mustaphas, cum extrema experiri decrevisset, iisque, quæ illi restabant, copiis de expugnatione desperaret; Piali & Ali, qui ad Salinas in ancoris stabant, per litteras & nuntios demonstrat, se Deûm benignitate & militum labore ac virtute eo rem perduxisse, ut obsessi se jam defendere non possint: ipsique Nicosia, si paullum modo annitantur, sint potituri: prostrata esse mœnia, propugnacula decussa, peramplum iter in urbem multis è partibus patefactum, obsessos continentibus cladibus magna ex parte absumptos, eosque, qui reliqui sint, vulneribus, continuatisque nocturnis & diurnis laboribus exsangues & confectos: unum esse, quod effectum moretur, paucitatem copiarum, quæ superioribus crebris præliis & oppugnationibus, quæ omnes cruentæ fuerint, varioque malorum genere perierint. Orat igitur ac postulat, ut supplementa sibi illico mittant, quæ, urbe ad primum illorum adventum expugnata, continuo illis se remissurum promittit: quam rem tuto illos facere posse nullo præsenti metu Christianæ classis; cujus ne nuntius quidem audiatur: aliter se enimvero cum magno summi Imperatoris ac Turcici nominis dedecore, magnaque cum ipsorum militantium ignominia, obsidionem solvere; irritoque incepto discedere coactum iri; totque labores inaniter in ea oppugnatione exsudatos fore; ac tantam pecuniarum & hominum impensam sine ullo fructu projectam.

Quamquam durum videbatur Bassis in suspecto Christianæ classis adventu, qui quando futurus esset, divinare nemo poterat, classem bellatoribus exinanitam habere, necessitate tamen adacti sunt voluntati Mustaphæ morem gerere. Itaque ex singulis triremibus centeni armati detracti sunt: quas copias ad viginti millia numero Alis ipse ad Mustapham adduxit. Quibus ille confirmatus, sexto Idus Septembris oppugnationem in insequentem diem instruit; imperatque ut omnes, cum dilucescere inceperit, castris vacuis relictis, cum armis in suis quisque ordinibus præsto sint; ingentiaque præmia & honorum gradus fortem operam edentibus proponit. Quos motus obsessi ex mœnibus cernentes vario erant animorum habitu: nam vulgus signis, quæ superioribus diebus conspexerant, lætum, classemque & subsidium appulisse credens, motus eos castra moventium & obsidionem solventium esse credere, inter seque gratulari: quam opinionem ita plerique animo penitus imbiberant, ut nonnulli tabernacula à Turcis convelli, & tentoria detendi, sese vidisse affirmarent. Cæterum quantum vulgi gaudium eminebat, tantum Primores animo angebantur, imbecillitatis suæ gnari, cum ad quattuor millia bellatorum redactos se scirent, in quibus quingenti tantum Itali superessent, cum duæ tertiæ partes varia peste periissent; hosque ipsos superstites haud exigua ex parte morbis correptos; omnes vero laboribus & vulneribus confectos; ad hoc introrsus retracto muro operarum inopia, imperiique contemptu numquam ad finem perducto. Quare omni ope, omnique spe destituti imminens excidium mœrentes exspectabant: suumque, ac civitatis fatum taciti lamentabantur.

At Turcæ nondum orto sole parati, ac sub signis instructi, ingentibus clamoribus sublatis, canentibus signis varii generis, magno impetu quattuor belloardua, Podacatarum, Constantiam, Davilam, Tripolim, eodem tempore aggrediuntur: quibusque belloarduum Podacatarum oppugnandum obvenit, cum defensores somno sepultos, omniaque eo in loco soluta & neglecta offendissent, sine ullo certamine belloarduum conscendunt, partemque defensorum obtruncant: reliqua pars strepitu excitata, fuga sese intra retractum introrsus murum quamvis nondum perfectum recipit; nonnullisque auxilio ex proximis locis accurrentibus, aliquandiu Turcarum impetum, qui una cum illis in retractiorem murum irruperant, sustinet. At Rocasius strepitu excitatus ex proxima domuncula, in qua cubabat, inermis prosiliens, dum fugientes sistere & ad pugnam convertere studet, parum pro se cautus sclopo ictus exanimatus est: cujus casu conspecto, ii, qui impetum Turcarum ad id tempus sustinuerant, pugna omissa, sese in fugam conjiciunt. At Dandulus, qui ad portam Salinarum in proximo cubabat, trepido nuncio accepto, hostes Podacataro potitos, domo prosilit, unaque cum eo Paphi Episcopus; equisque raptim conscensis reliqua belloardua circumeuntes partem præsidiorum ab illis detractam subsidio Podacatarum tuentibus mittunt. Cæterum serum auxilium fuit, hostibus belloarduo, ut dictum est, jam potitis: ad quod, strepitu exaudito, Pisanus & Polanus statim accurrunt, qui dum fugientes sistere & in pugnam convertere frustra nituntur, Pisanus & Paphi Episcopus cum sese urgentibus hostibus objecissent, fortiter dimicantes cadunt. Polanus turba fugientium ablatus sese periculo eripuit: at ad cætera belloardua diversa pugnæ fortuna erat, opidanis acriter resistentibus, Turcisque cum magna cæde ac multo sanguine ter repulsis, Cæterum Turcæ, qui Podacataro potiti fuerant, defensoribus in fugam conjectis, ad belloardua, ubi accensum erat prælium, accedunt; interioremque murum nemine prohibente in potestatem redigunt, cum opidani in exterius præ-

prælium omnes animis & corporibus versi essent; defensoresque in exteriorem hostem intentos à tergo & à lateribus aggrediuntur: qui ancipiti prælio impares, pugnam ad id tempus fortiter sustentatam omittere coguntur; ac per interioris muri intermissa spatia (non enim perfectus & continuatus erat) magno impetu connixi evadunt, in variasque urbis partes fuga dissipantur: opidanique pro se quisque privatas domos repetunt conjugum & liberorum charitate attracti, si qua illos pesti eripere possent. At Itali, quibus nullus erat liberorum & conjugum respectus, multis urbis locis, ut ad quæque se recipiendo pervenerant, quæ apta defensioni essent, sæpe constiterunt, pugnamque cum Turcis prementibus integrarunt; cum nonnulla detrimenta illis quoque intulissent. Cæterum cum urbem plenam hostium cernerent; omnesque non modo pedestres, sed equestres quoque copiæ per patefacta loca intrassent, postremique omnium Jannizzeri supervenissent: pugna tandem omissa se in forum recipiunt: quo Præfectus quoque cum Primoribus ac cæteris Italis, qui pugnæ superfuerant, convenerant. At opidani urbem in potestate hostium, nullamque reliquam spem cernentes, armis projectis uxores ac liberos, quæque chariores illis erant, secum habentes ad genua irruentium Turcarum provoluti illorum misericordiam suppliciter implorant: quorum lachrymis, miserabilique adspectu nihil immites Barbarorum animi inflexi, obvios quosque nulli ætati aut sexui parcentes trucidant. At Præses, iique, qui ex omnibus urbis partibus in forum se receperant, armaque tenebant, ad omnes aditus fori Turcis irruentibus acriter resistunt: pugnamque diutius sustinuissent, ni Bassa Alepi superveniens sex bombardas eo adduxisset, quibus defensores incessere incipit. Cui pesti, qua multi absumebantur, tandem Christiani se subtrahere coacti in prætorium se recipiunt: obseratisque foribus, cum Bassa Monachum quendam captivum ad Præsidem misisset, fide data, omnes, qui erant in ædibus, incolumes fore, si pertinaciæ finem fecissent, ac se in ipsius potestatem tradidissent; Præses, ac qui cum eo erant, armis abjectis, Monachum, ac cum eo certum hominem mittunt, qui deditionem faciat. Cæterum Turcæ, interea patefactis foribus, non exspectato dum Monachus legationem renuntiet, in prætorium irruentes omnes, qui in illo erant virilis sexus, cum eisque ipsum Præsidem obtruncant: multasque nobiles matronas, quæ eo ut in tutiorem locum confugerant, capiunt, captamque urbem diripiunt: nullumque inhumanæ crudelitatis, insatiabilis avaritiæ, fœdæ libidinis exemplum in miseros captos prætermissum est; omnibus nefandæ libidinis contumeliis in matronarum, virginum, ingenuorum puerorum corpora editis: neque ulla alia res cædium ac sanguinis finem fecit, quam hostium satietas & lassitudo; cum nullo ætatis delectu ii solum servarentur, quos redemptum iri magno sperabant.

Ita urbs magna & munita, nulla annonæ inopia urgente, nulloque commeatus ac bellici apparatus genere deficiente, brevi octo & quadraginta dierum oppugnatione per summum Christiani nominis dedecus capta est; quæ servari omnino, vel saltem obsidionem in longum tempus extrahere potuit, si satis valido militum præsidio firmata fuisset; aut hæc ipsa paucitas Ducem habuisset militaris rei gnarum; cujusque imperio & consilio res regerentur, ac bellica ratione administrarentur. Sunt qui Senatum Venetum, cæteroqui cautum ac providum, culpa omnino non liberent; negentque Venetos pro cætera ipsorum prudentia & vigilantia tantam rem gessisse: alii culpam omnem ad fortunam transferunt, quæ Venetorum diligentiam eluserit, Ducibus, antequam in Provinciam venirent, ac submissis copiis in itinere variis casibus sublatis. Nuncio Nicosiæ captæ Famagustam perlato, Præsides haud dubii, quin, quod unum opus belli restabat, omnis moles in Famagustam incubitura esset, omnia, quæ ad tantam in se intentam vim sustinendam pertinerent, providere & expedire instituunt. Quorum fuit primum, multitudine bello inutili prægravante urbem exonerare; quinque mortalium millibus, quæ ex circumjectis pagis in urbem confluxerant, emissis: qui à Turcis benigne & comiter excepti, domos suas inviolati dimissi sunt.

At Mustaphas, capta urbe duorum armatorum millium præsidio firmata, quibus præfecit Musaferum Bassam, copiis in supplementum evocatis ad classem cum Ali remissis, Nicosia movet: bombardisque omnibus, quas habebat, quasque Nicosiæ invenerat, (quæ fuerunt ad viginti quinque numero) convectis, quartis castris decimo Kal. Octobris Famagustam pervenit, cum prius maritima quoque classis appulsa esset; levibusque & crebris præliis in ipso adventu inter Turcas & Famagustanos urbe erumpentes certatum est, dum Turcæ formam & situm urbis, quæque loca opportuna oppugnantibus sunt, explorare contendunt. At Bassæ cum nihil explorati de Christiana classe ac de consiliis Christianorum haberent; eaque maxime cura illos sollicitaret; Caccialebinum impigrum piratam cum sex triremibus minoris formæ speculatum mittunt; mandantque, ut Cretam usque contendat, omniaque diligenter perquisita & explorata referat. Imperata impigre exsequitur Caccialebinus; qui cum Cretam tenuisset, lembum cepit cum quinque nautis: ex his cognoscit classes Christianas in insula Creta conjunctas stare, profectionemque in Cyprum omni ope parare. E vestigio revertitur Caccialebinus, captivosque coram Bassis statuit, ac quæ cognoverat, renuntiat. Dubii consilii res fuit. Nam Pialis à fortuna pugnæ subeunda abhorrebat, quæ sapientibus numquam nisi necessaria petenda esset: nullo esse impedimento affirmans Christianam classem rebus gerendis, quippe à qua ab aditu Cypri arceri non possint, quam insulam captam teneant: neque debere eos pœnitere rerum eo anno gestarum, ac gloriæ partæ: quam nihil esse, quod temere in novam & incertam aleam darent: quæ, si quid offensum sit, gloriam tantæ urbis captæ, tantæque insulæ in potestatem omnis fere redactæ corrumpat: verisimile esse Venetam classem à præteritis detrimentis & cladibus refectam, quæ aliter se itineri datura non fuerit: at Hispanam integram & recentem esse, ac florentibus copiis ut ad tantum imminens certamen refertam: moveri præterea magno corbitarum numero ac Galeatiis, quas secum habere dicantur, quæ triremibus adjunctæ infinitum momentum ad victoriam faciant: instar enim arcium esse longis & humilioribus navibus imminentium. Cæterum cessit auctoritati Mustaphæ & Alis, affirmantium, hæc quidem inter minutulos Regulos valere omnia utilitate metientes; at magno ipsorum Imperatori omnia ad dignitatem referenda, cujus ingentem fieri jacturam, si Christianæ classi ultro ipsos petenti cedant; certamenque oblatum devitent. Captivis igitur, ac cætera turba bello inutili, omnibusque impedimentis classe exonerata, triremes valido bellatorum numero firmat, omnibusque necessariis rebus ad prælium instruit, onerariisque ad Famagustam relictis, Limissum usque procedit; ibique Christianæ classis adventum exspectare constituit, haud dubie prælium commissurus.

Interea Christiana classis omnibus rebus tandem comparatis & instructis, decimo quinto Kal. Octobris

ex insula Creta solvens iter in Cyprum intenderat: ac, quamquam secundis ventis uno perpetuoque tenore uterentur, sensim tamen triremes procedere cogebantur onerarias, & naves longas exspectantes: quæ quamvis valido ac numquam intermittente flatu, ac tumidis semper velis impellebantur, non tamen cursum triremium remis, velisque contendentium æquare poterant, ut cursui moderari, ut diximus, cogerentur triremes; ac modo velis omnino dejectis, modo minoribus velis duntaxat in prora sublatis iter facere. In eo itinere simultates & offensiones inter Auriam, & Columnam, ac Venetos, ex studio utriusque contentionis jam inde ante profectionem ortæ, novis in horas suborientibus caussis, mire auctæ sunt: quarum inter cæteras una illa fuit, quod, cum solus Columna, Venetis Pontificiæ majestati concedentibus, insigne nocturni luminis in puppi prætoria gereret; Auria alterum in sua sustulit. Quam rem indignantibus Venetis ac frementibus nullo modo ferendam; precibus primo, ac cum illis non proficeret, pro imperio egit cum Auria Columna, ut insigne illud tolleret: dicto audiens non fuit Auria; non contumacia, sed necessitate ac metu subitarum procellarum sese id facere dictitans, illudque in Venetos & Columnam nonnihil contumeliosum addidit; desiderare sese in utrisque viris cæteroqui fortibus ac strenuis, majorem rerum nauticarum scientiam. Altera offensionum caussa gravissima illa fuit, ac nullo modo mihi prætereunda: nam cum classis Castello Rubeo appropinquasset, quod insula Cypro ducentis circiter millibus passuum distat, ventus, qui ad eum diem secundissimus uno perpetuoque tenore flaverat, variare cœpit, multisque mutationibus factis classem totum eum diem jactavit: qui cum tandem sub vesperum ad id signum, quod est inter Subsolanum & Eurum constitisset, adversusque classi flaret; Columna & Veneti sinum *Calamattam* populari sermone appellatum, quem sub manum habuerunt, subierunt. At Auria rerum maritimarum ac naturæ tempestatum longo usu peritus, cum naturam sinus considerasset, neque ibi tutam stationem esse intelligeret, consilium improbavit; satiusque esse duxit, adversæ tempestatis impetum, si qua ea nocte forte classem invasisset, in alto & libero mari, quod multiplices declinandi facultates daret, excipere, quam portu ventis multis ex partibus obnoxio inclusum urgenti tempestati cum periculo classis littori illidendæ ac perfringendæ frustra reluctari. Quam rem cum Columnæ per codicillos demonstrasset: perculit ea res vehementer Venetos, atque (ut irritati semel animi omnia ad suspicionem interpretando detorquent) occasionem ipsos deferendi adversam tempestatem ultro quærere Auriam palam ferre; qua coactus iter retro vertisse videri velit, sibique ab illo illudi clamare: neque ullo modo posthac illi fidendum dictitare. Fuere etiam qui eam suspicionem ad Regem ipsum extenderent, neque ejus injussu Auriam talia commissurum dicerent: sed tam turpi suspicione Regem non summa modo illius dignitas ac contestata pietas, sed res ipsa aperte liberat: cum Auria ad operam & consilia sua Regi probanda hoc facto, & ejusmodi multis, quæ postea scribemus, usus sit. Suo enim consilio & providentia cladem à Venetis & Pontificiis inscitia maritimarum rerum acceptam classem Regiam subterfugisse non immerito gloriatus est. Qua oratione utique adversus Regem ipsum uti non potuisset, si ea ipse Regis mandato fecisset.

In eo portu cum essent Veneti, eadem nocte triremes exploratum missæ redeunt, Nicosiamque ad quintum Idus Septembris à Turcis captam renunciant: lugubris nuntius ancipitem deliberationem Venetis ipsis inter se præbuit. Sebastianus enim Venerius Quæstor in Cyprum destinatus, Franciscus Diedus galeatiarum Præfectus, Marcus Quirinus sinus Hadriatici Præfectus, Sanctus Tronus triremium inviti remigii Præfectus, qui jus sententiæ in consilio dicendæ, non autem decernendi habebant, porro iter pergendum censebant: neque videre se ajebant, cur Nicosia capta consilia tantopere probata deberent mutari. Nam si Venetis omnis victoriæ, atque adeo salutis spes in navali eventu vertitur, cum terrestribus copiis tanto intervallo sint Turcis inferiores; eundem exitum, quem ante, post captam Nicosiam sperandum. Classe enim Turcica deleta, non modo cursum inchoatæ victoriæ Turcis inhiberi, sed certam perniciem illis conflari: nam maritimis commerciis ademptis, ac via commeatibus clausa, necessario Turcas in insula obsessos tandem fame consumptum iri. Quæ res ipsis sedentibus, sine ullo certamine, aut discrimine certam victoriam in manus sit datura. Eam in primis caussam ipsos in eum usque locum provexisse, quod classem à defensoribus vacuam, quos bellum terrestre à navibus abstraxerit, se offensuros sperarint; eam spem à Nicosia capta non modo non minui, sed etiam augeri. Multo enim ægrius ac difficilius milites à præmiis laborum petendis, quam ab ipsis laboribus exsudandis divelli; nullamque rem esse, quæ illos imperatoribus minus dicto audientes faciat, quam prædæ dulcedinem; cujus aviditas nullo imperio cohibeatur; quæ eos quoque, qui in classe remanserint, sit ad se attractura; nedum illi, qui prædam attrectant, ab ea possint divelli, & in classem compelli: hoc inter stultos & sapientes non in postremis interesse, quod stultis secunda quoque fortuna pravo usu & inscitia corrumpitur, ac vana evadit: at sapientes & gnari etiam adversas res & detrimenta ad utilitatem & fructum consilio flectunt.

Horum Oratio quamquam non absona vero videri poterat, non tamen à Præfecto, & Palavicino, ac Legatis in alteram partem propensis æquis auribus audita est: qui responderunt, in spem irritam se iter persecuturos. Turcas enim tantæ victoriæ lætitiam non corrupturos classem in dubium Martis eventum temere dando: qui etiam si ad consilium pugnandi descendant, numquam id illos, nisi certa & explorata victoriæ spe, facturos: neque inanem defensoribus classem offensuros se, sed tribus tanto amplius copiis, quam ipsi sint, iisque recenti victoria ferocibus firmatam: nam undecim jam dies à capta Nicosia præteriisse, præter eos, qui in itinere, quod restat, ponendi sint: quod spatium ad mille Nicosias exinaniendas satis fuerit. Quare milites præda ditatos, ac bello terrestri defunctos, nulla re ipsos morante, ad classem & ad secundam prædam sua sponte, vel sine Ducum jussu, alacres advolaturos. Vires igitur alio vertendas, ac, si videatur, Eubœam tentandam. Quam insulam non satis præsidio firmatam, cum florem bellatorum ab ea classem abstraxisse verisimile sit, facilem potitu sperandam. Acriter, sed frustra restiterunt Venerius, Diedus, Quirinus, Tronus sententiæ retinentes, ac contraria refellentes; vociferantesque ingens dedecus admitti, ac magnum flagitium fieri: neque Præfecto liberum de ea re consilium à Senatu permissum testantes, qui omnino pugnandum decreverit, contra ejus jussum illum facere, quem etiam atque etiam monent, videret, quemadmodum Venetiis se tanto crimini atque invidiæ eximeret. Quibus monitis spretis, Præfectus & cæteri ad prætoriam Pontificiam accedunt: quo omnes Proceres, atque Auria, qui se cum reliqua classe conjunxerat, ipse quoque convenerat. Ibi cum Præfectus Nicosiam captam demonstrasset, fatumque Venetorum aliquantum lamentatus

tatus esset: quæsivit ab illo Columna, quid igitur facere constituissent Veneti. Se enim ac Philippicos ipsorum caussa eatenus processisse, staturos eo, quod illi decrevissent: neque in se ullam moram, aut retractationem illorum consiliis fore: cui Præfectus, quoniam nulla jam subsit caussa ulterius ire pergendi, aliam se consiliorum rationem de consilii sententia inire decrevisse ait; ac retro iter repetere, Eubœamque, aut si qua alia loca opportuniora visa fuerint, tentare. Hic Auria ordine rogatus sententiam, nullam rem mutatam videre se ait, quæ mutet consilia; neque Nicosiam captam quidquam momenti ad prælium facere: quæ classem neque augeat, aut firmet, neque imminuat, atque imbecillam faciat. Se igitur in pristina manere sententia, si Veneti sentiant se ad tantum discrimen satis copiis & animo firmatos, præclarum consiliorum cursum non interrumpendum; si non satis instructi sint, id quod sibi videatur, abstinendum: hoc censuisse se semper & perpetuo censurum: consilium vero Eubœæ petendæ se magnopere improbare: nam magna cæde, neque exigua temporis jactura staturam ejus urbis oppugnationem: deinde, ut felix eventus sit, magnam militum partem partim absumpturam expugnationem, partim præsidium necessario relinquendum abstracturam: proinde periculum ingens in reditu fore classi Christianæ flore ac robore defensorum inaniori factæ ab hostili classe florente, atque omnibus rebus abundante, si in ipsam incidant; quod vitatu perdifficile sit. Postremo quod consilium tandem esse, eam urbem tentare, quæ expugnata à Christianis retineri non possit? Retractam enim eam penitus esse in Regna Turcica, quo factum iri, ut simulatque ipsi discesserint, à Turca circumsessa, omnibusque subsidiorum submittendorum viis interclusis, tandem in manus Turcarum recidat. Igitur rectius eandem operam, eosdemque labores in aliquam ex Dalmatiæ & Illyrici urbibus impensum iri: quæ capta, proximaque Philippicis & Venetis Provinciis, subsidiis ex propinquo securis teneri possit: neque porro ire pergendum, quod censebat Zanes, neque Eubœam tentandam Auriæ assentiens; nihilque præterea eo anno conandum multis de caussis censuit Columna; sed eandem, qua venerant, viam retro repetendam. Quæ sententia cum vicisset, die insequenti, qui fuit undecimo Kalendas Octobris, magnis conatibus, tantisque apparatibus nulla re gesta solvunt.

At postero die, qui fuit decimo Kalendas, cum insulæ Carpatho appropinquassent; quæ ab insula Creta septuaginta millia passuum distat intervallo, mare agitari cœptum est crebris ac validis procellis, quæ classem jactarunt ac disjecerunt, ut vela demittenda fuerint: Auriaque ab reliquis abscissus, cum sua quisque consilia ac suam fortunam sequeretur, sibique privatim consulere quisque cogeretur, remis pervicit, ut proxime à portu, quem vocant Tristani, terram teneret: qui postero die portum subiit, in quo usque ad octavum Kalendas substitit: quo tempore cum tempestatis desævientis signa apparerent, portum egreditur, Cretam petiturus, eodem quoque classes Pontificiam & Venetam iter intendisse ratus: verum valido adverso vento in portum iterum compulsus est: quem eodem die classes Pontificia & Veneta ipsæ quoque intrarunt: quæ varie jactatæ ac laceratæ, una etiam triremi Veneta vi sævientium fluctuum aperta & undis hausta, alterum insulæ latus tenuerant. His caussæ suspicionum & offensionum inter Venetos & Auriam auctæ sunt. Nam Auria, se, quoniam nullus jam usus ipsius ac classis Regiæ Venetis esset, quod bene verteret, discessurum dixit; neque prægravante multitudine illis oneri futurum. Veneti summa ope hominem retinere: quem enim divinare posse subitos casus? aut quem ipsos securos facere, ne Pialis successu tantæ rei elatus classe militibus ex supervacuo firmata, atque ipsis, si deserantur soli, numero quoque navium longarum superior, consilium ipsos insequendi capiat? atque integro, ac frequenti, longaque quiete refecto remigio connixus illos adeptus invadat? Illius solum nomen ad Pialis conatus compescendos valiturum. Cæterum nihil ea stabilem ac certam sententiam Auriæ mutarunt: qui respondit, ridiculum esse; adventum Pialis timere, quem ipsi tanto intervallo antecesserint; si modo tempus in portubus inutiliter non terant. Eodem enim vento illum, quo Venetos navigare necesse esse; neque eo anni tempore ullum esse remorum usum. Non se igitur vani periculi metu classem Regiam tantis discriminibus objecturum: nullum mare subitis ac sævis procellis Carpathio magis obnoxium: id inter omnes peritos rerum nauticarum constare: neque portus esse in illis littoribus tantæ classis capaces, quo sit ipsis in subitis tempestatibus tutum ac paratum perfugium. E re igitur non minus Venetorum, quam ipsius esse, classes separari; ut commodior sit navigatio, atque in adversis tempestatibus exploratior effugii spes. Veneti excusationem non accipere, ac fidem promissorum urgere: Palavicinus insuper præter exactum Octobrem, cujus adhuc aliquot dies superessent, illud quoque tempus Auriæ manendum cum Venetis contendere; quod, ducta ratione, si ad insulam Cyprum tum essent, in reditu usque ad eum locum ponendum esset: contra Auria sententiam retinere, ac societatem se illis suam pollicitum dicere necessariam ad gerendas res, quas tum moliebantur: nunc Venetos ipsos fidem suam liberasse, qui nihil eo anno jam aggredi decreverint. Quod si consilia mutare in animo habeant, ac novam aliquam rem tentare, tum vero se illos ope & societate sua non deserturum: in eam rem se fidem suam iterum obstringere; confidereque se, nullius operam acriorem, aut impigriorem illos sensuros: minime vero ad ullam rem ipsis utilem Regis classem; atque adeo ipsorum navigationi incommodam, contra Regis Philippi rebus in multas partes magno fortasse adjumento futuram velle retinere: hoc vero videri hominum esse haudquaquam parem voluntatem Regi suo reddentium. Illud etiam addidit; si Veneti in sua se è vestigio recipere in animum inducere possent; sese enimvero ad metum illis à classe Turcica adimendum postremo agmine ipsorum classem à longe insecuturum. Cum res ad dissidium spectaret, Columna hanc optimam viam ratus controversiæ dirimendæ, Auria seducto, *Si tecum*, inquit, *Auria, pro imperio egero, ut maneas, eris ne dicto audiens?* Multa in eam sententiam dicta sunt ab Auria, quamobrem, cum nulla vel pugnæ, vel alterius rei ingrediendæ causa subesset, libera sibi essent consilia: multa contra à Columna responsa: isque exitus sermonis fuit, ut animis jam pridem inter se parum æquis nova hac insuper contentione exacerbatis, cum nihil inter ipsos convenisset, discesserint: Columnaque & Veneti eodem die portum egressi iter in Cretam capiunt. At Auria cœli habitu notato cum imminentem tempestatem horreret, simul ut promissa faceret, eodem portu se tenuit. Parum processerant Veneti; cum valido Septentrione coorto conflictari cœpti sunt, quo quatuor dies retenti sunt, duabus Pontificiis triremibus laceratis. Tandem, cum ventus desævisset, iter continuarunt: cumque tandem Setiam tenuissent, incommodeque tanta classis in uno eodemque portu staret; Præfectus illam bipartitus, alteram partem portum Sudæ petere jubet, cum altera ipse Candiam contendit; portumque ingressus est, nonnullis triremibus extra relictis, quas,

quas, simulque eas, quæ Sudam petebant, acer Septentrio iterum invasit; qui, complures ex utroque agmine perfractas in terram ejecit. In eundem portum Auria, quamvis post Venetorum discessum Carpatho profectus, cum rectum cursum tenuisset, aliquanto ante pervenerat, qui cum tempestas quievisset, mensisque Octobris jam aliquot dies exiissent, commeatu à Columna & Venetis nihil retractantibus impetrato, discessit.

At Præfectus subsidium, quod Famagustam mitteretur, omni diligentia comparare & expedire instituit: quæ res cum propter multas impedimenta, tum propter Ducum ipsorum discordiam lente administrata est: cumque vis morbi, quæ numquam plane cessaverat, multos absumeret, hyemsque appropinquans urgeret; Præfectus parte classis ad necessaria belli Cypriaci in Creta relicta, cum reliqua classe Corcyram iter dirigit, Præsidibus Cretæ præparatum subsidium Famagustam mittere jussis; cujus importandi negotium, Marco Quirino & Ludovico Martinengo datum est. Moretusque Calaber præsidio Cretæ cum duobus armatorum millibus remansit. Inde classis solvens Corcyram petit, quo in portu morbi ex commercio vulgati, cum in Pontificiam quoque classem incubuissent, easdem in ea, quas in Venetis navibus, hominum strages edebant; ut M. Antonius inopia copiarum, quæ quotidie absumebantur, numerum navium ad quinque ex undecim redigere coactus sit; sex alveis, quos à Venetis commodato acceperat, illis redditis; qui cum omnia muneris sui officia Venetis cumulate persolvisset; ab illis discessit, ingentes gratias ipsi & Pontifici agentibus ob egregiam navatam operam, ac fidem, & constantiam ad extremum præstitam. Cæterum breve illud iter in Italiam ita infestum fuit, ut nemo in multorum annorum longissimis itineribus pluribus asperitatibus conflictatus, aut atrocioribus casibus jactatus fuerit; nullumque fuerit genus pestis à cœlo, à ventis, à tempestatibus, ab undis, ab igne, ab hominibus, cui prope non fuerit. Nam principio cum ad littora urbis Catari prope Acroceraunios montes in ancoris staret, abominati loci genium veteri fama celebratum re expertus est. Prætoria enim, in qua ipse erat, fulmine icta ignem concepit: quæ, incendio magno impetu per proxima quæque grassante, tota vestigio temporis conflagravit; cum M. Antonius signo è circumstantium manu erepto, sese, ac signum saltu appetenti ægre eripuisset: quo eodem die turris templi Vaticani fulmine & ipsa dejecta est: quæ res perculsis suspicione vulgi mentibus in locum magni ominis accepta est. Columna illis in locis octo dies tempestatibus retentus est: inde satis tranquillo mari, cœloque nullum mutationis signum dante, profectum subita atque atrox tempestas adorta est: ventusque in horas magis sæviens littora ac portum veteris Epidauri petere coegit, quem tamen tenere non potuit, valido adverso flante Euro repulsus. Quare auræ obsequi coactus ad littus prope novam Epidaurum, quæ nunc Ragusia appellatur, tria passuum millia delatus est: sed tantus fuit sævientis venti impetus, ut navem in terram ejecerit, carinamque sabuloso vado infixerit. Omnes igitur subito in sinum desilierunt; ibique quod reliquum fuit noctis cum magno prope accolentium Turcarum metu pernoctarunt. Quare luce orta, M. Antonius triremi ejecta incensa; ne prædæ Turcis relinqueretur, bombardisque onerariæ, quæ forte illi præsto fuit, impositis; ipse cum paucis iis, quos secum habuit, Ragusiam se recipit, comiter & benigne à civibus acceptus. Commodum discesserat M. Antonius, cum ingens Turcarum equitum ala eo venit: ut parvo momento, parvaque declinatione ex Barbarorum manibus elapsus sit; eadem fortuna illum toto eo itinere maximis discriminibus objiciente & eripiente: qui, cum tempestas desævisset, cum tribus triremibus, quæ ex tota classe omnino superfuerunt, in Italiam trajecit, ac pedestri itinere Romam se contulit.

At Pialis, cum Christiana classis nusquam appareret, tempusque anni multum jam processisset, eam jam non venturam conjiciens, inutiliterque se in Cypro morari intelligens; cum præsertim exercitus magna ex parte consumptus supplendus esset; duodecim triremibus in præsidium insulæ relictis, quibus Amates Rais præfectus est, Cypro solvit: qui cum Salinas appulisset; constantibusque nunciis cognovisset, Christianam classem, cum ad insulam pervenisset, captæ Nicosiæ nuntio accepto consilium mutasse, iterque retro extemplo repetisse nullis necessariis rebus ad tantum prælium satis instructam, iter ipse ad Christianos intendit; si forte ipse, cum se viribus superiorem existimaret, illos ad necessariam pugnam attrahere posset. Verum sine effectu conatus fuit, classe Christiana non inventa: quare iter Constantinopolim intendit.

At Mustaphas, qui in oppugnatione Famagustæ remanserat, oppugnationem in novum tempus differt. Nam hyems appetens minus idonea rebus gerendis erat; omnisque sine maritima classe irritus futurus labor: ad hoc milites, qui superfuerant, vulneribus confecti, ac laboribus debilitati quiete reficiendi erant: castra igitur procul ab urbe tria passuum millia retrahit. Qua re conspecta, Famagustani nulla mora facta ex urbe prosilientes castella excitata demoliuntur: quos in urbem revertentes Turcæ magno numero invadunt. Acriter utrimque per quinque horarum spatium pugnatum est, longe majore Turcarum detrimento: de quibus plus trecenti cecidisse dicuntur, longe plures vulnerati, ac viginti capti; cum de Christianis non plus decem ceciderint; quod detrimentum à Turcis in prælio acceptum alio damno cumulatum est. Ingens enim myoparo, in quo multa pretiosa vestis erat, multique primæ nobilitatis captivi, quæ omnia ex præda Nicosiæ redacta Mustaphas dono Imperatori mittebat; incendio sive fortuito, sive oblato à nobili matrona, (utrumque enim traditur) quæ se à tædio & ludibriis servitutis, vel horribili genere mortis redimere non expavit, miserabili spectaculo conflagravit.

At Famagustani acrem & vehementem oppugnationem primo tempore exspectantes, seseque tantæ incubituræ moli sustinendæ non esse intelligentes, Venetias subsidium postulatum mittere constituunt. Verum, cum magni discriminis iter esset, classe Turcica portus fauces insidente; Ragazzonus Venetus civis, urbisque Episcopus, caput suum communi saluti devovere non dubitavit. Quare triremi, quæ una Famagustæ erat, conscensa, silentio noctis è portu elapsus est; omnibusque itineris discriminibus superatis, Venetias incolumis pervenit: cum in itinere Præsides Cretæ statum Famagustæ, quantoque in periculo ea urbs esset, docuisset.

Hæ fuerunt hujus anni res gestæ; quæ annus Venetis terra marique infelicissimus ac luctuosus fuit. Nam terra Nicosiam, simulque totam Cyprum amiserunt, sola Famagusta retenta, sed ea in exigua spe, quippe à Turcis circumsessa, subsidiique via difficili & impedita: & mari majores clades à vi morbi & ab adversis tempestatibus acceperunt, quam ab hoste ipso accepissent justo prælio infelici eventu congressi: pro re enim comperta & explorata à multis affirmatur, non minus quadraginta mortalium millia consumpta; cum tota classis sæpe novis copiis, veteribus exstinctis, reparanda fuerit; compluresque naves ter toto remigio, ac maxi-

maxima parte navalium sociorum supplendæ; ut classis, quæ numero navium, frequentia, & robore virorum florentissima, omnibusque necessariis rebus instructissima ex portu exierat; numero longe imminuta, quassata, lacerata, omnibus rebus exinanita in portum redierit. Quibus rebus Venetiis cognitis, Senatorum animi cum tantis cladibus, cum lenta à triremibus regiis navata opera labare cœperunt, veluti lugubri initio bellum tractu durum, exitu infelix portendente. Qua re factum est, ut, qui bellum adversus Turcas alacres ad unum decrevissent, mutata ratione, ac priore illo ardore magna ex parte restincto, retractanter ad fœdus sanciendum perducti sint; compluribus ex Principibus Senatus acriter, ut inferius scribemus, resistentibus; cum nullus fructus sperandus videretur ex ea societate, quæ inter animos mutuo suspectos jungebatur; Philippoque & Proceribus parum explorata esset Venetorum constantia, contra Veneti non sincera fide Hispanos secum agere dubitarent.

VBERTI FOLIETAE,

PATRICII GENVENSIS,

DE SACRO FOEDERE IN SELIMVM

LIBER II.

At insequentis anni varia sors fuit; secundæque & adversæ res gaudium & luctum Venetis miscuerunt. Famagustam enim, totamque Cypri possessionem, ad hoc complures urbes Epiri & Dalmatiæ amissas, omnemque fere maritimam ditionem incendiis, ruinis, urbium excidiis, cædibus, populationibus deformatam & exinanitam gloria clarissimæ navalis victoriæ compensavit. Anni igitur initio ii, quibus in Creta negotium datum fuerat subsidii Famagustam submittendi, nulla mora interposita, octingentos ætate florentes ac virium robore insignes ex omnibus copiis, quas habebant, deligunt: ad hoc magnam bellicorum apparatuum atque omnis generis commeatuum vim comparant; omniaque in tres onerarias imponunt, sedecim triremibus in præsidium datis frequenti remigio, omnique necessariarum rerum copia firmatis. Quod subsidium ipsemet Hieronymus Quirinus summus Præses Cretæ ducendum sumpsit; cum verius fuisset, Sebastianum Venerium Legatum in Cyprum destinatum id munus obire, ni sonticus morbus in Creta illum retinuisset. Classis secunda navigatione usa octo dierum itinere in Cyprum incolumis pervenit; subsidiumque Famagustam introducit, Turcica classe, quæ in sinu Constantiæ in ancoris stabat, numero minor, sese Venetæ opponere, atque impari certamini offerre non satis tutum rata; quam Veneti, subsidio exposito, petunt, bombardisque incessere instituunt: cum terræ appropinquare non possent, ac vires ex propinquo conferre, continentibus multarum horarum ictibus tres naves demergunt: reliquæ novem, cum se tenebræ intendissent, imminenti ac certæ pesti fuga sese eripiunt. Quirinus subsidio Famagustam feliciter introducto, triremibus Turcicis in obsidionem relictis profligatis, duabusque Turcarum onerariis, quæ commeatus submissos ad exercitum vehebant, captis & incensis, aliquotque castellis & munimentis à Turcis circum Famagustam excitatis dejectis; animis Famagustanorum spe firmioris præsidii submittendi confirmatis, in Cretam revertitur.

Interea Veneti Zanem summum rerum maritimarum Præfectum spreti imperii reum fecerant; quod itinere retroverso à classe Turcica prælio petenda abstinuisset, quæ res summa mandatorum fuerat; comprehensumque, & imperio se abdicare coactum, atque in custodiam traditum caussam ex carcere dicere coegerant; quæ dum cognoscitur, peropportuna mors hominem judicio subtraxit: ante cujus obitum Veneti Sebastiano Venerio, quem in Cyprum Legatum destinatum in Creta sontica caussa substitisse diximus, summum imperium detulerunt. Erat quidem Venerius vir fortis ac strenuus, neque tanto muneri impar, rebus in hoc ipso bello gestis, urbibusque expugnatis clarus; tum autem manus cum Turca conserendæ in primis cupidus, quæ tum Venetiis summa votorum erat. Cæterum nonnihil offendebat iracundia pene præceps, ac percitus animus, & (quod magno malo semper rebus gerendis fuit) ad subita consilia rapidus. Temperandum igitur visum est præfervidum ingenium viri alicujus prudentia & gravitate, qui lenibus moribus, & ad Magnatum animos tractandos aptus, ferociæ moderator nimis se efferentem virtutem regeret. Additus est igitur illi tum primum inusitato antea exemplo collega, cujus auctoritas ordinariis Legatis longe emineret, Augustinus Barbaricus, magni animi ac consilii vir: quod sapiens consilium usus comprobavit; complura enim vulnera causæ imposita à Barbarico sanata sunt. Creati sunt ordinarii Legati, quos *Providitores* vocant, is ipse Hieronymus Quirinus recenti gloria subsidii Famagustam inducti conspectus, ac Zacharias Salomon. Igitur Venerius nuncio creationis suæ accepto, continuo triremi conscensa, sese Corcyram confert, ibique à Barbarico classem, quam Zanes superioris anni Præfectus illi tradiderat, accipit, ac, quæ ad bellum opportuna sunt, expedire insistit.

Per idem tempus Venetiis duæ ingentes onerariæ omni

omni genere commeatuum & bellicorum apparatuum, tum autem delectis bellatoribus refertæ subsidio Famagustæ comparatæ Nicolao Donato ducendæ datæ sunt: quæ cum in Cretam appulsæ essent; audissentque Turcicas classes jam Constantinopoli egressas omnia circa maria late tenere; neque esse in Cyprum tutum iter; substitit in portubus Cretæ, conatusque ille sine fructu fuit, cum non dubitetur, quin, si subsidium illud introductum fuisset, ea urbs à Venetis retineri potuerit. Neque culpa omnino liberatur Donatus, quod nimis supino errore lapsus interiora insulæ tenuerit; qui si exterius iter cepisset, Turcicæ classis metu liber incolumis Famagustam pervenire potuerit. Quæ res illi crimini & vitio data est: eaque de caussa Venetiis in illum capite anquisitum. Qui tamen cum ex carcere caussam dixisset, dimissus tandem est, sive gratia, sive quod crimen purgarit, culpa in alios translata; qui fere potentiorum in humiliores mos est, pravo usu, & judicantium adulatione gratiæ Principum serviente.

At Selimus, cum Venetos quamacerrimo bello urgere decrevisset, multis illos locis adoriendo illorum vires tamquam ad omnes conatus non suffecturas multifariam distrahere constituit. Quare Ahamati Bassæ Epirum & Dalmatiam vexandam attribuit; Halimque Præfectum rerum navalium in Cyprum cum supplementis & commeatibus mittit. Omnes imperata impigre exsequuntur. Ahamates enim, septuaginta armatorum millibus ex finitimis Regnis & Provinciis brevi contractis, ad Ulcinium maritimam urbem oræ Epiroticæ consedit; illudque arcta obsidione circumsessum tormentis dispositis multis ex partibus verberare instituit. At Halis cum quadraginta triremibus Constantinopoli egressus Chium perrexit: quo paullo post Mahumetes Eubœæ Præses appulit, parem navium longarum numerum, quas ex præsidiis insularum Ægæi, jussu Imperatoris, contraxerat, secum ducens; cum quibus mense Aprili profectus Cyprum contendit; sub cujus mensis finem Pertaus Bassa Visir cum reliqua classe Constantinopoli solvit; cum Pialis morbo sive vero, sive simulato navigare impediretur. Summum mandatum Imperatoris fuit, ne sese aliis negotiis magnopere implicaret; sed in quærenda Christiana classe, sive illa Venetorum dumtaxat, sive fœderatorum esset, omnem diligentiam poneret; adeptamque ad pugnam attrahere omni ope contenderet. Illud autem ad insignem memoriam hujus belli notatum est; ex Bassis Visiribus, qui omnino sex sunt, tres eodem tempore huic bello administrando præfuisse, Mustapham oppugnationi Famagustæ; Ahamatem rebus Epiroticis & Dalmaticis vexandis; Pertaum ad res consilio & auctoritate regendas classem conscendere jussum. Igitur Halis, cum in Cyprum pervenisset, quæque ad copias reficiendas necessaria subvexerat, in terram exposuisset, & aliquandiu cum Mustapha fuisset, dimidio Majo exacto solvens, ad sese cum Pertao & reliqua classe conjungendum profectus est, tribus & viginti triremibus sub Rapamate Præfecto in insulæ præsidium relictis, ac magno onerariarum varii generis numero. Relictis navibus, Mustaphas usus est iis copiis, quas partim Regia in supplementum submittebat; partim prædæ spes, quæ ex urbe Regni emporio opima sperabatur, ad voluntariam militiam magno numero attrahebat; commeatibusque ac bellicis apparatibus ex continenti transvehendis. Quæ omnia intentissima cura & magna celeritate administrabat metu Christianæ classis, cujus adventus intercludere iter trajicientibus posset.

Dum Turcæ bellum naviter gerunt, Christianaque res terrestribus ac navalibus cladibus ubique concutitur; Romæ interea societatis ineundæ consilia ingentibus certaminibus agitabantur, remque sua natura brevi transigi solitam in undecimum mensem extraxerunt contentiones, aliis ex aliis suborientibus caussis excitatæ, ut majoris prope molis, diuturniorisque certaminis apud Christianos sit societatem belli gerendi inire, quam bellum ipsum gerere. Quæ consilia jam inde à dimidio superiore anno inchoata usque ad hunc locum, quo perducta ad effectum sunt, scribere distuli; ut ex illis unum corpus continuatum contexerem; neque mihi ad varias res sæpe digredi coacto series crebro interrumpenda esset; resque legentibus in unam rem intentis, nullisque diverticulis animum avocantibus, facilior esset perceptu. Cæterum singula minute persequi non necesse habui: infinita enim res ac nullius fructus fuisset. Summam tantum majorum rerum ac controversarum perstringam. Nam, cum Philippus Antonio Perenotto, & Francisco Patieco Cardinalibus, ac Joanni Zunicæ Legato suo apud Pontificem; Senatus quoque Venetus Michaeli Soriano Legato item suo amplissima mandata (ut diximus) misissent de societate ineunda, Pontifex illis ad se convocatis, cum gravi & flebili oratione miserabilem Christianarum rerum statum deplorasset; Christianorumque socordiam & negligentiam aspera oratione perstrinxisset; quam imminens & ante oculos positus interitus non excitaret; nec animadverterent cæcæ mentes, Turcas immanem cupiditatem ad omnia Christianorum jampridem intendisse, quam tot alia ex aliis Christiana Regna capta satiare non possent; nec prius expletum iri immensam illam voraginem, quam omnia absorbuisset: addidissetque eas res cum animum suum perpetuo sollicitum & anxium habere, nullamque sibi nocturnæ, aut diurnæ quietis partem largiri; tum vero, nuntio accepto Cypri insulæ à Turcis invasæ, vehementer ingemuisse: eam enim esse insulam, cujus amissio cum per se magna sit, ac magni facienda, tum vero Christianis mentibus præ cæteris debeat esse lugubris; quod Græciæ & Constantinopolis via ad sacrum bellum, sacramque regionem recuperandam jam diu obsepta, hic, qui unus reliquus erat, aditus, ipse quoque intercludatur: hortatumque se proinde per litteras continuo, & nuncios Philippum Regem, & Venetos dixisset, quorum præsentius sit periculum, quod illorum Regna propiora & magis objecta Turcæ sint, ut sese nefariis conatibus opponere ne cunctarentur; gratiasque sese immortales Deo immortali agere addidisset, quod optimorum Principum religio, & virtus nullum ipsius admonitionibus & precibus locum reliquerit; idem se studium in reliquis Christianis Principibus, quorum omnium res agatur, inventurum confidere; quos non dubitet, quin, simulatque societatem initam cognoverint, ac rem serio agi intellexerint, consilia, & arma adversus communem hostem sint conjuncturi, ac pro se quisque partem laborum ac discriminum capessituri: se quidem in illis excitandis, nullum seduli parentis officium prætermissurum: quin etiam addidit, si ita res poscat, classem ipsum conscendere in animo habere, suoque ipsummet corpore in media pugna & discriminum mole versari. Hæc omnia cum graviter exposuisset; orationem ita conclusit, ut diceret, cum cæteri partes suas cumulate implerint, unum ad sanctum negotium perficiendum deesse, ipsorum Legatorum studium & officium. Quos gravibus verbis hortatus est, illorumque fidem obtestatus, ut ad Principum suorum pietatem & virtutem in pio consilio ad effectum perducendo, fide & diligentia sua sese conforment; inaniaque contentionum studia, quæ rem distinere possint, omittant; omnibusque curis & cogitationibus

tionibus suis in rem expediendam incumbant, magnam ex ea re, & à Deo immortali udituri gratiam, & apud homines laudem inventuri.

Secundum eam Orationem, conditiones fœderis scriptas edidit, quas utrique parti aptas pro studio communis parentis, quantum ipse ac sapientes viri, de quorum consilio illas composuerit, providere potuerint, composuisse dixit, longe melius, quæ è Principum suorum re sint, illos intelligere; proinde singula capita versarent animis, atque inter se, ac cum sex Cardinalibus, quibus negotium societatis transigendæ dederit, conferrent, sermonibusque & disputationibus agitarent. Ii fuerunt Joannes Moronus princeps Senatus, vir insigni prudentiæ fama, ac plurimo rerum usu, multisque in Rempublicam meritis, ac compluribus legationibus de maximis rebus semper cum laude obitis clarus, ad hoc castis & integris moribus, perpetuoque vitæ cursu jam inde à prima adolescentia continentissime actæ conspectus. * Collegæ additi sunt, Michael Bonellus cognomento Alexandrinus, sororis Pontificis nepos, Carolus Crassus, in cujus mox demortui locum Joannes Paulus ab Ecclesia suffectus est, Joannes Aldobrandinus, omnes ingenio & consilio præstantes viri. Colloquia igitur instituta sunt; cum Cardinales & Legati Principum quotidie in conclave Alexandrini in Vaticanum convenirent: facileque, & omnium consensu ad exemplum superioris fœderis Paulo tertio Pontifice Maximo initi, nullis annis definiri, sed perpetuum esse placuit. Nam neque tam incertos eventus certo tempore posse circumscribi; & omnem temporis definitionem, sive longam, sive brevem, damnosam fore: longam mali ominis ac populis prægravem diuturna tributa abominantibus, ad hoc Christianorum Turcæ subjunctorum ac defectionem spectantium spem infringere, atque animos debilitare: brevem hosti spiritus addere, ac Christianorum Principum studia consopire, temporis angustiis spem fructus præcidentibus. Facile item convenit, quibus ac quantis copiis administraretur Respublica: ducentæ enim naves longæ, quæ omnes triremes essent, omnibus rebus instructæ sufficere visæ sunt, atque onerariæ centum, peditum quinquaginta millia, equitum quattuor millia quingenti.

Hæc omnia ut facilia transactu fuerunt, ita disputatio de summo imperii loco diu tenuit. Nam cum singuli socii suæ quisque classis, ac copiarum suarum summum Præfectum creassent; Pontifex M. Antonium Columnam Pontifici multipliciter gratum & commendatum; Rex Joannem Austrium fratrem, recentis Granatensis belli confecti gloria fulgentem; Venetus Senatus Hieronymum Zanem, pari suffragii jure, ita ut duorum sententia valeret. Iis unus aliquis erat præficiendus, qui communiter decreta pro imperio exsequeretur, cuique omnes, ipsique summi Præfecti dicto audientes essent. Nominabantur complures, atque omnes fere Italiæ Principes. Quos tamen omnes cum generis nobilitate & vetustate, tum autem opibus, & finium amplitudine, lateque patente populorum dominatu Emanuel Philibertus Dux Sabaudiæ facile anteibat: quem præterea bellicarum rerum usu & scientia commendatum Pontifex nominavit: omnibus acceptus erat Sabaudius. Cæterum periculose Sabaudius à veteri ditione sua recenter recepta, eaque hominibus novarum sectarum æmulis circumfusa, ac rebus (ut in novo Regno) nondum stabilitis abfuturus erat: Gallia præterea finitima Provincia religionis caussa excitatis bellis civilibus ardente, atque Italiæ quieti imminente. Quare contendentibus Philippi Procuratoribus, negantibusque Joannem Austrium sine summa ipsius ac Regis fratris injuria prætermitti, datum est hoc & Regis gratiæ, & Regii generis altitudini omnem comparationem longe antecedenti. Itaque Austrius creatus est. Cæterum longe magis controversus fuit secundus locus Legati in Austrii absentis locum creandi: eam facultatem Philippi Procuratores ipsimet Austrio pro illius jure asserere. Perculit vehementer ejus rei mentio animum Pontificis & Venetorum, id agere credentium Philippicos, ut quod recta & aperta via non possent, id per has ambages assequerentur: ut vel Joannes Andreas Auria, quem maxime, ut sibi iniquum, quique tot signa animi ab ipsorum caussa & amicitia abhorrentis dedisset, abominabantur Veneti, vel Hispanus aliquis in summo imperio poneretur. Absuturum enim crebro à classe Austrium. Cum Philippici acriter in colloquiis pugnarent; in primisque Joannes Zunica Orator Philippi, insignemque contumeliam tanto Principi ac Regis fratri fieri contenderent, si potestas illi eriperetur suum locum, suumque munus, cui libuisset, mandandi; consultus Senatus Venetus, ne ipsemet cursum consiliorum retardaret, simul ne Philippum tam alieno tempore sibi irritaret, voluntati Regis se cessurum simulavit, totamque rem ad Pontificem rejecit, quem sciret sui juris retinentissimum; hancque unam existimavit expeditam viam Procuratores & obnoxios Philippo sine offensione excludendi. At Pontifex, *Illi vero*, inquit, *quod ad se attinet, viderint. Equidem citius mortem oppetiero, quam ut quidquam de sancti hujus solii jure, ac de Pontificia dignitate imminuam;* acresque ac vehementes litteras continuo ad Philippum dat: quibus demonstrat, jus summi imperii mandandi ipsius Pontificis esse; qui dignitatis primas, summumque in Christianis locum, non modo omnium populorum & Principum concessu, sed ab ipso immortali Deo mandatum habeat. Quare æquum fuisse, ut qui Pontificiæ classis Præfectus esset, idem quoque summum imperandi locum in classe fœderatorum obtineret. Se tamen augusto nomini Austrio, ac tanti Imperatoris filio, tantique Regis fratri, eum honorem habuisse: quem si à classe & à rebus gerendis abesse contingat; tum vero non passurum se, ut Legatus aliquis ab illo nominetur, aut res per Legatum administrentur; sed alium se summum Ducem in absentis locum suffecturum, quem jam nunc nominare in animo habeat: hanc sibi omnino stare sententiam, inanemque omnem operam sumi asseveranter affirmat, si quis ab ea sententia se deducere studeat. Quæ res si minus illi probetur, tum vero instituta de societate consilia plane rumpantur licere.

Hic apparuit aliam sæpe esse Procuratorum, aliam ipsorum Principum consiliorum viam; dum Procuratores operam suam nimis probare Principibus student, atque dignitatem Principum suorum quibuscumque in rebus nimium consectando, illis ipsis Principibus studio præcurrere volunt videri. Nam pius Rex, sese, ut in cæteris rebus semper fuerit, sic in hac quoque in sacrosancta potestate esse sine cunctatione respondit: tresque è vestigio nominavit, quos aptos tanto muneri se dixit judicare, ex quibus, qui Pontifici magis cordi esset, eum ipse, cujus fatebatur eas partes esse, vel Legatum, vel summum Ducem, vel quid magis liberet, crearet, Ludovicum Rechesentium, Joannem Andream Auriam, M. Antonium Columnam. Enimvero Pontifex Columnam illico nominavit; Regisque obsequium ita gratum habuit, ut veluti remunerans meritum, terrestre quoque, atque universum imperium, quod primo inter duos partiendum sermo fuerat, ad eundem Austrium detulerit, eodem Columna in eum quoque locum Austrio absente suffecto.

His rebus transactis, secuta sunt alia capita, quæ ingentia certamina præbuerunt. Nam Philippi Procuratores fœdus & societatem adversus Christiani

ſtiani nominis hoſtes ineundum defendebant. Qua re haud obſcure declarabant, ipſorum conſilia Africam ſpectare: acerrime reſiſtere Venetus; ac negare, eam cogitationem horum temporum eſſe. Quod enim periculum, aut quam moleſtiam ab imbellibus & ignavis Afris Chriſtiano Orbi impendere: qui uſque adeo omni facultate bellum aliis faciendi careant, ut contra ipſi omnium injuriis obnoxii ſint, prædæque cunctis adeuntibus expoſiti. Omnes igitur vires ſocietatis, omnemque vim belli in Cyprum, & in Regna Turcæ Orientis, eoque, ubi ſedem belli Turcæ fecerint, conferendam; idque in fœdere diſerte cavendum: ea de cauſſa Legatos & nuntios à Pontifice circummiſſos, omneſque ad arma contra Turcam capienda invitatos; ea de cauſſa, ſeſe huc congregatos, ac conſilia de ſocietate conjungenda inſtituta. Æqua illos defendere cenſuit Moronus. Sophum enim Chriſtianæ religionis expertem eſſe; adverſus quem, tantum abeſſe, ut quidquam à Chriſtianis moveatur, ut immo agendum cum eo ſit, ut in ſocietatem Turcæ perpetui hoſtis ſui ab altera parte bello perſequendi deſcendat: quæ res deſperanda non ſit. At certe adverſus eos Mahumetanos ſocietatem ſanciendam contendere Philippici, qui in fide Turcæ ſint, ejuſque partes ſequantur: Tripolimque, Tunetum, & Algerium nominarunt. Tum vero Venetus ſocietatem Venetis non auxilio, ſed damno, atque adeo excidio fore dictitare, ſi pro eo, ut ad ſua è faucibus Turcarum eripienda, ac Regnum Cypri retinendum opibus ſocietatis fulciantur, contra ipſorum quantæcumque tandem ſint opes ad aliena petenda avocentur: ac nudatæ defenſoribus Provinciæ, & ditiones ipſorum Orientis omnes Turcis ſine certamine occupandæ relinquantur. Deinde quid attinere præpoſtere agi? Turca enim contuſo ea opida per ſe caſura, illo ſtante ac vigente, fruſtra tentari. Retinere ſententiam Philippici, conſtanterque aſſeverare, niſi oppugnatio earum urbium fœdere includatur, nequidquam de fœdere agi, ad quod aliter Rex nunquam ſit deſcenſurus: idque cum æquum videri, tum neceſſarium quoque illi eſſe. Neque enim aliter Hiſpanis ſatisfieri poſſe, neque quieturam Hiſpaniam, aut tacitum laturam, ut, cum ipſa opibus ſuis maxima ex parte copias tueatur, tanta vis pecuniarum & hominum, nullo cum ſuo emolumento ab ipſa erogetur in exterorum uſus; ipſius contra commoda negligantur, ac de rebus Orientis ab ipſa procul remotis, quaſque ad ſe nihil pertinere putet, agatur; cum interea tria illa ulcera viſceribus hærentia, quibus aſſidue ipſa exedatur, prætermittantur. Cum nulla ſeſe ea de re ab Senatu habere mandata diceret Venetus, illa vero ex propinquo ſibi mittantur curaret, reſpondere Philippici: ſimulque alia vel gravior controverſiæ cauſa illata eſt; ſocietatem enim iniri non inferendi, ſed arcendi belli verius eſſe, dicebant Philippici: hic enimvero Venetus vociferari; eo poſtulato id agi, ut cæteri ſocii nullum onus ſentiant. Sufficere enim Philippo ad tuendas res ſuas, quas habeat claſſes; ipſi paullatim ingentibus & aſſiduis hominum, pecuniarum, claſſium faciendis impenſis exinaniantur. Multa autem imbelle conſilium incommoda habere: nam principio videri de virtute ac viribus Turcæ concedi, quem ſolum ipſi conjuncti attingere non audeant. Quæ res animos ſuorum ſit imminutura ac debilitatura; contra hoſtium mire auctura: deinde fore, ut ſine ulla ſpe lucri ipſi quotidie aliis atque aliis damnis carpantur; atque ad extremum ſua omnia abſumantur. Ad hoc ſpem Chriſtianorum deſeri, quæ nunc exſpectatione erecta ſtet: qui intolerando jugo preſſi, ſi ingentibus animis ac cum fiducia virium à fœderatis bellum geri viderint, haud dubie magnis motibus in Turcas ſint inſurrecturi. Quare ſocietatem magnis momentis tantorum auxiliorum privari. Audendum igitur, ac fortiter agendum, arrogantiamque Turcarum contundendam, quam Chriſtianorum patientia, ne dicat ſocordia, tam diu aluerit; armaque illis ultro inferenda; ut intelligant Turcæ non ſemper de alienis quærendis, ſed de ſuis quoque tuendis ſibi eſſe aliquando dimicandum.

Cum creſcerent certamina, omneſque acriter pro ſententia pugnarent, neque ulla ſpes brevis, aut facilis exitus oſtenderetur; Pontifex animo angi, ac vereri, ne aliæ ex aliis quotidie ſuborientes controverſiæ tempus gerendarum rerum, ut ſuperiore anno, eximerent: cum præſertim res interveniſſet, quæ Pontificem haud mediocriter commovit. Suſpecta eſſe Senatui Veneto jampridem cœperat Soriani non quidem fides, ſed nimia jungendi fœderis voluntas, multis indiciis deprehenſa: qua veriti, ne ſeſe auferri ſineret ad fœdus ſanciendum, aliqua ex præſcriptis conditionibus prætermiſſa, quæ rem tantopere expetitam diſtineret; collegam illi addiderunt Joannem Superantium, qui nimis properantem regeret. His malis unum eſſe remedium Philippi imperium Pontifex ratus, Pompejum Columnam virum præter bellicas artes, quibus apprime inſtructus fuit, ad res quoque civiles atque animos Principum tractandos in primis aptum, ad illum mittit; ac mandat, ut ſtatum rerum illum doceat; ac verbis ſuis demonſtret, ipſi quidem Pontifici illius pietatem, & virtutem, præſtanſque in tam juſta & pia cauſſa ſtudium, quod nullis ſtimulis egeat, perſpectum ac minime dubium eſſe: cæterum bonam iſtam mentem, niſi pares Procuratorum ſenſus comitentur, inutilem plane fore: proinde illis imperare ne gravetur, ne, controverſias alias ex aliis quotidie ſerendo, ſpem conceptam ſuam diutius fruſtrentur; ſed inanibus diſputationibus & captioſis præciſis, inchoata conſilia ad effectum perduci patiantur. Quod niſi ipſe fecerit, ac niſi illi ſedulo pareant; tum vero inſtituta colloquia dirimantur licere. Ad hoc, poſtulet, ut Cæſarem fratrem ad ſocietatem pii belli ſecum ac cum cæteris jungendam invitet & hortetur: quam rem ſi Philippus paullum modo annitatur, pro illius ſumma auctoritate impetraturum eſſe.

Pompejus cum magnis itineribus in Regiam veniſſet, mandata Pontificis exponit. Reſpondet Philippus, quantum ac quam incenſum ſuum ſit in pietatis & religionis cauſſa ſtudium, cum præteritæ vitæ perpetuum curſum, tum vero poſtremum hoc bellum Flandricum declarare; quo ſubjunctos ſuos religionis in primis cauſſa ab ipſo diffidentes perſequatur. Quod bellum magni & ancipitis eventus omnia Regna ſua immanibus & continentibus impendiis exhauriat: quibus parcere potuerit, ac cum ſubjunctis ſuis in gratia & charitate eſſe: illoſque bene obedientes, ac Provinciam pacatam, & tranquillam pacem agentem habere; ſi paullum modo illis de Eccleſiæ diſciplina remittere voluiſſet, atque aliquid in religionis cultu indulgere. Sed optare, ut divinum Numen vitam ipſam atque omnia ſibi prius adimat, quam optimum hunc & ſtabilem ſenſum à Majoribus ſuis traditum, quem uſque ad extremum ſpiritum vel omnibus Regnis ſuis profundendis retenturus ſit. Id bellum ſe ſe excuſare potuiſſe à nova ſe ſocietate alligando: omneſque ſibi æquis animis fuiſſe daturos, ſi tanto bello implicitus nova ac tanta ſeſe mole onerare noluiſſet. Cæterum religionis ſtudium omnibus reſpectibus præponderaſſe: hocque ſe pietatis ſuæ cumulatum munus, & divino Numini, & Pontificis gratiæ ac voluntati, quam hac in re in illo tantam videat, perſoluturum: cujus Pontificis adhortationes divinorum monitorum ſanctitatem apud ſe obtineant. Quod ne verbis tantummodo facere videatur, ſeſe jam præter triremium claſſem, quæ præ-

præsto sit; magnam onerariarum ac corbitarum vim multis ex locis corrogasse, præterea decem Germanorum millia, atque octo Hispanorum, totidemque Italorum in usum hujus belli scribi jussisse: Joannemque fratrem quamprimum in Italiam missurum; imperaturumque, ut copiis acceptis ac classibus sociorum conjunctis, in bello acriter atque impigre gerendo nihil de summa contentione remittat. Quod Procuratores sui, rem inutilibus controversiis extrahere dicantur; id illos præter voluntatem suam facere: litteras se igitur acres & vehementes ad illos daturum; enixeque imperaturum, ut à supervacuis abstineant; Pontificisque voluntati atque imperiis obsequantur. Sed invitum se nonnulla subjecturum: neque enim libenter se de alienis factis detrahere, aut alieno crimine lætari; sed rem ita cogere. Vereri se vehementer, ne tot labores, ac tanta sollicitudo inutiliter à sancto ac pio Pontifice capiatur. Non enim se credere Venetos sincere ac cum fide de societate agere. In hanc se opinionem adducere cum Venetorum ingenium, illorumque perpetuum institutum ab armis tractandis & bellis gerendis abhorrens; tum quod cognitum sibi, compertumque sit, illos instituta colloquia de pace numquam diremisse: eaque de causa nuncios inter ipsos & Turcam continenter commeare. Putare igitur se, illos hac societatis quærendæ simulatione abuti ad Turcam metu hoc injecto ad æquiores pacis conditiones adducendum. Cæterum quacunque tandem mente illi utantur, quam optet à Deo immortali illis & omnibus optimam dari, aut quodcunque tandem sit illorum consilium; se partes suas cumulate impleturum, enixurumque, ut neque Christianus populus in se pii Regis, ac digni Catholici nomine à parentibus tradito, neque ipse Pontifex obsequentis filii animum umquam desideret. Nam quod ad Cæsarem fratrem attinet, posse se de egregia illius voluntate prolixius, quam de spe effectus polliceri. Non enim illum in pia caussa, ac sacro bello amplectendo, cujusquam studio, aut ardori cessurum fuisse; sed exiguas illius esse opes, ac nimis dispar cum tanto ac tam formidoloso Principe certamen; quem non debeat sibi temere irritare, ac sese in tam præcipitem casum dare: sese tamen in Pontificis gratiam omnia facturum, fratremque hortaturum: cæterum tale consilium illi consulenti non modo se, sed ne Pontificem quidem ipsum daturum.

Cum hoc responso dimisso Columna, copiarum suarum Ducibus, iisque, quibus negotium datum est, enixe mandat, ut jussas copias cogere maturent; quæ, si fœdus conveniat, præsto sint: si consilia effectum non habeant, non tamen inutiliter scriptas fore in usum belli Africani, quod facere, vel ad Tunetum, vel ad Algerium in animo habeat: ad hoc ingentem vim commeatuum ac bellicorum apparatuum Genuæ, Neapoli, in Sicilia comparari jubet. Quæ omnia intentissima cura administrata sunt. Quin etiam numerus triremium Neapolitani Regni præsidiariarum ad triginta auctus, cum non plus quattuordecim prius essent.

Columna reverso, ac legatione renuntiata, litterisque Regis Procuratoribus redditis; cætera transacta sunt in eas conditiones, quas in fœdere scribendo explicabimus. Cæterum cum in priore fœdere cum Carolo icto, ita partita onera fuissent, ut dimidium sumptus faceret Carolus, alterius dimidii duas tertias partes Veneti, unam Pontifex susciperent; ut ex tota summa tres partes Carolo, duæ Venetis, una Pontifici obvenerit: ad eandem formulam cum sumptus distribuendus videretur, negavit Pontifex Pontificium solium multis modis exhaustum esse tanto oneri ferendo. Sextæ igitur unciæ sibi assignatæ non plus se quam tertiam partem collaturum dixit, reliquum Philippus & Veneti pro portione supplerent. Non magnopere repugnare Philippi Procuratores; Venetus acriter reclamare, Senatumque quidquam plus convento additurum negare. Illum non plus quartam partem conferre animo destinasse: verum precibus & nimia contentione victum ad tertiam fuisse perductum, qui non in minori difficultate nummaria, quam Pontifex, sit: Consiliumque defensioni miscendo addidit; multum detrahi de dignitate & existimatione Pontificis tanta imbecillitate indicanda, tantoque intervallo sese reliquis inferiorem declarando. Porro ridiculum esse, Pontifici Romano deesse pecuniam; qui omnium Principum facillimam & expeditissimam viam habeat illius conficiendæ. Vetus enim ac pervulgatum esse, nullum opulentius vectigal esse toto orbe terrarum Pontificis calamo; cujus simplex ductus quamvis ingentem pecuniæ vim pariat.

Ad ea Moronus, cum de ea re Venetus cum illo seorsum ageret, respondere, superiorum temporum vitiis post illud fœdus duas gravissimas plagas Romanæ Ecclesiæ injectas: nam & duas nobilissimas, atque opulentas urbes Galliæ Cispadanæ Placentiam & Parmam ademptas, & reliquam profanam ditionem annuo vectigali quadringentorum aureorum nummûm millium imminutam: diversam esse huic Pontifici à multis ex superioribus Pontificibus morum viam. Illos enim temporibus coactos multa fecisse, à quibus ipse abhorreat; qui non humanis consiliis, sed divinæ legis præscripto regendas res putet, neque ulla necessitate, aut caussa quamvis justa, & piamentis conscientiam lædendam: quique eo sit ingenio, ut putet divino Numini effectum consiliorum quamvis sanctorum cordi non esse, qui ea impedimenta objiciat, quæ integra mentis conscientia removeri non possint: ac proinde desistat potius, quam in impedimentis removendis mentis conscientiam lædat. Neque vero Pontificem parum, aut minus, quam cæteros fœderatos; quin etiam haud scire, an plus dicat conferre censendum esse, qui sacerdotum & sacrorum decumas & tributa, quæ ipse tamquam sua possit percipere, quæque non minus juris & arbitrii sui sint, quam profana bona Regum, fœderatis in sumptum classium concesserit: ut, si quis rem vere æstimare velit, illi non tam de suo, quam de Pontificiis bonis classes & exercitus alturi sint.

Hic Venetus, si de suo, inquit, non de nostro partem suam nos suppleturos putat Pontifex, in quo non magnopere pugnabo, onus igitur hoc supplendi inter fœderatos pro modo liberalitatis Pontificiæ distribuendum est: ut qui plus ex ea percipit, plus quoque conferat. At ne Philippici quidem ipsi negaverint, amplius decuplum ex opulentissimis Hispaniæ sacerdotiis, ac cætera Pontificis beneficentia, quam nos ex tenuibus ditionis nostræ sacris locis, Philippum percepturum. Cum res aliquamdiu disputationibus & altercationibus jactata esset, Venetique tandem cessissent, tenuit rem cum summa æquitate & veritate conjunctam facile Pontifex, Venetique duas quintas partes, Philippus tres supplementi susceperunt, assentientibus fœderatis, longe majora esse Pontificiæ majestatis, quam opum momenta, ejusque societatem quæri non tam ad vires augendas, quam ad fidem societatis arctioribus vinculis adstringendam: quippe quæ illis verecundiam injiciat, illosque in officio contineat, ac diffidentia studia regat; caussas dissensionum, si quæ forte, ut fit, subinde oriantur, pro communi parente, ac pro jure sacrosanctæ potestatis componat: cujus rei absolutum arbitrium illi à fœderatis mandatum est, qui ejus judicio stare promiserunt.

Omnibus igitur transactis, cum Pontifex ac Legati fœderatorum Nonis Martiis, qui dies sacer Thomæ Aquinati, ac festus est, in Ædem, quæ vul-

go Minervæ vocatur, convenissent ad fœdus & societatem sanciendam, quæ sacris solemnibus peractis ad populum pronuntiaretur, qui in peramplam ædem frequens convenerat ad lætitiam tantæ rei auribus hauriendam, lætisque omnibus ac faustis acclamationibus accipiendam; ecce Granvelanus scriptum edidit, quod non modo effectum consiliorum retardavit, sed caussas contentionum & certaminum renovavit, & quo prope factum est, ut tot exhausti labores in re tanti moliminis ad effectum perducenda omnes irriti atque inanes evaderent. Scripti autem editi hæc fuit sententia: *Quoniam hoc anno quæ inter fœderatos convenerunt, comparari nullo modo omnia possunt; & tamen adversus Turcam communem hostem summa omnia facienda & tentanda sunt; Legati & Procuratores celsissimi Regis Philippi denuntiant, Regem suum non plus septuaginta triremes hoc anno paratas habiturum; eas omnibus rebus ornatas & instructas quamprimum, atque ut longissimum ante exitum appetentis Maji daturum; cupereque Regem, ut fœderati nihil de summa contentione remittant, in quanto maximo triremium numero possunt, comparando & instruendo; Venetique, qui alveorum & omnis navalis instrumenti amplissima navalia referta habent, usque ad eum numerum enitantur, ut triremes fœderatorum omnino sint ducenta quinquaginta. Regem enim omnem hominum, remorum, bellicorum apparatuum, armamentorum, commeatuum faciendam impensam pro portione conventa sese subiturum, ac Venetis refecturum spondere: quem etiam facultatem facere remigii, quantum necesse fuerit, ex Regnis ac Provinciis suis corrogandi cum eo, ut Rex instruere ipse quoque naves suas posit.*

Res subita ac præter omnem exspectationem omnes stupore defixit: Legati quidem Veneti primo obtorpuerunt; mox collectis animis responderunt, nulla se habere mandata novas conditiones, præter illas, quæ transactæ sint, auribus admittendi: Senatum igitur per litteras sese docturos, ejusque jussum exspectaturos. At Pontifex gemens & mœrens tantorum consiliorum apparatus irritos evadere; frustraque à se in re ad exitum perducenda tantos labores exsudatos, in Vaticanum revertitur. Quæ res Venetiis cognita novos animorum habitus fecit: nam, & studia multorum ad eum diem ardentia relanguescere cœperunt, & quorum animi tot Procuratorum Philippi, ut dictitabant, iniquitatibus offensi labare pridem cœperant, tum vero plane infracti sunt. Cæterum ea factio, quæ à fœdere perpetuo abhorruerat, ac paci studuerat; in qua erat Dux ipse Aloisius Mocenicus, ac plerique ex Senatoribus, qui ætate & sapientia antecellebant, verum adversus tantum animorum ardorem aperte tendere ausi non fuerant; occasionem enimvero arripiendam rati labantes animos & inclinatos, quo vellent, impellendi, palam vociferari ac testari, quousque tandem sese Hispanis ludificandos præbituri essent? non jam illos per occultas ambages, sed aperte auxilia sua negare. Ex promisso navium numero ad paullo plus dimidium se redactos. Quibus igitur copiis sese Turcæ omnibus Regni viribus in ipsos incumbenti restituros? Annum jam sese variis ludificationibus extractos; ecce alterum annum, atque adeo eum, in quo maxime bello ipsorum res urantur, novo hoc commento eximi, ac sese in tertium annum produci. Tum scilicet auxilia societatis ipsis præsto futura, cum à Turcis omnibus ditionibus & Provinciis exuti fuerint. Exuendos enim se plane à viribus & auxiliis sociorum destitutos. Ut darent, Philippum bona mente uti ac de societate sincere agere; quid tandem referre, quis Regis sit sensus; si Procuratores, quibus omnia gerenda & regenda permittit ipse procul degens, atque omnium militarium munerum expers, iniquos experiantur? Quid tamen ab ejusmodi animis sperandum? cui notum non esse Hispanos hianti cupiditate imperio Italiæ imminere? quam viam cum illis uni Veneti obsepiant, id agere Hispanos, ut quos aperte evertere non possint, eos inani spe societatis ostendenda bello Turcico conficiendos & absumendos involvant: nullum igitur ipsis reliquum esse, quam pacis consilium: eam per æqua, per iniqua cum Turca conciliandam: hanc unam esse salutis arcem.

Peropportune per idem tempus Mahumetes, qui sese Venetorum studiosum semper præ se tulerat, cum de rebus per bellum ultro citroque captis commutandis cum Legato Veneto Constantinopoli degente ageret, mentionem pacificationis injecerat; operamque & studium suum in eam rem pollicitus fuerat: ac sperare se dixerat, si illam supplices à summo Imperatore petere in animum induxissent Veneti, eam æquis ac tolerabilibus conditionibus facile impetraturos. Quare Legatus Scribam suum ea de causa Venetias miserat; cum quo unus ex interpretibus Turcicis venerat. Nullam igitur rationem esse dictitare, qui paci studebant, egregiam occasionem prætermittere. Tenueruntque, ut certus homo ea de caussa Constantinopolim mitteretur. Idoneus visus est Jacobus Ragazzonus, vir impiger, atque ingenio & consilio promptus; tum autem rerum Constantinopolitanarum ac Regiæ Ottomanicæ magnum usum habens; cui per speciem agendi de permutatione rerum, per belli tempus inter se captarum, occulta sunt data mandata consilia de pacificatione ferendi.

Neque idcirco inchoata fœderis colloquia omitti placuit: sed mutandam rationem consiliorum ducendorum decretum est. Quare, cum Romæ quotidie, Pontifice instante & urgente conveniretur; Legati Venetorum, ut ipsis fuerat imperatum, rem extrahere, moras nectere, ac varia caussari. At Pontifex animo angi, ac cæcitatem Christianorum mentibus objectam lamentari; qui privatarum rerum respectu communem Christiani nominis caussam prodant: quique viribus conjunctis longe illo superiores futuri, separatis consiliis, se singuli illi conficiendos ac delendos præbeant. Cum res pro desperata ac plane deposita haberetur, non tamen seduli senis cura ac sollicitudo consopita est, quin omnia ultima sibi tentanda duceret. Nam cum multa à Venetis ad rem extrahendam opponerentur, in quibus singulis expediendis & transigendis multum temporis terebatur, quod Senatus esset consulendus, ac litteræ, & nuntii ultro citroque mittendi; consiliaque idcirco in his difficultatibus hærerent, neque certi ac brevis exitus spes ostenderetur; optimum factu ratus Pontifex virum aliquem ingenio, ac fide & auctoritate præstantem, tum autem Venetis acceptum, cum summa omnium rerum potestate Venetias mittere, ut præsens rerum tractatio caussas cunctandi præcideret; idoneus in primis visus est M. Antonius Columna. In hoc viro cum bellicis laudibus civilium artium gloria certavit, cujus præstanti consilio ac singulari prudentiæ egregia eloquentia adjuncta fuit, miraque in animis hominum tractandis ac negotiis ducendis lenitas. Quod sapiens Pontificis consilium felix exitus comprobavit. Columnæ enim industria & sollertia quidquid exulceratum fuerat, sanatum est; resque tot controversiis ac difficultatibus implicata ad exitum, ut scribemus, perducta. Is igitur Venetias cum venisset, magnam partem Principum ac Seniorum, in quibus, ut diximus, fuit ipse Dux, à consiliis societatis ineundæ vehementer abhorrentem offendit: atque in collegium summorum Magistratuum, qui Duci in consilio assident, introductus, comiterque ac blande acceptus, hortari homines instituit, ne ipsi soli procedentia con-

consilia, atque ipsorum caussa suscepta & instituta impediant ac retardent. Nec videre Pontificem dicit, ullam satis justam caussam, quæ pristinum illorum ardorem exstinguere, aut consopire debuerit, ne ipsos quidem negaturos, omnia jam convenisse, ac de ipsorum sententia & voluntate cuncta transacta: scriptum tantummodo editum à Granvelano rem jam compositam parumper turbasse: verum facile medicatu malum esse: non enim idcirco minorem fore navium numerum, quem ipsi de suis, quas paratas ac præsto habeant, supplere possint, Philippo impensam se præstaturum profitente.

Cum multa in eam sententiam longa & accurata oratione pronuntiasset Columna; unus ex Senatoribus iis, qui societatem respuebant, de cæterorum sententia, cum de singulis disserere omisisset, universam rem amplexus dolere sibi & cæteris dixit, ipsum de ipsorum Republica optime meritum, cuique omnibus in rebus gratificari cupiant, inanem hunc itineris laborem cepisse: ad rem enim desperatam illum venisse: cogitationem enim fœderis & societatis à se plane depositam. Nam præter clades superioris anni, quibus vires suæ haud parum enervatæ sint, ac præter Cyprum, quam insulam jam pro amissa habeant, quem tandem fructum sperandum ex fœdere tam imbecillo ac manco? Principio Cæsarem, in quo tanta futura sperabantur rerum gerendarum momenta; cujusque in Turca contundendo non minor, quam ipsorum res agi videbatur, societatem suam negare; deinde Gallos amicitiam cum Turca sincera fide colere, à qua nulla sit spes illos abstrahendi. Ipsum porro Philippum quota tandem virium suarum parte cum Turca dimicaturum? quas maxima ex parte Flandrici tumultus ac motus necessario distracturi sint: cujus igitur furoris fore, tam exiguas, tamque infirmas societatis vires, quarumque ipsarum usus expeditus ac promptus non sit, mille dissentientium studiorum ac voluntatum in diversa tendentium impedimentis retardatus, ei Principi opponere, cujus immensæ opes vel cunctis Christianis Regibus, si studia atque arma conjungant, terribiles sint? cujusque in vasto ac bellicoso Imperio infinita, omnibusque vinculis exsoluta potestas nullo hominum, aut rerum, aut temporum respectu regatur, quique parentium voluntates obnoxio obsequio obstrictas, quo libido animi ferat, solo nutu trahat & circumagat? Atque hæc quamquam magna & horribilia sunt, non tamen incensum ipsorum studium fuisse consopitura. Cæterum sese illud omnibus consiliis abominatos, quod arcendi, non inferendi belli à Philippicis Procuratoribus consilia strui aperte videant. Quam rem cui non apparere? Philippum enim non modo bello ac gerendis rebus non interfuturum, sed ne in Italiam quidem venturum, ut ex propinquo bellum administrari ac consilia ad subita belli præparata esse possint. Quæ res nisi fiat, omnes bene gerendæ rei rationes è manibus elapsuras; cum ad omnes suborientes & improvisos casus Philippus subinde fuerit consulendus, atque mandata ex ultimo orbe exspectanda. Omnium igitur rerum potestatem penes Procuratores fore: quorum consilia, quacumque tandem mente Philippus utatur, non jam dubia conjectura, sed certis & apertis indiciis à bello Turcæ inferendo abhorrentia ad Regna sua tutanda, Africæque oræ imperium sibi stabiliendum spectare deprehendantur, oblatamque hujus fœderis occasionem ad cupiditates suas flectendam. Quæ arcendi belli consilia nullum non modo fructum, sed certam ipsorum pestem atque excidium habere. In armis enim inferendis non modo Cyprum, sed omnia in Oriente amissa recuperandi spem inesse; ad hoc Turcam intestino bello distentum ab ipsorum visceribus avelli, ab ipsisque in intimo sinu vexandis ad sua tutanda procul averti. At in bello arcendo, omnia ipsorum, quæ reliqua sunt, paullatim consumptum iri. Sicque fore, ut nudorum saxorum ac sterilium scopulorum defensio optimas ipsorum Italiæ & continentis ditiones sanguine assidue mittendo tandem enecet; eaque tanquam tabe visceribus hærente, ac per membra serpente, tandem totum corpus consumatur. Ejusmodi detrimentis & calamitatibus cæteros socios intactos fore. Nam Pontificem quidem quotam tandem partem onerum subire? quam tamen exiguam pecuniæ impensam, quæ vix compareat, magna gloria compensari. Illius enim muneris exercendi ei caussam præberi, quod Pontificatus maximum in Christianam Rempublicam exsistere possit; Principum animos inter se copulando, eosque in atrocissimum Christiani nominis hostem armando. At Philippum non modo nihil impendii facere: ad necessarios enim sumptus, quos in Regnis suis Turcæ objectis defendendis & muniendis annuos faciat, nullam necessitatem quidquam addendi hanc societatem adjungere; &, si modicum aliquid adjungat, id non modo compensari, sed infinitis partibus superari immani pecuniarum vi, quam per hanc belli Turcici & societatis speciem ab opulentissimis Hispaniæ sacerdotiis concessu Pontificis eroget: cum, si ipsi ex sacerdotiis ditionum suarum centum annua aureorum millia (quam tamen summam quantam tandem esse præ immensis impensis) velint extorquere; brevi ad extremam inopiam atque ad mendicitatem sacerdotes suos redigant, qui divinum cultum tueri non possint. Quo factum iri, ut sibi solis sanguis quotidie sit detrahendus, cæteri non modo nihil exhauriantur; sed, si res ad calculos revocetur, in quæstu etiam & compendio versentur. Postremo, cum ad sua defendenda vires sibi abunde suppetant, quem tandem fructum ex hac societate peti? aut ad quam rem eam valituram, nisi ad consilia, quæ ipsis adhuc libera sint, obnoxio fœdere alliganda; atque ad facultatem pacis cum Turca faciendæ, si ita tempora, ac res, & salus ipsorum ferat, adimendam? Quæ pax sibi cum Turca convenire non possit, nisi fide fœderis violata, atque odio sociorum sibi irritato, qui sese ab ipsis in medio cursu gerendarum rerum desertos doleant: quam pacem nunc integra omnium gratia, nullo fœdere, aut verecundia impediti facere possint. Ad quam cujus tandem amentiæ fuerit non potius integris, quam accisis rebus suis animum adjicere, ac temporis necessitatem in salubri consilio amplectendo sapientia repræsentare?

Ad ea M. Antonius, cum initio Orationis pluribus verbis de perfidia Selimi disputasset, deque vasto animo Venetorum rebus impotenti cupiditate imminente; docuissetque cum homine jurisjurandi violatore, ac vindicis Numinis contemptore numquam fidam pacem fore, sed bellum necessario habendum; multa in eam sententiam disputavit, quamobrem ne ad vim quidem Turcarum arcendam, ac sua tutanda ipsorum vires sufficiant: mutatamque esse temporum rationem ab iis seculis, quibus cum illo bellare soliti fuerint. Infinitis enim partibus vires Turcarum auctas; magnoque intervallo, maritimis quoque facultatibus, quibus ipsorum Respublica in primis stet, superiores Venetis factas, neque ipsos Venetos stationes, aut portus habere, in quos totam classem contrahere tuto possint, quam Turcis opponant, quæque littora ipsorum tegat, ac copias Turcarum ab exscensione in terram facienda prohibeat: ac ne eandem quidem classem ipsos posse partiri, si forte pluribus locis Turcas vexare intendant; illorumque vires in plures partes distrahere. Nam ex Creta, si eo classis ablegetur, nihil sublevari Hadriatici sinus res: neque

que Venetias ipsas ad tantam in se incumbentem molem classe tam procul amandata tutas fore. At insulæ Corcyræ portum, qui opportunior videretur, totius classis capacem non esse; neque eam stationem parti illi, quam caperet, satis tutam, quæ ab adverso scopulo super exstante, si ex eo Turcæ classem tormentis incessant, demergi possit. Idem esse Dalmaticorum portuum vitium, à quorum aditu hostis, qui terram in potestate habeat, classes possit prohibere, vel receptas facile delere. Quare vel nulli, vel perexiguo usui classem fore: longeque minus arcibus esse fidendum, quarum ipsimet intelligant, quam paucæ sint impressionibus & oppugnationibus Turcarum diu sustinendis; nisi validis subsidiis assidue submissis, quorum iter Turcæ intercludere possint maris potentes. Deinde quid illos sibi inanem metum fingere, ac rem transactam retractare? Vicisse Romæ post ingentia certamina eam sententiam, quæ arbitrium propulsandi, vel inferendi belli ad tres summos Duces rejecit. Eis liberam sententiam, ac liberum suffragium permissum consilium pro re, pro loco, pro tempore, pro conatibus hostium, pro occasionibus è Republica & è sua fide capiendi. Se unum ex tribus fore: cui fides & bonum publicum in consilio antiquissimum futurum sit. Debere igitur illos tanta auxiliorum momenta à Pontifice & Philippo ultro delata non retractanter accipere: quæ si omittant, caveant ne opinio, quæ multorum sermonibus jam percrebescere cœperit, quaque nulla Regibus & opulentis civitatibus perniciosior esse possit, vires assumat; ita Venetos ab armis tractandis abhorrere, ita otii & quietis amantes factos, ut ne atrocissimæ quidem injuriæ ac Regna adempta illorum animos valeant acuere ad arma induenda. Præterea cum vires à sociis conferendas eas fore, quæ per se nulla novæ societatis accessione cumulatæ ad Turcam non modo arcendum, sed invadendum quoque cum magni alicujus effectus spe valeant; tum vero non esse desperandam Cæsaris societatem; cujus præ cæteris intersit, communem hostem ac prægravem accolam procul à se submoveri, ex ejusque faucibus se eripi, quibus non minus ipse, quam Veneti, objectus sit; nec minoribus damnis Austriaca ditio, quam Veneta continenter carpatur. Quin etiam ipse (quo quid tantæ majestati magis indecorum esse possit?) tributum pendere cogatur. Sed diffidere Cæsarem fidei & constantiæ fœderatorum. Quare nolle in spem incertam animum nudare, ac sese & Regna in certam & manifestam perniciem temere præcipitare. Qui, si socios vere & ex animo agere intellexerit, si toto pectore bellum Turcicum amplexos, atque illud naviter gerere senserit, quis dubitet, quin ipse tot justis & necessariis stimulis impulsus cum cæteris consilia & societatem armorum sit conjuncturus, atque in parte belli capescenda nemini de ardore concessurus? Qui si in caussam descenderit; Turcaque acri bello hinc mari à fœderatis urgeri, illinc terra à Cæsare, & fortasse à Polono premi cœperit, quis non intelligit, ancipiti contentione distractum Turcam imbecilliorem ad resistendum ubique fore? Proinde imbellibus consiliis omissis, ad splendidum certamen animum adjiciendum; quod Turcis non modo acceptas per tot annos clades sit redditurum, sed illos etiam à cervicibus Christianorum, atque in Asiam submoturum. Has sibi spes subjicere cum rationem haud fallacem, tum mortem Transsylvani: cujus ambigua in Regnum successio haud dubie Cæsarem & Turcam inter se sit commissura.

Hæc atque ejusmodi multa in eam sententiam cum in collegio, quod illi crebro dabatur, tum in privatis Principum cœtibus, qui ad illum frequentes officii caussa conveniebant, disputaret Columna, magnam sibi audientiam, magnosque animorum motus faciebat: ut ardorem, qui in multis resederat, excitaret. Quare ii, qui paci studebant, rem in contrariam partem inclinatam cernentes, variis commentis consilia extrahere insistunt. Nam primum negare tam exiguo navium numero tantam rem ingrediendam; neque posse Senatui satisfieri affirmare. Usque ad octoginta sese Philippicos pertracturum, in se recipere Columna: quod litteris ac nuntiis sæpe mittendis tandem impetravit. Deinde quærere; quid tandem referre, qui numerus Philippicarum navium futurus esset; cum ipsi triremibus abundent, possintque de suo nullam jacturam faciendo, in quo cæteri deficiant, supplere; Philippo se sumptum facturum promittente; quin etiam postulante, ut Veneti, si ultra pactum ducentarum triremium numerum eniti possint, id sedulo faciant: sese enim impensam illius cumuli pro portione sua facturum.

Duo ad ea respondere Veneti. Nam se quidem alveis navium abundare non ire inficias, cæterum esse in summa remigii inopia, quod superioris anni varia peste absumptum sit. Hoc ad rem subterfugiendam Veneti fingebant: nam re vera centum quadraginta triremes remigibus refertas, omnibusque necessariis rebus affatim instructas eo anno è portu emissuri erant: deinde quærere, quibus pignoribus Reipublicæ suæ cauturi essent Philippici pro pecunia pacta, quæ præsens non numeretur. Utramque rem facili responso expedivit Columna: nam quod ad remigium attineret; Granvelanum, quasi quæ oppossituri essent, divinaret, scripto edito occurrisse; qui Philippum spoponderit ex Regnis suis illud evocari passurum. De impensa vero, ne ipsis quidem Venetis decorum esse, non videri tanto Regi nisi satisdato credidisse. Proinde degeneris postulati mentionem omnino comprimendam. Ne his quidem transfactis, res finem invenit; nam nihil esse, quod eo anno fœdus iniretur, Veneti dictitare: quod prorsus inutile foret. Jam enim mensem Majum venisse, ac nihil adhuc parati esse; ac ne Austrium quidem Ducem in Italia esse, neque de ejus adventu quidquam audiri: ut tempus rerum gerendarum labi necesse sit, antequam facultas congrediendi detur. Non exiturum mensem Majum vertentem in se recipere Columna, quin omnia parata ex parte Philippi sint; modo ipsi moram consiliis non faciant, deinde non debere id bene procedentis rei cursum impedire. Nam nihil novi nunc fieri: rem enim suo ipsam molimine gravem nulla umquam diligentia ita accelerari potuisse, ut ante appetentem autumnum locus conflictui datus sit; neque in superiore fœdere, cujus summus Dux fuit Andreas Auria, quamvis nihil sit in comparando de summa diligentia remissum, prius hostiles classes in conspectu fuisse. Postremum illud fuit, quod neque genere leve, neque re commentitium, neque postulatu iniquum visum est; cum dicerent Veneti, si bellum cum Turca suscipiendum sit, quod fore diuturnum provideatur; præter infinitum ac vix sibi tolerabilem sumptum faciendum, illum sibi cumulum accedere, quod longe plures arces, quam in pace, sint sibi muniendæ, ac justis præsidiis firmandæ: hoc onus ut fœderati pro sua quisque portione subeant, postulare. Æqua illos quidem petere Pontifex certior factus respondere; cæterum illius rei mentioni locum tum non esse, quæ rem in antiqua certamina redigeret: sed sese, pro jure sibi concesso controversias inter socios suborientes judicandi, in se recipere; si illi suum tempus exspectare velint, secundum illos judicaturum.

Hæc cum sæpe ac multum tam in collegio, quam in cœtibus & circulis, & cum ipso Columna, & inter ipsos discrepantes Venetos acta essent; ac modo altercationibus, modo perpetuis orationibus certa-

certatum: Columna adhortando, suadendo, expostulationes consiliis nonnumquam miscendo, fidem Venetorum implorando, quin etiam nonnumquam liberius accusando, varie ageret, ac responsum urgeret; Romæ quoque Pontifex, ac Procuratores Philippi Legatis Venetis instarent; diemque certum responso dando statuissent, quo præterito testarentur, sese pro infectis omnia habituros, neque jam ullum fore locum instituta consilia, si ea interrumpantur, repetendi, jamque ulterius differri non posset. Dux & collegium, Senatu rogatorum coacto, retulerunt, placere collegio, ut de pace cum Turca, quæ una sit salutis via, agi pergatur; resque sedulo urgeatur, & ad effectum, si fieri possit, perducatur. Interea dum exitus exspectatur, omnia integra reservari placere; ut in utrumque casum expedita habeant consilia. Quare instituta de fœdere colloquia non videri abscindenda, sed conditionibus ferendis & referendis, nuntiis ac litteris ultro citroque mittendis; variisque rebus alia ex alia caussandis producenda; quoque artificio & astu adhuc à Philippi Procuratoribus ludificati sint, eodem ipsos eludendos: meritoque suum ipsorum exemplum in ipsos versurum. Quam summi Magistratus sententiam Senatus suffragiis approbari postularunt.

Contra quam, potestate dicendi facta, Paullus Teupolus, unus ex iis, qui fœderi studebant, ita disseruisse dicitur: *Si, quemadmodum societas cum Christianis Principibus, ita pax cum Turca certa ac nostræ potestatis esset res; anceps esset deliberatio, utrum consilium præferremus. Nunc, cum nulla pacis spes ostendatur, atque adeo cum omnia bellum nobis certum à Turca denuntient; non jam inter pacis & fœderis consilia ambigere mihi videmur, sed utrum solos ipsos ab omnium societate desertos, an validis societatis auxiliis fultos bellum cum Turca gerere potius sit. Neque ego magni interesse puto, pax cum Turca nobis nulla, an iniqua, & infida, ac parum stabilis conveniat; quæ neque cladibus nostris finem imponat, & hoc quoque sit detestabilior, quod ad clades multa & atrocia addidit vulnera, dedecus primum: quod tanto Regno nobis adempto, nulla re tentata, ac nihil Majoribus nostris dignum ausi pacem precariam ultro supplices petamus: neque tam graves injuriæ ullam habeant vim ad animos nostros stimulandos: deinde existimationis jacturam, qua re Imperia & Regna in primis stant, (quantam enim imbecillitatis significationem damus?) famæque illius navalis potentiæ, quam nobis pro jure nostro perpetuo vindicavimus. Irrisuri posthac sunt peregrini Venetias adeuntes navalia omnium, quæ sub cælo sunt, amplissima; tum autem copia navium atque omni maritima & terrestri opulentia refertissima. Quas res quid attinet nos tam immenso sumptu tueri, si ad illis utendum, armaque ne ad modicum quidem tempus induenda animus deest? Despectos ea res nos, & Christianis Principibus facit, & huic barbaro hosti pedibus proculcandos subjicit. Qui si ne fœderi quidem tantorum Principum ex imbecillitatis nostræ conscientia confidere senserit; ut ne tantis quidem societatibus subnixi oculos contra illius conatus attollere audeamus; hui, quantam fenestram indomitis illius cupiditatibus patefacimus; quam illum ad alia ex aliis iniquiora in dies postulanda incitamus. Fœdus modo detestabamur; quod arcendi, non inferendi belli continentibus damnis nos carpendo tandem veluti tabe absumeret. Cur non igitur infida pax hæc æque sit exsecranda, quæ eisdem damnis nobis stabit, impotentibusque subinde postulatis per varias occasiones exhauriet? Jam vero quæ tandem orta est res, quæ nobis pacis spem faciat? verba, inquiunt, & adhortationes Mahumetis Bassæ. Tam leviter igitur nostra fundata est de tanta re deliberatio? tam levi aura mobiles animos gerimus? & certum pignus eorum fidei simplicia verba erunt, quam ne juris quidem jurandi religio ratam facit? Utrum tandem Bassam nostri, an Imperatoris sui studiosiorem: & utrum incolumitati nostræ, an Principis sui utilitati consulere putamus? idque agere, ut iter illi, Christianis Principibus à nobis abstractis, ad nos opprimendos facilius expediat? Postremo pax nisi Cypro dimissa parari non potest; quæ res si perpetuarum vexationum finem tandem faceret; possemus nos hac quamvis magna & opulenta ditionis nostræ parte nobis abscindenda sempiternam quietem redimere. Nunc, ita ne tot sæculorum usus Ottomanici moris parum gnaros fecit, ut non intelligamus, nos tanto ac tam turpi pretio nihil aliud, quam fœdam & obnoxiam illorum libidini pacem, cum magna Christianorum offensione, empturos? quæ per omnem levis suspicionis occasionem, ac per varias confictas caussas sæpe frangenda nobis perpetuo sit instauranda, aliquid de rebus nostris semper prioribus addendo, quoad omnis sanguis missus sit, Christianis Principibus vicem nostram non modo non miserantibus, sed afflictæ fortunæ etiam insultantibus, jureque id nobis accidere exprobrantibus, qui Christianorum conspirationem nostra in primis caussa excitatam ignavia nostra (ita enim vocabunt) & imbellibus consiliis elusérimus. At enim ne societas quidem suis incommodis & vulneribus caret. Quis id neget? neque ego is sum, cui fœdus hoc plane satisfaciat: quique non majorem ardorem, addo etiam candidiorem animum in Philippi Ducibus & Procuratoribus desiderem: verum non res consiliis, sed consilia rebus obsequi debent: neque studia ac sensus hominum ad nostram voluntatem fingere possumus: sed cum optima non posis, minima malorum eligere sapientis semper fuit. Neque ego quid tantum vitii in fœdere sit, cerno: quod in utramque partem tutum & utile esse affirmo, si in utramque consilia disposita habuerimus. Si enim res ex sententia processerint; quodque caput est, si Hispanos non ficte ac simulate agere, sed acriter ac cum fide in caussa versari cognoverimus, numquam erit, (id quod neminem negaturum puto) ut nos hujus societatis pœniteat, quæ non solum impetum barbari hostis cohibeat, sed ad Cyprum omittendam, & ad alia fortasse injuste olim capta restituenda possit adigere: quaque, si divinum Numen ita cœptis adfuerit, ut magna aliqua clade hostem afficiamus, (quod cur desperandum sit, omnino non video) languentia Christianorum studia & consopitam virtutem excitet ad occasionem arripiendam, communis hostis, atque omnium rebus impotenti cupiditate imminentis à cervicibus arcendi, ac procul in ultimas terras amovendi. Quas spes mihi subjicere potest cum Ottomanicæ gentis fortuna; quæ, ut cætera omnia humana, cum ad summum pervenerit, retro volvatur aliquando necesse est; tum immanis illorum cupiditas omnibus terribilis. Quod si optimis conatibus fortuna inviderit, Hispanosque haud rectis sensibus ambulantes experti fuerimus, ne sic quidem inutile plane fœdus fuerit, quod armati ac præpotentibus societatibus septi, pacem æquiorem simus impetraturi, firmiorem & magis fidam habituri: moram enim illius cupiditatibus in posterum haud parvam faciet; cum didicerit, nos non ad primum armorum crepitum animis victis concidere; sed pro libertate ac rebus nostris arma capere audere; lacessitique non minoribus illum discriminibus nos, quam nos ille, involvere posimus. Denique animos Christianorum, ac communem voluntatem retinebimus, quam nunc descendentes ad turpe consilium nulla re tentata à nobis alienamus; idque assequemur, ut pacem, quam nunc facere non possumus nisi cum summa omnium vituperatione, ac cum communi odio, quippe qui studia caussa nostra excitata deseruisse videamur; eam tum omnia ultima experti cum summa omnium approbatione ac fortunæ nostræ misericordia, à sociorum ope deserti facturi simus. Quæ tot ac tantæ utilitates parva hac & brevi in fœdus tuendum facienda impensa bene redimuntur. Postremo quid novi incidit, quod, ut Columna sapienter monuit, consilia ad fœdus destinata, & jam ad exitum perducta immutet? Nam pactum triremium numerum in hunc annum à Philippicis imminu-*

minutum non modo nihil nos lædit, sed in bonum quoque vertit, estque ejusmodi, ut immo cupiam illorum defectum nostris navibus Philippi impensis perpetuo suppleri; quæ res auctoritatem nobis apud socios addat, Hispanosque nobis, quam nos illis, magis obnoxios faciat. Ego cogitatione fœdæ pacis degeneri simul & perniciosa abjecta; consilium societatis ac belli perhonorificum pariter, atque in omnes partes utile toto pectore amplectendum, ac quamprimum ad effectum perducendum censeo.

Qua Oratione cum Senatum maxime commotum Magistratus animadverterent; ut animos nutantes retinerent; Nicolaus à Ponte, qui erat in magistratu, cui ætas & res gestæ, ad hoc diuturnus usus & prudentiæ fama cum egregia doctrina ac singulari eloquentia conjuncta magnam auctoritatem conciliabant, surgens rogationem ejusmodi Oratione magno silentio suasisse traditur: *Duæ ingentes hominum pestes sunt, Patres, quæ multas cum privatas, tum publicas res sæpe everterunt, nostri, atque ejus, cum quo nobis res est, ignoratio; eæ hoc tempore ambæ nos habent. Tamquam enim ipsi noti nobis non simus, bella ac fortia consilia animo ac sermonibus agitamus, ac veluti res nobis amplæ & secundæ sint, magnifica verba fundimus, fortunam videlicet animo non æquantes. Eodem errore perinde, quasi Hispanorum ac Ducum & Procuratorum Philippi mentem & sensus ignoremus, ita illis fidimus, verba potius quam res spectantes: qui nescio an infestiores nobis & periculosiores hostes sint, quam is ipse Turca. Nam hic apertas inimicitias præferendo, ac bellum denunciando, saltem, ut à se caveremus, nos admonuit; at illi per speciem amicitiæ & societatis inscitiam nostram captant: & Turcæ orationem nos ad pacem, quæ una est arx spei ac salutis nostræ, invitantem auribus non admittimus; Hispanos longo ac pestifero bello, quo paullatim conficiamur, nos involvere studentes cum assensu audimus: nec Turcam sincera fide de pace nobiscum agere credimus, aut illius verbis fidem habemus, quod fidem pactæ amicitiæ, Cyprum post ictum fœdus invadendo, semel violarit: cui tamen rei nonnullas si non veras, saltem adumbratas caussas prætexuit. At Hispanos, quorum vanitatem, falsumque animum, & impudentiam nulla probabili specie velatam, nihil ex promissis in priore fœdere faciendo, experti sumus; quique modo de conditionibus societatis agendo, tot signa fucati animi ac fallacis artificii perspicua dederunt, recta mente uti speramus. Jam vero pacem cum Turca tamquam parum fidam, parumque stabilem respuimus; quam tamen non minoris illius, quam nostra intersit observare, quippe quæ una sit via nos à Philippo & ab Hispanis segregandi, quo nihil est illius consiliis aptius. At societatem Hispanorum ultro appetimus, è quorum re non est, conditiones transactas & conventa servare, quæ ipsorum consiliis in primis adversantur, quæque illos à Tripoli, Tuneto, Algerio subigendis, oraque Africæ perdomanda ad Orientis bella avertant. Hæ, inquam, urbes, Patres, Hispanorum oculis imminent; cum cætera inania, nihilque ad se attinentia putent. Hanc curam esse illis antiquissimam constat; fremereque omnes in Hispania vulgo, & in consiliis, assiduisque precibus Regi instare expeditionem in has urbes, quæ sint hostilium classium receptacula, à quibusque ipsorum littora continentibus incursionibus, cædibus, incendiis, aliisque belli cladibus urantur, hominum ac rerum præda agantur, commercia mercatorum ac nauticorum infesta fiant, Hispania & Italia mutuis commerciis intercludantur; tum autem quas Turcæ habere possint sedem belli ex propinquo Hispaniæ atque illi subjunctis Regnis faciendi; hunc sibi metum, quo dies & noctes punguntur, demere contendunt. Nam curam quidem & sollicitudinem communis hostis contundendi, ac providendi, ne ille supra modum crescat, longe remotam à se putant; hominumque esse censent sollicitudinem sibi ipsis temere & ante tempus struentium, quæque non magis ipsos, quam reliquos Christianos Reges ac populos attingat, quorum neminem rebus adversis nostris commotum vident. Sua enim cuique proxima sunt, Patres: quæ autem damna, atque incommoda, & tempore longe remota sunt, & non privatas rationes, sed communem utilitatem tangunt, de iis mortales minus laborant. Non igitur de communi hoste contundendo solliciti sunt Philippi Proceres, neque in communi periculo providendo & arcendo suas ullas præcipuas esse putant partes; sed hæc ulcera, quæ commemoravi, Hispaniæ & cæterorum Regnorum visceribus hærentia abscindere student: ad quam rem societatem nostram in primis aptam quærunt, quæ Turcam bello nostro distentum à rebus Africanis curandis avertat: bellumque suscipiendum non finire, sed contra alere exigua ipsorum impensa tamdiu studebunt, quoad privatis ipsorum usibus aptum erit. Ab utilibus igitur consiliis, iisque, quæ propiora ipsis sunt, persequendis, qui Hispanos putant, aut jurisjurandi religione, aut fide pactorum, aut verecundia abductum iri; ii mihi videntur, hoc seculum, mores, atque ingenia hominum, consuetudinem, ac studia Principum, ac publicas & magnas res tractantium ignorare; atque eorum, quæ superiore fœdere fecerint ii ipsi Hispani, obliti esse. An nondum didicimus innumerabilibus cum præteritorum, tum nostrorum temporum exemplis, quantam vim habeant fœdera & jurisjurandi religio? quorum fides eventibus & varietatibus temporum gubernetur, ejusque stabilitas vel imbecillitas ab utilitate pendeat, quæ in primis consiliis Principum moderatur, qui præ illa omnia levia ducunt. Quam rem (honeste-ne, an turpiter, non necesse habeo in præsentia quærere) adeo illi non dissimulant, ut contra pro disciplina, ac pro stabili & fixo decreto habeant; idque præ se ferant, fidem & jusjurandum rationibus Regni tuendi & utilitatis publicæ inflecti ac converti. Observandi igitur pacta, & conventa his moribus, hisque temporibus, non promissa, ac jusjurandum, sed utilitas certum pignus est, cujus vinculis fœdera & societates constrictæ durant. Quam viam omnibus vestigiis tritam Hispanos ipsos quoque insistere mirari non debemus, neque in communi crimine privatam invidiam illis adjungere. Non igitur illos accusemus simplicitati nostræ artificiis suis insidiantes, quam rem non novam, neque inusitatam faciunt; sed si non sapientia nostra, at saltem Cæsaris exemplo vitare nitamur; qui, eodem non minus gravi accola ipsum, quam nos premente, docuit, quam parum ejusmodi fœderibus & societatibus, quas non commune bonum, aut fides, & charitas, sed privata utilitas conjungit, fidendum sit; nec stultitiæ nostræ æmulus esse voluit, aut utilibus ac solidis speciosa & inania anteferre: nec tantum Principem sibi irritando pacem cum eo compositam turbare in animum induxit. Quam pacem qui iis conditionibus, quas præsens fortuna nostra nobis subjicit, hoc est, Cypro dimittenda, quam jam ille habet, non fore rebus cum Turca stabilem putant, ii experientia refelluntur pacis anno millesimo quingentesimo initæ caste atque integre usque ad annum millesimum quingentesimum trigesimum septimum à Turcis servatæ: item secundæ pacis, quam ab anno millesimo quingentesimo trigesimo nono ad annum superiorem nulla in re violatam perduxerunt. Neque vero in hoc homine, aut bellicosius est, quam in illius Majoribus fuit, ingenium; quod immo à laboribus belli ad otium, ac desidem vitam, & luxuriam proclive vel ante adeptum Imperium perpetuo declaravit: aut vastior cupiditas, & avaritia, acrioresque ambitionis stimuli, ardentiusque gloriæ studium, ut non sibi tanti Regni accessione satisfactum plane putet, aut à parva re initia Regni inchoata. Jam vero qui pudore ignaviæ, aut imbellis animi significandi à sanis consiliis revocantur; iis potius amentis audaciæ ac stolidæ temeritatis vituperationem formidandam censeo, si eam molem subire veriti non fuerint, quam cunctus Christianus Orbis conjunctus, omnesque vires suas contendens ægre sustineat. Quid porro valitura sit societas ad æquiores pacis conditiones impe-*

impetrandas, hoc totum pendet ab eo, quale fœdus, ac quale bellum fore speramus. Nam si acri bello Turcam urgendum considerem, ego quoque eadem spe tenerer: si lente ac segniter agitur, inflabit, mihi credite, Patres, ea res Turcam ad intolerabilem arrogantiam, ac spem, & cupiditatem ejus ad omnia vasta inflammabit, expertum nihil in imbelli societate nobis esse præsidii. Quam segne porro hoc bellum futurum sit, vel hinc conjicite, Patres: nam, cum primi bellorum impetus acres & vehementes fere esse soleant, iidem postea, & tempore, & tædio laborum, atque impensæ relanguescant, quid de hoc sperandum est, cujus initia tam segnia & lenta sunt? Comminando igitur potius, quam exercendo fœdere Turcam in officio continere, majoremque illi nos vexandi & insectandi verecundiam injicere possumus. Fœdus igitur cæteroqui inutile & damnosum ad unam hanc magnam utilitatem sapienter beneque utendo flectere possumus, Patres. Postremo nullus-ne esse debet tot civium nostrorum respectus? nihil-ne illorum calamitates aut nos debent movere, aut publicam curam attingere sunt censendæ? quorum opes, & lætis rebus ornamento, & duris atque asperis subsidio Reipublicæ semper fuerunt, publicamque egestatem vectigalibus publicis intermortuis sæpe sublevarunt: quorum omnis res familiaris mercatorio quæstu, ac maritimis commerciis, quæ in Asia & Syria exercentur, continetur. Qua negotiatione concidente, ipsos quoque ruere necesse est. Quare præter sensum, quem ex tot civium nostrorum miserabili casu percipere debemus, quis non videt, quam stabilia fundamenta Reipublicæ subtrahantur? Quare vobiscum statuite, Patres; cum ad pacem si non ratio & consilium, necessitas certe & tempus sit nos adacturum, utrum sapientius & consultius sit, illam publicis & privatis rebus nostris integris, vel parum accisis, an prorsus excisis facere? Ego omnibus rationibus in sententiam Magistratuum vobis eundum censeo, Patres; atque uti retulerunt, decernendum.

Haud sane, quamquam silentio propter summam auctoritatem est auditus Nicolaus, multum movit; Senatoribus in contrariam sententiam fere propensis. Quare Magistratus rem inclinatam cernentes, neque retineri jam posse incitata Senatorum studia; postero die Senatu vocato, mutata relatione, de fœdere ineundo, ac de consiliis pacis cum Turca vel abscindendis, si forte jam inchoata sint, vel non instituendis retulerunt. Quæ res dupliciter utilis visa est. Nam & suspicionem ancipitis animi & ex eventu consiliorum pacis suspensi sociis adimebat; & ipsorum ardorem in capessendo & gerendo bello incitabat, cætera omni spe præcisa. In quam sententiam frequentes Senatores iverunt, fœdusque decretum est.

Columna igitur Romam reverso, tandem fœdus ictum est, cujus hæc fuit summa: Selimo immani Turcarum Tyranno insulam Cyprum invadente, quæ sacrosancto Christi Domini sepulcro proxima sine maxima Principum infamia à Christianis auferri non potest, Romæ Pius Quintus Pontifex Maximus, Cardinalium collegio vocato, illisque assidentibus & approbantibus; Philippus Hispaniarum Rex Catholicus per Franciscum Patiecum Cardinalem, & Joannem Zunicam Legatum suum Mandatarios, Antonio Perenotto Cardinali Granvelano uno ex tribus Mandatariis in Regno Neapolitano cum imperio absente; Aloysius Mocenicus Venetiarum Dux per Michaelem Sorianum, & Joannem Superantium Patricios Venetos Mandatarios anno millesimo quingentesimo septuagesimo uno, octavo Kalendas Junias in curia fœdus & societatem armorum in has leges inierunt: 1. *Sit perpetuum fœdus, ac societas inter Principes nominatos adversus atrocissimum Christiani nominis & perpetuum hostem Turcam, non defendendi modo & arcendi, sed inferendi quoque belli, neque id Regnis modo à Turca possessis, sed Algerio quoque, Tuneto, & Tripoli urbibus Libyæ ejus partes sequentibus.* 2. *Geratur bellum naviter atque acriter ingentibus maritimis & terrestribus copiis; hoc est, ducentis navibus longis, quæ omnes triremes sint, ac centum onerariis, peditum Italorum, Hispanorum, Germanorum millibus quinquaginta, ac quatuor millibus quingentis levis armaturæ equitibus; ad hoc justo & necessario numero tormentorum, atque omnis generis bellicorum apparatuum.* 3. *Paratæ sint quotannis hæ omnes copiæ in mari Orientis ante exitum mensis Martii, summum Aprilis, ad ea, quæ in rem fore summi Duces censuerint.* 4. *Si Turca aliqua loca sociorum invaserit, mittant Duces extemplo ad ea defendenda partem copiarum, quæ satis potens visa fuerit; vel etiam, si ita magnitudo periculi postularit, omnes copias eo convertant.* 5. *Quotannis autumno Romæ coram Pontifice socii constituant, quæ insequenti anno expeditio, quibusque copiis, majoribus-ne, an minoribus suscipienda sit.* 6. *Pontifex duodecim triremes conferat omnibus rebus instructas, tria peditum millia, equites ducentos septuaginta. Rex omnis impensæ tres sextas partes; Veneti duas conferant: reliquæ sextæ partis, quæ Pontifici ex fœdere inter eosdem Principes sancito anno millesimo quingentesimo trigesimo septimo obvenerat, quod præter nunc collatas copias superest, suppleant Rex & Veneti; ille tres quintas partes, hi duas, pro quibus dent quatuor & viginti triremes, quæ si minoris parabuntur, quod reliquum superest, suppleant ære; si pluris, Philippus, quod plus erit, reficiat.* 7. *Veneti, si ita Pontifex & successores jusserint, eas duodecim triremes Pontifici commodato dent, quas ipse sua impensa alat, quasque illis, quo statu fuerint, salvas restituat.* 8. *Quoniam non omnes socii iisdem rebus æque pollent; in quo quis copiarum genere excellit, plus in eo genere conferat, quam virilis pars est, quæ illi obvenerit; sed excessus excessibus diversi generis inter se compensentur.* 9. *Jus annonam in usum classium suarum sociis alteri ex alterius Regno extrahendi sit justo pretio. Quod idem jus extraneis prius non concedatur, quam sociorum classibus provisum & consultum sit: modo liceat Regi Catholico prius arcem Tunetanam, quam Guletam vocant, Melitam insulam & classem suam munire. Neque portorium ubi certum & perpetuum est, augere liceat. At ubi nullum statutum est, portorium imponatur ita, ut in Regno Neapolitano, non plus sit quinos denos ducatos Neapolitani generis in singulos carros; at in Sicilia non plus binos aureos nummos in singulas sarcinas.* 10. *Si aliquo anno nulla communis expeditio fortasse fiat; eodemque anno Turca aliquam ditionem Regis Catholici, & nominatim ab Algerio, Tripoli, Tuneto, invadat, debeant Veneti cum quinquaginta armatis & instructis triremibus auxilio accurrere, quemadmodum eis ipse anno superiore. Idem faciat Rex, Turca ditiones Venetas invadente, modo is, qui auxilium postulabit, cujus verbis fides habeatur, majore copiarum numero bellum gerat.* 11. *Si eo anno, quo nulla expeditio in Turcam fiat, Philippus Algerio, Tripoli, Tuneto arma inferre constituat, Veneti illi adsint cum quinquaginta triremibus armatis & instructis, modo Turca eam classem è portubus suis non emittat, quæ ipsis jure formidolosa sit. Idem auxilium Venetis submittat Rex; si ipsi aliquam urbem in Hadriatico sinu à Turca possessam citra urbem Apolloniam tentare constituant.* 12. *Si Turca aliquem locum ditionis Pontificiæ invadat, socii omnibus viribus protinus auxilio advolent.* 13. *Jus suffragii ferendi tribus summis Ducibus sit, idemque pondus suffragia habeant, quodque major pars censuerit, summus Dux exsequatur.* 14. *Dux fœderis, omniumque navalium & terrestrium copiarum cum summo imperio sit inclytus Joannes Austrius. Huic cæteri Duces pareant. Si ipse à classe absit, idem summum imperium sit M. Antonii Columnæ; quamvis idem forte Dux copiarum alicujus ex sociis nominatim sit: idque imperium habeat, quod in syngrapha à sociis edenda scriptum erit; quique summus Dux hujus fœderis fuerit, is privatum signum non extollat, sed commune sociorum, voceturque fœderis & societatis Dux. Quod si aliquam privatam expedi-*

tionem suscipi contingat; is summus Dux præficiatur, quem Princeps, qui expeditionem facit, crearit. 15. *Locus honorificus Cæsari, & Regibus Gallo & Portugalliæ in fœdere relinquitur, quos, simulque Polonum, Pontifex pro ipsorum pietate ad consilia cum cæteris in tam sancto negotio consocianda pro jure paterni imperii hortetur. Idem faciant Rex & Veneti.* 16. *Loca, urbes, ditiones, quæ à fœderatis capientur, inter ipsos ea portione dividantur, quæ in fœdere anni millesimi quingentesimi trigesimi septimi convenit; item captivi, tormenta bellica, ac reliqua omnia. Tripolis, Tunetum, Algerium excipiuntur: quæ urbes Regi Catholico cedant. Ragusia urbs à sociis omni molestia & damno intacta sit; nisi ex aliqua exorta justa causa aliter Pontifex jubeat. Omnium controversiarum inter socios suborientium communis disceptator & judex Pontifex sit; ejusque judicium ratum sit, omnesque eo stent. Nemo sociorum separata consilia ab aliorum conscientia & voluntate cum Turca pacis aut induciarum instituere possit.* Sollemni jurejurando omnium Principum fœdus sancitum est: deinde ad tertium Idus Junias scriptum privatum, cui autographo subscripserunt Pontifex & Mandatarii Principum, editum est; quod scriptum est quinque, ante fœdus initum, diebus, hoc est, tertio decimo Kalendas Junias, quo Columnæ idem imperium, quod Austrio mandabatur. Eodem quoque die tertio Idus Junias editum est separatum aliud fœdus, privata & ipsum syngrapha conscriptum eodem die tertio decimo Kalendas Junias, cujus hæc fuit summa: *Quoniam hoc anno copiæ conventæ in conditionibus fœderis cogi omnes non possunt; cum tamen adversus communem hostem omnia summa sint facienda; conventum est in hunc annum in has conditiones. Rex Catholicus toto hoc mense Majo vertente in portu Hydruntino octoginta triremes paratas, omnibusque rebus instructas habebit, præter Sabaudianas & Melitenses; ac cum illis viginti onerarias, ac magnum peditum numerum. Pontificis judicium sit, ex quo die impensa facta Venetis & Regi procedere incipiat. Cum classis ac copiæ à Ducibus lustratæ fuerint, si subducta ratione, impensa a Venetis facta minor, quam conventum sit, apparebit; Veneti obstricti sint portorium annonæ extrahendæ solvere. Quod si excedat; portorium ne solvant, quod excessu impensæ factæ compensetur. Quod si impensa tanta sit, ut portorium quoque excedat; Rex excessum ære compenset.*

At Venetiis deliberationi de ineundo fœdere transactæ consultatio de ratione gerendi belli continuata est. Veneti enim Ducibus, quos ad bellum mittunt, libera consilia non omnino permittere solent: sed Ducum arbitrium de summa re certis mandatorum finibus circumscribere, Duce haud levi defuncturo pœna, si eos transscendere ausus fuerit: quæ res ut salutaris interdum fuit, ita egregias rei bene gerendæ occasiones sæpe corrupit. In hac consultatione nihil in Senatu sententiis variatum est; sed ad unum fortunam pugnæ tentandam censuerunt, remque communi Marti committendam. Multæ autem tanti consensus caussæ fuerunt. Nam principio prælium non dubii exitus, sed certæ & exploratæ victoriæ putabatur. Illud enim pro comperto constabat, Turcicam classem non plus centum nonaginta triremium fore; cum cæterarum minutarum navium quamvis magno numero perlevia in prælio futura essent momenta; contra Christianas amplius ducentas triremes fore, easque omnibus belli apparatibus, & armamentis, cæterisque necessariis rebus longe instructiores; quibus addendæ essent majoris formæ naves longæ, quas *galeatias* appellant; quæ instar arcium imminentes creberrimis bombardarum ictibus, quibus affatim refertæ erant, hostilem classem disjecturæ & demersuræ essent. Accedebat, quod Christianarum navium latera & frontes pluteis muniuntur, quibus milites ad hostiles ictus tecti pugnent, galeis quoque, loricis, ac thoracibus armati, quibus rebus omnibus hostes carentes nuda & dearmata corpora, ac nullis munimentis tecta scloporum creberrimæ grandini objecta habituri sint; cum etiam tormentorum & bombardarum tractatio Christianis hominibus, ut in longo usu, habilior & expeditior sit: quæ res magnum momentum ad victoriam esset futura: deinde omnem quamvis dubium eventum, cum victoriæ spem non excludat, certæ cladi & pesti proculdubio anteferendum; eumque esse rerum Venetarum statum, qui nullum mediis consiliis locum det, omnibus inter victoriam & exitium certa desperatione abruptis. Quare nihil audentes certum interitum manere: seque, ni vincant, haud dubie victum iri. Nam primum fœdus hoc non fore diuturnum providebant; isque metus maxime pungebat, multorum seculorum usu edoctos, hujusmodi societates semper ævi brevis fuisse: quas vel tædium impensæ, vel privatarum rerum respectus, qui propior est, vel mille in die exorientes casus nova consilia sociis facientes facile solvant. Quare, si ab hac societate deserantur, vel morte Pontificis, qui provecta sit ætate ac valetudine affecta; vel aliquo exorto bello Philippi curas ad sua tutanda avertente; quo tandem loco res suas fore, alterutra inevitabili peste ipsis parata? Nam vel certam cladem in prælio accipiendam, si ejus aleam tum subeundam ducant: sicque fore, ut non fortunam pugnæ omnino detrectasse videndi sint, sed metu succumbendi ab ea abstinuisse, cum duplicatæ vires certam & exploratam victoriam faciant; & ad illud tempus sese reservasse, cum duplo imminutæ perspicuæ cladi objiciantur: vel, si à pugna tum quoque abstinendum, ac bellum ducendum, temporisque beneficium exspectandum constituissent; hoc enimvero consilium certissimum exitium atque omnium rerum interitum habere: nam, præter præpotentem longarum & onerariarum navium classem, quam alere ac tueri perpetuo necesse fuerit; ipsorum insulas atque omnem maritimam ditionem multis in locis validis præsidiis firmandam, quæ ad triginta millium stipendia facientium numerum ut minimum adscendant; ac numquam intermittendam pecuniæ impensam erogandam. Tanto onere opulentissima ac vastissima Regna brevi obrui posse; nedum una urbs Venetiæ, pauculæque illæ urbes, ac ditio, quam angustissimis finibus possideat, sint illi ferendo pares: cum contra Turca nullum onus sit sensurus; cujus opes sint immensæ, quique innumerabiles terrestres & maritimas copias non minus alat pace, quam bello: ut nihil bellum illi, vel numerum bellatorum, vel impensam cumulet. Quod si loca maritima præsidiis nudare à pecuniæ inopia cogantur, tum vero illa Turcæ sine certamine occupanda objici; quibus potitum Turcam quod aliud opus belli reliquum habere, quam ut ipsis Venetiis classem admoveat, easque arcta obsidione premat? Qua re fit, ut Venetiis inclusi non de imperio, sed de ipsis Venetiis dimicare cogantur. Impetu igitur, qui felix esse possit, non perseverantia perspicue exitiosa hoc bellum gerendum: neque segniter aut retractanter agendum; festinationemque, quæ improvida & præceps plerumque sit, in hoc bello unam & certam esse (cætera omni spe abscissa) salutis viam atque arcem.

Igitur Senatusconsulto in hanc sententiam facto, imperatum est Præfecto, ut occasionem pugnæ quacunque ratione captet; Austriumque, & cæteros socios ad idem consilium impellere omni ope contendat, acriterque in consilio pro ea sententia pugnet. Quin etiamsi, antequam cum sociis sese conjunxerit, in Turcicam classem incidat, quæ eo numero sit, ut certamen non omnino iniquum videatur;

tur, rem prælio transigendam det, ac consilium pro re & tempore capiat, faciatque, quod è fide sua & è Republica esse censuerit: quam rem judicii & liberæ existimationis ipsius Præfecti esse voluerunt. Eadem mandata Pontifex Columnæ enixe dat, non minus pugnæ per totum illud bellum ipse quoque cupidus, divini Numinis favori confidens, eademque incommoda & pericula dissolutionis fœderis timens: qui, ut omnes officii partes impleret, Joannem Franciscum Commendonum Cardinalem absentem ad Cæsarem & ad Regem Polonum creat, quem maxime aptum ad eos Principes commovendos existimabat, cuique in primis confidebat: ad eximium enim consilium, ac præstans & versatile ingenium ad omnes magnas res tractandas aptum, singularemque eloquentiam, ac neutiquam vulgarem doctrinam, quæ virtutes jam tum, antequam in Senatum legeretur, in compluribus ac gravissimis Reipublicæ partibus gerendis, legationibus de maximis rebus obeundis, ita enituerunt, ut brevi Senatorii loci illum compotem fecerint, accedebat plurimus ac diuturnus rerum Germanicarum usus, quas varie ac sæpe tractarat, studiaque populorum ac Principum illius Provinciæ tenebat; tum autem intimos sensus Cæsaris & Poloni bene cognitos & perspectos habebat: simul Paullum Odescalcum Episcopum Pennensem ad Italos Principes mittit, qui ab universis illiberale quinque millium peditum stipendium ægre expressit.

Cæterum hæ Legationes Pontificii muneris potius in omnes partes implendi caussà, quàm ulla magnopere fructus spe missæ sunt. In illa esse omnia putavit Pontifex, quæ ad Philippum ipsum decreta est: ad quem, simulque ad Galliæ & Portugalliæ Reges Michael Bonellus Cardinalis Alexandrinus sororis Pontificis nepos Legatus de latere missus est; quem unice diligebat Pontifex, non tam ob sanguinis & generis necessitudinem, quam ob egregias virtutes, ac præstans ingenium, integrosque, & castos mores, ac vitæ cursum continenter actæ: tum autem religionis studium, divinique Numinis metuentem animum, quo etiam sine magno incommodo carere non poterat: senectutis enim levamen erat à molestis negotiis, quorum summam illi commiserat: timebat præterea saluti iter discriminum plenum per Galliam facturi; cæterum Reipublicæ amor præponderabat. Summa mandatorum fuit, de iis, quæ ad fœdus stabiliendum ac difficultates expediendas pertineret, agere: ad hoc aliquam rationem inire Pontificiæ jurisdictionis in Italicis Philippi ditionibus sæculi vitio & regiorum Procuratorum culpa imminutæ & collapsæ erigendæ & in pristinum statum restituendæ; litteris etiam ad Regem datis in hanc sententiam scriptis: *Quantæ curæ & sollicitudini nobis sint ea, de quibus Michael Bonellus Cardinalis Alexandrinus sororis nostræ nepos, noster ac sancti Pontificii solii de latere Legatus tecum aget, vel hinc intelligas licet, quod eum virum ad te misimus, quo nemo nobis est vel sanguine & genere propior, vel charitate conjunctior, quique intimos sensus nostros solus novit, ut vere nos dimidium nostri ad te misisse existimandi simus, cum præsertim illo non sine magno nostro & publicorum negotiorum incommodo, quorum summam illi mandavimus, cariturі simus. Dubitare igitur non debes, quin ille de re omnium maxima, quæque hoc tempore nobis caput curarum est, ad te sit missus. Tu cætera pietati tuæ proximus fueris, si hominem eo honore, eaque comitate exceperis, quo Deus administros suos accipi præcipit, eamque illi in omnibus, quæ nomine nostro tibi exponet, fidem habueris, quam nobis ipsis, si præsentes essemus, habiturus esses.*

Dum Christianorum opera altercationibus, disputationibus, conditionibus ferendis, Legatis circummittendis teritur; interea Turcæ acerrimum bellum gerebant, ferroque atque igne in Christianas Provincias sæviebant: ac Mustaphas omnibus necessariis rebus firmatus, cum tempus gerendarum rerum venisset, omissam Famagustæ oppugnationem magno impetu, magnoque conatu repetit, quindecimque bombardis è Nicosia accersitis, omnibusque ad oppugnationem necessariis instructis, castrisque ex loco, in quo hybernarat, ultro promotis; à parte urbis in Orientem versa, in loco, quem *Percipolam* vocant, consedit, cum castrorum longitudo quatuor millium passuum spatium obtineret: ac fossas ducere, & aggeres excitare, urbemque operibus claudere aggreditur.

Sed prius situs & forma hujus urbis paullo diligentius, quam mos Scriptorum est, nobis est describenda; simulque nomina munimentorum, ac partium urbis sigillatim notanda; quod aliter obscura essent ea, quæ scripturi sumus. Est autem Famagusta maritima urbs, Salamina olim vocata, quamquam nonnulli (ut diximus) Tamassum fuisse putent, insulæ emporium in extrema insula ab ea latitudinis parte, quæ Syriacam oram spectat, portum peramplum habens in Aquilonem vergentem, quem facit Syrtis procul ab urbe per aliquantum spatii à Meridie oriens terræ conjuncta, quæ recta in mare per mille passus excurrens usque ad dimidiam partem undis exstat, reliqua pars, quæ mutata natura undis tegitur, paullatim se terram versus inflectens ultra urbis longitudinem porrigitur: hanc mediam secat altera brevior Syrtis ipsa quoque latens, quæ recta tendit ad arcem, quæ est ad mare in media urbis longitudine ita arcem subiens, ut peranguſtum ostium portus relinquat: cujus alterum cornu extrema hæc ipsa Syrtis est, castello communita, alterum propugnaculum arci conjunctum in mare aliquantum spatii incurrens. Qua re fit, ut portus omnibus ventis flantibus tutissimus sit; fluctibus partim à Syrti exstante omnino repulsis, partim duarum latentium Syrtium objectu illisis ac refractis, ut navigia, quæ sunt in portu lædi, vel jactari non possint. Ipsa urbs duo circiter passuum millia in circuitu patens forma quadrata est, mœniaque fossa præalta cinguntur, ac tredecim turribus, unoque belloarduo per totum ambitum muniuntur: quarum quæ murum ac latus in Meridiem versum firmant nomina sunt, Navalium, & Limisi, & illa ad maritimum, hæc ad terrestrem est angulum; quibus per totam muri longitudinem interpositæ sunt turres Campi sancti, Andrusii, sanctæ Nappæ: latus Occidentem spectans turribus Diocaris, Moracti, Pulacazaris, sancti Lucæ, ac belloarduo, quod est ad alterum angulum, quo murus terminatur, vocaturque Martinenghi, communitur. At tertii lateris Septentrioni objecti angulus maritimus turrim habet Adamantis vocatam, inter quam & angulum belloardui turris Mozzi est interjecta. Quartum latus maritimum, quod in Aquilonem, & orientem solem vergit, perpetuo & ipsum muro cinctum arce, quam diximus esse in media urbis longitudine & duabus circumjectis turribus, quarum altera Dominæ, altera Portæ maris nuncupatur, firmatum est; sed septem præterea castella intra urbem paullum à mœnibus retracta consurgunt ea forma, quam recens bellandi usus induxit, quæ, quod reliquæ munitioni immineant, *imminentia* appellantur, quorum duo duos maritimos urbis angulos muniunt, vocanturque alterum Navalium, alterum Adamantis; illud in Meridiem, hoc in Septentrionem vergit: duo reliqua terrestres angulos, quæ sanctæ Nappæ, & belloardui appellantur, firmant: quintum Moracti duobus terrestribus angulis interjectum: sextum Mozzi, quod est inter angulum terrestrem belloardui & maritimum in Septentrionem versum: septimum Campi sancti maritimo angulo, qui

austro opponitur & terrestri è regione illi respondenti interpositum.

Turcæ munimentis aliis ex aliis deinceps faciendis propius urbem in dies accedebant, castellaque & munitiones cavis perforatas faciebant, in quibus bombardas statuerent ac scloparios collocarent; cum hæc opera Turcis facilia essent in tanta operarum multitudine, quarum numerum ad quadraginta millia fuisse constat; nec ab obsessis opus prohiberi posset, quod magna ex parte noctu fiebat. At obsessi, consilio hostium cognito, curam & operam multifariam prius partitam omnem in eam urbis partem conferunt, in quam totum oppugnationis impetum incubiturum apparebat, quam omni munimentorum genere firmant; validaque statio continenter stabat in via tecta juxta alteram oram fossæ mœnibus adversam, fastigiatumque murum, qui illam sustinet, continentibusque eruptionibus hostes operi intentos turbabant, à quibus brevi desistere sunt coacti; cum postrema eruptione magnum ipsi detrimentum accepissent triginta hominibus cæsis, ac sexaginta graviter vulneratis. Turcæ igitur castellis decem perfectis, tormentisque statutis, ante diem quartum decimum Kalendas Junias murum in Meridiem versum per totam longitudinem ab angulo navalium ad angulum & portam Limisi quattuor & sexaginta bombardis, in quibus fuerunt quattuor immanis magnitudinis, quas *Basiliscos* appellant, ex quinque locis quatere instituunt; cui muneri ipsemet Mustaphas præerat, omniaque, quæ ad eam rem pertinebant, sedulo expediebat; cum non minore impetu, minusve crebris ictibus castella Turcarum obsessi verberarent, nec minus impigre omnia, quæ erant sui muneris, obirent, partitisque muneribus in omnibus maximis & minimis rebus multimoda opera distinerentur, atque omnes tam milites præsidiarii, quam opidani, relictis cæteris urbis partibus, ad murum ipsum à Turcis quassatum consedissent. At ipsi Duces Balionius, Teupolus, Bragadinus, sedibus sibi in Turribus constitutis, omnibus rebus & certaminibus interesse, nihilque providendo, hortando, castigando, prætermittere eorum, quæ usuum & temporum necessitas postulabat; qui singula loca urbis singulis Ducibus tuenda attribuerant, atque omnia displosoribus necessaria sedulo administrabant. Continenti decem dierum verberatione, majora detrimenta Turcæ, quam obsessi acceperunt: triginta enim illorum millia cecidisse dicuntur, atque undecim bombardarum ora corrupta. Cæterum obsessi metu, ne assidue displodendo pulvis brevi deficeret, modum faciendum rati, ad ternas emissiones in die à singulis bombardis rediguntur.

Per ea tempora celox ex Creta venit, quæ subsidii mox adfuturi spe animos obsessorum ad omnia perferenda, ultimaque experienda erexit. Ingenti certamine, magnaque utriusque partis cæde, ac multis vulneribus Turcæ ad ipsam fossæ crepidinem tandem perveniunt; fastigiatoque muro mœnibus adverso potiti, fossam implere aggrediuntur, ingentem terræ vim in illam projicientes: quam, simulque stragem diruti muri, quæ in fossam prociderat, cum obsessi sedula nocturna & diurna opera egererent, Turcæ muro parto pluribus in locis perforato, per illius cava incessentes scloporum ictibus latera ad opus exeuntium, complures eorum interficiebant & vulnerabant: adversus quam pestem obsessi formam quandam munimenti ex asseribus compacti commenti sunt. Cæterum cum omnia remedia adversus tantam ictuum vim ac veluti creberrimam grandinem inania evaderent, inceptum omittere sunt coacti. Quare Turcæ in fossam humum continenter conjicientes, illam tandem usque ad summum implent: muroque, quem in suam potestatem redegerant, perampla porta aperto fossam ingressi, atque humum utrimque projicientes, binas munitiones, quæ utrumque latus subeuntium tegerent, ad quinque loca bombardis quassata recta tendentes perducunt; quas è vestigio ingenti vi saccorum lana refertorum, ac sarmentorum fascibus additis firmant, ne tanta crassitudo ab obsessorum ictibus possit penetrari: quæ res brevi ad effectum perducebantur, cum nulla operis magnitudo operariorum multitudinem superaret. Quare Turcæ ad ictus obsessorum tecti muro succedentes, illum quinque in locis subruere, cuniculosque in urbem agere instituunt. Qua re obsessi nihil animo infracti non deserunt se, hostiumque conatibus obviam eunt, atque ignes artificio compositos in hostium munimenta assidue immittentes, illa multis in locis incendunt & corrumpunt, ut hosti assiduus esset ac necessarius in illis reficiendis exsudandus labor: cuniculos quoque Turcarum cuniculis adversis suffodere incipiunt: cum crebris nocturnis, diurnisque eruptionibus ad opera Turcarum, locaque cuniculorum inspicienda prodirent. In iis rebus administrandis Balionii nullo neque labore corpus fatigari, neque tædio animus vinci. Is omnibus locis discurrere, suos confirmare, & adhortari, operum spectator adesse, operariorum sedulam diligentiam acuere, languescentem excitare, ac pro re & loco modo laudare, modo castigare, loca ruinis patefacta obstruere, validis præsidiis firmare, Turcarum conatibus omni loco occurrere, postremo omnia maxima & minima ipse obire, quæque militaris, atque imperatorii erant muneris, pariter facere.

Dum Famagusta acerrima oppugnatione urgetur, ne Ahamates quidem ad Ulcinium segne tempus terit, urbem pluribus in locis magna vi bombardarum quassans, assiduisque oppugnationibus obsessos, nullaque requie data fatigans. Per quod idem tempus Alis cum Pertao & cum reliqua classe se conjunxerat: qui omnes in Cretam iter dirigunt; atque in itinere Cytheram insulam, quam *Cerigum* vocant, Cretæ & Peloponneso interjectam, irrito ipsam quoque incepto tentant, agro incendiis & ruinis vastato. In Cretam cum applicuissent, sinum Sudæ ingressi, exscensioneque in terram facta, omnia circumjecta pervastant, prædasque hominum & pecorum agunt; ex captivisque cognoscunt, triginta Venetorum triremes ad urbem Candiam stare, ac totidem in portu Caneæ; cum per idem tempus Venerius summus Præfectus cum reliqua classe pari fere navium numero Corcyræ se teneret. Turcæ Suda profecti, ad Caneam, quæ urbs maritima est in Septentrionem versa, natura & opere munitissimam tentandam accedunt, exscensionemque faciunt ad circumjectum agrum populationibus, ruinis, incendiis urendum. Verum casu factum est, ut quo die Turcæ copias in terram exposuerunt, eodem Franciscus Justinianus Genuensis, Dux impiger ac strenuus cum delecta mille Corsorum manu, quos ipsemet scripserat, ad eandem urbem appelleret, qui aliis præsidiis, quæ multis commeatibus Venetiis submissa erant, eodemque tempore ipsa quoque applicuerant, ad tria millia numero sibi adjunctis, audaci eruptione Turcas populabundos adortus, non exigua clade afficit; omnibusque viribus connixus tandem avertit: quos insequentibus diebus assiduis ac subitis eruptionibus vexando, à libero discursu, & populationibus, ac direptionibus continebat. Quare Turcæ cum quattuor dies ad Caneam stetissent, non minoribus acceptis, quam illatis detrimentis, discedere sunt coacti.

Verum longe alio eventu secundum exscensum in eandem insulam fecerunt. Retimum enim urbem omnium pulcherrimam & nobilissimam in eadem ora

ora defensoribus inanem repertam subito adorti capiunt, captamque diripiunt & incendunt, magnamque ex ea prædam agunt, ingenti numero æris adsportato, cujus magna vis reperta est in eam urbem in fabricationem vasorum coacta, quibus generosissima vina excoquuntur. Consilium erat ex Creta Messanam petere, ibique subsistentes facultatem classes in unum contrahendi Christianis intercludere. Cæterum nuntiis ac litteris ab Ahamate acceptis; quibus docebat, nisi classis ad Ulcinium accessisset, solis terrestribus copiis maritimam urbem ac munitam expugnari non posse, neque ullam esse spem sine maritima classe ullius rei in Dalmatia bene gerendæ, cujus ora mari, quam terra accedentibus opportunior sit: aliter omnes conatus irritos fore, ac proinde omnibus precibus orabat, postulabatque, ut quamprimum ad se accedere maturarent. Illi cum mandatum haberent ab Imperatore, ut Ahamati ipsorum opem imploranti ne deessent, consilio Messanæ omisso, classe conscensa in sinum Adriaticum iter dirigunt: atque in itinere exscensione in Cephaleniam & Zacynthum facta, agroque ubique omni clade belli vastato, atque opidis frustra tentatis, magnas prædas undique agendo, iter persequuntur, Corcyramque prætervecti, quam, inflammato studio in sinum penetrandi illos rapiente, intactam reliquerunt, tandem Ulcinium appellunt: cui præerat Sciarra Martinengus, vir fortis ac strenuus: qui validam & continentem florentissimi exercitus oppugnationem triginta dies egregie sustinuerat; cum singulari audacia & diligentia Hermolai Teupoli biremium Præfecti haud contemnenda hominum, ac commeatuum, & bellicorum apparatuum, aquæ in primis, cujus inopia maxime laborabatur, subsidia bis introducta fuissent maximis discriminibus spretis & superatis. Ad extremum Martinengus, cum omnia, quæ militaris muneris essent, cumulate implevisset, seque ancipiti discrimini in se unum intento imparem intelligeret, pactus, ut præsidium, & opidani, omniaque ipsorum salva essent, Bassis, qui erant in classe, deditionem facit. Cæterum fides pactorum servata non est. Ahamates enim iratus obsessis, quod deditæ urbis decus ac laborum à se exhaustorum fructum à se, cui jure debebantur, ad eos, quorum in ea oppugnatione nulla fuisset opera, transtulissent, opidum ingressus diripiendum militibus suis dedit: quos classiarii conspicati prædam ex tradito opido in oculis ipsorum agentes, ne ipsi illius essent expertes, contineri à discursu & à raptu non potuerunt: nemo omnino ex obsessis manus militum evasit, præter Sciarram & Præsidem Venetum ægre à Bassis servatos.

Cæterum non magis in defendendo Ulcinio virtus & fides Præsidum enituit, quam in prodendo Antivari valido opido ac munito, quodque expugnationem diu posset extrahere, ignavia Alexandri Donati opido præfecti insignis fuit. Is, simulatque Ulcinium captum audivit, non exspectato exercitus, aut classis adventu, ipse ultro ad Bassas accurrens opidum tradit, incolumitatem præsidio & opidanis pactus. Constitit fides in opidanis, quos nulla re Turcæ violarunt: præsidiarii omnes captivi abducti. Donati insigne flagitium ad perfidiæ interpretationem Venetiis revocatum est: quare jure civitatis ipse atque ipsius posteritas privata est, omnique Veneta ditione maritima & terrestri exterminatus; quæ pœna apud Venetos maxima est. Exemplum Antivaris consecuta est Budua, quæ ipsa quoque oppugnatione non exspectata deditionem fecit: neque id tamen cum ulla Præfecti turpi nota. Nam neque munita urbs erat opere, aut natura, neque ullo præsidio firmata: quam tamen post classis discessum Zacharias Salomon Præfectus Catari copiis maritimis & terrestribus admotis è vestigio recuperavit. Capta Budua contentio orta est inter Bassas & reliquos exercitus Primores, tentandum ne esset Catarum: cum negantes nimis tempus anni processisse dicerent: erat enim in exitu mensis Augustus: decretum est igitur Imperatoris jussum exquirendum, quod dum classis in sinu Catari exspectat, interea ne totum illud tempus inane elaberetur, missi sunt Craidia Præfectus piratarum, & Uluzalis Vicarius Regni Cyrthæ cum sexaginta triremibus, qui ad interiora sinus penetrarent. Qui cum ad insulam Cursulam, quam Veteribus Corcyram nigram fuisse puto, applicuissent, Antonius Balbus, qui erat in præsidio opidi, turpiter illud deseruit. Qua de caussa ipse quoque perpetuo exsulio à Venetis mulctatus est: cujus flagitium insignius facit Antonii Rosselei Dalmatæ sacerdotis, atque opidi Antistitis spectata virtus atque egregium in Rempublicam Venetam promeritum. Is enim, cum una cum Præfecto præsidium quoque atque opidani maxima ex parte opido excessissent, sese non deseruit, sed audaciæ astum addens egregio stratagemate opidum ex faucibus Turcarum eripuit. Mulieres enim & imbellem multitudinem, quæ remanserat, galeis ac telis, quæ fugientes reliquerant, armatas murum conscendere jussit. Quarum frequens corona cum murum Turcis adversum replesset, Turcæ multitudine speciem armatorum militum præferentium, ac superbam fiduciam virium ostentantium commoti, omnem conatum ad opidum egregio præsidio firmatum irritum rati, illo non tentato discedunt, ac Lesinam petunt. Ad quorum adventum Præfectus Venetus, cum opidum neque natura, neque opere munitum oppugnationi sustinendæ non esset, se in arcem munitam recipit. Quare Turcæ exscensione facta, opidum incendunt, ac de expugnatione arcis desperantes aversam insulæ partem petunt, copiasque in terram exponunt. At insulani magno numero obvii facti, manum conferunt, omnibusque viribus connixi Turcas tandem avertunt & in fugam conjiciunt: qui re infecta classe conscensa Catari sinum repetunt, seque cum reliquis conjungunt.

Interea res ad Famagustam graviores & asperiores in dies fiunt, ac Turcæ ad undecimum Kalendas Julias pulvere indito cuniculum sub turrim navalium actum incendunt, tantusque fuit emicantis ignis impetus, ut cum horribili terræ motu magnam crassissimi muri partem ingenti cum fragore magna fenestra aperuerit, ac munitionem ab obsessis ad pectus pugnantium tegendum super eum excitatam everterit: quare Turcæ haud cunctandum, neque occasionem omittendam rati, ingenti clamore sublato conferti, ac magno numero è vestigio per recentem stragem sub signis scandentes ad summum perveniunt, magnoque impetu in urbem perrumpere contendunt. Cæterum iis, quibus locus ille defendendus attributus fuerat, cum multi undique Ducum vocatu eo concurrissent, acriter locum tutantibus, cum multorum cæde & vulneribus semper repulsi sunt, cum plus quinquies magno impetu connixi oppugnationem integrassent, Balioniusque ipse sibi in tanto discrimine nihil parcens in media pugnæ mole versaretur, Bragadinusque & Quirinus subsidia atque integros loco sauciorum assidue submittentes, omnia, quæ res & tempus postulabant, sedulo administrarent, arcisque Præfectus ex propugnaculo arci conjuncto, quod in mare usque eo procurrebat, ut Turcarum pugnantium corpora illi aperta essent, bombardarum ictibus ingentem illorum ediderit cædem. Ciciderunt in ea oppugnatione de obsessis ad centum, infelici casu à suismet compositis ignibus, dum non satis caute ab administrantibus tractantur, absumpti, in quibus fuerunt nonnulli haud obscuri nominis

minis & spectatæ virtutis ordinum ductores ac signiferi; cum de Turcis longe major numerus occubuerit.

Cæterum non tam oppugnationes ac cædes & vulnera obsessos conficiebant, quam vigiliæ & labor, qui assiduus in opere erat exsudandus. Ubicumque enim muri prociderant, ac sonitus suffodientium, & cuniculos agentium exaudiebantur, interiores munitiones ducebantur, ex cuppis ac sacculis madida humo refertis lateribus prominentibus firmatæ, opidanis stragula, lintea, tapetia, aulæa, toralia, mappas, omnemque domesticam supellectilem, sine ulla retractatione, ministrantibus. Quæ omnia cum assiduis bombardarum ictibus sæpe everterentur, sæpe reficienda erant; quæque die aperiebantur & prosternebantur, ea noctu obstruenda & erigenda. Ad hoc Turcæ sæpe ad arma clamantes obsessos in armis perpetuo habebant: ut nulla à laboribus nocturna, aut diurna daretur quies. Ante diem tertium Kalendas Julias Turcæ cuniculum in saxo ad propugnaculum excavatum incendunt, tantoque impetu ignis erupit, ut saxum aperuerit, ingentique ruina super ædificatum murum, & munitionem pectus tegentem everterit, facilemque adscensum Turcis præbuerit: qui eo in loco, & ad navalia urbem magno impetu aggrediuntur. Ingenti animorum atque irarum certamine utroque in loco res gesta est; quamplurimique in sex horarum oppugnatione utrimque ceciderunt: cum obsessi, munitione pectus tegente decussa, patentes Turcarum ictibus locum tamen non desererent, sed fortiter pugnantes vulnera acciperent & inferrent: cum permultæ quoque mulieres, majore excidii metu naturalem sexus timiditatem vincente, partem laboris ac pugnæ capesserent; telaque ac ferventem aquam in hostes subeuntes projiciendo, haud mediocri laborantibus auxilio essent: Episcopusque Limisi augustissimum crucis signum præferens pugnantibus adesset, illorumque studium & ardorem piis adhortationibus incenderet.

At Turcæ detrimentis in oppugnationibus acceptis perculsi, supersedendum aliquandiu, majoreque opera & conatu mœnia prosternenda esse statuunt. Quare septem aliis castellis propius opidum excitatis, bombardisque in illa à primis remotioribus translatis, quinquaginta bombardis omnia loca, omnesque interius ductas munitiones, ac pectus tegentes quatere instituunt: quas decussas obsessi reficere non poterant, cum qui erant in opere, continentibus bombardarum ac sclopорum ictibus exanimati caderent, ut ad exiguum numerum redacti sint; Turcæque non modo quatiendo, sed ligonibus quoque suffodiendo propugnaculum portæ Limisi in eum statum adduxerint, ut obsessis munitionem pectus tegentem amplificantibus ac crassiorem facientibus area coarctata sit. Qua re factum est, ut obsessi illam tabulato ante se statuto dilatare coacti sint, cuniculusque sub propugnaculo ab ipsis obsessis suffosus est, eo consilio, ut si ipsi inde excedere cogerentur, illius possessio magnis detrimentis hosti constaret. Turcæ igitur, tantis ubique editis stragibus, ante diem septimum Idus Julias tertiam oppugnationem instituunt, quattuorque in locis eodem tempore urbem aggrediuntur, hoc est, propugnaculum ante portam Limisi, turrim sanctæ Nappæ, turrim Andrucii, turrim ac continentem murum navalium. Atrox ubique fuit sex horarum pugna, Turcæque propugnaculo magna ipsorum clade potiti sunt. Nam, cum ii, qui locum illum tutabantur, ob areæ angustias, quas diximus, hastas commode tractare ac circumagere non possent, resque in extremum casum adducta esset, inde cedere coacti sunt: quod dum incompositi & confusi faciunt, nonnulli eorum cum Turcis propugnaculo potitis immisti sunt. Qua re factum est, ut cum ignis cuniculo jussu Balionii est inditus, Turcæ omnes, qui erant in propugnaculo, ad duo millia numero horribili spectaculo ab erumpente flamma hausti sint, cum quibus ad centum ex obsessis una conflagrarunt: ita in miserorum quoque caput pestis ab ipsismet aliis parata recidit. Multi haud obscuri nominis ordinum ductores, exercitusque primores ea in oppugnatione, & ad propugnaculum, & aliis in locis ceciderunt: cum mulieres & omnis imbecilla ætas opem ferrent, non solum necessarias res pugnantibus suggerendo, sed corporibus quoque suis pugnam miscendo.

Cum ea propugnaculi strages facta esset, ut refici nullomodo posset, latus sinistrum, quod reliquis urbis partibus collapsis solum stabat, ipsum quoque ab obsessis suffossum est. Erat ante propugnaculum porta Limisi, ut diximus, perpetuo patefacta, ex qua obsessi continenter ad humum auferendam, & in opidum comportandam prodeuntes, crebro per varias occasiones cum Turcis manum conferebant: ab eo exitu Turcæ, munitione super strage diruti propugnaculi excitata, obsessos prohibuerunt; pridieque Idus Julias quarta oppugnatione portam ipsam invadunt, cum ad cætera loca ad arma conclamassent, quo obsessos ab ope ferenda iis, qui portam defendebant, distinerent. At Balionius milites cohortatus, portam cum delecta armatorum manu erumpens Turcas invadit; quorum primo impetu magnam edidit cædem, cæteris in turpem fugam versis; cuniculoque lateris incenso, quadringenti superstantes Turcæ concremati sunt; Balioniusque signum, quod vi ex signiferi manu eripuerat, in urbem tulit. At Turcæ nihil de instituto labore remittentes, obsessosque in dies acrius urgentes, transversa munimenta in fossa inchoata in majorem altitudinem in dies extollebant, ut tutius ad ictus opidanorum ea, quæ oppugnationis usus postulabat, administrarent; omnique exteriore humo murum contingente, qui crepidinem fossæ mœnibus adversam sustinet, egesta, fossam effecerunt, in qua exercitus consedit, tentoriis collocatis; cum ipsum murum crepidinem prius sustinentem pro munimento haberent, quo ad ictus adversos ex opido emissos tegebantur, superque eodem muro septem bombardas statuerunt, quibus opidum continenter ex propinquo verberabant, tabulatisque, & pellibus contecti munitiones opidanorum subruere pergebant; quas opidani reficiebant, patefacta loca pellibus bubulis, quas multa madida humo, lanaque, & aliis rebus referciebant, ac funibus arte constringebant, obstruentes. In quibus rebus administrandis sedula feminarum opera, & diligentia, atque indefessus labor exstabat: quæ in cohortes partitæ, quibus singulis singulæ urbis partes assignatæ erant, commissa munera impigre obibant, humum, saxa, aquam, aliosque necessarios apparatus ad loca, ubi pugnabatur ac laborabatur, comportantes, maximeque necessarius erat usus aquæ ad incendia exstinguenda, quæ excitabant sacculi à Turcis intra opidum assidue conjecti, in quibus erant ollæ sulfure & pulvere refertæ, quæ terræ ex sublimi allisæ confringebantur, ex eisque subita emicans flamma proximos corripiebat: qua peste multi mortales perierunt.

Cum conatus capiendæ portæ irritus evasisset, Turcæ novam oppugnationis viam ineunt: magnam enim vim ligni tiliæ, cujus natura ea est, ut ignem subito concipiat, facileque uratur, gravemque ac tetrum odorem late effundat, in fossam conjiciunt, eoque cum sarmentorum fascibus una conjectis incenso, id incendium excitatum est, quod quattuor continentes dies duravit; quod ab opidanis nulla aquæ vi superne projecta exstingui potuit: ut qui mœnia defendebant, nimio æstu ac gravi odore victi ex assignatis locis excedere cogerentur: Turcæ

cæque occaſione arrepta, in loca infima deſcendentes, nullis obſeſſorum ictibus impediti, propugnaculum dirutum momento temporis cum ingenti obſeſſorum admiratione reficiunt, in cujus area bombardam è regione portæ ſtatuunt: quam tamen obſeſſi ingenti vi ſaxorum, terræ, atque omnis generis materiæ projecta parvo interpoſito ſpatio obruerunt.

Jam ad extrema ventum erat; omniaque obſeſſos deficere incipiebant, præterquam Ducum & Præfectorum virtus & providentia, ac militum ardor, & ſpes exſpectati ſubſidii; laborabaturque extrema victus inopia, vino, caſeo, carnibus non recentibus modo, ſed ſalitis quoque, omniſque generis frugibus & alimentis conſumptis; cum ne ab equis quidem, & aſinis, & felibus abſtinerent, neque ullum cibi genus eſſet tam ſordidum, atque immundum, quo vitam tolerare non cogerentur; acetoque loco vini aquam miſcerent, quod ipſum quoque defecit: ad hoc hoſtes nullam ſibi à laboribus quietem dantes, qui in tanta hominum multitudine illis tolerabiles ac faciles erant, aliis in aliorum locum ſuccedentibus opera urgebant, tribuſque cuniculis caſtellum portæ ſuffodiebant, cum ſonitus ſuffodientium exaudiretur: ad hoc terrenos tumulos, ac caſtella altitudinem mœnium ac caſtellorum opidi æquantia excitarunt. Jam vero Italiæ copiæ à quattuor millium numero ad octingentos redactæ erant, cum reliqui varia peſte periiſſent: quæ etiam maximam partem Græcorum & incolarum abſumpſerat, ut illorum quoque mira paucitas eſſet: ſuperſtiteſque vigiliis, laboribus, qui aſſidui eoſdem dies ac noctes urebant, ac præliis, cum in rapidiſſimis æſtibus continenter pugnandum, ac laborandum eſſet, ita confecti erant, ut vix hærere atque arma ſuſtinere poſſent.

Quibus malis victi civitatis Primores ſupplici libello à Bragadino Præfecto petunt, ut fide ſua ac ſtudio Dominis ad extremum perſoluto; omnibuſque bonorum ſubjunctorum officii gradibus ſancte, ac diligenter, & cum fide ſervatis, ipſorum ſaluti conſulat, urbiſque excidium prohibeat: ne-ve ſe ipſos, ac præſidium, miſeroſque cives, atque ipſorum uxores, ac liberos cædibus, injuriis, ac contumeliis immaniſſimorum hoſtium objectos velit: quarum rerum vitandarum unam eſſe deditionis viam, quam honeſtis conditionibus conventuram haud dubitandum ſit. Benigna & ſapienti oratione conſolatur ſupplices Bragadinus, abjectoſque excitat, neque rem adhuc eo adductam docet, ut de deditione ſit cogitandum. Subſidium enim promiſſum mox adfuturum confirmat; celocemque ea de cauſſa, ipſis inſpectantibus, in Cretam mittit: qua ſpe ſi fruſtrentur, non ſe eum eſſe demonſtrat, qui pertinacia ſua illos, ſe ipſum, præſidium, totque inſignes Duces Turcis prodere in animo habeat, ſed conſilia ſe ad tempus de ipſorummet ſententia accommodaturum. Proinde hortatur ne animum deſpondeant, ſed qui omnia fidelitatis & obſervantiæ ſuæ in Dominos officia abunde perſolverint, hanc quoque extremam operam navare ne graventur. Quibus verbis ac promiſſis erecti opidani ſeſe ad labores de integro exhauriendos, omniaque extrema ſubeunda confirmant.

At Turcæ operibus ad effectum adductis, cum interea obſeſſorum in novis munimentis excitandis aſſidua & indefeſſa opera fuiſſet, ante diem tertium Kalendas Auguſtas cuniculis incenſis maximam partem caſtelli portæ imminentis, ac quidquid turris navalium reliquum adhuc ſtabat, evertunt, multis de obſeſſorum primoribus, atque unius ſigni militibus omnibus ruina obrutis: è veſtigioque mœnia invadunt: ſexque fuit horarum atque atrox oppugnatio, in qua ingens Turcarum numerus cecidit. Inſequenti die oppugnationem iterant Turcæ, verum minore impetu, minoreque animorum certamine, minore ac prælio. Quare minimum ſanguinis ac vulnerum fuit, cum tamen Turcæ à maritima quoque parte obſeſſos exercerent, atque ex triremibus omnes urbis partes creberrimis bombardarum ictibus verberarent. Cum omni annona, omnique bellico apparatu conſumpto, ut ne pulveris quidem quidquam jam ſupereſſet, neque exſpectatum ſubſidium, cujus ſpe adverſus omnia mala animum invictum præſtiterant, uſquam appareret; neceſſitati tandem parendum fuit. Quare Kalendis Auguſtis induciis cum Turcis pactis, ut de conditionibus deditionis tuto agi poſſet, obſidibus utrimque datis, paucis commutatis verbis, deditio in has conditiones facta eſt: *Præſidium, omneſque milites, ac Duces incolumes cum veſtibus, atque armis, ac quinque bombardis, tribuſque inſignibus equis diſcedant, tutumque iter illis in Cretam inſulam detur, ipſæque Turcarum triremes illos deducant: opidanorum nemo violetur, ne-ve ſolum exſulii cauſſa vertere cogatur, ſuaque omnia illis ſalva ſint; ac Chriſtianorum inſtituto vivere liceat.* Quas conditiones ſcripto ad ſe miſſas Muſtaphas chirographo approbat; maximaque militum pars ſtatim in triremes in portum ea de cauſſa à Turcis miſſas impoſita eſt: poſteroque die Bragadinus ac Balionius cum Ducum ac primorum cohorte opidum egreſſi à Muſtapha lætitiam vultu præferente, fallacique ſimulatione perfidiam & immanitate efferatum animum tegente, benigne, honorificeque excipiuntur, apud ſe in tentorio conſidere juſſi. Qui cum multa de illorum virtute & conſtantia prædicaſſet, cui ſe omnibus locis egregium teſtimonium daturum confirmavit, cumque in colloquio mentionem de quibuſdam Turcis captivis intuliſſet, eoſque per impudentiſſimam calumniam à Bragadino per induciarum tempus necatos mentitus eſſet; furens conſurgit, inermeſque, ac fidem conventorum obteſtantes comprehendi jubet: qui vincti in aream extra tentorium ante illum producti, in quibus fuit ipſe Balionius, ad unum ejus juſſu trucidantur, excepto Bragadino, quem reſervavit, ut omnibus inhumanæ ſævitiæ & contumeliæ exemplis in illum edendis rabiem exſatiaret: quem cum extentam cervicem, quaſi ſecuri in ſe intentæ ſubjiciendam per ludibrium ter porrigere coegiſſet, tandem naribus & auribus detruncatis, humi diſtento ſuperbis ac contumelioſis verbis inſultabat, ſubinde quæritans, *Ubi nunc ſuus ille eſſet Chriſtus, quem coleret, ac quid ita non illius manibus, ope & numine ex ipſius manibus eriperetur.* Qui in naves impoſiti fuerant milites ſpoliati, ac remo mancipati ſunt: reliqui, qui nondum conſcenderant, omnes obtruncati, Teupoluſque ſuſpendio necatus; pauciſque poſt diebus, Bragadinus, Muſtapha inſpectante, ad omnia loca mœnium, quæ quaſſata corruerant, circumducitur, duos cophinos terræ plenos collo geſtans, humumque ſemper oſculari juſſus, cum inſpectantem Muſtapham præteribat; deinde in ſella poſitus, ac vinctus ſublimis ad ſummam antennam elatus eſt, ut militibus remo nexis ſpectaculo eſſet. Ad extremum in foro ducto vivo pellis detracta eſt, cum ille conſtantiam retinens, nullum umquam fracti animi, aut intolerandis humanæ patientiæ cruciatibus victi verbum emiſiſſet. Quin contra, Deo immortali gratias agens, qui ad talem exitum vitæ ſeſe reſervaſſet; perfidiamque & violatam fidem Muſtaphæ exprobrans animam edidit. Pellis palea referta atque antenna ſuſpenſa in Syriam miſſa eſt, totaque ea ora ad ſpectaculum circumlata. Ita Turcæ tota inſula ac Famaguſta potiti ſunt. Quam urbem centum quinquaginta millibus emiſſionibus bombardarum per ſeptuaginta dies continenter quaſſarunt. Quæ res ex globorum inito numero conſtat: tot enim in urbe ipſa & in foſ-

ſa reperti ſunt: quæ tamen oppugnatio multo ſanguine, multaque cæde illis ſtetit: ad octoginta enim mortalium millia periiſſe pro certo creditur, varia peſte abſumpta: in quibus fuerunt Baſſa Anatoliæ, Muſtaphas voluntariam militiam profeſſorum Dux, Sangiacus Tripolis, Frigutes Dominus Malatiæ, Framburanus Antippi, unus ex Arabiæ Sangiacis, Framburanus Viertis, compluresque alii Duces, & primores exercitus.

Per ea tempora M. Antonius Columna Præfectus Pontificius cum duodecim triremibus ſuis Meſſanam venerat. Ibi cum cognoviſſet magnam partem claſſis Venetæ Corcyræ cum periculo ſe tenere, iis de cauſſis, quas ab illo Venetiis propoſitas ſupra memoravimus, per litteras ac certos nuntios Præfecto magnopere ſuadet, ut inde quamprimum proficiſcatur, ac Meſſanam ſe conferat; ubi tuto adventum claſſis Hiſpanicæ ſecum exſpectet. Eadem quoque fuerat Senatus Veneti ſententia, ejuſque rei mandata eodem fere tempore Præfectus acceperat. Quare nihil cunctatus, Quirino & Canalio, qui erant in Creta, voluntatem Senatus demonſtrat, ſeque Meſſanam illico profecturum ſcribit, ibique cum Pontificiis & Hiſpanis conjuncturum. Proinde imperat, ut ipſi quoque navibus omnibus undique contractis, extemplo idem faciant. Dictaque è veſtigio factum ſecutum eſt. Nam Corcyra cum ſeptem & quinquaginta triremibus, quas habebat, ac ſex majoris formæ navibus longis, quas *galeatias* appellari diximus, extemplo ſolvit, Meſſanamque ſecunda uſus navigatione incolumis pervenit, ſolumque Columnam cum Pontificia claſſe in eo portu invenit; dumque Auſtrium exſpectat, ſex triremes in Calabriam mittit ad vina in uſum claſſis petenda: quas atrox ac ſubita procella adorta depreſſit.

Dum ea in Oriente geruntur; Auſtrius, bello Granatenſi ſub nuntium fœderis icti commodum confecto, qui non prius octavo Idus Junias in Aula acceptus eſt, ab Aula juſſu Regis proficiſcitur: cum multis ante diebus Ludovicum Recheſentium Legatum à Rege illi datum Commendatarium maximum Caſtellæ præmiſiſſet ad ea, quæ erant in profectionem neceſſaria expedienda, cumque Barchinonem perveniſſet, duabus Hiſpanorum legionibus, quarum alteri præfectus eſt Michael Moncada, alteri Lupus Figueroa, in naves impoſitis ſolvit; octoque dierum navigatione ad ſeptimum Kalendas Auguſtas Genuam pervenit, in itinere filios Cæſaris ad patrem proficiſcentes morbo retardatos exſpectare coactus. Cumque tempus anni jam multum proceſſiſſet; præteritam moram diligentia ſarcire cupiens, ne tempus gerendarum rerum omne inane elaberetur, Alvarum Baſſanum Marchionem ſanctæ Crucis Neapolitanarum triremium Præfectum extemplo Neapolim præmittit, dato mandato, ut enixa opera, ſedulaque diligentia, omnia, quæ uſus belli poſtulat, comparare & expedire contendat: ſimul ut legio Hiſpanica, quam illi vehendam tradidit, in ea urbe aliquot dierum quiete à laboribus in bello Granatenſi exhauſtis reficiatur. Ipſe rebus, quæ Genuæ expediendæ erant, ita inſtitit, ut Kalendis Auguſtis ex ea urbe ſolverit, Joanne Andrea Auria Genuæ cum triremibus ſuis ac nonnullis onerariis in uſum hujus belli conductis, & Joanne Cardonio Præfecto Siculæ claſſis cum viginti octo triremibus in portu Lunæ relictis: quorum Auria alteram Germanicam legionem, cujus Dux erat Albericus Lodronius, eaſque Italas copias, quas ex Longobardia Sigiſmundus Gonzaga adducebat, in naves imponeret. Ipſe ſecunda navigatione uſus ante diem ſextum Idus Auguſtas Neapolim appulit, quem paullo poſt conſecutus eſt Cardonius cum legione Germanica: quem Auſtrius è veſtigio cum adductis copiis Panormum mittit ad commeatus & cætera, quæ in uſum belli parata erant, Meſſanam devehenda. Ipſe Neapoli ſubſtitit, omnibus curis in neceſſarias res expediendas verſis, in eaque urbe ſceptrum ſummi imperii, ac vexillum à Pontifice miſſum per manus Antonii Perenotti Cardinalis Granvelani, quem Philippus Regno Neapolitano cum imperio præfecerat, Pontificii ad eam rem Legati tradita accipit: omnibuſque diligenter proviſis & expeditis, ipſe cum Italorum cohorte, cujus Dux erat Paulus Sfortia, ante diem tertium decimum Kalendas Septembris Neapoli proficiſcitur; Baſſano cum triginta triremibus ac nonnullis onerariis in ea urbe conductis Neapoli relicto, qui legiones Hiſpanorum cum aliquantum refectæ eſſent, ac copias, quas Comes Sarnius ducebat, commeatuſque, & armamenta, ac bellicos apparatus Meſſanam veheret; nullaque tempeſtate retardatus tandem Meſſanam venit, ingenti cum lætitia à Præfectis Pontificio & Veneto exceptus: poſteroque die antequam in terram exſcenderet, concilio in prætoriam convocato, in quo fuerunt ſummi tantum Præfecti, eorumque Legati Ludovicus Recheſentius, Pompejus Columna, Auguſtinus Barbaricus, orationem ut non omnino incomptam, ita militariter gravem habet: qua primum gratias agit Præfectis nomine Principum, à quibus miſſi erant, qui tam ſplendida de ſe judicia feciſſent; quique ætati nondum ſatis maturæ tantum imperium mandaſſent, ac tantam molem rerum commiſiſſent. Hoc illorum judicium ſe dicit ad honorem ſibi amplum quidem & magnum; cæterum ad ſollicitudinem, & curam, ac laborem majus exiſtimare. Omni ſe igitur ope annixurum, ne illos conſilii ſui pœniteat: deinde cauſſas moræ ſuæ exponit; ſeque, cum nihil de ſumma diligentia remiſerit, graviſſimis tamen occupationibus, quas ſigillatim perſecutus eſt, non prius eo tempore ſe Meſſanam pervenire potuiſſe demonſtrat: ſed non ſegne tempus illud omnino abiiſſe, quod in copiis, & commeatibus, ac bellicis apparatibus ex variis ac longe inter ſe diſſitis locis contrahendis poſitum ſit: quæ partim jam convenerint, partim mox ſint affuturæ. Summam fore, unam & octoginta triremes; onerarias duas & viginti; peditum duo & viginti millia, quorum octo millia octingenti Hiſpani ſunt, undecim millia Itali, reliqui ad tria millia Germani: magnam præterea vim tormentorum ac bellicorum apparatuum omnis generis, magnamque commeatuum copiam comparatam: ſecutam ſe præterea inſignem Procerum ac primariæ nobilitatis hominum manum, quos generoſus animi impetus, ac divinitus menti prælatum lumen ad animam religioni & gloriæ devovendam adegit. Ad extremum addit, Regi non potius ſuum ipſi privatum, quam commune ſociorum bonum eſſe: neque Venetorum caſus & anguſtias ipſis quam Regi graviores eſſe: nullum ſe igitur diſcrimen pro illis recuſaturum, notas ſibi eſſe malevolorum & obtrectatorum calumnias, qui vulgaverint neque ipſi, neque Regi conſilium eſſe fortunam communis Martis experiri: eorum improbos ſermones non ſe verbis more oratorum, ac cauſas agentium, ſed factis refutaturum. Ingentes gratiæ actæ ſunt à Præfectis, quæque locus & res poſtulabant, reſponſa, paucisque interjectis diebus, cum omnes copiæ Philippi tam terreſtres quam maritimæ conveniſſent, neque aliud exſpectaretur, quam adventus ex Creta reliquæ claſſis Venetæ; Præfectus Venetus cum illam mox adfuturam polliceretur, Auſtrio inſtare, ne ſolvere, ac claſſem hoſtilem petere cunctaretur, in eas anguſtias dictitans adductam eſſe rem Venetam, quæ dilationibus locum non dent. Non enim aliter finem impoſitum iri cladibus, quas continenter aliam ſuper aliam terra marique accipiant, quarum numerus iniri

iniri vix possit: naves suas à Turcis quotidie intercipi; in quibus fuerunt tres triremes, ac totidem onerariæ magna vi delectorum militum, ac nauticorum sociorum, omnique bellico apparatu refertæ: Dalmatiam atque insulas suas lugubri bello uri, urbes atque opida capi, ac diripi, & incendi; cunctaque ferro, sanguine, ruinis, populationibus misceri. Austrius moveri damnis Venetorum, ac cupere opem ferre; cæterum re ad consilium relata ac disputationibus agitata, decretum est, non prius Messana movendum, quam reliqua classis convenisset; aliter in tam dispari navium numero nimis periculose hostem adiri, aut quidquam contra illum tentari; cum præsertim omnis Christianorum fortuna in ea classe periclitetur, constaretque Turcas trecentas naves longas habere; easque remigio, nautis, navalibus sociis affatim suppletas ex tot nauticis viris in Venetis navibus captis; ad hoc milite instructissimam esse verisimile videretur, quem supplere potuissent ex propinquo Illyrico exercitu. Missus est interea Ægidius Andrada Hispanus, vir impiger ac nauticarum rerum peritus cum duabus expeditis triremibus exploratum, ubi classis hostium esset, quid moliretur, quid animi, quid consilii haberet, qui omnia certa investigata referret.

Interea Turcæ certiores ab exploratoribus facti Austrium Messanam appulisse, in eamque urbem copias Christianorum contrahi, ne Orientis Provincias nudatas navali præsidio Christianorum conatibus expositas relinquerent, simul imperii memores, quod erat, ut diximus, ut cæteris posthabitis omnia facerent, ut Christianam classem ad prælium adigerent; Cataro solvunt, ac retro qua venerant, viam repetentes Corcyram se conferunt. In qua insula circiter quindecim dies in ancoris steterunt adventum Christianæ classis exspectantes, cum qua prælio decernerent, cum interea multa detrimenta inferrent, suburbiis incensis, totaque insula incendiis & ruinis deformata; cum tamen virtute & diligentia Præsidum nullam hominum aut jumentorum prædam egerint; quæ Præsides in opidum subduxerant: quod edito loco positum duæ imminentes arces tutum faciunt. Tandem satis se ad audaciam & cupiditatem pugnæ testandam commoratos rati, dimidio Septembri mense circumacto; cum tempus veteri instituto classibus Constantinopolim exeuntibus ad reditum in eandem civitatem constitutum appropinquaret; simul ad pericula tempestatum imminentia evitanda, Corcyra solvunt, iterque in Orientem intendunt, cum prius Pertaus duos certos homines misisset; Alterum ad Imperatorem cum litteris, quarum initio res gestas illius æstatis persecutus, cum statum classis illi demonstrasset, quæ omnium rerum, atque in primis bellatorum inopia laboraret, quorum magnam partem varia pestis absumpsisset, cum superstites vires, laboribus, vulneribus, morbis affectas haberent, imperia deposcebat: Alterum Caragealim non obscuri nominis piratam, hominem impigrum, ac magni in navali re usus, ad motus & consilia Christianorum specülanda: in itinere exscensione iterum in Cephaleniam facta, omnia cædibus, incendiis, direptionibus, vastationibus complent: classisque omnis ingenti præda onusta sub finem mensis Septembris in sinum Corinthiacum se recipit: isque fuit Expeditionis illius æstatis finis: quam præter supplementa ad exercitum Famagustam subvecta, atque Ulcinium & reliquas urbes in Dalmatia captas, omnem incendiis, rapinis, direptionibus exercuerunt.

Cæterum cibariis jam omnibus consumptis, magnam vim panis torridi jussu & providentia Bassæ præparatam Naupacti invenerunt. Erant in classe circiter sexaginta privatorum hominum navigia: quos latrociniis ac piraticam faciendo vitam tolerare solitos, simulatque auditum est, Imperatorem maritimam classem ad bellum armare, stipendiorum ac majoris prædæ spes omissa piratica ad reliquam classem contrahere solet: quorum opera, ut hominum longa navalium rerum exercitatione, ac diuturnis malis duratorum fortis in primis & impigra, magnoque usui rebus gerendis esse consuevit. Ex iis ad triginta æstate exacta, & expeditione confecta, ad hoc minutis navigiis utentes, & ad vim sævientium tempestatum, ut in autumni tempore in illo mari imminentium sustinendam parum firmis in tam longo præsertim itinere, quo domus repetenda erat, discesserunt, commeatu à Bassa facile impetrato, cum nullus jam ipsorum usus fore putaretur, ac rebus ubique feliciter confectis quieturos sese putarent Bassæ.

Paullo post illorum discessum, is, qui ad Imperatorem missus fuerat, cum litteris & imperatis Principis revertitur. Quorum summa fuit, quæ Pertaus animo acceptissimus Bassa, atque Halis Præfectus ea æstate gesserint, ea Imperatori grata esse, eorumque illum memorem fore: ac, quoniam nullum jam ea æstate belli opus restet; Pertaus Hali Præfecto cum centum quinquaginta triremibus omnibus rebus firmatis, in præsidium ejus oræ, si quid hostes moverent in sinu Ambracio, vel sicubi commodius visum fuerit, in hybernis relicto; ipse cum reliqua classe Constantinopolim revertatur. Litteris in consilio lectis ingens bellatorum numerus, ut corpora præteritis laboribus ac morbis confecta reficerent, commeatu & ipsis cupide à Bassa dato, domos suas profecti sunt. Qua de caussa classis, cum tempus pugnæ venit, bellatoribus pene vacua fuit. At nuncius, qui ad classem Cretensem accersendam missus fuerat, cum tandem discriminibus superatis Cretam tenuisset, Quirinum subsidium, quod Famagustam submittendum erat, ignarum jam illam captam, adornantem invenit: qui Senatus & Præfecti imperiis acceptis inceptum omittere gemens & mœrens coactus ipse, & Canalius, cum omnibus, quas habebant, triremibus, quæ fuerunt sexaginta numero, è Creta solventes in Messanam intendunt, quo tandem pervenerunt; fueruntque Venetæ triremes omnino centum novem numero, ac galeatiæ sex; cum eo anno Senatus plus centum quadraginta triremes ac galeatias novem armasset, omnibusque rebus instructas è portubus emisisset. Quæ tamen omnes convenire ac prælio interesse non potuerunt variis casibus impeditæ. Sex enim naufragio, ut supra diximus, perierunt vina ex Calabria portantes; tres à Turcis captæ sunt, iter ad classem habentes; duæ ad Corcyram; una ad Cephaleniam; undecim, ac galeatiæ tres in sinu remanserant; quæ variis casibus ac metu Turcicæ classis retardatæ se non prius cum classe conjunxerunt, quam prælio facto, cum decem in sinu remansissent Dalmaticæ oræ præsidio.

VBERTI FOLIETAE, PATRICII GENVENSIS,

DE SACRO FOEDERE IN SELIMVM

LIBER III.

Dum ea à Turcis, & Christianis Ducibus geruntur, Legati à Pontifice missi in Regias pervenerant. Cæterum Alexandrinus iter infestum in primis ac multis iniquitatibus exagitatum habuit; cum omnia in Gallia Hugonotorum plena essent: ac, quamquam prævalidæ armatorum manus jussu Regis, postulante Pontifice, sub variis Ducibus subinde mutatæ latera continenter cingebant, sæpe tamen subsistendum fuit, sæpe ad devia itinera declinandum; cum nonnumquam maximo discrimini proximus fuerit. Ex insidiis tandem nefariorum hominum elapsus in Hispaniam incolumis pervenit, omnibus benevoli & honorifici in se animi significationibus à Philippo exceptus. Complures enim illius Provinciæ Proceres ad extremum usque Regnum honoris caussâ à Philippo cum litteris peramanter scriptis obviam missos habuit. Quorum postremus fuit Cardinalis Saguntinus, qui summum auctoritatis locum apud Regem, summamque Regiorum negotiorum procurationem habebat: qui bidui iter à Madrilio, ubi tum erat Regia, processit cum conspecta ac frequenti nobilium Procerum ac consiliis Regiis Præsidum cohorte. Qua stipatus, cum Madrilium venisset, comiter & humaniter à Rege acceptus, exorsus à commendatione Regiæ pietatis, religionis, justitiæ, animi magnitudinis, quæ virtutes in illo illustrando immensis tot Regnorum opibus præfulgeant; quibusque virtutibus & opibus Christianas res inniti affirmavit, illico ruituras eo adminiculo subtracto; cum eas laudes pro fastigio rerum magnifica Oratione in cælum extulisset, ac quam illustri gratia à Pontifice exciperentur, exposuisset; deque effusa ejusdem Pontificis in illum voluntate tantis meritis excitata pluribus verbis subsecutus esset; postulavit, ut, quoniam qui primus fuerat ipsius pietatis & religionis gradus in fœdere adversus communem Christiani nominis hostem jungendo, is ab eo persancte esset servatus, quod secundum ejusdem pietatis erat officium, ac sine quo primum inutile plane foret, id quoque in Christianam Ecclesiam constaret: hoc est, in bello impigre gerendo, diligentiaque suorum stimulanda, & quoniam hoc anno, quod futurum fuit, jam factum esset, enixe imperaret Ducibus, & procurantibus res suas, ut in sequentem & cæteros deinceps annos cum copiis ad pactum tempus præsto essent, ne cunctatio, ut adhuc non magis inopia necessariarum rerum, quam vitio hominum factum est, tempus gerendarum rerum eximeret: valiturum id non modo ad opem ab ipso latam fructuosiorem faciendam, sed ad exemplum quoque, & ad studia cæterorum Principum incitanda: qui si acriter ipsum viderint in caussâ versari, tum vero alacriter, & haud retractanter ad societatem sint accessuri; quod si lente ac remisse agere illum animadverterint, cujus propter propinquitatem Regnorum maxime intersit Turcam contundi, haud dubitandum esse, quin eorum ardor relanguescat, & studia debilitentur; ut Philippo non suam solum, sed cæterorum quoque Principum Christianorum vicem sit satagendum. Alterum postulatum fuit, ut Portugalliæ & Galliæ Reges, ad quos ipse Legatus quoque missus est, in primis vero Maximilianum Cæsarem fratrem ad sanctissimam societatem ineundam invitet, & hortetur: sibique ad eosdem Reges peracribus litteris suis, consilia precibus addendo, iter præmuniat.

Ad ea Philippus, si quanta sua sint in Christianam Rempublicam studia parum adhuc, & ipsi Pontifici, & omnibus re probarit, oratione sese id assequi nolle respondit, quod se cum sua sponte domestica disciplina ab invicto & pio parente tradita informatum fecisse, semperque facturum, tum vero sanctissimi Pontificis adhortationibus incitatum, quo nihil habeat in terris ad venerationem sanctius. Eadem mente se credere suos esse: qui si non se ad suum ipsius Regis ingenium conforment, nec satis pro ardore Pontificis res adhuc impigre administrarint; id non ipsius Regis voluntate illos fecisse. Scripturum se igitur illis, enixeque imperaturum, ut omnibus in rebus Pontifici morem gerant; ac præteritam negligentiam, si qua fuit, futura diligentia emendent. Intelligere se, quanta in bellis semper fuerint celeritatis momenta. Cæterum debere Pontificem pro sua sapientia cogitare, quantis ipse Rex curis & molestis negotiis sit distentus, quantam, quamque multiplicem rerum molem sustineat, quantam virium suarum partem ad sese trahat bellum Flandricum, luis in dies latius serpentis comprimendæ caussâ susceptum: quod immani pecuniarum, hominumque impensa tueri oporteat. Quam rem Pio Pontifici non minori esse curæ, quam Turcicas res credat, quod ab hac peste visceribus hærente non minus periculum, atque adeo propius & interius, quam à Turca Christianis rebus immineat: quæ res vires suas distrahat, aliter omnes in Turcam vertendas. Mandasse jam se Joanni fratri, ut, peracta æstate, triremibus custodibus Italicarum Provinciarum in Italia relictis, ipse se cum reliqua classe in Hispaniam recipiat: mutaturum imperia, ac scripturum, ut in Italia hybernet, quo præsto sit in tempore gerendarum rerum, omniaque cœpta & conatus suos ad Pontificiæ voluntatis præscriptum dirigat. Quod ad reliquos Reges attinet; sperare se, illos in officio futuros, cogitaturosque, quid Christiano nomini debeant. Sed tamen, quoniam Pontifici placeat hunc honorem sibi habere, ac munus suum secum partiri; cupide sese hono-

honorificam procurationem arripere: quare Cæsari & Regibus sedulo scripturum; ac quidquid auctoritate & precibus valeat, in pium opus impensurum. Verum se existimare Gallorum deliberationem à Maximiliani consiliis suspensam fore; nec prius quam cognoverint, illum consilia cum reliquis consociasse, animum nudaturos. Nam classe & maritima via numquam suos Duces ac copias submissuros; ne necessitatem sibi ipsi imponant Austrio homini parendi; terrestre vero iter illis esse penitus obseptum, Maximiliano fœdere & induciis Turcæ alligato.

Cum hoc responso dimissus Alexandrinus. Commeatu igitur à Rege sumpto, cum mensem & dimidium in Regia fuisset, in Lusitaniam contendit, non minus honorifice minusve apparate à Rege illo, quam ab Hispano acceptus. Actio de fœdere inanis evasit, quod ita fore Legatus præceperat animo, cum tamen Rex incensum & ardens studium, & operam suam universæ Ecclesiæ adversus barbarum & communem omnium hostem pluribus verbis ostendisset; statimque nomen in eam militiam dedisset; cæterum dubiæ deliberationis esse dixisset, qua parte ipse Turcæ arma inferret. Se quidem commodissimum ac fructuosissimum putare fore si illum à mari Rubro aggrederetur. Sic enim fore, ut si vel Turca resistere velit, vires suas cogatur distrahere, quæ res illum enervatiorem & imbecilliorem fœderatis opprimendum objiciat, vel, si eam nudam & apertam Lusitanorum incursionibus nemine obsistente relinquat, magni in eas Provincias progressus, magnaque operæ pretia à Christianis fiant: consulendum igitur esse Pontificem & cæteros fœderatos Principes: sese enim ad eorum præscriptum consilia & conatus suos directurum. Laudata pietate, ac prompto animo, prudentiaque probata, Legatus, id, cujus caussa venerat, agere ingressus est, id est, de Margarita Regis Galliæ sorore illi in matrimonium conjungenda. Nullam rem illum gratiorem sancto Pontifici hoc tempore facere posse dictitans; nec Christiano Orbi, aut Regno, & populis suis, qui illum diutius cælibem ferre non possint, utiliorem: eo enim matrimonio Margaritam à Rege Navarræ abstrahi homine impiarum sectarum alumno; ex quo conjugio res Galliæ insuper aggravari ac duriores in dies fieri necesse esset. Non modo sese enimvero in sacrosancta potestate in hac quoque re, quemadmodum in aliis omnibus, futurum respondet Rex; sed etiam gratias Pontifici agit, quem tantopere videat de suis ac Regni sui commodis laborare. Illud & addit; nullam se aliam dotem à Rege Galliæ postulare, quam ut relicta pudenda Turcarum amicitia, studia & arma cum cæteris Christianis Principibus ad barbarum hostem contundendum conjungat.

Interea Alexandrinus nuntio de clarissima parta victoria accepto, intermisso in præsentia Galliæ itinere, ad Philippum redire constituit tam felicem rerum successum gratulatum: quam rem illi mandaturus fuisset Pontifex, qui litteras ad barbaros Reges à Pontifice scriptas simul cum eo nuntio acceptas Regi Lusitano tradit: quas ut ad eos Reges perferendas curet, Pontificis verbis postulat, commeatuque accepto ad Philippum revertitur. Operæ pretium est considerare, quam nihil, quod ad fœdus adjuvandum faceret, sanctus senex sollerti cura & cogitatione prætermitteret. Scripsit enim Alexandrino, sibi venisse in mentem, nihil utilius esse Christianis rebus, quam Turcas hominibus rerum navalium gnaris, quorum magna penuria apud illos sit, cum terrestribus Ducibus abundent, spoliare: omnes fere, quorum nomen in rebus maritimis paullo clarius sit, illos in hoc prælio amisisse: unum illis superesse Uluzalim, quem si à Turcis ipsum quoque abstrahant, illorum maritimas opes haud parvo detrimento imminutum iri, neque magni negotii, aut omnino desperandam rem esse: quæ in manu ipsius Philippi sit, quamque ad effectum perducere possit, spe ingentium præmiorum homini facta, atque opima aliqua ditione in Hispania, aut in Italicis Provinciis ad illum delata. Suscipiendam igitur eam curam Philippo, huncque ad cætera promerita cumulum addendum, remque leniter ducendam. Consilium autem esse effectu quidem dubium, at fructu in omnes partes certo: sive enim ad exitum perducatur, magnum lucrum fieri, sive vanum evadat & emanet, haud levem illum esse fructum hominem Selimo suspectum fecisse, qui vel exauctoratum illum à se abigat, operaque illius tam utili se ipse privet, vel supplicium tamquam de proditore sumat: qua in re nullo se crimine divino Numini Christianos Principes obstringere, quorum consiliis factum sit, ut perfidus Christianæ religionis desertor de medio tollatur. Philippus sollerti providentia Pontificis laudata, omnia, quæ in Christianam rem sint cogitatione amplectentis, cuique Christianus Orbis plurimum debeat, libenter morem sancto Pontifici in pio desiderio sese gesturum respondet; nullamque in se præclaro consilio exsequendo moram fore.

Alexandrinus rebus Hispaniensibus ex sententia confectis intermissum iter in Galliam repetit. In qua Provincia non minus quam in priore itinere insidiis perditorum hominum & discriminibus agitatus est: quæ evasit valido armatorum præsidio à Rege submisso septus. Quod ad fœdus attinet, nihil impetratum est, haud sane mirante Alexandrino, cum responsum datum esset, non in eo statu res Gallorum esse, ut qui rerum suarum vix potentes sint, alienis negotiis se misceant: nam neque pecunia rem Christianam juvare se posse, cujus summa inopia apud se sit, tot civilibus bellis alio super aliud exhaustis: longe minus copias extra Regnum emittere posse: nam neque novarum sectarum homines ituros, metu ne reditu in patriam excludantur: piis vero emissis, Regem præsidio nudatum impiorum conatibus expositum fore. Vehementior fuit actio de nuptiis Margaritæ cum Lusitano Rege; quæ tamen effectu caruit, cum diceret Rex ex matrimonio cum Navarrensi quietem Galliæ pendere, cujus stabilem sententiam Alexandrinus mutare non potuit; cum multa in contrariam partem disputasset. Quibus cum urgeretur Rex, *Utinam*, inquit, *omnia tibi enuntiare possem, Alexandrine: profecto tu & Pontifex intelligeretis, nihil esse ad religionis res in hoc Regno erigendas & constituendas his nuptiis aptius. Cæterum brevi spero fore, ut Pontifex consilium & pietatem meam, incensumque religionis studium laudet.* Quibus verborum ambagibus, ut postea compertum est, innuebat se de Amiralio, & cæteris impiarum sectarum Principibus opprimendis occulta consilia agitare.

At Pontifex tanta victoria confirmatus & erectus animum ad majora extulit, nullasque sedulæ sollicitudinis partes omittens cogitationem ad exteros quoque Reges ac religionis Christianæ expertes extendit, quos in Turcam incitare aggressus est: litteris ad Sieccem Thamasum Persarum Regem, & ad Seriphum Murahar, & Aburigem, illum Felicis, hunc alterius Arabiæ Syris finitimæ Reges datis: quibus litteris cum illos clarissimæ partæ victoriæ certiores fecisset, ejusque magnitudinem magnificis verbis extulisset, captarum ac depressarum navium, ac cæsorum & captivorum numerum diligenter persecutus; in impotentem Turcarum & Ottomanorum libidinem aspere est invectus, quam non magis ejusdem legis & religionis necessitudine sibi conjunctis, quam illius expertibus par-

parcere, nec minus graves illis, quam Christianis accolas Turcas esse, ipsosmet Reges testatus est, toties ab Ottomanica Regia bello petitos, ac continuis detrimentis affectos: easdem igitur injurias, quæ Christianos moverint, debere ipsos quoque in Turcam armare. Illos proinde hortatus est, ne tantæ occasioni, qua divinitus oblata nulla umquam major illis danda sit, indormiant, sed consiliis atque armis cum Christianis Regibus consociatis, ad communem omnium Regnorum, omniumque nationum, atque adeo totius humani generis hostem delendum omnibus Regnorum suorum viribus consurgant, dum ille tanto ictus vulnere obstupefactus jacet, qui ad vastam cupiditatem perfidiam quoque addiderit: Venetisque, fide pacis ac fœderis, quo illis alligatus erat, perfracta, jurisque jurandi religione spreta, quam Veneti nulla in re violassent, injusta & impia arma intulerit. Neque debere illos à societate cum Christianis tamquam à lege sua alienis jungenda abhorrere; aut ullos homines disjunctos putare, quos eædem caussæ, eademque necessitas conjungat. In eandem sententiam Mennæ Regi Regum Æthiopiæ scripsit Christianam religionem profitenti, quamquam nonnullis ritibus à nostris dissidentibus cultam, cum in illo impellendo ejusdem religionis stimulos addidisset.

Per idem tempus Commendonus cum magnis itineribus mense Septembri in Regiam Cæsaris pervenisset; facta potestate mandata exponendi ita illum allocutus fertur: *Quod tibi omnibus votis optandum fuit, Cæsar, omnibus consiliis atque omni ope quærendum & studendum; ut Christianorum Principum utili fœdere tibi adjunctis, immanissimum tuum & communis religionis hostem cervicibus imminentem, ac te quotidianis damnis carpentem procul à te repelleres, totaque Europa exturbares, id tibi ultro delatum venio, Cæsar. Lætari vehementer omnes debemus id vulnus hosti impositum, quod primum infligere divinum Numen solet iis hominibus, quos pro sceleribus eversos vult, ut illis mentem & consilium eripiat; hocque Dei immortalis irati certissimum signum in illo apparuisse. Pius quidem Pontifex intimis sensibus gaudet, illumque ex Venetorum casibus per se illi acerbis & luctuosis fructum sperat, ut teterrimus Tyrannus, omnisque divini & humani juris perfractor injusta arma Venetis inferendo viam ad se evertendum ad hunc diem obstructam Christianis Principibus patefecerit: ut Deus ipse cum impio & nefario suo ac sacræ religionis suæ hoste, hoc furore objecto, bellum commisisse videatur: ad quod profligandum nos, qui secundum Deum atrocissimis injuriis quotidie afficimur, invitat. Quam occasionem omnibus votis perpetuo optatam divinitus nunc oblatam si omittimus, Cæsar; tum vero majorem nobis cæcitatis plagam, quam Turcæ injectam, acrioreque nos telo à Deo quam illum petitos existimare debebimus: divinumque Numen magis à nobis quam ab illo aversum: ac magnas proinde clades, ipsumque adeo ultimum excidium, perhorrescere: tuque in primis, Cæsar, qui illi magis ac periculosius objectus es. Claudicavit adhuc altera parte Christiana res maritimis opibus Turcæ inferior; cum terrestribus viribus, si eas conjunxissemus, superiores esse possemus. Quæ res studia nonnullorum à præpotenti & formidoloso hoste lacessendo retardabat; qui non minus maritimis quam terrestribus facultatibus præpolleret. En divina benignitas languentem spem nostram excitat, nos ab hac quoque parte superiores faciens: quæ Venetos antiqua pace Turcæ devinctos atrocissima hac injuria Cypri insulæ bello petitæ, ac jam fere totius ademptæ, ab illo abstraxit, ac cum communi Christianorum caussa conjunxit. Eorum nos calamitates atque excitatum ardorem deserere non debemus; neque illos Turcæ infinitæ cupiditati prodere: idque cum ipsorum ratione, à quorum Republica Christianis rebus multa duris temporibus subsidia sæpe, lætis ornamenta semper profecta sint: tum communis in primis salutis caussa, quæ in illorum interitu periclitatur: neque prævalida ultro ab illis oblata maritima auxilia spernenda sunt, quæ aliunde habere non possumus, in quibusque tanta sunt momenta ad Turcam contundendum: neque nobis committendum est, ut necessitatibus victi Veneti sese iterum cum Turca conjungant; ac classibus suis à nobis ad Turcam translatis, nobisque exsanguibus relictis Turcarum maritimas opes duplicent. Quam rem intelligens Philippus Hispaniæ Rex celsissimus frater tuus, Cæsar, suæ ac Majorum vestrorum pietati & sapientiæ proximus fuit; sanctissimique Pontificis paternis monitis & adhortationibus audiens, in communem hostem societate cum ipso Pontifice ac cum Venetis juncta conspiravit: quamvis superstitiosa quædam Procuratorum diligentia, minima quæque morose consectantium, contra quam Philippi mens esset, rem aliquandiu extraxit. Quam igitur ardentia tua esse debent studia, Cæsar: quæ non solum Pontificis adhortatio, sed exemplum quoque domesticum acuunt & invitant, qui eo turpius cessaturus es, quam Philippus frater quievisset, quo majores te & acriores stimuli, majorque necessitas ad bellum suscipiendum impellunt. An ille religionis tantummodo & gloriæ studio, quadamque magnitudine animi inductus à Turca nihil læsus, cladibusque ab illo intactus pia adversus illum arma induit, tu tantis omnium temporum injuriis ab illo affectus, tantaque Regnorum tuorum parte tibi adempta, cum te ille iniquis & obnoxiis fœderibus constrictum habeat, detestabili otio consenescens te assiduis damnis paullatim carpendum & conficiendum præbebis? neque te ex illius hiantibus faucibus tandem eripere studebis? Neque Philippo fratri, cui tu exemplo tuo præire debueras duplici caussa, & decoris, & necessitatis instigatus, tibi studio suo præcurrenti comes saltem eris? Quamquam quid ego Philippum fratrem commemoro; cum Veneti ipsi exemplo suo non jam te tantummodo invitare & acuere, sed (patietur humanitas tua, Cæsar, veterem nominis tui ac perstudiosum cultorem, eundemque Pontificium Legatum in tam necessaria & gravi re libere tecum agere) ignaviam prope exprobrare videantur? Quorum eadem caussa est, similes injuriæ, periculum par. Neque enim minus tu, quam illi, Turcæ objectus es; minusque illum visceribus hærentem habes; neque majoribus illi, quam tu, aut Austria gens injuriis ac detrimentis affecti sunt: quibus si Turca non modo insulam Cyprum, sed omnia quæcunque ubique possident, atque adeo ipsas Venetias adimat, major tamen jactura sit Regnum Ungariæ tibi atque Austriæ genti omne fere ademptum. Quas igitur injurias illi, quæque detrimenta non exorati, sed sua ipsi sponte bello persequendas decreverunt, easdem, ac majores tu lente feres? idque tanto indignius, quod illi, quamquam Respublica magna & ampla est, tamen privati homines sunt; tu in tam celso fastigio positus es, ex eoque genere ortus, quod rerum gestarum magnitudine & gloria cælum ipsum conscenderit. Huc accedit, quod illos non Reipublicæ modo pericula, quam in dubiam aleam dant, sed privatarum rerum respectus, quas projicere non dubitant, quarumque amissarum dolor interior hominibus esse solet, poterat illos ab honorificis consiliis retardare; cum magna rei familiaris ipsorum pars à Turca in hoc bello occupata sit, quam pace facienda recuperare poterant: quam tamen jacturam, præ publica dignitate, publicisque injuriis ac detrimentis, levem duxerunt. Jam vero illud in tanta occasione prætermittenda ingens flagitium sit; quod rei bene gerendæ oblata facultas non tantum in præsentia omittitur, sed omnis Turcæ obsistendi spes, ac cursum illius victoriarum cohibendi, imminensque ab illo excidium à nobis depellendi in perpetuum præciditur, maritimis Venetorum viribus numquam ab illo auferendis, quibus Turcæ concessis, etsi antea carebamus, tamen eas nobis aliquando adjunctum iri sperare poteramus: Turcæque arrogantia non jam, ut adhuc alitur, sed in immensum augetur eo metu dempto, qui illius impotenti libidini moderari solebat: cum à Venetis sese intelliget securum, quos à nobis repudiatos arctissimis servitutis vinculis constrictos illi tradiderimus. Proinde etiam atque etiam considera,*

Cæsar,

Cæsar, quanto te crimine non modo apud hoc seculum, sed apud totam posteritatem reum facias. Denique illud fac tecum reputes; affici quidem Turcarum vires maritimo bello posse, confici plane non posse, quod nisi Turca maritimis opibus prostratus, terrestribus juguletur, næ tantis conatibus, tantisque consiliorum apparatibus nihil plane actum fuerit. Robustior enim & ferocior semper resurget, ignominia exacerbatus atque irritatus. Hunc tibi honorem divina benignitas reservavit, fatalisque gentis Austriæ felicitas Turcæ, quem alii prostraverint, a te jugulati; vobisque Austriis Turcici belli confecti, communisque & perpetui hostis ex orbe exterminati integram gloriam despondet. Proinde te ad tantum decus accinge, Cæsar, nec committe, ut à Philippo fratre pietate & animi magnitudine vincaris: verum ita cum illo munera partire, ut ille illinc mari Turcam affligat, tu hinc terra afflictum eneces. Quæ res tantis domus vestræ partis decoribus egregium fastigium impositura est: præclarisque omnium temporum, ac quamplurimis in Christianam Rempublicam meritis magnum cumulum additura. Illud postremum faciam; cum duo sitis Christianarum rerum lumina, quique majestate cæteros longe antecellatis, Pontifex, & tu Cæsar, in quos omnium oculi sunt conjecti; decere vos non minus exemplo virtutis & pietatis, quam dignitatis & honoris præstantia cæteris anteire. Cumque Pontifex partes suas impigre exsequatur; si tu te ad ejus imitationem non conformaris, non solum officio tuo te defuturum, sed, quod in primis detestabile est, ipsi quoque Pontifici in suo munere obeundo, quantum in te fuerit, moræ & impedimento futurum. Neque enim illius monita, adhortationes, preces, lacrymæ denique apud cæteros Principes ullum pondus habebunt, quas intelligent apud te primarium filium, quique jure obedientiæ illi obstrictus es, diademate Cæsariano donatus: quique ejus majestatem comiter conservandam sollemni jurejurando susceperis, nihil valere.

His atque aliis ejusmodi multis cum Commendonus pro sua copia Cæsarem incitaret, adversus ea haud sane læta fuit Cæsaris Oratio. Qui præfatus ærumnas suas, ac continentes clades, ad hoc contumelias, tum autem imminentia pericula, necessitatemque sese illis aliquando eripiendi, nulli omnino mortalium notiora esse, quam sibi, qui ea sentiat & exspectet, ut nullius admonitione egeat; multa in eam sententiam, quamobrem haud temere sese in subitum consilium præcipitem daret, principio fidem induciarum, quæ biennium adhuc durarent, ac jurisjurandi religionem opponebat. Quibus tam sanctis rebus violandis, quam tandem se caussam prætexturum? Nam pietatis quidem suæ, ac studii Christianæ Reipublicæ defendendæ & amplificandæ, tum autem inexpiabilis in communem hostem odii, si eæ res tot à se editis documentis parum testatæ sint, vel eam haud dubiam esse fidem, quod nemo omnino de Christianis Principibus sit, cujus æque ac sua intersit Turcam toto orbe exterminari. Cæteris enim Principibus pulchre esse, qui procul ab illo dissiti, atque ab illius impetu remoti tutam ac tranquillam pacem agant; sese illius petitionibus ac faucibus objectum esse, ditionesque suas assiduis excursionibus infestas continentibus damnis quotidie carpi. Neque Philippi fratris ardori se cedere, quem non miretur impigre se contra Turcam movisse; sed quo periculosius ipse, quam ille tantam rem ingrediatur, eo maturius sibi consulendum: cui enim non apparere ab adverso eventu nullum, aut perexiguum damnum Philippo fore: at se omnibus suis spoliandum, ac Regno ipso evertendum? Animos igitur cæterorum Principum Christianorum prius tentandos; ipsiusque in primis Poloni, ad quem quoque ipse Legatus missus sit, voluntatemque exquirendam: ex quibus rebus cognitis, sese certius & exploratius consilium capturum.

Ad ea Commendonus, utrumque non modo à sensu abhorrere, sed ab auribus quoque respui respondere: quorum alterum superstitiosum, alterum præposterum sit. Nam omnem jurisjurandi & religionis mentionem ineptam & anilem plane esse adversus eum hominem; cui nihil religiosum & sanctum sit; qui omne fas & nefas libidine æquet; qui fidem ad nullam rem, quam ad homines decipiendos natam putet; qui à fœderibus violandis nullo divini Numinis testis metu, nullave hominum verecundia cohibeatur; qui vel has ipsas inducias, quæ religionem nunc Cæsari injiciunt, incursionibus in agrum ipsius Cæsaris faciendis, prædisque hominum & rerum agendis, arcibus contra pacta excitandis toties fregerit, quoties libido animi tulerit. Denique nihil aliud hoc fore, quam inani & superstitiosa adumbratæ religionis specie caussam veræ religionis deserere: & Christianos Principes risum tenere non valituros, cum cognoverint, Cæsarem postulare, ut ipsi, quorum res nullo sint in præsenti discrimine, quique illi sint dignitate inferiores, illi exemplo præeant; quibus ipse, & imminenti periculo rerum suarum, & honoris fastigio præcurrat. Cum res à perpetuis Orationibus ad quotidianas altercationes deducta esset, tandem victus veritate Cæsar, se in officio, & in sacrosancta potestate ait fore. Cæterum non temere, neque nisi explorato, se in caussam descensurum. Non enim suarum virium esse, tantum Principem invadere. Sese igitur à sociis juvandum: qui quanta & qualia auxilia missuri sint, edere debeant; neque vero è re sua esse, si auxilia sibi ea mittantur, quæ ad Regna sua tutanda tantummodo, bellumque arcendum valeant, sed ea mittenda, quibus ad copias suas adjunctis arma ipse Turcæ ultro possit inferre, illumque acri & vehementi bello persequi. Æqua illum postulare, respondere Commendonus; neque se dubitare, quin idem censuri sint socii, atque auxilia affatim submissuri. Cæterum duabus de caussis verius esse ipsum Cæsarem numerum definire. Nam & melius ipsum scire, quid sibi opus sit; &, si illorum sit æstimatio, annum prius nunciis & litteris ultro citroque mittendis, altercandoque & disputando circumactum iri, quam res conveniat. Quod si ipse numerum pronunciet; verecundiam recusandi & retractandi omnibus imponi. Quare omnes è vestigio assensuros. Altercatio hæc diu tenuit, cum Cæsar sociorum, Legatus ipsius Cæsaris priorem esse eam Orationem pugnaret. Tandem Legatus libere agendum statuens, questus cum Cæsare, sese assidue instando & urgendo nullum certum responsum ab eo exprimere potuisse; claris verbis demonstrat, moram omnem susceptis consiliis adversariam esse; ac rebus, quæ plurima in usum belli necessaria sint, providendis & expediendis impedimento. Fidem igitur suam à se postulare, ne fœderatorum animos incerta exspectatione diutius suspensos habeat. Proinde necessitate sibi impositi muneris adigi se, ut de iis rebus Pontificem per litteras suas certo misso tabellario actutum certiorem faciat. Itaque à Cæsare discessit, quem paullo post Cæsar per codicillos ipsiusmet manu exaratos monet, ne prius ipso convento tabellarium mittat. Fore enim ut certiora, quæque ipsi probentur, de se audiat, Legatoque mox reverso numerum tandem petitarum copiarum edit, cum quibus ad suas adjunctis se descensurum in caussam, acriterque in ea versaturum confirmat. Lætus Cæsaris responso Legatus, omnia, quæ egerit, ad Pontificem illico perscribit. Fœderati conditionem haud retractanter accipiunt; Legatoque rem Pontifex demonstrat: simul enixe imperat, ut, quoniam res cum Cæsare transacta sit, sese è vestigio ad Polonum conferat. Ingemuit Legatus incommodo imperio, fore providens, ut, si ante res firmatas, fœdusque per-

perscriptum ac sancitum ipse discedat, nuntio, qui interea de navali victoria est allatus, refrigesceret res: ac Cæsar, cujus languorem in consilio accipiendo perspexerat, ea de caussa à Turcarum periculis securiorem se factum censens, consiliis ducendis ac variis rebus caussandis molesto negotio se eximeret: id quod factum est. Quæ res impedimento quoque Legato apud Polonum fuit, negantem se animum adversus Turcam nudaturum, priusquam motus & conatus Cæsaris vidisset. Lente igitur consiliis procedentibus, intervenit mors Poloni, quæ omnia evertit; Legatoque imperatum est, ne ante novum Regem creatum è Provincia discederet. Nunc ad classem revertor.

Igitur cum omnis classis, omnesque copiæ Messanam convenissent, nulla res ex multorum sæculorum memoria tota Europa conspectior fuit, quæque majore admiratione intuentium animos defigeret. Nam præter bellatorum copiam, ac non exiguum onerariarum numerum, quas Philippus contulit, ac galeatias sex Venetas, quæ instar arcium inter cæteras eminebant; amplius ducentæ triremes unum in locum congregatæ conspiciebantur, omni bellico apparatu, omnique navali instrumento, ingentique vi tormentorum immanis pretii, ad hoc sociis nauticis & remigio refertæ. Sed nihil spectaculum æque adornabat, ac magna Procerum atque hominum multitudo fortuna & genere præstantium: quos ardor animi, ac fama splendidæ militiæ, divinusque instinctus in eam urbem contraxerat ad voluntariam operam religioni & Reipublicæ navandam, sperantes præclara virtutis documenta, quæ in ea Christiani Orbis luce edituri essent, obscura non fore. In iis fuit Michael Bonellus sororis Pontificis nepos adolescentiam nondum egressus: qui egregiam Nobilium manum secum duxit.

Commodum reliqua Veneta classis appulerat cum Andrada rediit. Is retulit, se Corcyram usque processisse; in euripoque ei insulæ & continentis oræ interjecto classem hostilem reliquisse: seque ab exteriore partæ insulæ ad Fanum Angeli (illud est in ora ejus insulæ obscuri nominis castellum) nonnullos in terram exposuisse, qui eo usque processerint, unde in circumjecta maria late prospectus esset. Eos classem Turcicam contemplatos, cujus navium numerum, ut ex longinquo, inire non potuerint. Cæterum retulisse illis nonnullos Græcos, qui classem ex propinquo recensuerint, trecentas esse naves longas; quarum ad centum nonaginta triremes sint, reliquæ minoris formæ, ac varii generis & modi, diversorumque nominum navigia. Præterea Turcas post Ulcinium in Epiro, atque Antivarim, & Buduam in Dalmatia captas urbes, cum animus esset copias Cataro admovere, eamque jam urbem petiissent, audito Austrii Neapolim adventu; eo consilio omisso illico decessisse, ac sua repetere perrexisse, & in itinere exscensione ad Corcyram facta magnis cladibus eam insulam vastasse, nulla tamen acta hominum præda: qui omnes in urbem confugerant; Turcasque insulam nonnullis ex suis amissis reliquisse.

De ratione igitur gerendi belli deliberari cœptum est: quæ consultatio diu tenuit, multumque temporis rebus gerendis exemit. Præfecti enim Pontificius & Venetus Austrio instare, ut porro ire pergeret, ac classem Turcicam peteret: eaque adepta, pugnam consereret, ac rem communi Marti decernendam daret: Turcasque, si forte illi detrectarent, ad eam necessitatem quacunque ratione adigere niteretur. At in privatis Austrii consiliis, in quibus tantummodo adhibebantur primores Philippicorum Procerum; quique in classe & exercitu primas procurationes habebant, ii fuerunt

A Ludovicus Rechesentius summus Legatus Joannis, Joannes Andreas Auria, Alvarus Bassanus Marchio sanctæ Crucis, Præfectus triremium Neapolitanarum, Joannes Cardonius Præfectus triremium Sicularum, Jo. Franciscus Landrianus Regni Siculi Præses, Sfortia Sfortia Comes Sanctæ Floræ Dux Italicarum copiarum, Ascanius Cornius Magister exercitus, Gabriel Cerbellonius Præfectus tormentorum, Comes Plegi Magister domus Austrii, Franciscus Ibara summus Quæstor; variatum sententiis est, atque acriter pro illis pugnatum: nullaque umquam res majora certamina præbuit: alter non modo enim ab altero,

B sed secum ipsi Proceres discrepare: nihil cuiquam in tam dubia re certæ ac stabilis sententiæ constare: sed fluctuantibus animis modo in hanc, modo in illam partem ferri: quin etiam nonnulli perplexantes, animi sententiam non satis nudare. Qui à fortuna pugnæ tentanda aperte abhorrebant, ii non tantummodo sese classis jactura moveri dicere, qua amissa, haud facile posset multorum annorum spatio tantum damnum reparari; sed multo magis tot Italiæ opulentissimis Regnis Neapolitano, Sicilia, Sardinia, quæ in eandem aleam simul dabantur: præsidio enim maritimæ classis ea

C Regna nudata, Turcis invadentibus exposita & aperta fore; ad quæ una sit classis, quæ aditum illis claudere possit: quo patefacto, ac libere trajectu Turcis in Italiam dato, tum vero illos Siciliam & Neapolitanum Regnum armis, hominibus, equis completuros: atque omnia, quæcumque adeant, potestatis suæ illico facturos, neque Philippicos Duces, ipsumque in primis Austrium, si certamen declinet, Pontificiis & Venetis ardore & audacia cessisse visum iri; sed diversam fortunam diversa quoque illis consilia ab ipsis fecisse. Nam Pontificem exiguo periculo duodecim triremium dimicaturum: at Venetis ab omni discrimi-

D ne & certamine natura & suscepta ratione consiliorum perpetuo abhorrentibus fortunam mutatam consilia quoque mutasse, quique prius alienorum eventuum spectatores ad sese bellis & discriminibus interponendos attrahi numquam potuerint, eos nunc cæteris pugnandi ultro auctores fieri. In extremas enim angustias adductis sibi pereundum intelligere. Quare cum pax illis cum Turca convenire non potuerit, quam vel parum honorificam atque iniquam, modo tolerabilis aliquo modo fuisset, bello prælaturi fuerint; unaque illis sit in fortuna pugnæ salutis spes; desperationem rerum suarum omnia illis quamvis præcipitia suadere. At Philippicis Ducibus, quibus integræ res

E sint, quibusque ad sua tutanda abunde vires suppetant, nihil temere ac per inconsultum animi impetum agendum. Hæc eadem sese dicturos fuisse, si dubius atque incertus prælii eventus provideretur: nunc quid dicendum esse, cum clades explorata sit, ejusque non dubius metus animo insideat, sed certa & aperta species oculis obversetur? Illud enim constare, Turcas cum classe, tum bellatoribus esse superiores: tertia enim parte minore longarum navium numero concurrendum: nam onerariis ac corbitis, quas Christiani habeant, quibusque omnino hostes careant, quam fidendum sit, docuisse superiores casus ad Ambracium sinum, & ad insulam Lotophagitim, quas

F ad victoriam nulla umquam facturas momenta à peritis & insignibus Ducibus existimatum est. Age, cogitatio nunc ad pedestres copias convertatur. Ecquod umquam hominum genus despectius inter mortales visum? Omnes Hispanos, atque Italos tyrones, & collectitios esse, inopes, semiermes, quique numquam arma ac prælia viderint: Germanos vero maris insolentes in maritima illa jactatione non modo non præliari, sed ne rectos qui-

quidem stare, neque à casu se sustinere valituros. Quos non jam tamquam milites ad pugnam, sed veluti parem pecudum numerum hosti trucidandos sint oppondituri: contra hostium classem magna optimorum bellatorum copia refertam inventuros, ac præliorum & navigationis usu assuefactorum; tum autem naturali audacia, quam superiorum annorum felices successus aluerint, insitaque mentibus, atque alte infixa opinione certam & immutabilem fati diem cuique statutam, alacriter sese ac sine retractatione discriminibus objicientium. Furorem igitur esse ii dicere in tot rerum iniquitatibus sese, classem, qua Christianarum rerum spes niteretur, ac tot opulenta Philippi Regna in præcipitem casum demittere: nec parvum operæ pretium eo anno factum videri, aut Venetos imbecillam ac segnem operam sibi præstitam à Philippo conqueri jure posse; cum ipsorum adventus Turcas à Cataro, quo haud dubie potituri fuerint, abstraxerit.

At contra qui pugnam suadebant, quærere primum, quid igitur tantorum consiliorum apparatum spectasse? aut quo tantos conatus pertinuisse? erubescere enim se, cum audiant, Turcam à Cataro petendo ipsorum adventu aversum satis dignam mercedem esse, in quam tanta hominum, classium, pecuniarum fierent impendia, cum etiam, si eam urbem maxime petiisset, incertus fuisset illius conatus exitus: quid igitur se secutos? An ut Christianorum dedecus, & ignavia, quæ res antea in ipsorum dissidiorum specie latere potuerant, in lucem proferrentur, quorum omnes vires in unum collatæ ne adspicere quidem Turcicam classem audeant? An vero ut funerum & cladium Venetorum spectatores essent; & ad hoc gratum spectaculum oculis fruendum vires conjunxisse, atque hucusque processisse? An ut miseriæ clarissimæ civitatis Regi Philippo, ipsique Austrio summo Duci cum magna omnium bonorum & piorum offensione ludibrio fuisse videantur? Hæc magna & queribunda voce pronunciare. Tum de prælio ita disserere. Tres omnino esse caussas, quibus certamen à summis Ducibus sine infamia possit detrectari, primum, cum plus damni in clade & adverso eventu, quam lucri in victoria futurum est: temere enim vires suas profundentis esse, exiguæ rei spem magni detrimenti periculo emere. Alteram declinandi prælii justam caussam esse, cum certa & explorata victoria sine certamine in manibus est; quod hostiles copiæ vel deficientibus commeatibus, vel stipendii inopia, vel quavis alia caussa dissolvendæ sint: stultæ enim temeritatis esse, certam rem in dubiam aleam dare; quodque bellum sedens ac sine tuorum labore conficere possis, id cum sanguine & periculo assequi velle. Tertiam caussam à pugna abstinendi esse, quod hostiles copiæ & genere, & numero magno intervallo tuis superiores sint: capitale enim crimen, ac desperati ingenii esse, copias ac vires tuas non jam in dubiam Martis aleam, sed in certam pestem projicere. At nullam ex superioribus caussis Austrium à manu conserenda deterrere. Nam si exitus prælii (quod omen Dii averterent) adversus sit, victoriam tamen hosti multo sanguine, multaque cæde staturam. Certam hanc spem facere Christianorum militum ardorem necessitate ultima incitandum, quam illis imponet nulla fugæ spes, ac nullum mortis effugium: quam vel vindices salutis suæ fortiter pugnantes, vel capti ab immani & barbaro hoste veluti inertia pecora jugulati oppetant. Quare cum intellexerint, nihil inter mortem & victoriam medium; haud dubitandum esse, quin is stimulus validissimus sit futurus ad virorum fortium opera ab illis exprimenda: sicque fore, ut victoria, si hostes superiores evaserint, ita cruenta illis relinquatur, ut haud sane multo meliores vincentium, quam superatorum futuræ res sint; nullusque ideo sit metus, ut Turcæ tantum copiis imminuti animum adjiciant ad Philippi Regna tentanda: ridiculumque esse, pauculas illas reliquias Turcicæ classis vulneribus confectas & exsangues Regna Philippi primo adventu occupaturas, quod integræ atque infinitæ, viriumque robore florentes copiæ multis annis assequi non possint: quæ Regna frequentes ac munitissimæ arces validissimis præsidiis firmatæ tuta faciant, ad quas singulas diuturnus & immensus, ac recentis justi exercitus sit exsudandus labor. At contra Christianis navalem victoriam certam spem maritimæ Turcarum oræ potiundæ facere: nullis enim arcibus munitam Græciam, aut Epirum, sed nudas & apertas invadentibus incurrendas & occupandas expositas esse; incolasque esse Græcos ejusdem religionis charitate Latinis conjunctos, durissimoque jugo pressos; quique erectos habeant animos exspectatione eventus hujus pugnæ, haud dubie, si felix ea fuerit, à Turca defecturi, ac cum victoribus ad libertatem recuperandam conspiraturi. Multo minus secundam caussam à consilio communis Martis experiendi avocare. E re enim Turcarum magis quam Christianorum esse, bellum extrahere, ac temporis beneficium exspectare; quod consensum nostrum multis de caussis solvere possit, cum Turcas unius imperium, cujus nutu omnia reguntur & trahuntur, ab hoc periculo liberet. Tantum autem abesse, ut viribus impares cum Turcis congressuri sint, (quæ fuerat tertia prælii declinandi caussa) ut contra, si quis rem suis momentis ponderet, longe illis omnibus rebus antecellant: atque hic ea, quæ de genere navium, de pluteis, de præliantibus melius armatis in Senatu Veneto disputata retulimus, proferre. Nam quod ad genus pugnantium attinebat, ne sibi quidem copias, quas habeant, plane satisfacere non inficiari, verum dicere non meliores, aut firmiores credibile esse hostiles fore: nam præterquam, quod dearmati fere sint, notum esse, nullius rei majorem esse apud Turcas, quam bonorum & strenuorum militum penuriam; qui multitudine tantum polleant, & ex paucis illis bonis, quos imbecillibus miscere soleant, magnam partem superioris anni clades in Cypro acceptas absumpsisse: magnam quoque nunc Famagustæ obsidionem, item bellum Epiroticum ad se attraxisse: ut longe imparatior Turca, quam Christiana classis à bonis & strenuis bellatoribus congressura sit; cum præsertim Christianam classem conscenderit ingens vis Procerum, ac primæ nobilitatis hominum virium robore insignium, atque ætate florentium; qui in sacrum bellum voluntaria nomina dederint religionis ardore inflammati, ac cupiditate gloriæ elati; qui singuli magnas clientium & familiarium manus viribus & animis præstantium, armisque instructissimorum secum duxerint; qui fortem, ac fidelem, & plusquam virilem operam haud dubie sint navaturi; quique in triremes distributi, non modo virtute sua rem sint sustentaturi, sed exemplo quoque cæteros incensuri. Hæc sibi certam victoriæ spem subjicere; præsertim si vires consilio juventur, ac quibus rebus excellant, iis ad victoriam apte utantur. Suadere sese igitur magnopere, ut quoniam milites Christiani tecti pluteis atque armis in Turcas omnibus integumentis & armis nudatos, ictibusque Christianorum obnoxios sint sclopos displosuri, quibus tandem Turcæ, si diu hoc fiat, absumantur; gravi edicto milites ab insiliendo in hostilem classem, pugnaque gladiis cominus committenda prohibeantur, qui tum insiliant, cum, Turcis ictibus sclopporum partim sublatis, par-

partim vulneribus ad pugnam & ad arma sustinenda inhabilibus factis non ad dubium Martem tentandum, sed ad victos vinciendos & capiendos insiliant: hoc enixe imperandum; Ducibusque ac Primoribus mandandum, ut avidum militem insiliendi & manum ex propinquo conserendi, ac prædandi contineant: quæ res sancte & diligenter observata haud dubie Christianos victoriæ compotes factura sit. Exemplo quoque Andegavensis Austrium acuere; qui regius frater non otio marcesceret, neque ad exercitum spectabundus segne tereret tempus; sed arma ac tela tractando, discriminibus se offerendo, ultro lacessendo, manu conserenda, in ipsis adolescentiæ initiis nomen suum toto orbe celebre fecerit. Non igitur debere ipsum, qui dignitate & loco illi non sit inferior, virtute & audacia cedere; cum præsertim fortuna eo majorem gloriæ & crescendi materiam ipsi, quam Andegavensi, præbeat, quod infinitis partibus splendidius est, classem maximi omnium, qui sub cælo sunt, Principum vicisse ac profligasse, quam seditiones & tumultus à subjunctis ipsis suis commotos compescuisse.

Nulla deliberatio magis anceps umquam fuit, cum consilia quotidie haberentur, in quibus modo summi ipsi Duces tantum illorum Legatis adjunctis, modo cæteri Proceres, iique modo plures, modo pauciores adhiberentur, cum sæpe quoque interfuissent Alexander Farnesius primogenitus Ducis Placentini & Parmensis, Franciscus Maria Roborejus primogenitus Ducis Urbinatis, Paulus Jordanes Ursinus, Michael Bonellus. Ii omnes quamquam nullum munus, nullamve procurationem habebant, tamen adolescentibus genere & fortuna longe principibus, quique voluntariam & gratuitam militiam in pia Expeditione professi fuerant, is honos ab Austrio habebatur. Intererat autem omnibus consiliis Joannes Sotus Regius Scriba Austrio ab interioribus consiliis & ab epistolis à Rege datus. At Austrii curas illinc Venetorum & Columnæ adhortationes, hinc suorum monita in diversum trahere. Veneti enim assidue instare, omni contentione pugnare, vociferari, immortalis Dei & hominum fidem implorare, testari ingens flagitium fieri, sempiternamque maculam Christiano nomini inuri, si, cum quidquid roboris, quidquid navalium virium Christiana res habeat, in unum locum contractum sit, ne in conspectum quidem hostilis classis procedere ausi fuerint. Non minus vehementi oratione, sed majore auctoritate Paulus Odescalcus Episcopus Pennensis ea ipsa nominatim de caussa suadendæ pugnæ à Pontifice missus in consilio pugnabat, Joannem ac reliquos Duces ad prælium hortans ac monens, ut Dei immortalis ac Christi Domini auxilio freti ne dubitarent rem pugnæ committere; cujus Numen militibus suis affuturum, ac victoriam daturum certissimam spem illius ipsius Vicarius faceret lumine, ut par est credere, castæ menti, atque assiduis precibus ejus benignitatem & misericordiam imploranti divinitus prælato. Contra major pars suorum illum retinere ac sedulo monere, ne se inanibus ac speciosis auferri sineret; sed meminisset, Philippum fratrem in Regnis Italicis, simulque classe, à cujus ope & spe illa pendeant, ei credendis non tam audaciam & generosos animi impetus, quam consilium & providentiam spectasse: proinde voluntatem fratris, quam alienos hortatus, potiorem in consilio haberet. Regii adolescentis animum hinc verecundia timoris significandi, gloriæ cupiditas, sociorum calamitates, pudor illos deserendi; illinc suorum monita, metus fratris animum offendendi in diversum trahere. Vicere tandem gloriæ stimuli, ac sublimes spiritus. Quare universo Procerum consilio convocato pronunciavit; cum quidquid navalium virium Christianus Orbis habeat, in eum locum contractum sit; ingens flagitium fieri se arbitrari, ac rem proximam parricidio, si Venetos socios tantis angustiis circumventos deserat. Decrevisse se igitur porro ire pergere; ac quas bene gerendæ rei facultates divina voluntas, quodque consilium res ac tempus, tum autem conatus & cœpta hostis dederint, ea non prætermittere: ac si classem Turcicam adipiscatur, fortunam pugnæ experiri. Hortaturque proinde singulos & universos, ut animos & corpora ad splendidum certamen parent, atque acuant.

Orationem Austrii summus omnium, qui aderant, eorum quoque qui à consilio pugnandi illum secreto revocabant, plausus & approbatio excepit: quem consensum non tam cupiditas pugnæ, quam verecundia illam detrectandi expressit; simul spes eam facultatem hostes non daturos: quos verisimile non esset, tantam gloriam Cypri Regno, & Dalmatiæ urbibus Imperio Ottomanico adjectis, rebusque terra ac mari feliciter gestis eo anno partam in incertam dubii Martis aleam temere daturos. Consilium igitur in speciem amplum omnes, mutuo pudore stimulante, amplexi sunt. Cæterum is habitus animorum, iique, ut diximus, occulti sensus in Proceribus erant; ut cum maxima pars à pugna omnino abhorreret, pars ambiguis animis nutaret, omnes tamen illius cupiditatem sine discrimine honorificam verbis ac fronte præferrent. Consensu & alacritate Procerum confirmatus Austrius non minus sociorum, quam regiam classem sibi commissam intelligens, ac proinde curas suas in omnes æque partiendas, omnes classes lustrat: cumque Venetam cæteris omnibus affatim instructam, bellatoribus, quibus ipse abundabat, inopem invenisset, quattuor peditum millia, quorum mille quingenti Hispani, reliqui Itali fuerunt, Veneto gratias agenti commodat. Genuenses quoque & Sabaudianas triremes eadem inopia laborantes supplet: neque onerariarum curam negligit; quas, si fieri posset, prælio cupiebat interesse, in quas Germanos imponit; iisque Joannem Davulum præficit, commeatuum quoque ac cæterarum necessariarum rerum, quarum ipse superexsuperantem copiam habebat, magnam vim in sociorum naves distribuit, nec vero ad præsentia tantum expedienda, sed ad futura quoque providenda curas extendit: nam, ne in occasione gerendarum rerum subitis consiliis trepidaretur, ordinem pugnæ instruxit; agmenque non magis ad iter, quam ad prælium composuit: quod tam in itinere, quam in pugna quadripartitum fuit, ut tres acies æqua fronte antecederent, quarum dextra in altum versa quinquaginta trium triremium numero Auriæ ducenda data est. Sinistræ, quæ in itinere faciendo littora legeret, Augustinus Barbaricus Legatus Venetus est præfectus, eodem triremium numero illi attributo: mediam sexaginta triremium ipse sibi Austrius sumpsit. Alvarus Bassanus cum triginta triremibus pone sequens agmen claudere jussus; qui eundem locum in pugna obtinens omnia circumspectaret, ubique laborari vidisset, ad opem ferendam advolaret. Sex galeatiæ Venetæ, in quibus ad spem victoriæ magna momenta ponebantur, deficiente vento, cum ob gravitatem suam cursum triremium æquare non possent, remulco trahendæ erant: binæ ante singulas acies mille passuum intervallo statuebantur, quæ primum impetum hostilis classis exciperent, ac veluti arces imminentes, magnamque vim bombardarum tamquam creberrimam grandinem displodentes, hostiles ordines perrumperent, atque aciem disjicerent: quod consilium effectu non caruit. Inter acies tantum vacui loci relictum est, quantum quattuor triremium corpora occuparent.

Acies

Acies diversi coloris vexillis ac diversis in locis statutis distinctæ sunt, ut in turba & confusione prælii suum singulæ naves locum, ac suam singulæ aciem, ad quam sese agglomerarent, internoscerent: præterea decem triremes extra ordines reservatæ sunt: quarum quaternæ, pone prætorias dextræ & sinistræ aciei locatæ, duæ puppi prætoriæ, quæ præsto essent ad subitos prælii casus; imperatumque est Joanni Cardonio, cui in acie dextra Auriæ attributa locus obvenerat, ut cum octo triremibus agmen speculabundus antecederet; ac de omnibus, quæ offenderet & exploraret, extemplo Austrium per celoces certiorem faceret: quod si classem hostilem in conspectu habuisset; nuntio è vestigio ad Austrium misso, ipse in suum locum reverteretur: tantum autem spatii præcipere jussus est Cardonius, ut celoces exploratum à Turcis præmissæ in ipsum incidentes prius ab illo in fugam conjicerentur, quam in conspectum Christianæ classis venirent, ac numerum navium oculis notare possent. Quæ omnia Austrius de Auriæ sententia ita instruxit; cujus consilium tamquam navalium rerum peritissimi præ ceteris probabat. Suus etiam locus onerariis est assignatus; si venti favore cursu longarum æquato prælio ipsæ quoque interesse potuissent, in eo aciei cornu, à quo secundo vento terga ipsorum afflante, atque in ora adversa hostilium navium flante pugnarent.

Illud autem sapienti ratione multis de caussis provisum est; quod non suus cuique nationi, ut fere fit, separatus est assignatus locus, ut sic essent tamquam distincta membra; sed totius classis unum ac promiscuum corpus factum est, navesque immistæ, ac Venetæ & occidentales (ita enim naves cæterarum nationum appellabantur) alternæ statutæ: quæ res multas utilitates habuit: nam principio imbecillioribus cum iis, quæ firmiores erant, copulatis, vires classis æqualiter perlibratæ sunt; factumque est, ut æquali in omnem classem velut infuso robore, nulla pars claudicaret: deinde nullus seditionibus & conspirationibus relinquebatur locus, quæ res exercitibus perniciosior & periculosior, quam hostilis vis, sæpe fuit: cum nationes nullo inter se consensu, aut colloquii commercio sibi privatim consulere, aut à communi bono consilia separare non possent. Ad hoc necessitas æqualiter omnibus pugnandi imponebatur, facultasque subtrahendi se certamini imbecillioribus eripiebatur, quod valentioribus interpositæ vel invitæ attrahebantur, cum mutuus pudor timoris fatendi, atque ignaviæ extero aperiendæ ad pugnam animos acueret. Fugæ præterea consilia impediebantur, quæ singulis ab universo suorum corpore discretis constare non poterant.

Omnibus rebus, quæ humana diligentia expedienda fuerunt, intentissima cura provisis, nihil humanis consiliis divino Numine averso procedere intelligentes, ejus pacem & favorem supplicationibus habitis demisse exposcunt; noxisque prius sacra confessione expiati, reque divina facta, ac cælestis panis pabulo sumpto; cum omnia ad iter instructa & parata essent, quattuor tamen dies ab adversis flantibus ventis in portu retenti sunt: è quo non prius septimum Kalendis Octobris solvere potuerunt, cum onerarias tamquam tardioris & impeditioris cursus pridie præmisissent, dato mandato, ut si cursum longarum æquare non possent, iter in sinum Tarentinum dirigerent, ibique imperia exspectarent. Trium igitur dierum navigatione ad caput Columnarum, quod Veteribus Lacinium promontorium fuit, pervenerunt, ubi totidem dies subsistere coacti sunt, validis enim aquilonibus flantibus, periculosa existimabatur navigatio tantæ classis conjunctæ: quo tempore nonnihil de itineris faciendi ratione ambiguæ sententiæ fuerunt. Præfectus enim Venetus, cum classem hostilem ad Corcyram stare postremis nuntiis constaret, illi antevertendum censebat; omissaque recta inde in Cephaleniam contendendum: sic fore, ut hosti in sua se recipienti itinere intercepto necessitas pugnandi imponatur. Rejecta est Veneti sententia ab Austrio, & à majore parte consilii, Præfecto quoque Pontificio approbante. Nam præterquam quod infesta futura erat navigatio tam validis flantibus ventis, illud magnopere animadvertendum dicebant, in magnis classibus, qualis illa esset, non omnes naves pares esse, & ad cursum æque expeditas: quare fieri non posse, ut omnes æqualem cursum teneant, totque navibus claudicantibus omnis classis conjuncta eodem tempore locum destinatum teneat: periculumque propterea ingens esse, ne, si ad Cephaleniam in hostilem classem conjunctam, animisque ad prælium præparatis incidant, (quod non ita fore divinare nemo posset) ad necessitatem ipsi iniquæ periculosæ pugnæ adigantur. Corcyram igitur omnino petendam: ad quam insulam si hostem adepti essent, tum omnem classem conjunctam minore cum discrimine dimicaturam: si profectam offenderint, tum vero consilium sese pro re & tempore capturos.

Hac sententia probata, Austrius Bassanum cum triremibus ipsi ducendis datis Tarentum ad mille peditum cohortem ex præsidiariis Neapolitani Regni suo jussu eo accersitam accipiendam mittit. Idem facit Præfectus Venetus Canalio cum sufficienti triremium agmine Callipolim misso ad copias, quæ in eam urbem jussu Senatus convenerant, similiter accipiendas; dato utrisque mandato, ut è vestigio Corcyram se conferant, ac cum reliqua classe conjungant: quod idem onerariis per certum nuntium imperatum est: Andradasque cum quattuor triremibus, quarum duæ Regiæ, duæ Venetæ fuerunt, iterum præmissus est; jussus quam longissime posset procedere, omniaque omnibus vestigiis indagata certiora & exploratiora referre. Ipseque Austrius decimo Kalendas Octobris cum tota classe à capite Columnarum solvens sexto Kalendas Corcyram tenuit; ibique substitit, Bassanum & Canalium exspectans, qui ambo cum copiis acceptis tertio Kalendas Corcyram appulerunt. At Austrius eodem die in continentem oram Epiri ex adverso positam cum tota classe trajicit, portumque Gomenitiarum, quem Pelodem Veteribus fuisse puto, cuilibet quamvis magnæ classi capiendæ amplum subit. Ibi celocem ab Andrada remissam, ac paullo post ipsummet Andradam præsto habuit. Is retulit, se Zacynthum usque perrexisse; neque fuisse, cur ulterius procederet: nam neque se in sinum Corinthiacum penetraturum fuisse, arcibus, quæ fauces muniunt, prohibentibus; & magno cum periculo se ulterius processurum fuisse: cognovisse enim multas expeditas naves ab hoste circummissas ad Christianos exploratores conquirendos & intercipiendos: à quibus facile deprehendi potuerit. Hæc pro certo in insula Zacyntho comperisse; hostem se in sinum Corinthiacum cum tota classe recepisse, à qua circiter sexaginta naves varii generis discesserint, quæ iter in Orientem intenderint; incertum utrum Constantinopolim petentes, an ad annonam & commeatus, ex maritimis Peloponnesi urbibus acceptos in Africæ oram ac Tunetum convehendos. Neque falsus, neque verus omnino nuntius fuit. Vere enim discesserant à classe navigia; sed triginta duntaxat pauperum piratarum, iis de caussis, quas supra scripsimus. Lætus nuntius languentem multorum fiduciam erexit, magnumque pugnandi ardorem vulgo excitavit, metu illo, quo in primis pugnam cum tanto navium

numero horrebant, dempto: ipsorum quidem Ducum ac Procerum dubios ad eum diem animos, atque inter alterutrum consilium nutantes in pugnam inclinavit.

Per idem tempus Carageális, quem ad res Christianorum speculandas missum diximus, cum in Calabriam usque processisset, atque in conspectum Christianæ classis venisset, memorabile facinus ausus est. Vetus enim ac longo usu peritus nauta, cum non satis navium numerus procul notari posset, non modo classi appropinquavit, sed sperans incredibilis audaciæ inceptum non magis in tenebris latiturum, quam in natura rei omnem humanam opinionem temeritate sua exsuperantis, atque idcirco à nemine animadvertendæ, noctu Christianam classem ingressus est, actuarioque circumvectus cuncta diligenter perlustravit, numerumque navium iniit: cujus rei à me diligenter inquisitæ eos auctores habui, ut illam pro comperta ponere non dubitem: ad hoc exscensione in terram clam facta, quattuor milites, dum per littus seorsum ab exercitu vagantur nihil tale caventes, excepit. Is igitur ad Bassam & Præfectum reversus, qui acceptis litteris Regiis extemplo sinum Corinthiacum egressi ad Patras constiterant; muneribusque distributis, ac delectis navibus, quas Pertaus relinqueret, quasque secum duceret, ad iter se comparabant, quæ gesserat, quæque cognoverat, retulit; hominesque captos coram Bassa & Præfecto statuit, inter quos alium ab alio seorsum interrogatos idem sermo constitit, classem Christianam ducentarum sex triremium præter longas majoris formæ sex, & alia navigia, Joanne Austrio fratre Philippi Regis Præfecto, militibus, magnaque tormentorum vi, atque omni bellico & navali apparatu instructissimam Orientis & Ottomanici Imperii Regna petere; certo & stabili animi consilio justo prælio dimicandi, omnes ejus rei occasiones quæsituram.

Is nuncius cum postrema recentia Imperatoris jussa infringeret, (ideo enim revocabatur Bassa, quod, cum Christiana classis eo anno jam non exspectaretur, nullus illis in littoribus Ottomanicæ classis usus erat) non minora, quam apud Christianos inter ancipitia pugnæ vel committendæ, vel declinandæ consilia Turcis certamina præbuit. Nam Halis ingenio ferox & in consiliis rapidus, cupiens juventutem suam aliquo memorabili facinore commendare, incredibili pugnandi cupiditate tamquam materia certæ & exploratæ gloriæ rapiebatur. Huic complures ex Proceribus assentiri, partim cupiditati adulantes, locumque gratiæ apud hominem Imperatori in primis acceptum quærentes; partim quod eodem desiderio ipsi quoque flagrarent. At Pertaus vir gravis & ætate provecta à periculoso & præcipite consilio abhorrere, cui pauci assentiebantur. Uluzalis vero vir vafro ingenio, non tam animi dubius esse, quam orationis viro cauto, atque alterutrius Ducis offensionem metuenti aptæ. Quare perplexis responsis sententiam non plane aperire. Nam modo præ se ferre consilium pugnandi sibi placere, idque esse conveniens tanti Imperatoris magnitudini, Ottomanicæque gloriæ ac perpetuæ Turcarum consuetudini & audaciæ: modo dicere, se vereri, ut ad tantam imminentem pugnam satis instructi ipsi sint; quod judicium, quamque æstimationem non suam, neque cujusquam alterius, sed summorum ipsorum duntaxat Ducum esse. Suas quidem privatas triremes omni bellico apparatu, ac non pœnitendo egregiorum pugnantium numero firmatas esse, quos in se recipere virorum fortium ac strenuorum opera edituros. Sua vero opera quæ futura sit, si res ad eum diem à se gestæ non satis spem faciant, prælium certe ipsum mox ineundum declaraturum.

Cum ab altercationibus rem ad perpetuas orationes revocari placuisset; convocato consilio, ac libera dicendi potestate facta, Asanus Ahenobarbi filius, quem clarissimi parentis memoria conspectum faciebat, rogatus sententiam, à titulis & nominibus, ut mos gentis est, Imperatoris orsus, cum illius opes & majestatem ad cælum extulisset, vaniloquus ac verbis ferox oratione suæ gentis laudibus tumida, ac Christianorum contumeliis exsultante, cum pauca de ratione & genere belli leviter attigisset, ita ad pugnam hortatus dicitur: *Proh dii immortales, in hoc-ne loco de prælio cum Christianis committendo, vel detrectando, tamquam de re dubia deliberamus? nec, mitto hominum sermones, ipsorum littorum adspectum veremur, quæ vel muta formidinem & ignaviam nostram ipsa coarguunt? quippe in quibus haud procul à loco, ubi nunc considimus disputationibus inanibus tempus terentes, horum ipsorum sociorum classis nulla re hac, quæ nunc nos petit, inferior, aut imparatior; illa certe superior, quod Ducem habebat Andream Auriam alterum, ut Christiani vocabant, Neptunum, recenti memoria non modo impetum classis Ottomanicæ invadentis non toleravit, sed ne adspectum quidem tulit. Quos igitur homines parens meus clarissimus imperator numero navium inferior, ad hoc nulla onerariarum societate fultus, quibus illi ad bellum & ad certamina armatis abundabant; acie tantummodo in pugnam directa, præliumque comminando, nulla re ab illis tentata, in turpem fugam conjecit; iis nos nunc ultro petentibus, ac, si diis placet, ad pugnam lacessentibus numero navium longe superiores obsistere, aut obviam prodire non audebimus? sed faucibus portus inclusi ac sub tutela arcium latentes eos ad pugnam provocantes atque ignaviam & timiditatem exprobrantes, superboque ludibrio nobis insultantes metu obtorpentes feremus? Quamquam quid ego ignaviam, aut formidinem loquor, cum potius stuporem possim, qui hostem, nos ipsos, utriusque gentis fortunam ignoremus; resque contra illos per tot annos à nobis gestas obliti simus? Hostes Christiani sunt homines molles, effœminati, deliciis affluentes, luxu enervati, unguentis delibuti: quibus non modo corpora, sed vestes ipsas, thoraces, ocreas inficiunt, adeo nullus est luxuriæ modus, vel vestitu ipso picto, laciniato, nugarum pleno vanitatem ac mollitiem animorum testantes, quibus omne studium est in choreis, in muliercularum cœtibus, in scenæ spectaculis: omnisque cura in novis delitiis ac voluptatibus conquirendis; novisque ciborum & condimentorum generibus excogitandis; epulis magnifice & concinne instruendis: quam summam industriam ac summum decus putant: quibus rebus se mutuo superare contentiosa illorum Magnatibus ambitio est. Ex hoc genere hominum exercitus scribunt, quibus nulla est disciplina, nullus inter se consensus, nulla obedientia, nulla Principum ac Ducum reverentia: quibus rebus militaris res in primis continetur, quique nullo metu pœnarum in officio illos continente, nullaque præmiorum spe virtutem acuente, armis potius onerati, quam tecti ad rixas tantum ac seditiones miscendas natos & educatos se putant; in prælio ignavi, & ad primum armorum crepitum turpi fuga aciem deserentes, apud quos soli nobilitati honos & pretium est; cum virtus jaceat neglecta. Qua re fit, ut fortibus & strenuis viris, si qui apud illos sunt, præteritis, hominibus sola nobilitate commendatis, cæterum plerunque ignavis, atque operum militarium rudibus imperia ac militaria munera mandent; illosque Provinciis, urbibus, arcibus, exercitibus, classibus præficiant. Tales esse eos, quos exspectamus, putate, quibus illud quoque accedit incommodi, quod maxima ex parte maris insolentes, si congressi fuerint, non modo arma ac tela non tractare, sed ne recti quidem stare, & à casu sese in maritima jactatione sustinere possint. Cum hoc-ne genere hominum nos conferam inter ferrum atque arma natos; quibus unum studium, unaque ars militia est, ad quam à pueris sub optimis magistris severa disciplina dirigimur: quibusque nobilitas nugatoria res, neque ad ullam rem præterquam ad arrogantiam & fastum, ac tumidos spiritus hominibus faciendum apta ne cognita quidem est;*

est, sed omnia sunt in virtute? Huic uni honores, militaria munera, præmia cedunt: hæc una hominum sortem, non inane nomen distinguit: qui enim sint, non unde sint homines, spectamus: quique non delitiis corrumpimur, non conquisitis epulis delectamur, non luxu, aut vino debilitamur; sed parce ac sobrie vitam tolerantes iter illud simplex ac directum ad virtutem tenemus: nullæ apud nos contentiones audiuntur; nullis seditionibus castra nostra infesta fiunt: quippe quos gloriæ studium, disciplina à primis annis imbibita, metus legum, obedientia erga Principem quietos & concordes mutua charitate inter nos devinctos teneat. An ego vos, Duces clarissimi, quorum spectatam multis locis virtutem & audaciam magnus Imperator delegit, cui summam rerum crederet, cum hoc Regio adolescente, qui nunc mare primum adspicit, quique ne nomina quidem navalium armamentorum nota habet, conferam? An vos strenui & fortissimi Proceres, qui hanc fortunam non à majoribus vestris traditam accepistis; sed ipsi vestris discriminibus, vestrisque laboribus vobis peperistis: quique ad splendidum istum honoris locum non generis commendatione, sed virtutis egregiis facinoribus ac meritorum gradibus conscendistis, cum Austrii exsangui & enervato Procerum comitatu comparem? Quamquam quid ego hostium ignaviam in animos vestros oratione defigere conor, quam per hos annos toties experti estis? aut quid nos cum illis verbis comparamus, cum quibus manus millies congrediendo contulimus? quorum congressuum is semper exitus fuit, ut sæpe biremes nostræ ac pauperum piratarum minuta navigia Philippicas triremes numero plures ultro aggressa, ne tentato quidem certamine in fugam conjecerint, vel fugæ facultate aliquo casu adempta, non pugna longa ac dubia tandem vicerint: sed, quod ad posteritatem vix fidem inveniet, homines in illis inventos veluti parem pecudum numerum jugularint: vel armis abjectis turpiter se tradentes vinxerint. Jam vero nullos-ne nobis animos facit gentis Ottomanicæ perpetua fortuna, semper victricis, immutabilique fato ad gloriæ incrementa natæ? quæ fortuna si nihil aliud est, quam divinæ voluntatis decretum; quid dubitamus, quin ea nobis piis ac castis Dei immortalis cultoribus adfutura sit; impiosque ac sacrilegos homines, quibus nullo supplicio, aut legum metu, nullaque religione, nullaque verecundia coercitis divinum Numen ore impuro atrocissimis conviciis incessere ludus, jocusque est; fugæ ac formidinis impletura? Imbellibus-ne istis ac nefariis hominibus decus nos primi dabimus congressus ab Ottomanica potentiore classe formidati? eamque victoriam, cujus nobis tot res certissimam spem faciunt, imbellibus consiliis nostris, quæ timidi cauta vocant, nobis invidebimus? Atque hæc ego perinde disputo, quasi nostri consilii atque arbitrii res sit; ac non certum & fixum Imperatoris edictum, quo ad necessitatem pugnæ adigimur, omnem deliberationem nobis præcidat: quod cum pro numine apud Turcas perpetuo observatum sit, quis tanto se crimine atque adeo tam nefario scelere obstringere audeat, ut illi non pareat? Agite, Duces fortissimi, diis bene juvantibus, sempiternæ vestræ ac gentis nostræ consuetudini proximi este: nec dubitate id prælium alacribus animis committere, quod Deus immortalis Numine suo sit profligaturus.

Magno faventium assensu, quæ major pars fuit, auditus est Aslanus: contra quem Mahumetes Eubœæ Sangiacus, vir ingenio præstans, magnique in rebus navalibus usus & scientiæ, inanibus omissis, de ratione pugnæ gravi & accurata Oratione ita disseruisse fertur: *Ne mihi quidem placeat, clarissimi Duces, Ottomanicæ classis à prælio deterritæ decus Christianis dare; si id aliter assequi possim, quam majus decus ejusdem classis victæ & deletæ illis dando: qua amissa haud facile, neque nisi multorum annorum spatio aliam similem simus reparaturi: quæ res interea Græciæ, Macedoniæ, totiusque maritimæ oræ, atque omnium insularum nostrarum jacturam secum trahat. Neque nos tantam istam Christianorum ignaviam, tamque imbelle istud ingenium, quod illis contumeliose affingimus, re nuper ad Melitam, & hoc ipso anno ad Famagustam experti sumus: quarum urbium hujus expugnatio infinita cæde nobis constat; cum Famagustani, acerrima ac diuturna oppugnatione sustentata, innumerisque audaciæ & fortitudinis editis facinoribus, ultima omnia perpessi, non tam à viribus nostris superati sunt, quam ab extrema omnium rerum inopia tandem expugnati. At Melita in tot rerum iniquitatibus adversus impetus nostros invicta stetit; cum mœnibus prostratis, ac propugnaculis omnibus decussis, magnaque obsessorum parte variis casibus exstincta, perpauci illi, qui reliqui fuerunt, equites nullis rebus tecti, nec jam pro mœnibus pugnantes, sed nuda corpora opponentes, ac bis terve in die velut æquo campo cum copiis nostris congredientes nudum illum scopulum ita ferro ac virtute tutati sunt, ut nostri post trimestrem oppugnationem magna ex parte consumpti, ac qui reliqui fuerunt, exsangues & vulneribus confecti irrito incœpto discedere sint coacti; ut omittam opida Zighetum, & remotioribus temporibus Rhodum; quorum hoc initium, illud clausula rerum à Solimano gestarum fuit; quæ utraque urbs ipsum summum Imperatorem omnibus Orientis opibus septum, omnibusque viribus connixum multorum mensium oppugnatione distinuit, innumerasque copias nostras absumpsit. Et adhuc tanta incredibilis virtutis, fortitudinis, constantiæ omnibus temporibus edita documenta contemptos nobis Christianos facient? Age, demus ipsi nobis, nos Christianis hominibus meliores esse; demus Christianos à Turcis vinci solere: neque enim is sum, qui non virtuti nostrorum hominum ipse quoque libenter blandiar, num etiam à solo & inani Turcarum nomine illos victum iri speramus; quod facere mihi videntur ii, qui censent illos adeundos cum hac classe, quæ bellatoribus pene vacua est; in quaque præter paucas prætorias insigne luminis nocturni gestantes, cæteræ vix quadrigenos bellatores habeant? Quæ, malum, nos rabies agitat; ut nos, Imperatoris classem, omnes ejus navales opes, omnia maritima Regna, quæ in eventu hujus pugnæ periclitantur, gloriam denique tot laboribus partam nulla vi coacti, non dico in incertam aleam demus, quam tamen ipsam sapientes semper fugere debent, sed in apertam perniciem projiciamus; Desperatorum hominum est, eorumque, qui male res gesserunt, occasionem quamvis perditam & præcipitem quærere: qua acceptam ignominiam, vel aliquo memorabili edito facinore deleant, vel morte ipsa finiant. At nos, qui rebus hoc anno feliciter gestis, compluribus clari nominis urbibus expugnatis, Regno Cypri subacto, hostilibus Provinciis late pervastatis, pleni gloriæ atque hostium spoliis onusti domum redire possumus, eam pugnam temere appetimus, cujus infelix exitus & tantam partam gloriam deformet, & majorem nobis reddat cladem, quam quas hosti intulimus? At enim sine ullo periculo Christiana classis aditur; quæ non modo pugnatura non sit, sed ne adspectum quidem nostræ classis latura: ac fœda sese fuga actutum discrimini ereptura. Hoc enimvero est ejusmodi; ut, cum ita disputari audirem, horror quidam animum meum perstrinxerit, metuentem tantam hanc ab irato divino Numine cæcitatem mentibus nostris objectam; qua abrepti nos in appetentem pestem ultro projicere properemus. An tam ab omni non dico mente & ratione, sed sensu deserti sumus, ut hæc in nostris animis insidere opinio possit, Regium adolescentem recentis Granatensis belli feliciter confecti gloria fulgentem, ac quidquid floris, quidquid roboris Christianus Orbis habeat, secum trahentem, ab extremis oris Europæ profectum tanta maris spatia emensum, nos inflammato studio ideo hucusque petiisse; ut turpi fuga, nullaque re tentata sempiternam labem suo & Austrio nomini inureret? ac potius imitaretur paucorum degenerum piratarum præterita flagitia; qui militiam cauponantes, stipendiaque intervertentes, naves bellatoribus vacuas habere solent? quorum quid mirum est triremes à minoribus navigiis nostris capi aut in fugam conjici? Hujus-ne igitur contemptissimi hominum generis similem fore putamus Austrium; an Caroli parentis memorem; qui cum longe minoribus copiis, instructa tamen acie & in pugnam directa Solimanum omnibus Orientis viribus fultum in æquo & patenti campo sub signis exspectare non timuit, prælium haud detrectans?*

Quid Venetos? an non ardore Austrio præcurrere credimus? An non illos capitali odio in nos efferatos veluti vecordes, atque animis à cogitatione & sensu periculorum magnitudine malorum alienatis, in ferrum & flammam ruituros, atque in omnia horribilia & præcipitia sese demissuros? Longe illis alium habitum animorum faciet cupiditas atrocissimas injurias ulciscendi, ac desperatio rerum suarum, quarum retinendarum una est illis via, si nos contuderint; atque illum, quem ad sinum Ambracium habuerunt, cum levibus lacessiti injuriis non satis magnam caussam se habere existimarent, cur sese, ac res suas in ancipitem casum darent, atque eam fortunam experirentur, cujus uterque eventus esset damnosus, vel clade à nobis accepta, vel si nos clade ipsi affecissent, spe amicitiæ nostræ in perpetuum sibi præcisa; eoque metu continerentur, ne à nobis sibi ob acceptam cladem irritatis omnibus suis spoliarentur: quem metum illis nunc adimit Cyprus amissa, cum reliqua non magni ab illis fiant. Cujus Ambraciani congressus memoria, quoniam littora quoque ad nos incitandos cieri audio, non video cur majores nobis, quam illis animos facere debeat: aut cur majus sit illorum, quam nostrorum dedecus, utramque classem ad pugnam paratam & instructam aliquot horas stetisse; neutramque alteram lacessere, aut initium prælii committendi facere ausam. Et si aliquid de Christianorum existimatione tum imminutum fingere libet; nescio utri ad animos hominum acriores sint delendæ ne ignominiæ, an parti decoris obtinendi stimuli. At enim jussa summi Imperatoris Numinis sanctitatem apud Turcas semper obtinuerunt: ut non modo contra illa facere, verum etiam cogitare piaculum sit. Sentio, Proceres: sed idem Imperator iis sese hominibus mandata dedisse putat, qui mentis compotes sint. Neque ille celsissimi Præfecti classem suam tam potestati vestræ permisit, quam fidei & sapientiæ commisit. Tibique Pertau, ut dimices imperavit; non ut classem suam, simulque quidquid virium ac maritimi roboris habet, sine certamine capiendum prodas; paucasque has fidelium militum reliquias laboribus, morbis, vulneribus confectas & exsangues, atque ad arma sustinenda vix validas fœde jugulandas objicias. Neque ille est tam ab omni rationis & consilii specie desertus, ut quod vos Duces clarissimi de tot sapientium Procerum, ac longo usu bellicæ & navalis rei peritissimorum sententia in re præsenti, atque oculis subjecta statueritis; id ille non sit ratum habiturus, atque in bonam partem accepturus. Postremo illud vobiscum cogitetis facite, Duces sapientissimi; cum longe ad decus & ad gloriam insignius & majus sit, ut sæpe sapientes viros disputantes audivi, suos servasse, quam hostem peremisse; idemque sit in contraria turpitudine, summæ stultitiæ esse, majus hoc decus, quod nihil moventes certum habemus, pro minore & incerto decore in discrimen dare.

Hæc atque alia similia cum Pertao magnopere approbante disseruisset Mahumetes; nullam tamen animorum inclinationem in sententiam suam fecit: adeo in contrariam partem, velut rapidissimo æstu abrepti omnes fere præcipites ferebantur. Ad insanam enim pugnandi cupiditatem contemptus Christianorum, ac superba virium suarum fiducia admota ita obcæcabat animos, ut nihil, quod spem ipsorum moraretur, auribus admitterent. Omnes igitur Halim laudibus in cælum ferre; illum virum, illum fortem ac strenuum belli Ducem; illum dignum tanto imperio dicere: in illo indolem esse Turcicam; contra Pertaum probris vulgo lacerare; segnem, desidem, imbellem, degenerem appellare; vividum illud quondam animi robur simul cum corpore consenuisse. Pertaus magis acute verum providere, quam constanter consilium tueri: quem cum Bajazetes vir sapiens, ac non vulgaribus honoribus usus, quamvis tum adversa invidia premeretur, sanorum consiliorum cum paucis socius etiam atque etiam moneret, ne majestatem summi loci, quem obtinebat, prava indulgentia solveret; sed sapientis sententiæ constanter retinens contumaciam contra tendentium pro imperio coerceret: vera illum dicere, itaque prorsus faciendum esse, fateri Pertaus: cæterum imperio summo Principis sese ad necessitatem vel iniquæ pugnæ subigi: cujus non observandi unam tutam esse rationem, si consentiens Procerum sententia à classe in certam perniciem danda ipsum deterreat. In hoc uno esse criminis subterfugium: à qua re illi tantum absint, ut contra omnes fatali quadam rabie mentibus objecta in contrariam partem ferantur. Minore in errato multos sæpe oppressos: Pialis quidem superioris anni Præfectus ipsius Imperatoris gener longe leviore crimine insimulatus, quod Christianam classem cedentem non sit persecutus, atque omnes pugnandi occasiones non captarit, prope factum esse, ut everteretur. Quid futurum ipsi esse, si classe Christiana ipsos appetente, atque ad certamen ultro provocante, cæterisque omnibus prælium suadentibus, ac se uno detrectante; aliquid damni, aut ignominiæ accipiatur, quam omnes ipsius ignaviæ sint assignaturi? Ad extremum orationem ita conclusit, ut diceret, malle se prælii quamvis iniqui discrimini, quam domesticæ invidiæ & malevolorum obtrectationibus caput objicere: satiusque ducere, hostili telo cadere, quam aulico incendio conflagrare. Gemens igitur & mœrens miser senex, fati iniquitatem accusare, quod se prudentem & scientem ad certam & ante oculos positam pestem urgeret. Neque tamen pugna omnino decreta est; sed animis ad illam inclinatis, mittitur idem Mahumetes Eubœæ Sangiacus, qui pugnam dissuaserat, qui interiorem oram sinus Corinthiaci propere circumvectus quantas maximas possit copias ex arcibus & præsidiis corrogatas ad classem adducat. Simul Caracogia impiger, neque obscuri nominis pirata, cum nonnullis biremibus ad recentiora de consiliis & conatibus hostium speculanda.

Interea apud Christianos cum summa ad eum diem fuisset Ducum concordia, inopinatus exortus casus, offensioque ex minima re ac vix relatu digna, illam perfregit: quæ, prope factum est, ut fœdus ipsum solveret, atque omnia everteret; quin etiam ipsos inter se Duces ac classes internecino prælio committeret, ut horror quidam animum perstringat, cum mecum ipse reputo, quam parvis sæpe caussis maximarum rerum momenta vertantur, quantasque procellas vel minimæ res excitare soleant; ac quam incerti parumque explorati sint humanorum consiliorum eventus: quos nemo divinare possit, quippe qui à variis, nullisque providentiæ opinabilibus casibus pendeant. Non igitur tamquam parva res mihi omittenda fuit, sed tamquam magna scribenda, ac minute persequenda, quæ tanto incendio materiam præbiturа fuerit. Ordinum quidam ductor multa in Venetis triremibus militari licentia quotidie faciebat, quæ multorum delata querelis animum Præfecti offendebant. Cum sæpe monitus finem non faceret, nec ferri jam arrogantia posset, comprehendi hominem & in vincula duci Præfectus jubet: hactenus enim ex pacto in commodatas copias Præfecto licebat; cum ulterior animadversio Austrio pro jure summi imperii in milites suos reservaretur. Is se defendens ad priores culpas capitalem noxam addidit, ministro uno ex sociis vexilli (ita lictores classium appellant Veneti) ad ipsum comprehendendum misso interfecto, ac nonnullis ex apparitoribus vulneratis. Præfectus Venetus, cum præteritis facinoribus jam irritatus, tum novo, atrocique crimine, atque hominis contumacia exacerbatus, ad hoc vitio ingenii in iracundiam præceps hominem comprehensum, simulque tres cum eo audaciæ & maleficii socios vulneribus debilitatos, & exsangues, ac semivivos suspendi jubet, Austrii injussu, illoque minime consulto.

Enim-

Enimvero Austrius re mox cognita exarsit, cum sua sponte, tum multorum instigationibus faces incenso animo admoventibus: in quibus fuerunt nonnulli, qui easdem pœnas pro illius temeritate & audacia à Præfecto ipso exigendas suaderent; meritoque suum ipsius exemplum in illum versurum affirmarent: quorum oratio magnum momentum ad animum Austrii nutantem impellendum facere potuisset; nisi M. Antonius Columna, cujus perpetua opera ac sedula cura suspicionibus tollendis, gratiæque Ducum conglutinandæ invigilabat, egregium hoc virtutis & prudentiæ ad priora benefacta specimen addidisset: ut res aliorum partim præcipiti temeritate, partim malevolentia exulceratas ipse moderatione & lenitate sua sanaret, Augustini Barbarici Legati opera & sapientia usus. Columna igitur Austrium sedulo monere, testari, consilia precibus miscere, nihil denique prætermittere, quo animum ira & indignatione inflammatum à præcipiti consilio deterreret. Neque enim, inquit, tam exigua de caussa tantarum rerum inchoata & feliciter procedentia initia, tantorumque consiliorum apparatus evertere debes, Austri; simulque omnium Christianorum spem tibi commissam frustrare; tum materiam tantæ gloriæ, quæ te haud dubie manet, ipse tibi præripere; &, quo nihil ad cogitationem horribilius fingi potest, jucundum spectaculum Christianarum classium inter se concurrentium oculis Turcarum fruendum præbere. Nihil magnis Ducibus & in summo imperio positis per iram aut animi impetum agendum est; neque vulnera ab aliorum inscitia & parum cogitata ratione Reipublicæ imposita acerbitate tua graviora facienda sunt; sed sapientia lenienda, cæterorumque errata tua gravitate & consilio regenda. Deinde non habet id vitii res, quam nonnulli odiosa interpretatione asperiorem, quam ipsa sit, faciunt. Neque ego Præfecti Veneti factum ac præceps consilium elevo. Verum non ita rem accipiendam dico, quasi ab alieno homine tibi, Austri, facta sit injuria; sed tamquam inter homines tuo imperio subjunctos turbæ excitatæ sint, quæ ad ferrum & sanguinem exarserint: non enim minus tuum in Venetam, quam in Regiam classem est imperium: ut quidquid in illis classibus offensionis & incommodi oriatur, id tamquam inter tuos & à tuis exortum accipiendum sit. Averte parumper ab ira & ab indignatione animum; neque illum in præsentis iracundiæ caussam ita penitus defixum habe, ut non ad Principes, à quibus tantum imperium accepisti, & ad cunctum Christianum populum cogitationem convertas. Eorum sermones, ac non ambiguam facti existimationem, sed certam vituperationem, ingentemque tibi apud omnes pios & graves viros invidiæ paratam molem animo subjice: illudque tecum cogita Christianos Principes non tam tuam fortitudinem & audaciam, quam prudentiam & animi moderationem in omnibus opibus suis, omnique Christianarum spe tibi committenda spectasse; resque tibi consilio regendas, non impetu præcipitandas dedisse. Illud quoque non in postremis cogita, invidorum & obtrectatorum plena esse omnia: dubitas tu, quin multi exstituri sint, qui non sine audientium assensu dictitent, te hanc caussam certaminis cum hoste formidoloso declinandi per metum & ignaviam arripuisse? Proinde vince animum, Austri; iracundiamque quamvis justam Reipublicæ, famæ, gloriæ condonandam statue: atque ita te compara, ut sapientiæ tuæ, in ira & impetu animi cohibendo similis, quam alterius iracundiæ imitator esse malis. Ac cave, ne materiam clarissimæ victoriæ, quæ te haud dubie manet, tam levi de caussa corrumpas; tantamque tibi à Deo immortali destinatam gloriam ipse tibi invideas. Postremum hoc in oratione faciam, quod tibi in cogitatione primum esse debet; indignum esse tanta fortunæ altitudine ipsum inferiorum exemplo potius peccare, quam recte factis inferioribus prælucere. Columnæ sapientibus monitis permotus Austrius, contraria suadentium oratione rejecta, iræ moderandum, ac supersedendum, majoraque, quæ instarent, ei deliberationi prævertenda statuit. Composita igitur ita res est, ut, dum caussa cognosceretur, Venerius interea in conspectum Austrii ne veniret; sed in illius locum Barbaricus consiliis ac deliberationibus interesset.

Igitur Austrius cum læto nuntio imminutæ Turcicæ classis animos omnium erectos cerneret, privatum consilium Procerum Regiorum habuit: in quo cum approbantibus cunctis decretum esset, fortunam pugnæ tentandam: de ratione illam quærendi, atque hostem ad eam necessitatem adigendi longum & acre certamen inter Proceres fuit. Nam alii censebant, iter retro repetendum, ac sinum Hadriaticum intrandum; aliquamque ex munitis & majoribus ejus oræ urbibus à Turca possessis tentandam, quæ Turcas ad opem ferendam attraheret: ea re occasionem acie decernendi datum iri. Alii degenerem sententiam vehementer improbabant; quæ speciem non quærentis, sed fugientis certamen, ac conspectum hostilem horrentis cum magno Christiani nominis dedecore præferret: quin contra ubi sit hostis, eo iter recta intendendum dicebant; ac fauces sinus Corinthiaci classe insidendas, (ignorabatur à Christianis Turcas fauces sinus exiisse) alterutrum ex ea re ingens lucrum factum iri: sive enim hostis ad pugnam exeat, habituros ipsos, quod intendant; sive sinu se contineat, tum vero confessionem timoris ac detrectantis certamen ab illo invito se expressuros; magnumque decus ac magnam gloriam Christiano nomini ac sibi ipsos parituros: declaraturosque satis se animi habuisse ad Turcas ultro provocandos; illorumque arrogantiam & verborum ferociam retundendam, jactantium se, cum tot rebus hoc anno gestis, tot urbibus captis, Regno Cypri subacto quiescere potuerint, tamen à nimia cupiditate pugnandi, ac vires conferendi, experiendique utra gens bello sit melior, multos dies Corcyræ in ancoris stetisse Christianæ classis adventum exspectantes, cum qua præsente congredi ausi non sint. Tertia sententia, puerile ac ridiculum dicere inanis auræ ac vanæ jactantiæ caussa summam rerum evertere: remque sine ulla fructus spe periculosam in primis aggredi. Cui enim dubium esse, quin Turcæ tot rebus eo anno, ut dictum est, gestis tantam partam gloriam in incertam aleam temere non sint daturi? neque ex sinu Corinthiaco, ex quo inviti extrahi non possint, nisi ad certam & exploratam victoriam prodituri? Quieturos igitur Turcas consiliorum nostrorum spectatores sine ullo suo discrimine: qua re factum iri, ut ipsi irrito incœpto tandem discedere cogantur, quod consilium si nihil aliud mali, aut damni haberet, tamen eo esse rejiciendum, quod occasiones gerendarum rerum corrumpat, ac tempus eximat alterius alicujus utilis & honorificæ rei tentandæ: verum illud longe maximum periculum imminere sævæ alicujus procellæ, quæ si subito mutata tempestate, quod frequenter fieri soleat, eo præsertim anni tempore ipsos adoriatur, tum vero, cum nullus propior subsit portus, quo confugiant, quam Petaliæ quadraginta millibus passuum ab ostio sinus distans, perspicuam cladem totius classis sine ullo hostis discrimine consecuturam: quem metum casus Caroli parentis ad Cirtham non ex vano conceptum doceat, cujus periculum vitare non possint, nisi stabili cæli statu

 exspe-

exspectato, qui quando futurus sit, isque quamdiu duraturus, divinare nemo possit. Elegantius igitur & sapientius facturos, si porro ire pergant; ac Navarinum, vel Methonen, vel aliquam aliam Peloponnesi maritimam urbem tentent; quæ res alterutram utilitatem ac solidam gloriam sit habitura. Nam primum Turcicas urbes non post terga, aut procul ab hostium viribus, sed ante ipsorum oculos aggressuros, quos aut subsidio accursuros esse, id quod verisimile est; neque passuros in suis ipsos oculis ipsis sedentibus Ottomanicas urbes expugnari: & hanc fore certam ac neutiquam fallacem occasionem manus cum illis conserendi, aut quieturos, & tum se non inanem auram oblati certaminis ex prudenti & frugifero consilio relaturos, sed stabilem gradum sibi ex urbibus captis ad majora conanda facturos; & ad pares clades earum, quas Christiani acceperint, illis referendas; præclaraque fundamenta jacturos spei Græcorum erigendæ, atque animos ad res novandas, & durum jugum excutiendum, adjiciendi.

Cum unusquisque acriter pro sententia pugnaret, consilio repetendi Hadriatici sinus plane repudiato, non magis in hanc, quam in illam partem animis & sententiis inclinatis, decretum est, porro ire pergendum, ac consilia ad occasiones accommodanda, omnemque pugnæ facultatem, quamcunque primam casus dederit, arripiendam. Quo consilio approbato; antequam iter ingrederentur, nihil umquam tanto appropinquantes hosti, tantaque discriminis mole imminente, satis provisum ratus Austrius classem iterum lustrari jussit; singulasque triremes diligenter inspici, ac, si quibus necessariis rebus deficerentur suppleri. Quæ omnia intensissima cura facta sunt; cum non Proceres modo suas quisque distributorum munerum partes impigre ac sedulo exsequerentur, sed ipse quoque Austrius multa per se obiret. Quare omnibus satis provisis, quinto Nonas Octobris è Gomenitiis prima luce solventes iter in Cephaleniam intendunt: quo in itinere; id quod salubriter in primis & sapienter jampridem cogitatum erat, neque umquam propter multa impedimenta ad effectum adductum, tandem factum est, ut classis explicaretur; ac, tamquam tum conferenda manus esset, in pugnam dirigeretur: notareturque oculis, quantum universa frons porrigeretur; quantum spatii singulæ acies occuparent; qui locus unicuique triremi obveniret; quantum exterius cornu in altum extenderetur, ut commodum ac satis laxum locum interioribus aciebus, ne nimis à littore urgerentur, relinqueret, ne improviso deprehensi in ignotis ordinibus perturbarentur; neve per trepidationem & tumultum quidquam agerent: quæ res sæpe vel viribus longe superiores opportunos inferioribus ex præparato invadentibus fecit; excidioque sæpenumero magnis classibus fuit. Quæ omnia ab iis, qui primas procurationes habebant, muneribus inter ipsos partitis, diligenter & accurate facta sunt: acieque ita ad pugnam instructa, eo die, qui fuit ante diem quintum Kalendas Octobris, è portu Gomenitiarum profecti ad insulam Ericusam procedunt. Postero die iter persequentes in Cephaleniam appellunt: euripumque ipsi Cephaleniæ & Ithacæ interjectum ingressi, in portu, qui Alexandriæ vocatur, ancoras jaciunt.

Interea Mahumetes Eubœæ Sangiacus, quem ad corradendas copias ex arcibus sinus Corinthiaci missum diximus, imperata impigre exsecutus quinto die, quam discesserat, cum tribus armatorum millibus, quorum bona pars equites erant, navalibus pugnis minime aptum hominum genus, revertitur; paulloque post Mahumetes Peloponnesi Sangiacus mille & quingentos equites ex arcibus & præsidiis circumjectis ipsos quoque detractos ad classem adduxit: quibus quamvis exiguis copiis ad tantam classem supplendam, tantamque incubituram molem sustinendam adjunctis, Caracogia exploratum postremum missus revertitur, seque Corcyram usque processisse refert; tresque homines de classe à Turcis ad Gomenitias exceptos, qui cum reliquis aquatum exscenderant, ante Bassam & Præfectum statuit: qui eadem de numero navium, & de Christianorum itinere, ac de consiliis ad prælium dispositis, quæ à Carageali adducti dixerant, confirmant.

At apud Christianos in portu Alexandriæ disputatio de hoste ad necessitatem pugnæ attrahendo, & de ratione belli gerendi magnis certaminibus repetita est, quæ ne tum quidem in tot discrepantibus sententiis exitum invenit. Decretum tamen est portum Petaliæ petendum, qui ab ostio in sinus Corinthiaci minus quadraginta millium passuum distat intervallo. Ibi propinquitatem hostium, illorumque motus & cœpta certius consilium fortasse datura. Quare suspensis animis proficiscuntur; cum tamen hostem sinus ostium exiturum, ac copiam pugnandi facturum nemo crederet. Ejus igitur discriminis, quod nullum imminere putabatur, magnam plerique cupiditatem vultu & verbis præferebant ex tuto feroces. Hoc igitur habitu animorum è portu exeuntes iter in destinatum locum intendunt: quod cum ter, aut quater fecissent, semper adversa tempestate retro in portum compulsi sunt: quæ cum tandem desævisset, pridie Nonas Octobreis, cum Luna pernox esset, portum egrediuntur.

Eodem tempore Halis, & cæteri pugnandi cupidi cum classem Christianam multorum litteris & nuntiis appropinquare cognovissent, omnes conserendæ manus occasiones captantes Pertaum astu aggrediuntur, cui magnopere auctores sunt Levendem usque pergendi, ibique copiis quæ sint in præsidio ejus insulæ, neque numero, neque genere contemnendis classem firmandi. Sensit quidem Pertaus astum: cæterum cum præcipitia consilia magis non probare, quam incitatis studiis refragari posset, illis vero facerent, quod ex fide sua, & ex dignitate Imperatoris esse ducerent, permisit. Lætus Halis hac facultate à retractante expressa, nulla mora interposita pridie Nonas Octobreis eodem ipso die, quo Christiana classis è portu Alexandriæ movit, ipse quoque Patris, quæ urbs est in ora Peloponnesi haud procul ab ostio sinus Corinthiaci, solvit: ostiumque prætergressus nocte appetente ad locum Galangas vocatum, qui est in littore Epiri, substitit. Neque utriusque hostis motus magis tempore, quam habitu animorum congruens fuit: non enim tam cupido certaminis, quam opinio utrique penitus insita, hostem sese pugnæ non commissurum, utriusque alacritatem atque impetum stimulabant. Atque uterque non tam victi, quam fugati hostis decus petens ulterius processit. Igitur Christiani secunda navigatione totam noctem usi cum ad Echinadas insulas nondum satis certa luce pervenissent à nominato portu exiguo intervallo distantes, veriti classem in tenebris hostili terræ inexplorato applicare, cursum moderantur, ortum lucis exspectantes.

Cæterum quoniam hæc Epiri ora fato destinata est navalibus pugnis omnium, quæ inter mortales umquam commissæ sunt, maximis & clarissimis nobilitanda: quarum prima fuit ad Actium promontorium, quod non plus quinquaginta millibus passuum ab Echinadibus distat, classe M. Antonii & Cleopatræ à C. Julio Cæsare Octaviano profligata & fusa, ipsis Ducibus in fugam conjectis. Secunda ætate nostra annis ante Echinadicam quattuor & triginta eo ipso in loco, & ad idem ipsum promontorium: quam tamen iis de caussis, quas ab illo-

illorum temporum Scriptoribus demonstratas scio, non commiserunt, sed inter se comminati sunt duo ejus ætatis clarissimi navales Duces, Ariadenus Ahenobarbus Turca, & Andreas Auria civis Genuensis: ille ejusdem Ottomanici Imperatoris, hic eorundem fœderatorum Principum summi Præfecti, cum eo concursuri convenissent; acieque in pugnam directa ac potestate congrediendi mutuo facta aliquandiu in conspectu fuissent; neuterque alterum invadere prior ausus nulla re tentata discessissent. Tertia hæc ipsa, quam mox scripturus sum. Non ab re duxi situm & naturam horum littorum describere. Maris, in quo signa collata sunt, ea forma ac natura est, ut circumjectis insulis & continenti undique clausum speciem lacus contemplantibus præbeat. Nam à Septentrione latus Epiri ab insula Levende, quæ perexiguo freto à continenti discreta ponte cum eodem jungitur, usque ad ostium sinus Corinthiaci per longitudinem circiter octoginta passuum millia excurrit. Ab Oriente latus Peloponnesi objicitur, quod ab eodem ostio ad promontorium Cyparissi, quod ætate nostra Tornese vocatur, pari fere longitudine prætenditur. Cui lateri ab Occidente è regione opponuntur insulæ Leucas & Cephalenia septem millium passuum freto inter se discretæ, hæc quadraginta, illa quindecim millia passuum in longitudinem patentes, cujus Cephaleniæ extrema pars in Meridiem versa paullum in Orientem flectitur. Huic applicatur insula Zacynthus freto duodecim millium passuum interjecto, quæ in Orientem excurrens littus à Meridie claudit, freto viginti quinque millium passuum ab extremo Peloponnesi promontorio disjuncta. Mediæ fere oræ Epiri mille passuum intervallo à continenti Echinades insulæ applicantur parvæ, obscurique ad eum diem nominis, victoria, quam mox scripturi sumus, ad omnem posteritatem nobilitatæ: has ex arena & limo impetu Acheloi amnis in eum locum aggestis natas Veteres putarunt, accepto nomine ab Echino castanearum tegmine, cujus triplicem partum procul contemplantibus, ac copulatas credentibus forma sua imitari videntur.

Igitur classis Turcarum nondum orto sole è Galangis solvit; simplicique agmine ac littus legens in Leucadem iter dirigit, quo tempore Austrius ad insulas Echinadas, sicuti supra scriptum est, appulit, qui à portu destinato, qui est è regione Echinadum, subeundo abstinuit, quod navium gubernatores, atque ejus regionis periti negarent, in eo portu aquationem, quæ tantæ classi satis sit, inventuros. Quare ad flumen, quod est ultra eum portum circiter sex passuum millia, procedere, portu à tergo relicto, cogitur, aquatione facta mox in illum reversurus: Cardoniumque, qui semper classem spectabundus antecedebat, portum interea jubet intrare; ejusque situm & formam contemplari, ac loca, ad quæ naves tuto appellerentur, explorare: quod parvum itineris incommodum nocturno additum labori in magnum bonum vertit, ut id divino Numine propitio Christianis rebus factum credatur: nam fœderati simulatque in eum locum venissent, portum subire cœpissent, Echinadibus non superatis, atque idcirco classe Turcica non conspecta, quæ secundo vento ac Christianis adverso impulsa mox adfutura fuit. Quare compluribus triremibus retro haud parvo intervallo relictis, quæ cæterarum cursum æquare non potuerant, ut in tanta classe multas claudicare necesse erat; ac propterea, cum neque ipsæ ad se cum reliquis conglobandas, neque classis ad se expediendam & pugnæ aptandam satis temporis habuissent; haud dubitatur, quin manca & imbecilla Christiana classis, ad hoc confusa & inter se implicita, trepidansque subito deprehensa vel omnino deleri, vel ingentem aliquam cladem accipere potuerit.

Igitur oriente sole (is dies Dominicus fuit Nonis Octobris) cum Christiana classis Echinadas superare inciperet, hostilis procul amplius duodecim passuum millia easdem insulas petens ab Austrii & Auriæ prætoriis eodem fere tempore primum conspicitur, è vestigioque Auria rem Austrio per celocem demonstrat; simul monet, ut, quoniam ad componenda armamenta, classemque explicandam, & ad imminens prælium expediendam temporis satis habeant, nihil festinanter ac per tumultum agat, sed omnia sedate administret, ita confusionis periculum, quæ una res bene procedentia consilia turbare, ipsorumque spem evertere possit, vitaturum: alterum monitum fuit, ut, quoniam ab omni prorsus ratione alienum sit, aciem hostium nullis esse subsidiis firmatam, quamvis nulla in præsentia ex longinquo apparet; Bassano subsidii Præfecto enixe imperet, ne se prius moveat, pugnæve immisceat, quam certum & exploratum plane sit, nulla navigia à tergo hostium relicta: quamvis enim exiguam manum recentem & intactam supervenientem, Christianosque pugnando fessos adortam inclinare rem in suas partes posse: aliquam igitur integram & quietam virium partem ad subita & inopinata prælii reservandam. Se partes suas sedulo impleturum, omnibusque rebus ad pugnam instructis altum petiturum; ut spatium, quod oculis & conjectura permensus sufficiens judicaverit, reliquis navibus relinquat; factaque dictis continuans cornu suum in altum extendere cœpit. At Austrius improviso deprehensus nonnihil primo perturbatus est, cum multæ ex suis triremibus retro haud exiguo intervallo remansissent, ut supra scripsimus: deinde celeriter collecto animo, tormento displosо signum pugnæ dat, nonnullasque expeditas triremes ad eas, quæ tardius insequebantur, cogendas, illarumque tarditatem incitandam mittit: quæ remis connixæ cum tandem reliquam classem assecutæ essent, superatis Echinadibus ipsæ quoque in apertum mare erumpunt, seque cum reliquis conglobant. Igitur Barbaricus, cui sinistrum cornu regendum attributum diximus, prætoria sua, quæ proxima littori fuit, cum tantum terræ appropinquasset, quantum altitudo maris alveum triremis ferebat, cæteri Trierarchi deinceps insequentes, atque in suum quisque locum ordine succedentes in notis ordinibus ex crebro usu superiorum dierum, sua se sponte sine cujusquam jussu ad pugnam instruunt; omnisque classis simplici ordine in perpetuam & æqualem frontem directa est; binæque longæ majoris formæ remulco pertractæ, ante suum quæque cornu statutæ sunt. Medium locum sibi sumpsit ipsa Austrii Regia navis, cujus latera cinxerunt, dextrum prætoria Pontificia, lævum Veneta: quibus utrimque applicatæ sunt prætoriæ Sabaudia & Genuensis, illa Pontificiæ, hæc Venetæ: atque hæc Alexandrum Farnesium Ducis Parmensis & Placentini filium, illa Franciscum Mariam Roborejum Principem Urbinatem vehebant: eandem mediam aciem extremi claudebant, sinistra Paulus Jordanes Ursinus, dextra Prior Messanæ Hierosolymitanarum triremium Præfectus. Sinistri cornu extremam triremem à parte in mediam aciem versa ducebat Marcus Quirinus, unus ex Quæstoribus Venetis, cum alterum secus Barbaricum sibi locum ab altera extrema cornu parte sumpsisset. Dextri cornu, quod Auriæ parebat, is ipse Auria extremus fuit, qui à parte in altum spectante cornu ipsum suum, & totam classis frontem postremus claudebat, cum idem cornu ab altera parte mediæ aciei proxima Joannes Cardonius Præfectus Sicularum navium cornu terminaret. In subsidiis

sidiis subsedit Alvarus Bassanus Marchio sanctæ Crucis Præfectus Neapolitanarum triremium cum triginta triremibus illi, ut scripsimus, attributis; cum quibus circumspectaret, ac laborantibus, si quos vidisset, opem ferret. Puppi Regiæ duæ triremes applicatæ sunt, ad subitos casus, quarum alteram ducebat ipse Legatus à Philippo datus Ludovicus Rechesentius, cum quaternæ similiter utrimque in extremis cornibus pone puppes ea regentium collocatæ essent: ut tota classis ex ducentis quinque triremibus, ac sex longis majoris formæ rostratis constaret, ac frons centum sexaginta quinque triremes haberet. In qua præter Præfectos ac Duces fuerunt complures Proceres & primæ nobilitatis viri ætate florentes, ac virium robore insignes; qui partim muneribus fungebantur, in quibus fuerunt Pompejus Columna Legatus à Pontifice Columnæ additus, Ascanius Cornius Magister Hispaniensis exercitus, Sfortia Sfortiæ Comes sanctæ Floræ Philippi Italici peditatus summus Dux, & Paulus Sfortia Sfortiæ frater, aliique permulti, quos recensere nimis longum esset, partim evocati, partim religionis & gloriæ caussa voluntariam militiam professi, qui fortium & strenuorum clientium gregibus singuli pro cujusque opibus stipati trium millium numerum conficiebant. Amandatæ sunt à classe celoces omnes ac minuta navigia, ad spem effugii omnibus præcidendam, adeo nulla, vel minima providendi pars neglecta est.

At hostes, Christiana classe conspecta, vela dejiciunt, antennisque sublatis, ac religatis, & compositis armamentis, ipsi quoque in altum evehuntur: classemque non lunata, ut mos illius gentis est, sed æquali fronte in pugnam dirigunt, forma Christianæ haud absimili, in eoque tantum dissimili, quod nulla navium manus in subsidiis reservata est, præter perpaucas celoces, & hujusmodi minuta navigia puppibus summorum Ducum adhærentia: quas res illos in veteri disciplina, infinitaque illa Ottomanica obedientia momento temporis exsequutos minus mirum est. Medius stetit Pertaus, qui locus summo imperio, quod penes illum erat, debebatur, ut centum triginta circiter naves ab utroque latere haberet. Ab eo circiter quinquaginta interjectis navibus à dextra parte in terram versa Halis ipse summus classis Præfectus locum cepit, qui cum non plus octoginta naves à cornu ad littus pertinente haberet, factum est, ut cum classes obviæ fuerunt, haud multum ab eo loco, in quo Regia Austrii constiterat, abesset, quæ, ut diximus totius classis locum medium tenebat, cum non plus octoginta triremes à cornu in littus vergente haberet. Dextrum cornu Siroco Alexandriæ Sangiaco regendum datum est: at sinistro Præfectus est Vluzalis Cirthæ Sangiacus.

Igitur Austrius, omnibus rebus ad imminens certamen instructis, vexillum, in quo sub imagine maximi Numinis insignia fœderatorum Principum expressa erant, à Pontifice transmissum extollit, Christum immortalem comprecatus, ut augustissimum militum suorum signum, qui corpora & animos illi devovissent, integrum & intactum servaret, Turcisque funestum faceret: ac prælium ab ipsis cum sacrilegis & impuris religionis suæ hostibus mox committendum Numine ipse suo profligaret. Precationem Ducis cæteri omnes genibus nixi subsequuntur, culpis prius sacra confessione expiati; ac cœlesti pace suppliciter petita. Peracta precatione, Austrius cum in celocem descendisset, idemque Columnam & Rechesentium facere jussisset, illum ad sinistrum, hunc ad dextrum cornu inspiciendum, militesque ac Proceres ad pugnam adhortandos mittit. Ipse mediam aciem circumvectus, omniaque diligenter perlustrans, quæque opus erat, corrigens, ac monens, animos militum ad certamen ejusmodi verbis acuebat: *En optatum tempus macti virtute; en hora tot votis expetita. Ego, quæ meæ partes fuerunt, implevi, facultate vobis facta ferociam superbissimi ac perfidi hostis contundendi; quam felices horum annorum successus ad intolerabilem arrogantiam inflarunt. Vos ad vestras præstandas, & ad certum decus ac gloriam, quæ in tam splendido ac pio certamine non minor in cœlo bene moriendo, quam in terris vincendo immortales paratur, corpora & animos confirmate.* Hæc cùm celsus corpore, vultuque læto & erecto, ac fiduciam animi præferente pronunciaret; non minore alacritate, minusve lætis vocibus vulgo hortanti succlamabatur, properaret hostem petere, nullamque interponeret moram ei victoriæ, cujus vel morte ipsa illum compotem facere animis obfirmassent. Ardore militum confirmatus Austrius in prætoriam redit, cum eodem tempore Columna & Rechesentius, ipsi quoque in suas reversi essent, non minus incensis studiis in utroque cornu inventis, quæ ipsi haud dissimili oratione ad prælium acuerant. Omnibus transactis & instructis, Austrius signo dato in hostem adventantem movet; classemque, ne turbaretur ordo, paullatim procedere jubet, quod bonum haud exiguum malum secum traxit. Ita enim lentus ac tardus progressus fuit, ut cum prælium initum est, longæ naves majoris formæ ante classem statutæ nimio intervallo ab eadem disjunctæ alterum tantummodo usum classis disjiciendæ præbuerint, quæ si ex propinquo adjuvare pugnam potuissent, haud dubitatur, quin ipsæ velut arces humilioribus navigiis imminentes creberrimis ictibus bombardarum, quarum ingentem vehebant vim, iisque ex proximo certis, subjectam Turcarum classem conficere potuerint: victoriaque celerior futura fuerit: ac minore cæde, minoreque sanguine Christianis statura.

Igitur classis Turcica cum accelerans ita Christianæ appropinquasset, ut non plus mille passuum intervallum intercederet, signo tormenti displosi Christianos ad pugnam provocat: cui cum idem signum non detrectantium certamen redditum esset, porro ire pergit. Ex propinquo animadversum est, aciem Turcarum ducentarum sexaginta circiter navium, quam à parte terræ ultra Christianam extendi littus prohibebat, tanto ulterius, quam Christianam in altum porrigi, quantum spatium major navium numerus occupabat: quæ res non ante provisa (neque enim potuit) Auriam primo peturbavit; cum ceteri longo intervallo discreti in oppositum tantummodo hostem oculis & animis intenti essent; veritum, ne hostis occasionem à casu oblatam ad consilium flecteret; seque ac sibi attributas naves cum magna ipsius & classis totius clade circumveniret: quod ille jam facere cœperat, cornu suum in altum sensim propellens; quo majore spatio prærepto consilium facilius exsequeretur. Quare peritus rerum navalium Dux diversam rationem pugnæ ab ea quæ destinata erat, sibi ineundam intelligens, hostemque eodem astu, quo ipse ab illo petebatur, eludendum; prora in eam triremem versa, quæ cornu ducebat, in illam iter intendit, ad ejus motus & conatus ipse quoque consilia & cursum dirigens.

Dum duo peritissimi rerum navalium Duces mutuo artificio se captantes, alter struendo, alter cavendo dolo; pugnaque, quam Auria summa ope quærebat, potius comminanda, quam ineunda fagaciter tempus terunt; interea prælium inter medias acies, ac dextrum Turcarum, & sinistrum Christianarum cornu commissum est. Classis enim Turcica cum longis navibus majoris formæ, quæ ante Christianam classem circiter passus mille, ut diximus, paribus intervallis dispositæ erant, ad ictum bombar-

bardæ appropinquasset; bombardis incessi ab illis cœpta est. Quarum ingens vis, haud magna sane edita hominum strage, Turcarum ordinem multis locis interrupit; classemque multifariam disjecit: quæ res magnum ad victoriam momentum fecit. Turcæ enim sibi quisque tendentes, ut sese periculo & conficienti pesti actutum subtraherent, navigiis incitatis naves longas majoris formæ prætergressi sunt; solutisque ordinibus, non perpetua & continenti acie, sed catervatim, pluribusque agminibus venientes magno impetu in Christianos feruntur: qui & ipsi in Turcas proximos factos naves concitant, magnoque animorum ardore prælium ineunt: quod in cornu sinistro ea de caussa primum commissum est, quod proximum littori, atque idcirco agmine prius extento, tempus, quod media acies in se explicando & dilatando posuit, ad iter præripiendum habuit. Quare prius Turcis appropinquavit: qui ingentibus clamoribus, more suo, sublatis, ingenti sagittarum vi velut densissima nube emissa prælium orsi sunt. At, cum globus hostilium triremium Barbaricum circumstetisset; quarum nonnullæ eo spatio, quod inter extremam navim & littus intercedebat, magna celeritate prætervectæ puppim Barbarici in oppositum hostem obversi à tergo adortæ sunt; earum impetum ille fortiter sustinuit, qui acriter dimicans, dum incautius in media certaminis mole versatur, suosque ad pugnam acuit, ceteraque imperatoria munera impigre exsequitur, cum jam victoriam in manibus haberet, vulnere à sagitta in oculo accepto, ex quo insequenti die decessit, pugna excedere coactus est. Ceterum cum haud exigua navium Turcarum pars; quarum claudicantium, neque ita remigio valentium, (quod est omnium magnarum classium vitium) tardior cursus fuerat, animadvertissent Christianos, quos ne primum quidem ipsorum adspectum laturos arroganti fiducia speraránt, pugnam acriter commisisse; neque resistentibus ac fortiter pugnantibus sese pares intelligerent; imbecillitatis suæ consciæ, quam salutis viam loci commoditas expediebat, ea usi sunt; nullaque fortuna pugnæ tentata, proris in proximum littus versis, triremes in terram ejiciunt, ex quibus trepida festinatione desilientes, fuga sese imminenti pesti eripiunt, triremes littore illisas, ac defensoribus vacuas relinquentes. Qua in re consilium Turcarum Ducum vehementer reprehensum est, qui rem non ante providentes, classem, nemine prohibente, in altum procul ab amico littore non evexerint, quod in dubiis rebus animos pugnantium ad tutam fugam invitet.

Ceterum cum in hoc cornu à Turcis, qui reliqui erant, nihil de ardore pugnæ remitteretur, non eadem in media acie fortuna versabatur, in qua nulla Turcarum navis, quamvis omnes multis iniquitatibus premerentur, (quod quidem conspectum sit) certamini se subtraxit. Cumque ubique acriter pugnaretur, atrocius tamen & infestius circa ipsos Duces Austrium & Halim prælium erat. Austrius enim triremi Regia, quæ Halim vehebat, procul conspecta, & ex vexillo cognita, in eam gubernatorem cursum dirigere jubet: quam in se euntem conspicatus Halis avide se certamini offert. Igitur concitatis utrimque navibus cum infestis rostris compari Marte concurrissent; triremis lateri sinistro Turcarum applicata, quæ duos filios Halis, alterum puberem, alterum vixdum pubescentem vehebat, cum rostro dextrum pluteum proræ Pontificiæ prætoriæ magna vi percussisset, eodem impetu inter Pontificiam & Sabaudiam prætorias, magnis ab illis in transitu acceptis detrimentis, à duabus triremibus, quas puppi Regiæ tamquam subsidio applicatas diximus, capitur. At Pontificia ictu accepto paullum in lævam impulsa, rostro usque ad secundum transtrum in Regiam Turcarum se insinuavit, cum tamen ipsa Turcicam triremem à latere acriter urgentem sustineret. Infensissimis igitur animis, magnoque irarum certamine res inter summos Duces agebatur; cum utraque navis ipso bellatorum robore & flore firmata esset, in Regiaque Christiana, præter delectam quadringentorum Hispanorum manum, multi essent primæ nobilitatis Proceres cum magno familiarium strenuorum hominum numero, ut pugnantes non minus octingenti essent, & in Pontificia Columna, præter fortissimorum militum cohortem, florentem Procerum manum secum haberet, multis & ipsos clientibus comitantibus, in quibus fuerunt Pompejus Columna Legatus, cujus virtus, fortitudo, consilium, impigra opera tam in præparando, quam in pugnando, & omnia magna & minima obeundo, totoque eo bello in primis enituit; Maturinus Scuotus Gallus natione cognomento Romagassius Hierosolymitanus Eques, qui per varia & magna discrimina multis sæpe editis incredibilis audaciæ, fortitudinis, consilii documentis, clarum sibi nomen in navalibus rebus fecerat: cujusque veteris militis ac maritimarum rerum peritissimi multiplex ac fortis opera, & sollers industria magno usui fuit; Antonius Carafa Dux Montis Aragonii, Michael Bonellus frater Cardinalis Alexandrini sororis Pontificis nepos; cujus virtus in eo prælio enituit, multis fortitudinis & audaciæ editis operibus, ac vulnere, dum discriminibus sese intrepide offert, accepto, quibus egregiæ indolis documentis id assecutus est, ut insequenti anno à Pio Dux copiarum ad id bellum missarum creatus sit, quod idem munus à Gregorio tertio decimo successore illi confirmatum est: Pyrrhus Malvetius, ac complures Equites Galli Hierosolymitanam militiam professi nobilitate & virtute fulgentes. Neque vero Regia Halis non egregia ipsa quoque & florenti pugnatorum manu firmata erat, in quibus fuerunt trecenti prætoriani, quos *Janizeros* vocant, qui omnes fortissimorum virorum opera edebant.

Id genus erat pugnæ, ut contemplantibus non speciem unius ac continentis prælii, sed plurium ac confusorum certaminum præberet his aut illis iniquorum: cum alibi una Christiana navis à tribus Turcicis circumsisteretur; alibi plures Christianæ unam Turcicam circumvenissent; alibi singulæ inter se, vel plures pari numero, æquoque Marte concurrerent, prout sors, ac casus alteras alteris obtulisset; nec minus varia forma præliorum esset, cum aliæ infestis rostris concurrerent; aliæ puppibus inter se obversis pugnarent, nonnullæ proris puppem hostilem invaderent, quædam transversæ infesto rostro hostilis navis objicerentur, compluresque fuerint, quæ lateribus inter se applicatis commissæ sint; omniaque sors, & casus potius, quam consilium regeret. Multa autem horribilem faciebant hujus pugnæ adspectum, cum bombardis, sclopis, ignibus artificio compositis, postremo gladiis, hastis, omni denique telorum ac navalium tormentorum genere dimicaretur: Turcæque velut densissimas sagittarum nubes continenter ingererent, quibus partim decidentibus solum Christianarum navium alte consternebatur, quæ pedibus ingredientium proculcatæ ministeria discurrentium tardabant: partim adhærentibus, mali, antennæ, puppes, clavi, laternæ, ac cetera omnia, quæ in navibus exstant, frequentissimis præfixa specimen herinaceorum præferebant; nullumque genus navalis prælii, aut cladis abesset. Jam vero horribiles bombardarum ac sclopororum continenter displosorum fragores, atque intermicantes fulgores, densissimæque fumi sublatæ nubes prospectum adimentes; ad hoc tubarum clangores ac tympanorum truces sonitus,

nec non clamores ad pugnam adhortantium, gemitus cadentium in unum confusi, nihil, quod in animis hominum horrore perstringendis esset, reliquum faciebant.

Interea Uluzalis nequidquam omnia expertus; cum astus diligentia Auriæ omnibus conatibus pari artificio occurrentis haudquaquam procederet, ratione consiliorum mutata certamen cum Auria detrectans. proras introrsus convertit, quem ex exteriore agmine non plus sex, aut septem naves consecutæ sunt, reliquis certamine cum Auria contracto, ut mox dicemus, implicitis. Auria igitur nihil cunctatus ac fortuna utendum ratus, duodecim ex celerioribus triremibus ex reliquo agmine secum raptas, ac longa sua majoris formæ, quam unam ante se statutam habuit, (cum alteram cunctantem ac retractantem omnia nequidquam expertus promovere non potuisset) retro relicta, in hostem concitat, latusque navium introrsus versarum, ut Uluzalim Ducem sequerentur, invadit, cumque discusso fumo, qui à bombardis excitatus omnia circa late oppleverat, lucisque usum eripuerat, dilucere quæ gerebantur cœpissent, apparuit, triremes mediæ aciei, quæ in cornu dextrum vergebant, à majore numero navium Turcarum premi: ut singulæ binis, aut ternis triremibus circumsisterentur: quam rem conspicatus Bassanus, qui ad id tempus quieverat, concitato remigio subsidio laborantibus accurrit, cujus adventu Christianorum animus refectus, ac pugna eo loco restituta est. Major pugnæ moles, ac majora discrimina in dextro cornu Auriæ attributo versata sunt, quippe in quod major vis hostium illata est, cum ibi omnes fere essent, ut diximus, naves, quibus Turcæ Christianos superabant. Uluzalisque cum proras introrsus, ut diximus, conversas in dextrum cornu direxisset, incidit in globum duodecim navium dextri cornu, quæ sese ab illo & à reliqua classe inscitia sua abripuerant; neque Auriam secutæ fuerant, sed in oppositum è regione hostem iter intenderant, quas adortus primo impetu capit, defensoribus ad unum trucidatis: atque ultro citroque cum expeditis navibus discurrens ita res administrabat, ut nullo sese prælio implicaret, à quo, cum libuisset, divelli non posset, quodque facultatem elabendi sibi eriperet: quam rem nonnulli illum jam inde ante initum certamen animo agitasse ferunt: atque ideo procul à classe constitisse; speciem quidem doli struendi præferentem, re vera speculabundum, quorsum fortuna pugnæ inclinaret, ut ad eam consilia accommodaret: nonnulli utique tum, cum discusso fumo partem navium dextri cornu in littus ejectam, ac Regium signum dejectum, remque ad iniqua inclinatam vidit. Is igitur huc & illuc circumcursando prætoriam Melitensem, quæ aciem mediam à parte in cornu dextrum versa claudebat, cum illum impetus eo tulisset, acerrima pugna cum nonnullis navibus Turcicis implicitam, defensoribus præter Præfectum obtruncatis, qui casu vitavit pestem, cepit: quæ tamen postea à Christianis recuperata est.

Ceterum raro alias duæ classes magis dispari certamine concurrerunt; cum numero navium Turcica classis Christianam superaret sexaginta navigiis major, ceteris omnibus rebus inferior, pugnantium copia & robore; cum singulæ Christianæ triremes ducenos, quæ minimum, centenos quinquagenos bellatores haberent, cum præter conductas copias, quas diximus, ad viginti quinque millia numero, non modo ordinarii navales socii, sed pars remigum nexu soluti in spem promissæ libertatis haud segniter pugnarent: in Turcicis, præter triremes Procerum insigne nocturni luminis gestantes ad quadraginta numero, quæ centenos bellatores habebant, non plus triceni, summum quadrageni bellatores essent; iique viribus parum validi, vulneribus, morbis, exhaustis laboribus debilitati; cum Christiani alacres & animorum pleni integras & recentes vires in prælium attulissent, ad hoc ad hostem petendum & se tuendum pariter essent armati galeis, thoracibus, loricis tecti; cum Turcæ capita & corpora armis plane nudata certamini objicerent, hostemque sagittis & arcubus, paucis admixtis sclopis, incesserent: quarum ictus præterquam quod sclopis natura longe imbecilliores sunt, tum vero quater, aut quinquies emissi nervis arcuum ipso calore hebetatis ita leves accidunt, ut vix summam cutem hominis armis intecti vulnerent, tum vero ab armis corpora Christianorum tegentibus repulsæ raræ ad corpora penetrarent. At contra Christianorum scloporum validior & lethalis fere semper ictus raro ut adversus patentia corpora fallebat. Accedebat pluteorum & munimentorum haud leve tutamentum; quo Turcæ omnino carent, tamquam liberam arcuum tractationem, liberumque connixum impediente: cum contra Christianis duplicem usum præberent plutei: alterum hunc ipsum tegendi ad ictus hostium corpora, alterum adminiculi, quo sclopi suffulti certiore, & minus vacillante ictu destinatum locum figerent: quod adjumentum arte quoque auxerunt: quidquid enim aperti inter pluteos, qui latera triremium per totam longitudinem sepiunt, & munimenta, quæ proram tegunt, necnon in media triremi hinc ad scaphæ receptaculum, illinc ad spatium foci patere solet, id omne continuatis pluteis obstruxerant: cumque interiora munimenta in prora statuta dimidiam tantum triremem usque ad malum ab ictibus sagittarum à prora venientibus tutam faciant; mediam ipsam triremem transversis ad locum mali, duplicatisque centonibus, & culcitris, aliisque ad eum usum idoneis, ex antenna pendentibus intersepserant, relicto inferius spatio in altitudinem circiter pedum quattuor, quo Ducibus & res administrantibus liber esset per totam triremis longitudinem ultro citroque excursus. Illud quoque accessit, quod Turcicarum bombardarum perexiguus usus fuit: nam cum Turcicarum triremium proræ, nullo, ut diximus, munimento tegerentur, Turcarum displosores ad ictus scloporum Christianorum patentes exanimabantur, neque consistere in prora poterant, ac, quæ erant ejus muneris, administrare, locumque illum relinquere cogebantur. Quare illorum bombardæ semel tantummodo, atque in primo illo impetu ineundæ pugnæ, cum nondum ad ictum sclopi appropinquassent, displosæ sunt; cum contra Christianæ bombardæ quinquies, aut eo amplius in ipso ardore pugnæ, ac triremibus inter se cohærentibus, ut ictus haud quaquam fallerent, displosæ sint: quam etiam rem sollerti consilio, cujus Curia auctor fuit, Christiani adjuverunt: nam cum rostra triremium resupinatum aliquantum mucronem habeant: quæ res ictus quoque bombardarum supinos exire cogat; ac propterea hostilem triremem propter humilitatem intactam supervolare, rostra ipsa præciderant, qua re factum est, ut ictus Turcicarum bombardarum sublime petentes vani fere evaderent: contra Christianæ bombardæ ictibus recta regione venientibus, ac maris æquor pene radentibus, atque idcirco raro frustrantibus, cum magna semper hostium strage disploderentur.

Ceterum summorum Præfectorum diversa fortuna ac dispar exitus fuit: nam Halis, cum duas circiter horas tantam in se unum incumbentem molem fortissime dimicans sustinuisset, illa tandem obrutus ipse una cum omnibus, qui cum illo erant, interficitur, ac signum Regium dejicitur, confestimque Christiani, qui erant in Regia Austrii, lætis vocibus victoriam conclamant. At Pertaus, cum quattuor Christianarum navium validam impressionem duas ipse quo-

quoque circiter horas constanter sustinuisset, tandem omnibus fere defensoribus absumptis, cum navis gubernaculo amisso fluctuans jam regi non posset, in perditam spem labores & discrimina impendi cernens, vir navalium rerum insolens, fatum adversum accusans, quod non minus sibi insonti aliena insania exitio suo esset luenda; caputque Halis & ceterorum multum exsecratus, qui se invitum ac retractantem ad funestam pugnam attraxissent, vecordique ferocia Imperatoriam classem præcipitem dedissent; in celocem, quam ad subita fortunæ paratam, ac puppi applicatam habebat, descendit, pugnaque excessit, copias Regias, simulque quidquid navalis roboris & floris Ottomanicum Imperium habebat, in medio incendio relinquens. Felix Præfecti cæsi ac navis Regiæ captæ successus certum & exploratum pugnæ eventum Christianis fecit; cum ad eam horam nondum discrimen fecisset fortuna, qua victoriam datura esset, cujus tamen Christiani jam inde paullo post initum prælium lætum omen animis præceperant. Austrius itaque Regia capta, eoque prælio defunctus reliquas imperatorias partes exsequi pergens prætoria, & Pontificia, & Veneta, nonnullisque aliis, quas circum se habebat, consequentibus, ubi suos laborantes cernebat, & opem ferre, pugnam restituere, segnes castigare & incitare, fortem operam navantes laudare, nullum boni Imperatoris officium prætermittere. Idem faciunt multis in locis Proceres primis præliis victores, hostilibus triremibus, cum quibus conflixerant, partim depressis, partim captis.

Ceterum Turcæ cum omnibus undique iniquitatibus premerentur, prælium tamen in mala spe in labentem diem pertinaces extraxerunt; quod nusquam segne fuit, hinc spe, illinc desperatione animos irritante: ut nonnulli ex Turcis fuerint, qui captam triremem suam, ac Christianorum transgredientium plenam cernentes, potius quam se dederent, cæci furore in vulnera, & tela, atque in certam cædem vecordes ruerent. Miserabilisque omnino ac fœda rei facies intuentibus erat; mari circa sanguine late rubente, atque innatantibus capitibus à cervice desectis; brachiis, cruribus, thoracibus, integris etiam corporibus Turcarum partim exspirantium, partim graviter sauciorum late consperso, quos Christiani nonnullos ex triremibus supernis scloporum ictibus incessebant & exanimabant; nonnullorumque ad ipsas Christianas triremes adnatantium, remosque & gubernacula apprehendentium, ac supplicibus vocibus misericordiam implorantium manus præcidebant, ardore certaminis illos irritante, atque ira suorum ab iisdem Turcis interemptorum & ante pedes jacentium efferante, omnemque misericordiæ & pietatis sensum opprimente: cum nonnulli tamen essent, qui partim animi mollitie, partim spe lucri ex mancipiis faciendi restibus demissis illos in naves extraherent, ac servarent.

Ceterum Austrius, dum ipse & ceteri Proceres discursando, navesque hostiles vel vi, vel deditione capiendo, captasque trahendo, nonnullas etiam supprimendo, reliquias prælii conficere pergunt; omnia circumspectans animadvertit magnam vim hostilium navium in dextrum cornu incubuisse. Quare veritus, ut sui essent tantæ moli diutius ferendæ, eo contendit laborantibus opem laturus. Per idem tempus Uluzalis sinistro Christianorum agmine perrupto mediam aciem petebat: ut, qui esset ejus status, ac forma, ex propinquo specularetur: qui cum Regias à Christianis captas trahi conspexisset, tum vero omni pugnæ consilio omisso, in illud spatium, quod erat inter mediam Christianorum aciem & dextrum cornu iter convertit; perque illud cum globo triremium, quas secum trahebat, erumpens, iter in Occidentem dirigit. At Austrius propior factus res Christianorum in dextro quoque cornu secundas, hostiumque ab Auria profligatas inveniens, nonnullis triremibus captis, nonnullis depressis, defensoribus earum obtruncatis, illumque extra periculum, quæ conficienda restabant, exsequentem, porro ire supersedit. Ipseque pariter Auria victoriam penes Austrium cernens, Regia omissa, ad quam iter intenderat, agmen illud ipsum, quod Uluzalim sequebatur, velis datis in Occidentem iter habere conspicatus, Alvaro Bassano, qui forte in itinere se cum illo conjunxerat, comite, in promontorium procul conspectum, quod Turcæ necessario prætervehendi erant, cursum dirigit, quo ipsi recto atque idcirco breviore itinere tendenti præventus futurus erat, cum hosti littus ambienti longius spatium emetiendum esset, atque ideo serius ad promontorium perveniendum: nec peritum Ducem fefellit opinio. Omni enim ope connixus pervicit remis, ut tum promontorium teneret, cum de toto hostili agmine non amplius septem cum ipso Uluzali Duce illud superassent: quem fugientem nocte appetente, densissimisque se intendentibus tenebris, atque adversa tempestate incumbente, majoresque fluctus volvere incipiente, insequi non potuit: qui ne ipse quidem pestem evasisset, ut Auriam conquerentem multi sæpe audierunt, ni Auria tardioribus triremibus usus esset, magna remigum parte exinanitis, qui, ut diximus, nexu soluti & ad pugnam armati, in hostiles triremes prædæ cupidi plerique transgressi erant; ut consilium solvendi remigii, ad quod navales Duces magno ac dubio imminente certamine sæpe descenderunt, ceteroqui utile, id habeat incommodi, quod tardiores naves ad hostem insequendum faciat. At Auria omni impetu in eas, quæ restiterant, ad triginta numero, verso, illas in terram compulit littori illisas; quique in illis erant trepidantes, atque in turba alii alios impedientes, dum se pesti eripere properant, in eam se præcipitarunt: temere enim ex triremibus se dejicientes, neque præ pavore, quo tutus esset desultus, discernentes, partim evaserunt, partim undis hausti sunt.

Isque diei ac pugnæ finis fuit, quam ab hora pomeridiana cœptam, Turcarum, etiam in mala spe, pertinacia ad vesperum extraxit; cum minus duarum horarum spatio Regia navis capta & Halis interfectus præjudicatum eventum fecissent, ut quinque horarum curriculum Christianos tantæ victoriæ compotes fecerit, qui sexaginta circiter navibus inferiores, ut diximus, pugnarunt; cum non plus ducentas quinque triremes haberent, ac sex longas naves majoris formæ: onerariæque, quæ florentes & non exiguas copias vehebant, cum cursum tenere non potuissent, prælio non interfuissent: quattuorque triremes abessent in varios usus belli missæ; cumque Turcica classis ducentis circiter sexaginta navibus longis constaret, quarum quot fuerint triremes majoris formæ, in tanta referentium varietate, pro comperto ponere non auderem, nisi Ludovicus Rechesentius mihi narrasset, se ex Regio Scriba, qui cum ceteris captus est, qui etiam tabulas protulit, in quibus notatus erat numerus, cognovisse, triremes justæ formæ fuisse ducentas triginta, reliquas minores: cui viro rem præsertim certis monumentis compertam narranti nemo, puto, fidem abrogaverit. In potestatem victorum venerunt centum triginta Turcarum triremes, quarum tredecim tantummodo minoris formæ fuerunt; reliquæ omnes partim littori illisæ, partim undis ac flammis absumptæ; cum perpaucæ, quas non plus quinquaginta fuisse inter omnes constat, fuga saluti consuluerint: quam non tam post prælium confectum, quam sub illius initium multæ illarum ceperunt, quarum maxima pars Corinthiacæ fuerunt, quas

Uluzalis ducebat, quæ cum procul à reliqua claſſe in alto conſtitiſſent cornu dextro Chriſtianorum oppoſitæ, ut pugna implicatum circumvenirent & à tergo adorirentur; conſilium ſuum pari aſtu ab Auria eluſum, ac rem in media acie & in dextro ipſorum cornu profligatam cernentes, incertum ſua ſponte ac Ducem imitatæ, an eo mandato prius illis dato, claſſem turpi fuga deſerentes in ſinum Corinthiacum incolumes ſe ſubduxerunt. De Chriſtianis quindecim tantum deletæ ſunt, quarum decem Venetæ fuerunt, in quas primus Uluzalis impetus illatus eſt. Ex hoſtibus circiter viginti quinque millia perierunt, partim cæſi, partim undis hauſti, in quibus complures Sangiaci, & celebris apud illos nominis Duces fuiſſe dicuntur. Capti ſunt (qui quidem in præda partienda apparuerunt) non plus tria millia quingenti: cum alteros tantos privatim celatos non dubitetur, in quibus fuerunt duo filii Præfecti, ac Mahumetes Sangiacus Eubœæ, & Carealis notus pirata. De Chriſtianis ad decem millia ceciderunt; minima pars in pugna, ſed poſt ex levibus ſagittarum vulneribus prave curatis, in quibus acerba mors Barbarici minus ſincerum gaudium victoriæ Chriſtianis præbuit; omnibus prudentiam, conſilium, moderationem, fortitudinem, ac reliquas præſtantes virtutes, quæ toto eo bello tanto uſui fuiſſent, futuræque eſſent, lugentibus: nonnulli præterea ſummæ nobilitatis viri fortiter pugnantes interfecti ſunt, quod tamen damnum totidem Chriſtianorum millibus è vinculis ſolutorum compenſatur.

In hoc felici eventu divinum Numen rem vere reputantibus multipliciter apparuit, primum in ſecunda navigatione eo præſertim anni tempore, qua tanta claſſis, ac tot impedimenta ſecum trahens tantum maris ſpatium tam brevi emenſa ſit: deinde quod hoſti, nulla re urgente, pugnandi ac tanto ſe diſcrimini objiciendi mentem dederit, qui in ſinu Corinthiaco quieſcens rebus ea æſtate bene & feliciter ubique geſtis Chriſtianorum conatus ex tuto eludere potuerit: tum quod claſſis tanto procul intervallo ſit conſpecta, quæ res tempus Chriſtianis dedit ad armamenta componenda, claſſemque explicandam & ad pugnam aptandam. Evidens autem in primis miraculum exiſtimatum eſt; quod, cum ventus primo Chriſtianis adverſus, Turcis ſecundus flaret, itemque æſtus contrarius Chriſtianis ferretur; ſub pugnæ tempus utraque res ceſſarit. Jam vero quod mentem Turcis eripuerit, qui, cum in altum nulla re impediente claſſem propellere poſſent, non animadverterint, quanto cum periculo ſecus amicum littus prælium committerent: poſtremo, quod portum tantæ claſſis capacem ſub manum habuerint Chriſtiani, quo prælio confecto ſe recipientes atrocem ea nocte coortam tempeſtatem vitarent, quæ totam noctem ſæviens claſſem lacerare, ac victoriam partam ingenti naufragio deformare potuerit. In eum portum claſſe ſubducta, Venetus Præfectus cum Auſtrio in gratiam rediit, Auſtrio memoriam injuriæ læto ſucceſſui condonante. Qui prima luce, cum tempeſtas deſæviſſet, Primoribus comitantibus, ad locum pugnæ acceſſit, ibique jucundum ſimul & miſerabile ſpectaculum oculis percepit, cum tot hoſtiles naves partim fractæ, partim ſubmerſæ, partim conflagratæ, atque immanis cadaverum vis inter fluitantia armamenta ac tela, quibus mare circa late conſtratum erat, innatantium gaudium ſimul & horrorem ſpectanti miſcerent.

Hæc eſt victoria ad Enchinadas ad omnem poſteritatem memorabilis, qua ut nulla navalis clarior, aut major à Chriſtianis umquam parta eſt, quæque ad majora præmia iter aperiret; ita pravo illius uſu nulla minus fructuoſa umquam fuit. In qua occaſione omittenda, ſi, ut Veteribus mos fuit, ita nobis quoque fas eſſet, fati iniquitatem jam pridem Chriſtianis rebus adverſi lamentarer: nunc ut pium & Chriſtianum hominem decet, ſcelera noſtra accuſabo divini Numinis iram nobis irritantia, quod ſive impedimentum in re fuerit, non illud ſuſtulerit; ſive in hominibus culpa, Chriſtianis Proceribus neque victorum animum, neque magnorum Ducum conſilium dederit. Utrum vitium fuerit, libera hominibus judicia relinquam. Ea tantum exponam, quæ claros & ſapientes viros, bellicæ rei ſcientes, tum autem Ottomanicarum ditionum peritos, diſputantes ſæpe audivi.

Parta igitur victoria, cum quod belli opus reſtaret, ad conſilium retuliſſet Auſtrius, ad unum Proceres claſſem in hyberna reducendam, neque porro quidquam conandum cenſuerunt. Tria in conſilium adhibita ſunt; non exigua cæſorum & ſauciorum multitudo, cibaria deficientia, anni tempus, quod ita jam proceſſiſſet, ut novis longi tractus conſiliis locum non daret; ac periculum eſſet, ne adverſæ tempeſtates mare reditui clauderent; ſatis eo anno, tanta claſſe deleta, navalibuſque Turcarum opibus contuſis ac profligatis, & ad fructum, & ad gloriam profectum eſſe. Quod ita facere decrevit Auſtrius: atque interea claſſe quaſſata & manca per hyemis quietem reparata ac ſublevata, militumque animis & corporibus ab exhauſtis laboribus refectis, & ad novos exhauriendos firmatis, ſeſe ad novum tempus comparare: quod conſilium à multis, ut dixi, vehementer reprehenſum eſt, nihil dubitantibus, quin ſi præclaram occaſionem urgere perrexiſſent Chriſtiani, trepida omnia ſubito oppreſſuri fuerint, ac loca, ad quæcumque terrorem victricis claſſis ac nominis ſui circumtuliſſent, extemplo ſuæ poteſtatis facturi, Turcarum animis tanto vulnere ictis, ac tanto ingruente terrore obtorpentibus: Peloponneſum quidem totam, continentemque oram, ac fortaſſe Eubœam quoque, & circumjectas inſulas primo impetu capturi defenſoribus nudatas, quos modo claſſis ab arcibus omnibus atque urbibus abſtraxerat; ad hoc incolas Chriſtianos in Turcas exſecrabili odio efferatos, & ad omnem levem ſpei auram ad libertatem vindicandam conſurgere ſolitos, quid facturos fuiſſe in tantorum auxiliorum præſentem oblatam occaſionem, tantaque victoria animos excitante? Cui rei fidem affirmaſſe ipſam Regiam urbem Conſtantinopolim: in qua quamvis longiſſime diſcreta atrox nuncius cladis acceptæ tantam trepidationem feciſſe, tamque animos conſternaſſe conſtet, ut nihil Turcæ quam de fuga cogitarent; ac tamquam hoſtis ad portas eſſet, tota urbe diſcurrentes Chriſtianos incolas rogitarent, an Conſtantinopoli potiti victores, Turcas ſuis legibus, ſuiſque inſtitutis vivere permiſſuri eſſent, tributo contenti: multique gemmas ac cariora ſua Chriſtianis, (ut ſibi aliquid juris adverſus quemquam privatim erat) ſervanda clam traderent.

Quæ vero tria opponebantur, ita refellebant: perridiculum eſſe cibaria defutura fuiſſe, quæ, ut omittantur ex Sicilia & Apulia faciles & expeditæ ſubvectiones, navigatione præſertim nullis hoſtibus infeſta, ex opulentiſſima & feraciſſima Peloponneſo præſto affatim haberent: cum illud quoque pro re comperta affirmetur, Patris ampliſſima horrea fuiſſe panis torridi referta à nullo ſatis valido præſidio defenſa: neque tot aut prælio abſumptos, aut vulneribus inutiles in præſens factos, quin longe major numerus integrorum & vigentium ſupereſſet ad omnia tentanda, nemine præſertim obſiſtente, vel ex ſupervacuo potens. Rationem inſtantis hyemis, atque adverſi anni temporis valere in diuturno & dubio certamine, non in brevi & explorata victoria. Qui etiamſi ab adverſis tempeſtatibus in Græcia hybernare cogerentur, quid tan-

tandem piaculi committi, nullo ab hoste metu; ad hoc tota ea ora portubus omnium quamvis magnarum navium capacibus, & ab omnibus ventis tutis frequenti? verum præcipuam culpam in Præfectum Venetum nonnullos conferentes audivi: cujus feroces illos spiritus adeo fregisse vulnus in crure acceptum dicerent, ut animo imminutus torperet; nihilque postea, quod imperatorii muneris esset, fecerit, aut dixerit; sed in cubiculo deses latens, ac vulneri curando intentus, præliorum ac telorum mentionem horreret; neque cum magna omnium admiratione Austrio institerit, ut tempore gerendarum rerum nondum exacto, quæ restabant, exsequi pergeret, pro qua re illum omni contentione dimicaturum, exspectabatur. Quod si animum Austrii expugnare non posset; ipsi uni satis virium fuisse ad eadem conanda. Nam Austrii quidem duplex est excusatio: altera Regis imperium grave ac præcisum, ne ulla ratione procul à ditionibus suis hybernaret: quare omnem vel exiguam moram vitandam illi fuisse, quæ hyeme urgente facultatem reditus adimere posset: altera fuit, quod cum Peloponnesus & reliqua Venetis ex fœdere cessura essent, neque de illis Præfectum laborantem cerneret; nihil erat, quod ipse eam sibi curam ac solicitudinem præcipuam strueret. Nos de tanta re, ac de Venerii audacis ceteroqui & fortis viri facto & consilio, quæ multos sæpe disputantes audivi, ea ut nullo nostro judicio interposito exponeremus, omnino nobis faciendum putavimus.

Profectione igitur decreta, constitutum tamen est, Leucadem, quæ nunc *sancta Maura* appellatur, si non magni negotii, neque longi tractus res esset, in itinere tentandam. Discessum est igitur: cumque Austrius Cephaleniam tenuisset: ad eamque insulam cum majoris formæ longis navibus ac triremium parte substitisset: mittit Auriam cum reliqua classe Leucadem, ad situm ac naturam loci & munimenti ex propinquo speculandum. Quo cum appulisset, Ascanius Cornius ac Gabriel Serbellonus jussu Auriæ cum aliquot ex Primoribus ac delecta peditum manu, exscensu facto, omniaque diligenter contemplati renunciant, arcem satis munitam, quam undique circumsederi necesse sit; neque tamen subsidiis, si qua submittantur, iter omnino intercludi posse: ad hoc difficiles fore in loca angusta, ardua, confragosa tormentorum attractiones: recipere se tamen opidum illud quindecim, summum, viginti dierum spatio expugnaturos. Abhorruit Austrius à parva re, eodem, quo magna, molimine, eademque laboris & temporis impensa tentanda: neque exigua insula, cujus accessio nihil Christianas opes, aut opportunitates esset auctura, satis dignum moræ pretium visa. Quare institutum iter persequentes secunda navigatione usi Corcyram perveniunt. Ibi, præda pro portione inter fœderatos partita, ac nonnullorum, de quibus non satis conveniebat, arbitrio ad Pontificem rejecto; Venetus cum classe sua ad Corcyram substitit; Austrius & Columna cum Pontificia & Philippica Messanam contendunt, ejusque urbis portum ovantes subeunt. Commodum Corcyra discesserant, cum Philippus Bragadinus Hadriatici sinus summus Præfectus, vir impiger & experiens ante nuntium victoriæ, subsidio pugnaturis à Senatu missus, cum tredecim triremibus majoris formæ rostratis Corcyram appulit, gemensque ac mœrens tantam occasionem omissam; omnibus precibus à Præfecto contendere institit, ut quinquaginta saltem triremes sibi attribueret; cum iis se hostiles Provincias aditurum: confidere sibi omnia apud Turcas imparata, Turcasque ipsos non modo consilii inopes, sed vix mentis compotes offensuro multas & egregias facultates datum iri magnum aliquod operæ pretium faciendi. Nihil eæ preces moverunt Præfectum, cum respondisset, sese, quod muneris sui sit, id ad alium non delegaturum. Eadem enim propediem tentare sibi in animo esse, qui tamen nihil conatus Venetias rediit, ut sint, qui prædicent, Christianos gloriam tantæ partæ victoriæ imbellibus consiliis, quæ consecuta sint, deformasse.

VBERTI FOLIETAE,

PATRICII GENVENSIS,

DE SACRO FOEDERE IN SELIMVM

LIBER IV.

Ingentia & felicissima belli initia eo majores animos Christianis Ducibus fecerant; quod clarissima victoria, atque omnium, quæ à Christianis umquam mari partæ sunt, maxima eas Turcarum opes fregerat, quibus illi ad eum diem invicti putabantur: opinionemque Christianorum animis infixam & inveteratam evulserat: Turcas navali prælio insuperabiles esse, cum pedestribus bellis sæpe victi fuissent. Quare terribile antea Turcarum nomen maritimas res administrantibus fuerat. At superioris anni successus Turcarum ferocia contusa docuerunt, illos non sua virtute, qua Christianis hominibus antecellant, sed nostris flagitiis formidolosos fuisse, dum plerique ex navalibus nostris Ducibus bellum cauponantes, ac stipendia, quod pudendum sit, intervertentes; vel deprehensi triremes defensoribus inanes Turcis piratis sine certamine capiendas objiciunt: vel ne conspectum quidem ferentes sese hosti numero, & magnitudine, ac genere navium longe inferiori ipsos petenti turpi fuga eripiunt.

Ceterum tantam gloriam ignominiosus finis bello impo-

impositus mox deformavit; spesque hominum ad maxima quæque erectas evertit. Cœperant quidem ea, quæ consecuta sunt, exspectationem hominum labefactare; cum ne tanto quidem rerum successu, aut Cæsaris, aut ceterorum Christianorum Regum studia excitarentur, ut nihil jam præclari ex tantis conatibus fere ominarentur: vulgoque fremerent, tantam spem nimis celeri belli tædio tam brevi luxuriasse ac vanam evasisse. Neque elevatur commune Christiani nominis dedecus, quod belli turpiter depositi invidia sese Veneti & Philippici mutuo onerare contendant. Verum non est historiam scribentis in rebus dubiæ existimationis ac periculosæ offensionis judicium suum interponere. Mihi sat fuerit, res quemadmodum gestæ sunt, exponendo, atque illarum caussas, quantum ad eas penetrare investigando potui, aperiendo, susceptum munus implesse.

Selimus igitur acerbo nuncio cladis Hadrianopoli accepto perculsus, ac veritus, ne præ metu Constantinopolitani aliquid mollius consulerent, itineri se statim dedit; quo raptim facto, nullaque quiete jumentis & hominibus data, cum infinita illa Regalium apparatuum mole, sex diebus, quod vix credibile videri possit, Constantinopolim pervenit; cum eæ urbes expedito viatori decem dierum iter inter se distent: Uluzalimque, qui paullo post cum triginta triremibus solis ex tanta classe superstitibus appulit, non modo benigne excepit, sed amplissimo honore etiam auxit, summa maritimi imperii ad illum delata, idque præter morem Regiæ Ottomanicæ, quæ invidiæ & obtrectationi, perpetuæ in Aulis viventium pesti, præ ceteris obnoxia est, in quaque longe leviora crimina capite lui solent: quod duabus de caussis fecisse dicitur; & quod, opibus Turcarum navalibus accisis, triginta illæ triremes servatæ plurimum valuerint ad ejus animum placandum: & inopia potioris, omnibus navalium rerum peritis Ducibus prælio absumptis. Igitur Selimus carinis in ora Euxini multifariam positis, exiguo illo hyemis curriculo centum & triginta triremes, ex recenti quidem & brevi duratura materia, sed quæ usum illius æstatis suppleret, ædificavit & armavit; gubernatoribus & nautis, ut quique minime mali inveniri potuerant, ex onerariis corrogatis; quibus triginta ex clade servatis ac privatis piratarum navigiis additis, ineunte Vere classis amplius ducentarum longarum navium, quæ maxima ex parte triremes fuerunt, parata, & utcumque potuit, instructa est, cum qua Uluzalis summus Præfectus solvens, cum se in Peloponnesum contulisset, in ejus portubus, quibus tota ea ora frequens in primis est, sese tenebat, Christianorum adventum exspectans; consiliis non tam ad prælium paratis claudicanti classi diffidens, quam ad impetum hostis inhibendum, ejusque incepta impedienda dispositis, atque ex Christianorum conatibus suspensis.

Per idem tempus Veneti multorum litteris certiores facti, Venerium Austrio, quamquam reconciliatum, minus gratum esse, ut omnibus obsequiis illum demererentur, omnesque contentionum caussas præciderent, magistratu Venerio abrogato, Jacobum Fuscarenum summum Præfectum crearunt, multis de caussis præterito Jacobo Superantio, cui in locum Barbarici cæsi jampridem suffecto verius fuisset eum honorem mandari. At Austrius felici superioris anni eventu sublatus, tamquam tanti decoris Christiano nomini auctor; ac veluti omnis mora cursum inchoatæ gloriæ retardaret; neque jam ad dubiam spem, incertique exitus bellum, sed ad exploratam victoriam sese compararet; belli apparatum summa diligentia, omnique animi contentione urgere institit. Quare hyeme nondum exacta, tam navalibus, quam pedestribus Ducibus enixe imperat, ut omnia ad usum belli necessaria expedire maturent, ac classes & copias sibi quisque attributas multifariam divisas primo quoque tempore Messanam contrahant; quam in urbem ipse quoque sese ineunte Vere contulit.

Intervenit egregiis conatibus mors Pontificis societati aliena, quæ cursum bene procedentium consiliorum, ut mox dicemus, nonnihil retardavit. Obiit Pius ætatis annum sexagesimum octavum, Pontificatus septimum agens, Kalendis Majis anno millesimo quingentesimo septuagesimo altero ex morbo calculi magno cum bonorum dolore. Insidebant animis mores casti & integri, vita omnis cum sacerdotali continentia acta, haudquaquam fucata pietas, perpetuum religionis studium in disciplina Ecclesiæ lapsa restituenda, licentia superioris sæculi cohibenda, moribus corrigendis, sceleribus & flagitiis exterminandis indefessus labor. Accedebat constantissima jurium Ecclesiæ propugnatio, animus majestatis Pontificiæ acerrimus vindex & assertor, quam prava multorum ex superioribus Pontificibus indulgentia magna ex parte solverat; dum plerique eorum privatam Regum gratiam captantes de jure & rebus Ecclesiæ largiendo, sibi, suisque malo publico offensas opes struunt. Contra Pius nihil jura Ecclesiæ minuendo, dum offensiones Principum præ bono publico contemnit, sese illis venerabilem ultro fecerat: ad hoc animus celsus & erectus, & ab omni sorde, omnique cognatorum & affinium ditandorum cogitatione liber. Ornabat præterea liberalitatis splendor, animusque regie munificus.

Nec dubium fuit, quin in demortui Pontificis locum is mox sufficeretur, cui omnium fere consentiente opinione, totiusque Aulæ votis, tum vero miris Patrum animorum propensionibus jam pridem Pontificatus destinabatur, Hugo Boncompagnus Bononiensis. Tantum consensum commoverunt egregiæ ad eximiam Pontificii & Cæsariani juris scientiam additæ virtutes, gravitas morum ad severitatem potius quam ad comitatem propensorum, nullis popularis blanditiæ fallaciis, nullove Aulicæ assentationis artificio fucatorum, sincerum atque integrum ingenium ab omni turbulento consilio abhorrens, constans vitæ innocenter actæ tenor; perpetuum atque acerrimum justitiæ studium, quod nulla umquam gratia inflexit, aut spes præmiorum labefactavit, aut metus offensionum perfregit. Quarum rerum multiplex documentum dedit in Romano foro omnibus illius muneribus perfunctus, atque in multis Reipublicæ partibus domi forisque gerendis, quæ virtutes ac merita illum per omnes honorum deinceps gradus in Senatum à Pio Quarto lectum ad tantum denique fastigium extulerunt: altero die, postquam Patres conclavi se incluserunt, Pontifex renunciatus, ac Gregorius tertius decimus mutato de more nomine appellatus præter usitatum hujus sæculi morem, in quo Pontificia comitia lenta ac turbulenta esse, magnisque animorum certaminibus peragi solent, sive Patrum diffidentibus studiis rem extrahentibus, sive pari candidatorum dignitate, paribusque meritorum momentis dubiam electionem facientibus, cum in his comitiis eminens Gregorii virtus competitorum cupiditate facile oppressa, certamina, quæ rem producere possent, sustulerit. Verum qualis vir Gregorius fit, ratio Pontificatus gerendi planius faciet, certumque de commota exspectatione judicium feret, *Magistratu*, ut est in veteri proverbio, *certissimo virorum indice*.

Pontificis morte audita, Columna ex itinere Romam revertitur; ac Pontificatum gratulatus, Gregorium admonet: quoniam cum morte superioris Pontificis suum una imperium exstinctum sit, quem placeat rebus navalibus præficiat. Se vero munus &

& imperium illi continuare respondet Pontifex; quin etiam potestatem & honorem, si sit amplificationi locus, augere. Gratiis actis iter omissum continuo repetit Columna: nec tamen accelerando prius mense Junio inito Messanæ præsto esse Austrio potuit: qui per ea tempora nihil de instituta diligentia in comparando remiserat, Bassanoque Neapolitanarum navium Præfecto imperarat, ut omnes Italicas, Germanicas, & Hispanienses copias in hyberna Siciliæ distributas classi impositas Messanam transveheret; cum duas & viginti onerarias omni apparatu bellico, atque omni commeatus genere refertissimas in Corcyram præmisisset. Cumque Superantius unus ex Venetis Legatis cum quinque & viginti triremibus exeunte Vere missus à summo Præfecto Messanam venisset, ut profectionem Austrio instaret, simulque conspectu & comitatu suo honestaret; Austrius, ut omnes caussas cunctandi præcideret, imperat Bassano, ut Messana omissa recta in Corcyram trajiciat; ubi ipse propediem futurus sit: quod ille impigre ac sine mora exsecutus est.

Dumque ipse sese ad profectionem comparat; ecce litteras accipit à Rege, quibus imperatur; quoniam suspecti eo anno à Gallis in Subalpina regione motus essent, quæ res multis haud levibus indiciis emanarit; Italiaque terrestribus & maritimis copiis nudata nulla ratione conatibus Gallorum relinquenda sit, neque tamen socii in eum annum omni auxilio destituendi, ea re classibus & pedestribus copiis partitis, eaque utriusque parte Columnæ attributa, quæ visa fuerit satis esse; ipse cum reliqua Messanæ subsistat, novaque imperia exspectet. Sunt, qui credant hanc caussam Gallicorum motuum à Philippo in speciem prælatam: cæterum mortem Pontificis Regi de successore incerto novum hoc consilium fecisse, ne ditiones Italicas suas navalibus & terrestribus præsidiis nudatas opportunas faceret cupientibus res novare. Cui rei illud fidem affirmare dicunt, quod, subducta temporum ratione, tum data mandata sunt, cum nuncius ad Regem pervenire potuit. Qui simul atque accepit, Hugonem Boncompagnum Pontificem creatum, virum gravem, & prudentem, atque ab omni turbulento consilio ingenio & instituta ratione vitæ longe remotum, omni suspicione deposita confestim per alias litteras, ut mox dicemus, facultatem proficiscendi Austrio permisit.

Ingemuit igitur Austrius subito atque inexspectato imperio perculsus. Verum cum imperata essent facienda, duas & viginti triremes Columnæ attribuit, quibus Ægidium Andradam præficit, reliquam classem retinet; quem numerum Venetæ & Pontificiæ classi adjunctum satis magnum esse, Turcarum viribus proxima clade fractis, ad res gerendas affirmat. Quæ res Venetiis nunciata magnos animorum motus, magnasque hominum querelas & indignationes excitavit: vulgoque pro se quisque fremere, non jam per occultas ambages, sed aperte fortunas suas Hispanis ludibrio esse. At ii, qui fœdus semper improbarant, cum ad eum diem silentium inviti tenuissent, ne sine fructu tantæ civitatis voluntati incommode adversari viderentur, occasione arrepta vociferari. Quousque tandem Venetos sese ab Hispanis ludificari passuros? quoad saluti publicæ indormituros? quem erroris & pertinaciæ finem facturos? Mittere se primi anni cæcitatem, quo auxilia ab Hispanis prompte quidem & haud retractanter promissa, cæterum non prius submissa, quam tempore gerendarum rerum exacto, ad nullam rem aliam valuerint, quam ad incitatum ardorem, atque impetum Venetorum retardandum, ipsorumque classem funeribus absumendam. Verum ignoscendum animis recenti exsecrabili odio in Turcas ob tantas injurias efferatis, si ea non animadverterint. At ne secundi quidem anni haud leviorem offensionem ipsos experrexisse; cum tanta victoria eum habitum animorum in Regia & in Hispanis Proceribus fecerit, ut non felici exitu lætarentur, sed consilium Joannis pro se quisque improbarent; nonnulli etiam eo proveherentur, ut dicerent, puniendam temeritatem Joannis, qui ardore adolescentiæ atque inconsulta gloriæ cupiditate provectus classem Regiam, cujus spe salus & incolumitas Italicorum Regnorum contineatur, in irrevocabilem casum præcipitem dare non dubitarit. Verum mirandum non fuisse, animos effusa tantæ partæ victoriæ lætitia occupatos nihil, quod ipsorum gaudium imminueret, cogitationi admittere potuisse: suos enim quoque sermones eam rem compressisse. Cæterum hujus tertii anni ludificationem, ne quid gravius dicerent, ac palam negatam opem cujus tandem animum dubium facere? Cui consilio si rem falsam at saltem genere non ridiculam caussam prætenderent, ac puderet vix pueris digna commenta non standi promissis proferre. Cui enim non apparere, Gallos intestinis odiis flagrantes, atque internecinis bellis & seditionibus se mutuo conficientes, suarumque ipsos impotentes rerum externa & aliena hoc tempore respicere non posse? Verum quod usus stultos docuit, id sapientibus rationem haud fallacem subjicere; nullum scilicet fructum ex eo fœdere sperandum, in quo idem utriusque socii finis esse non possit; sed quod alteri utile ac salubre est, id alteri exitiosum sit: ut necessario ad diversa & mutuo se perimentia utrique tendendum sit. Venetis omnem salutis spem in celeritate & in præliis esse longe ducto bello perspicue conficiendis, fortunam igitur pugnæ quacumque ratione ipsis tentandam. At Hispanos à dubii exitus alea sapienter abhorrere: in cujus felici exitu nihil lucri faciant, contra Italica ipsorum Regna nudata & aperta hosti occupanda objiciant. Ducendum igitur illis bellum, quod nullis intolerabilibus impendiis, ut Veneti tueantur. Eundem enim navium numerum pacis tempore illos alere: societateque Venetorum ad sua ab impetu Turcarum tuenda, ad quam rem ipsorum opes solæ non satis validæ sint, sapienter abutendum. Quod igitur ipsorum rationes ferant, id illos facere, non esse mirandum; neque parum sinceram illorum fidem accusandam, sed sapientiam potius imitandam. Debere igitur illorum exemplo Venetos consilium sibi capere; potiusque sero, quam numquam expergisci.

His atque aliis ejusmodi rationibus pervincunt in Senatu, nemine magnopere repugnante, ut M. Antonio Barbaro Procuratori in urbe Constantinopolitana scribatur, ut sermones Mahumetis Visiris de pace auribus admittat, remque ad summas conditiones, atque eas, quæ à Turcis extorqueri possint, perducat; cæterum à contrahendo abstineat, novaque de ea re à Senatu prius docto mandata exspectet. Atque ut omnia prius fierent, placuit Antonium Teupolum virum peracri ingenio, & eximio ac prompto consilio, tum autem haudquaquam vulgata dicendi & scribendi facultate, ad hoc usu rerum ad quævis magna tractanda in primis aptum, ad Philippum mitti, qui Senatus nomine Regi instet, ut conventa subsidia extemplo mittat, ne cunctando & segniter agendo senescere bellum patiatur magno animo, majore fortuna cœptum.

Interea Columna, & Superantius Legatus Venetus, atque Austrius è portu Messanæ solventes, hic Panormum, illi Corcyram iter intendunt, quo sex circiter dierum felici navigatione perveniunt. Id fuit circiter initium mensis Julii. Ibi cum summo Præfecto Veneto conjuncti, duodecimque circiter diebus in rebus instruendis & expediendis consumptis, angusto freto mox trajecto portum Gomeni-

menitias subeunt, in eoque classem lustrant, quæ fuit omnino triremium centum quadraginta, quarum tredecim Pontificiæ fuerunt; duæ & viginti Hispanæ, reliquæ, ac galeatiæ sex Venetæ, onerariæ omnium Principum duæ & viginti. Dum in classe lustranda sunt occupati, litteras ab Austrio accipiunt: in quibus scribebat, cum à motibus Galliæ eo anno otium futurum sit, quorum suspicio ipsum in Italia necessario retinuisset; potestatem sibi factam à Rege magna cum sua lætitia Orientis rebus liberam operam navandi. Quare se propediem ad illos collaturum, monetque Columnam, dum ipse se cum illo conjungit, ab omni conatu abstineat, qui sine ipso ad exitum perduci non possit. Hic Columna adventum Austrii exspectandum censere. At Veneti vociferari, Deûm atque hominum fidem implorare, obtestari, tempus gerendarum rerum ea mora eximi, sese semper aliis ex aliis suborientibus caussis extrahi; ac ludibrio esse fortunas suas: hac cunctatione Cretam & cæteras Venetas ditiones hosti plane prodi non satis præsidiis firmatas, populorumque animis ab ipsorum ope desertis nutaturis, ac metu excidii sibi ipsis haud dubie consilium capturis: quos adventus Christianæ classis unus possit in fide retinere, atque hostis impetus cohibere: neque litteris Austrii facultatem ulterius progrediendi Columnæ adimi, qui nullo se inexplicabili ac longi tractus negotio porro ire pergendo implicaturus sit. Non enim se instare, ut ullas urbes, aut Provincias tentet, sed consilia & conatus hostium ex propinquo & ex tuto speculabundus accedat, præsidio interea, dum Austrius exspectatur, rebus Venetis futurus; neque tamen occasiones, si quæ dentur, rei bene gerendæ prætermissurus. Justæ Venetorum querelæ & preces Columnæ visæ. Quare, Andrada quoque assentiente, porro ire pergendum in consilio decretum est.

Per idem tempus Teupolus magnis itineribus in Regiam Hispaniensem venerat: qui cum cognovisset, Regem potestatem fecisse Austrio sese cum reliqua classe conjungendi; ne sine ullo operæ pretio sua legatio omnino esset, consilium per se ipse capit, cum nulla ea de re à Senatu mandata haberet, à Rege postulandi, permitteret Austrio, si ita ille censuisset, in portubus transmarinarum orarum, atque etiam in hostico, si usus postulet, hybernandi: in multas partes consilium utile fore. Nam primum cum bellum adversus Turcam naviter sit gerendum, usu trium annorum compertum esse, classes multifariam distractas numquam in tempore cogi, eaque cunctatione, magnam, eamque aptiorem temporis partem rebus gerendis eximi. Deinde cogitare debere Regem pro sua sapientia, hoc subitum Joannis & classis retentæ consilium, cujus nulla caussa appareat, nam eam quidem, quæ prætexatur Gallicorum motuum, ridiculam hoc tempore omnibus videri (libere enim ita re cogente agendum esse) admiratione Venetiis omnes defixisse, magnosque sermones ac magnas querelas excitasse. Quare eos, qui à societatis & à belli consiliis semper abhorruerint, ac pacem cum Turca Reipublicæ Venetæ potiorem putarint, ut in magna & libera civitate sententias variare necesse est; silentio tandem rupto, occasionem hanc arripuisse: ac concionabundos fœdus ac pravum consilium detestari, magnamque sibi audientiam facere. Quare ardentia ad eum diem multorum studia relanguescere, ac sententias labare cœpisse: non latere Regem, quam in bellis & in publicis rebus, quæque ad statum Reipublicæ pertineant, omnia minima momenta suspicionum ponderari soleant. Quare minime ea mirari in Venetis Regem debere; qui hoc mandato id assequetur, ut animos nutantes ac dubios confirmet, incommodasque opiniones prorsus exstinguat, & ab omni novorum consiliorum cogitatione homines revocet: magnum præterea stimulum fore ad cæteros Reges & Principes retractantes adhuc, & ipsa tarda belli administratione retentos ad armorum consilia cum fœderatis consocianda impellendos, si acri bello Turcam urgeri videant, ac propterea serio & sedulo ipsum Philippum in caussa versari intellexerint.

Ad ea Philippus: si qua mente ipse tam in gerendo, quam in suscipiendo bello usus sit, tot discriminibus & impendiis ultro sese à nemine coactus, nullaque re urgente offerendo non satis re declarit; oratione, ut persuadeat, non postulare, cujus mentis satis sibi sit divinum Numen testem habere: ei, qui officium præstet, ut ipse semper fecerit, si sermones & suspiciones hominum præstare non possit, minus laborandum: quibus ne ipsi quidem Veneti liberi sint, quorum mens & constantia ita omnibus Proceribus suis suspecta semper fuerit, ut se à fœdere cum ipsis iciendo perpetuo revocarint; quod non vera & sincera fide ad Turcam bello persequendum quæri ab illis dicerent, sed ad eum, hoc fœderis metu objecto, ad æquiores & meliores pacis conditiones adigendum. Hanc nutationem animorum, quam sibi nunc ipsemet Orator ultro nuntiet, fidem illorum verbis & suspicionibus (eadem enim orationis libertate, qua Legatus usus sit, sibi quoque uti licere) affirmare. Cæterum ut nullam vim ea habuerunt, neque umquam habitura sunt ad constantiam suam movendam, ita debere Venetos, eos saltem, quorum sapientia emineat, vulgi inscitiam gravitate sua regere. Quod ad cæteros attineat, invidorum & segnium semper fuisse, ut fortium & præstantium virorum virtuti & recte factis obtrectent, ipsi omnis discriminis, omnisque laboris, & impendii expertes; quasi alios premendo se ipsi extollant, ignaviamque suam socios in ea quærendo elevari putent: consilium de hybernando in hostico magnæ deliberationis esse: cogitaturum se, ac mox responsum daturum. Paucisque post diebus per Scribam respondet, se vehementer præceps consilium improbare, ac prorsus repudiare: nam non se quidem pœnitere opum sibi à Deo immortali datarum: cæterum eas in tot partes carpere, tot bellorum & seditionum necessitatem, ut vix eam impensam, quæ ex fœderi facienda sit, eniti possit; nedum novo hoc onere tantarum copiarum etiam hyberno tempore alendarum difficultates suas possit aggravare. Deinde eam classem, qua omnes Italicorum Regnorum, omnisque maritimæ oræ conservandæ spes nitantur, à sese tam procul abstractam, ac veluti hostilibus Provinciis circumsessam mille casibus & periculis, & ab hostium, & à tempestatum vi obnoxiam objicere magnæ fore insipientiæ, quam, ut nihil durius accidat, inopia certe annonæ & cæterarum necessariarum rerum consumi necesse sit; mari per hyemis tempus commeantibus clauso.

Non quidem genere levia esse hæc, quæ Rex opponit, respondet Venetus, cæterum responsu facilia; nec satis Regem ipsius orationem percepisse, responsum ab eo datum ostendere. Non enim postulasse se, ut necessitatem in transmarinis portubus hybernandi Austrio imponat; sed ut libera de ea re consilia permittat. Illum simul cum fœderatis, quorum non minoris intersit classes suas conservare, deliberaturum, ac difficultatis annonæ & commeatuum, tum autem periculorum, cæterarumque omnium rerum rationem habiturum, remque subjectam oculis certius & exploratius consilium præsentibus daturam; cui igitur classis ipsa permissa sit, ei liberum de eadem consilium permitti posse, quod ille ad res & ad tempus accommodet. Nam quod ad difficultates nummarias attinet, mirari se tantum Regem, atque opibus tanto intervallo Venetis

tis superiorem, ea re gravari, quæ ipsis gravis non sit; cum præsertim Rex uno tantum & simplici, hoc est, terrestrium copiarum, at Veneti duplici, harum scilicet ipsarum copiarum pedestrium, & novo classis duplo tanto, quam in pace majoris, se onerent sumptu, quo careat omnino Rex, eundem fere in pace, quem in bello, numerum navium alere solitus. Quibus rebus Regi à Scriba Oratore petente demonstratis, revertitur Scriba, nihilque ea Regem movisse refert, stareque sententiam, ut classis peracto tempore gerendarum rerum in Occidentem se recipiat. Neque enim ut tantæ rei, qua omnia Regna sua contineantur, adolescenti, quem gloriæ cupiditas sæpe ultra rapuit, quam ex re Regnorum suorum sit, liberam facultatem faciat, ullam ex Proceribus, qui sibi in consilio sint, auribus admittere. Quibus rebus Venetias renunciatis magna in pacis consilia animorum inclinatio facta est.

Interea classis è portu Corcyræ egressa iter in Cretam intendit; cumque in Cephaleniam pervenisset, Duces Romagassium exploratum præmittunt: qui cum impigre facto itinere promontorium Maleam, quod est in Peloponneso, vulgoque *Maine* appellatur, tenuisset; ex incolis, quos solos ex tota Peloponneso sæpe bello petitos cum locorum inaccessibilium asperitate, tum sua se virtute tutantes numquam ad jugum accipiendum subigere potuit Turca; cognoscit, classem Turcicam ducentarum viginti triremium, quarum aliquot minoris formæ essent, ac quattuor Mahonarum (id est navigii genus galeatiis haud absimile, ad belli necessaria transvehenda in primis aptum) retro promontorium in portu Epidauri, quæ urbs est in sinu Argolico, *Malvasia* nunc appellata, consedisse: quin etiam nonnullos ex suis in cacumen promontorii cum incolis misit, qui subjectam classem ex superiore loco contemplati sunt, ac numerum recensuerunt. Romagassius, omnibus satis exploratis, è vestigio retro iter repetit, classique, quæ jam urbem Methonem superavit, obvius fuit, quæque cognovit, exponit. Hoc nuncio accepto, Duces iter persequuntur, feliciqué navigatione usi insulam Cytheram, quam vulgo *Cerigum* vocant, tenent sinui Laconico objectam è regione promontorii Maleæ, quod Argolicum à Laconico sinu distinguit freto octo millium passuum à continenti discretam; quæ portum habet in latere à promontorio averso, ut ex eo promontorium, exeuntesque ex eo naves conspici non possint, qui à nomine circumjectorum scopulorum *Dragoneriarum* appellatur. In eo portu cum classis pernoctasset, posteroque die aquatum prima luce exscensu facto, qui erant in speculis classem Turcicam è sinu prodire, jamque superato promontorio iter in Cytheram dirigere exclamant. Quare subito ad arma conclamatum est; classisque portum egressa triplici acie instructa, onerariis ac galeatiis præmissis, quæ instar arcium triremes tegerent, numero tanto Turcæ inferiores obviam hosti procedunt. In cujus conspectum cum venissent, itaque appropinquassent, ut bombardarum ictibus mutuo se incesserent, Turcæ ordinem aciei contemplati Christianos invadere ausi non sunt onerariarum tutela subnixos, neque tamen proras converterunt, ne timoris significationem darent ac fugientium speciem præberent; sed sensim inhibendo se prælio subtrahebant, cum stare viderentur, Christianaque classis numquam ordine turbato ulterius procederet. Isque fuit utriusque animorum habitus in hoc, & altero, qui consecutus est congressus, idque utriusque Ducis consilium, ut uterque utilitatem suam & superiorem pugnandi conditionem quærens, Uluzalis Christianam classem præsidio onerariarum firmatam tentandam non duceret, omnique artificio onerarias à triremibus abstrahere contenderet; contra Columna à prælio cum hoste triremium numero longe superiore committendo, nisi onerariarum societate communitus abhorreret. Tandem labente jam die, desperata pugna Christiana classis cum sex circiter horas Turcicam insecuta esset, in eundem Dragoneriarum portum se recipit. Uluzalis, omissa Christiana classe, iter in Occidentem capit.

At Duces, consilio habito, extemplo Petrum Pardum Hispanum cum triremi ad Austrium mittunt, quem tum esse Corcyræ conjiciebant, qui statum rerum illum doceat, oretque, ac postulet, ut ultro pergere festinet; haud dubie enim quinquaginta duabus triremibus, quas habeat, reliquæ classi adjunctis, certam spem esse Turcicæ classis, quæ in pari navium numero semper futura sit Christiana inferior, delendæ. Ipsi, ut celerius se cum Austrio conjungerent, iter retro repetere constituunt. Quare postero die, qui fuit D. Laurentio festus, prima luce è portu solventes iter in Corcyram dirigunt, in altumque evecti cum promontorium Tænarium, quod nunc *Metapanum* vocatur, prætervehe rentur, à classe Turcica conspiciuntur, quæ omissa aquatione ad pugnam instructa è portu raptim prodit, ac Christianam classem petit, nec pugnam detrectant Christiani, secundoque vento utentes proras in hostem adventantem dirigunt, onerarias præ se agentes. Verum ventus, qui secundissimus ad eam horam flaverat, subito illos defecit, ut remis connitendum fuerit, atque onerariæ remulco trahendæ: neque longa interjecta mora classes ita propinquæ factæ sunt, ut Superantius, qui dextrum cornu regebat, sclopis hostem incesseret; nonnullasque Turcicas triremes conspicatus prora conversa fugæ se mandare, ardore pugnæ incaute provectus illas insecutus sit. Verum cum respiciens solum sese relictum nulla navi consequente animadvertit, cursum cohibuit. Interea Christiani triremes illas proris conversis fugam retro petentes, ac totam reliquam hostium classem cedentem cernentes, cupiditate pugnandi stimulante, remis connixi hostem magno impetu petunt, onerariis retro relictis. At Uluzalis occasionem tanto astu captatam pugnandi cum triremibus onerariarum præsidio nudatis datam arripiens; qui ad eam horam inhibendo sensim cesserat, converso consilio, incitato remigio in Christianos adventantes invehitur; qui errorem recognoscentes, inhibendo ipsi quoque impetum hostis vitare instituunt. Verum cum nonnullæ triremes, quod non satis remigio valerent, inhibendo tardius se reciperent, ac propterea proris conversis sese discrimini fuga subtrahere inciperent, Columna re animadversa imminentem pestem audacia discutiendam intelligens, necessitate adactus triremem suam in hostem iterum concitat, utque idem cæteri faciant, conclamat. Qua voce constitit fuga; omnesque triremes proris in hostem conversis ad pugnam instructæ ad impetum hostium excipiendum se confirmant. Qua nova re commotus Uluzalis, simul cernens onerarias, quæ retro remanserant, remulco eo jam tractas, ut brevi pugnæ commissæ interesse possint, spe frustratus impetum supprimit. Atque utraque classis cum comminanda potius, quam committenda pugna aliquot horas mutuis se bombardarum ictibus incessentes spectabundæ stetissent, tandem veluti ex composito disjunctæ sunt, Uluzalisque in sua se recipit.

Interea Austrius mandato Regio accepto, cum tota classe, quæ reliqua apud ipsum erat, atque omnibus copiis Messana solverat; fuerunt autem omnino triremes quattuor & quinquaginta, ac duæ majoris formæ Florentinæ, ac nonnullæ onerariæ, quas remulco trahens tandem Corcyram pervenerat. Ibi cum classem profectam cognovisset,

visset, nulla interposita mora iter persequi pergit. Cumque Leucadem usque processisset, promontorium, quod *Ducatum* vulgo appellant, superare non potuit; validoque adverso flante vento retro Corcyram compulsus est, quo paullo post Pardus à Columna missus appulit, ac quæ adhuc gesta erant, quibus ipse præsens fuerat, refert, additque putare se (id quod & factum erat) classes iterum congressas: nam in itinere ingentem ac continentem multarum horarum sonitum bombardarum exaudisse. Perturbavit is nuncius vehementer Austrium de eventu sollicitum, ejusque animum anceps cura agitare cœpit, pergeret ne porro ire, an subsisteret, exploratioraque exspectaret: hinc moveri periculo sociorum, flagitiumque ducere illos sua ope deserere; illinc temerarium censere inexplorato ulterius procedere, ac reliquam classem incertis casibus objicere. Dum animo fluctuatur, interea Alfonsum Bassanum cum duabus expeditis triremibus præmittit; qui itinere raptim facto, usque eo investigabundus procedat, quo re inquisita & explorata, comperti aliquid de Christiana & hostili classe cognoscat. Ille impigre itinere facto Zacynthum prætervectus Christianam classem plenis velis iter in Occidentem habentem procul conspicatur, quam hostilem ratus proras continuo convertit, clamante Præfecto quodam Venetæ celocis vetere ac perito nauta, qui erat itineris comes, atque inscitiam increpante, qui non animadverteret eam esse Christianam classem, cum qua sint onerariæ, quibus Turcas omnino constet carere: quem sive præ timore, sive monentis humilitatem spernens non audivit Bassanus; sed trepida fuga se Zacynthum recipit, arcemque, quantum intime potest, subit, exscensioneque cum remigio, atque omnibus, qui secum erant, itineris sociis facta, triremes in terram subducit, quo paullo post ipsa classis appulit, cum biduo iter illud confecisset, navigationemque diurnam nocturnæ continuantes se in Cephaleniam conferunt. Ibi cum Austrium exspectare constituissent, eundem Bassanum ad eum remittunt, ac per litteras, ut acceleret, orant. Morem gessisset libenter Austrius: sed retinuerunt eum Proceres, summa ope contendentes, ac consilia precibus miscentes, indignumque tanto fastigio asseverantes, illum cum tam exigua classe temere se conatibus tam propinqui hostis, atque à præcipiti audacia ad omnia quamvis temeraria & inopinata audenda prompti opportunum facere; Christianique nominis majestatem, quæ in illius capite periclitetur, contumeliæ & dedecori objicere. Qua oratione ac precibus tandem victus Austrius Columnæ & Veneto Præfecto mandat, ut illi ad se quamprimum accedant. Quod illi imperio coacti faciunt, Venetis gementibus, ac frementibus tot temere interponendis moris tempus conteri, occasionesque bene gerendarum rerum è manibus emitti.

Cum classis pridie Kalendas Septembris Corcyram pervenisset, decretum est in consilio, Turcas bello extemplo repetendos, onerariis relictis, quæ tarditate sua celeritatem triremium morentur. Quæ tamen Zacynthum præmissæ sunt jussæ Austrii imperia in ea insula præstolari; trajectoque freto classis portum Gomenitias ingressa est aquandi & lignandi caussa. Ibi inter Venetos & Austrium altercatum est; quod Austrius classem Venetam non satis bellatoribus instructam diceret; proindeque Præfecto instaret, ut Philippicis copiis triremes suas suppleri pateretur. Negare Præfectus alienis copiis classem suam egere, quæ bis eo anno hostilem fugasset; quam etiam bellatores è quattuor triremibus, quas dearmaverat, ad hoc quingenti pedites ex arce Corcyræ; totidemque ex onerariis ea de caussa detracti conscendissent. Superiore anno necessitate adactos Philippicas copias accepisse Venetos; aliam esse hujus anni rationem. Cum perstaret in incepto Austrius, Præfectumque urgeret, seque ulterius processurum aliter negaret; Columna partes suas interponit, remque pro communi amico ita transigit; ut Veneti copias Pontificias à Pontificia classe detractas acciperent; in quorum locum Columna Philippicis copiis Pontificiam classem suppleret.

Quibus impedimentis & certaminibus profectio usque in diem tertium Idus Septembris extracta est: primusque appulsus ad insulam Ericusam fuit, quam posteriores Paxum appellarunt. Inde postridie profecti cum iter in Cephaleniam direxissent, adverso flante vento in eandem insulam retro compulsi sunt. In eo itinere obvias habuerunt duas triremes, quas Columna exploratum miserat; quæ retulerunt, hostes se in portu Junco tenere plenos timoris, compluribus eorum morbo correptis. Postridie secundo flante vento, profecti sunt, codemque die primis se intendentibus tenebris Cephaleniam tenuerunt. Ibi biduum in aquatione, & in classe lustranda, atque ad pugnam instruenda, forma aciei mutata, consumptum est. Sub vesperum secundo ac prævalido flante vento solvunt. Cæterum ejus beneficio usi non sunt, remisque, incertum qua de caussa, totum nocturnum iter confectum, ita Joanne Cardonio & gubernatoribus navium Philippicarum suadentibus; contra Columna & Veneto frustra reclamantibus, nullam esse caussam cursus cohibendi; quin omni contentione accelerandum: illa tarditate hostem è manibus emitti, facultatemque certam & exploratam omitti illum in portu Junco improviso oppressum delendi. Ea nocte non ultra Strophades processum est. Quæ insula à portu Junco triginta millibus passuum distat, ubi totum eum diem subsistendum fuit, ne ab hostibus conspicerentur. Sub noctem intermissum iter repetunt; cum in consilio summo omnium consensu decretum esset, ut ita cursum illa nocte moderarentur, ut prima luce Methonem appellerent ab hoste non conspecti; classique hostili, quæ pro certo credebatur aut totam, aut magnam partem in portu Junco sese adhuc tenere, iter Methonem intersepiretur, in quo uno portu arcis præsidio tuta esse poterat, à Christianorum conatibus alibi haud dubie profliganda. Ad quam rem explorandam tres triremes præmitti placuit, quæ certa & comperta referrent. Neque dubitatur, quin, nisi ordo consilii turbatus esset, magna pars classis in portu Junco improviso oppressa, atque à suis interclusa deleri potuerit. Verum gubernator Regiæ navis sive inscitia, sive negligentia sua bene procedentes res evertit: qui metuens, ne nimis cita navigatione per tenebras ad littus periculose appelleret, dejectis velis cursum sæpe cohibuit: ad hoc cum iter recta Methonem Orientem versus intendendum esset, in Occidentem flexit. Quibus rebus factum est, ut prima luce, pro eo ut Methonem teneret, quæ urbs octo millia passuum Orientem versus est ultra portum Juncum, insulam Protem, quæ totidem passus citra eum portum, & à parte Occidentis est, appulerit; ut liber & tutus fuerit navibus hostium, quæ fuerunt septuaginta ex toto numero delectæ, classe Christiana conspecta Methonem, & ad reliquam classem nemine intercedente receptus; præclaraque occasio tantæ rei gerendæ è manibus emissa sit.

Igitur Christiani errore nocturno elusi porro ire pergentes, cum hostili classi appropinquassent, quæ conjuncta sub arce Methones instructa, ac consiliorum hostilium spectatrix stabat; ac Columna omnes caussas certaminis cum hoste contrahendi captans cum sua prætoria nonnullis triremibus paullo post consequentibus extra ordinem ulterius pro-

cessisset; aliquot ex hostilibus navalibus à reliqua classe se abscindentes obviam illi magno impetu veniunt, propinquæque factæ mutuis se bombardarum ictibus incessere cœperunt. Quod cum per aliquot horas, utraque classe spectante, neque suo se loco movente, fecissent; tandem Christiana classis desperata pugna, ordine aciei soluto, iter Oenusas versus capit. In qua insula à parte Favonio aversa, qui tum acerrimus flabat, ea nocte in ancoris stare constituerant. At hostes ordinem Christianæ aciei solutum conspicati, ne ulli occasioni deessent, magno se impetu è loco suo moventes in Christianos abeuntes feruntur. Qui è vestigio proris conversis, acieque, ut in illis temporis angustiis minime incommode potuit, instructa, se in hostem concitant, qui spe, quæ illum attraxerat, cum inordinatis manum conserendi frustratus, ac certamen cum instructis detrectans inhibere cœpit. Isque fuit exitus ejus congressus, ut hostilis classis sensim se pugnæ subtrahendo, Christiana ultro urgendo ac premendo, ambæque bombardas continenter displodendo; tandem hostilis primis tenebris noctis in locum priorem se receperit, Christiana Oenusas se contulerit, quæ insula nunc Sapientiæ appellata Methone opposita est, exiguo maris intervallo à continenti discreta; ibique pernoctavit. Postero die cum aquandum esset, duplexque esset aquatio ad littus Corones, & Navarini, (hanc urbem Veteribus Pylum fuisse puto) inter quas urbes Methone sita est pari ab utraque octo millium passuum intervallo, potior visa est Corone, quod ea urbs ab Oriente Methone obversa est, ne, si Navarinum urbem Methone ab Occidente oppositam accessissent, liberum iter hosti Constantinopolim relinqueretur. Exscensione igitur in terram facta, firma ad tria millia numero hostium manus, cum qua ipse Uluzalis fuisse dicitur, ad aquationem impediendam venit; commissoque prælio cum statione, quæ aquantibus præsidio ab Austrio missa fuerat; cum Christiani, & à multitudine, & à loci iniquitate vehementer premerentur, ac nonnulli cedere inciperent; ea re animadversa, Austrius extemplo Paulum Sfortiam cum eo armatorum numero, qui haberi subito potuit, laborantibus auxilio submittit, qui, raptim facta exscensione, cum recentibus & integris pugnæ se immiscens rem inclinatam restituit, ac primum Christianos jam terga vertentes sistit, & in hostem vertit, hostiumque impetum acriter se inferentium cohibet: deinde gradum ipse infert, validaque impressione quamvis numero inferior hostem tandem avertit, tutamque & liberam aquationem suis fecit.

Postero die classis Methone revertitur: qua in pugnam directa de Columnæ sententia, potestas manus conserendæ hosti facta est: qui certamen detrectavit. Quare se classis in insulam Oenusas recipit. Interea hostis incredibili celeritate collem urbi & portui imminentem munierat compluribus bombardis in eo statutis, quæ subjecta circa loca supernis ac certis ictibus late incessentes classem Christianam procul arcerent. Quæ res Christianis spem navalis pugnæ præcidit, cujus cupidissimi erant, duabus de caussis haud dubiam victoriam omnino sibi animo despondentes. Nam & bellatorum robore longe præstabant, quamvis numero navium aliquanto inferiores; & prope littus hostile pugna conserta certam spem faciebat, hostem in tam propinquo effugio sese in littus ejecturum; ac, quemadmodum in superioris anni pugna, ne certamine quidem tentato in primo ipso congressu discrimini erepturum. Igitur navali pugna desperata, Christiana classis portum Juncum subit ab omnibus ventis tutum, & in quo percommoda erat aquatio. Ibi motus incolarum, quorum illi spem faciebant, atque onerarias exspectare constituunt, quæ Zacynthi substiterant, atque annonam, & commeatus, magnamque vim bellicorum apparatuum, ad hoc delectorum militum duo millia quingentos subvehebant: quas primum omnium accersi placuit, duodeviginti triremibus eo missis, quæ illas, si ventus destitueret, remulco traherent. Impigre imperata facta sunt: onerariæque, quæ fuerunt viginti sex numero, ad quartum Kalendas Octobris præsto fuerunt. Per idem tempus architecti cujusdam suasu ex duabus triremibus conjunctis, dempto interiore remorum ordine, machina quædam ædificari cœpta est, quæ multa humo referta, ac tabulato constrata firma esset muralibus tormentis sustinendis; ex qua, octo bombardis in ea statutis, mœnia atque arces Methones maritima oppugnatione quaterentur. Verum ita lente & segniter omnia administrata sunt, ut hoc quoque inceptum inane evaserit.

Interea de summa belli inter Proceres certabatur, nihilque satis expediebatur, cum duæ in primis sententiæ rem distinerent, altera Columnæ, altera Antonii Auriæ. Nam cum, hoste, ut supra dictum est, navale prælium detrectante, unum opus belli reliquum esset terrestris ipsius urbis Methones oppugnatio, Columna classem in portu Junco retinendam censere, neque inanem bellatoribus in aperto mari periculo objiciendam; quin etiam ostium portus onerariarum & galeatiarum veluti muro opposito claudendum, è classe duodecim militum millia detrahenda: cum his copiis collem, qui ab incolis sanctæ Venerandæ appellatur, occupandum, qui urbi Methone & classi hostili imminet; ex quo eodem loco Turcæ Methonem ipsam olim expugnaverant: bombardisque statutis subjectam oculis urbem & classem continentibus ictibus verberandas. Opportunum præterea esse eum collem urbi ab annona & commeatibus intercludendæ, ad hoc aquationem percommodam & tutam habere. Verum ab eo loco petendo multa sive mari, sive terra impedimenta deterrebant. Terrestre enim iter longum & periculosum erat, (quindecim enim passuum millia intercedebant) ad hoc plerisque in locis arduum, asperum, confragosum, in plerisque equitatu hostili infestum. Quod si classe Methonem copias vexissent; periculum illud erat vel maximum, ne quidquid floris ac roboris erat, detracto, copiisque expositis, hostis re conspecta ad classem pugnatoribus inanem continuo advolaret, eamque sine certamine in suam potestatem redigeret. Mediam igitur quandam viam ineundam censere; ut classe in portu Junco se tenente, quinquaginta delectæ triremes cum onerariarum scaphis, ac celocibus, reliquisque minutis navigiis, quæ magno numero classem consequebantur, militibus impositis, prima luce ad littus quoddam prope ab urbe Methone duo passuum millia ab hoste non conspectum appellerent: scaphæque, ac reliqua minuta navigia pedestres copias à triremibus acceptas duobus, tribusve commeatibus in terram exponerent. In quibus rebus administrandis cum non plus hora consumeretur, spatium non dabatur hosti, iis rebus animadversis, triremes missas subito accursu opprimendi; quæ copiis expositis extemplo portum Juncum, ac reliquam classem repeterent. At Auria consilium improbare, difficilis & impediti exitus esse dictitans: sed cum tota classe ad littora Methones pergendum censere; atque ex loco, qui insulis Sapientiæ & Capprariæ interjectus est, copias quantas plurimas possint in terram exponendas, cum quibus collem eum ipsum, in quo hostis bombardas suas statuerat, occupare contenderent, atque ex eo in potestatem redacto ad alium collem, qui classem hostilem oculis subjectam habet, sibi gradum facerent.

 Cum

Cum pro ſententia utrimque pugnaretur, multaſque utraque ſententia difficultates haberet; ne ipſi quidem auctores eſſe, ne ibi diutius fruſtra tempus tereret, ſed in ſua ſe reciperet; Venetis reclamantibus ac vociferantibus, ſeſe & ſua hoſti diripienda atque evertenda prodi. Æſtuare Auſtrius conſilii inops, angique animo, atque inter manendi & diſcedendi ambigua conſilia fluctuare. Hinc providere Methones oppugnationem ſine ulla effectus ſpe, nulli aliæ rei fore, quam ignominiæ cumulandæ; illinc moveri hominum ſermonibus, qui futuri eſſent, ſi tanto conatu nulla re non modo geſta, ſed ne tentata quidem, diſceſſiſſet. Navarinum igitur omnem vim belli vertendam decretum eſt; idque magis inopia potioris conſilii, quam quod ea urbs ſatis dignum moræ pretium videretur. Ejus urbis oppugnandæ negotium datum eſt Alexandro Farneſio Principi Parmenſi. Tormenta igitur in terram expoſita loco idoneo ſtatuta ſunt, in quo loco prius ex propinquo explorando, atque in præliis, quæ & ea de cauſſa, & per varias deinde occaſiones toto obſidionis tempore inter Chriſtianos & Turcas commiſſa ſunt, inſignis in primis opera omnium conceſſu Paulli Sfortiæ fuit. Illud magno malo rebus gerendis fuit, quod iter, quo Methone ſubſidium Navarinum à Turcis ſubmitti poterat, nulla valida Chriſtianorum ſtatione inſeſſum eſt. Qua re factum eſt, ut eadem nocte, quæ diem, quo Chriſtiana claſſis portum Navarini ſubiit, conſecuta eſt; Turcæ urbi non ſatis præſidiis firmatæ metuentes delectam quingentorum manum tuto ac ſine certamine in urbem introduxerint.

Nunc mihi conſilia & conatus Turcarum re ab initio repetita exponenda ſunt, quæ ad hunc locum diſtuli, ne mihi narrationis ſeries interrumpenda ſæpius eſſet. Nam ſub primum adventum Chriſtianæ claſſis Uluzalis, ne loca Imperatoris nuda & aperta Chriſtianorum conatibus relinqueret, cum iis locis haudquaquam cedendum ſtatuiſſet, continuo Cuſſaimum Baſſam, & Scraum Agam Græciæ Bellerbejum, qui ambo tum erant Monaſterii Mediterranea Macedoniæ urbe, certiores de adventu Chriſtianorum fecerat. Illi non prius, quam conſulto Imperatore, ejuſque juſſis exſpectatis, ſe movere conſtituunt. E veſtigio igitur rem per expeditum nuntium illi demonſtrant, atque imperia depoſcunt: quæ extemplo à Regia venerunt, maturarent claſſi & maritimis locis ſubſidio accurrere. Illi cum paucis iis, quas tum forte ſecum habebant, copiis, quæ fuerunt omnino non plus octingenti pedites ex ordine & diſciplina Janizerorum, ac ſexcenti equites, parque ſervorum & clientium numerus; circummiſſo prius mandato equitibus circumjectarum regionum præſidiariis, qui erant ad octo millia numero, ut ſe mox conſequerentur, itineri ſe dant: quod aſperum & ſaltuoſum, atque ita plerumque anguſtum, ut equitibus ſimplici agmine ſæpe procedendum fuerit, ita vexavit & tardavit agmen; cum etiam pabulum petentes multos ſæpe ambitus facere ac via excedere cogerentur; ut ad tertium Idus Septembris iter ingreſſi, non prius quinto Idus Octobris, quod eſt menſis ſpatium, Navarinum pervenerint, cum nihil Duces de ſumma diligentia remiſiſſent, ac claſſem Turcicam à Chriſtiana obſeſſam, reſque ad extrema adductas inveniunt.

Locatis caſtris Baſſa ac Bellerbejus cum Uluzali capita conferunt; graviterque & aſpere hominem increpant, qui ſeſe in illis anguſtiis opprimi ſinendo Imperatoris claſſem ac tot inſignes urbes in certam perniciem dederit. Baſſæ & Bellerbeji objurgationem obtrectatio Præſidum Methones, Corones, Navarini ſubſecuta eſt: qui objiciebant, adventum claſſis in ea loca & moram in extremum diſcrimen res adduxiſſe, omnibus commeatibus, quibus opida alenda fuerunt, conſumptis: arctiora deinde omnia feciſſe adventum Baſſæ & Bellerbeji, ac copias ab illis adductas, & ſubinde adventantes: eaque omnia culpa Uluzalis facta eſſe: ipſius enim commorationem neceſſario Baſſam, & Bellerbejum, ac copias, quæ exſpectabantur, in ea loca traxiſſe. Quibus Uluzalis, purgatione omiſſa, non in verbis res bellicas verti, neque diſputationis, ſed actionis præſens tempus eſſe reſpondet. Proinde ipſi, quod ipſorum muneris eſſet, in defendendis urbibus, ac re terreſtri adminiſtranda exſequerentur; ſe ſuas partes, ut ſemper fecerit, in claſſe & re navali expedienda naviter impleturum.

Interea urbs à Chriſtianis oppugnabatur, mœniaque quatiebantur, ſed cum exigua effectus ſpe, validis ſubſidiis urbem ſubinde intrantibus. Quorum iter prohibere non poterant Chriſtiani, cum inter eum locum, in quo caſtra poſita erant, & portam, qua ſubſidia in opidum introducebantur, fluvius late reſtagnans lacum in ambitu duo circiter paſſuum millia patentem efficeret: neque iter, quo ſubſidia commeabant, firma ſtatione inſidere poterant; quæ tanto intervallo ab exercitu abſciſſa media inter ſubmiſſa ſubſidia & obſeſſos erumpentes relicta mox obtruncanda eſſet. Acceſſit ad cætera incommoda effuſiſſimus ac multorum dierum continens imber; qui exercitum nullis tectis defenſum mirifice vexavit. Nec meliores erant Turcarum res, qui, ut ex non ante proviſo tantarum navalium & terreſtrium copiarum ſuperventu prægravante, ad extremam omnium neceſſariarum rerum inopiam redacti durare jam non poterant. Neque (quod in primis angebat) ullam viam inibant claſſis ſervandæ. Nam in tanta propinquitate nec clam Chriſtianis fugam capere poterat tanta claſſis, nec, ſi aperto mari ſe commiſiſſet, certamen vitare; quod ſine certa pernicie committere non poterat: ut ſpecies cladis ſuperiori paris in oculis verſaretur. Quarum rerum culpam, cum omnes in Uluzalim conferrent, ille æſtuare, nullamque aliam viam cernere ſeſe ſubtrahendi iracundiæ Imperatoris, atque invidiæ Aulicæ, cujus minore mole ac levioribus de cauſſis conflatæ multos ſæpe obrutos ſciret, quam ſex & viginti triremibus, cum quibus ſtipendia faciebat, remigio atque omni inſtrumento firmatis, reliqua claſſe relicta, ſeſe clandeſtina fuga in Africam proripere: quam rem illum animo agitaſſe pro conſtanti traditur.

Verum infelix Chriſtianorum fatum Turcas ex certa atque inevitabili peſte eripuit. Incommodorum enim ac difficultatum hoſtilium ignari Chriſtiani, deſperata oppugnatione, obſidionem Navarini ſolvunt ſilentio noctis, ſigniſque conticentibus, ne ab hoſte ſentirentur, à mœnibus diſcedentes; atque ignibus, ut fallerent, accenſis relictis. Qui multis difficultatibus conflictati, in primis annona deficiente, nullius fructus incœptum, cujus tædium jam omnes ceperat, omittere decreverunt, gementibus ac vociferantibus Venetis, palamque teſtantibus ſeſe ac ſua deſeri: neque annonæ deficientis excuſationem multis de cauſſis accipientibus. Nam primum quod fuiſſe conſilium, ac qua mente uſus Philippicos Duces ad tantum bellum proficiſcentes non plus dimidii menſis cibaria ſecum vexiſſe? Deinde non tam procul diſſitas eſſe opulentiſſimas & feraciſſimas Siciliæ & Apuliæ regiones, ut non ex illis quamvis ingens vis annonæ haud longo, neque impedito trajectu accerſi poſſit. Interea ſeſe annona ſua, cujus ſatis magnam copiam habeant, cum illis partita, illorum inopiam ſublevaturos. Quorum querelæ ac conſilia, quæ magis à nimio ſtudio, quam à conſulta ratione, aut à ſpe ullius operæ pretii profecta ducerent, cum nihil Auſtrium ac reliquos Philippicos Proceres moviſſent, claſſis Nonis Octobris ſolvit, ac Zacynthum

cur;

cursum dirigit, isque fuit illius anni Expeditionis finis.

Quæ res Venetiis cognitæ magnos animorum motus, magnasque in consilia pacis inclinationes fecerunt; ut non eos modo, qui à bello perpetuo abhorruerant, in sententia confirmarent, verum etiam eos, qui bellum cupide amplexi fuerant, quorumque animi labare jampridem cœperant, tot malis & incommodis fractos tandem in alteram sententiam impellerent, cum multi ex primoribus & senioribus quærerent, quem tandem pertinaciæ finem essent facturi; dictitarentque, qui pro patriæ salute, pro Reipublicæ dignitate, pro juribus publicis tuendis, pro imperio conservando adversus omnia mala invictam constantiam præstiterint; quin etiam mortem ipsam fortiter oppetierint, multos inventos esse, sæpe sese, & fando audivisse, & in historiis legisse: At qui contra pro patria evertenda, pro publica & privata salute profundenda, pro imperio paullatim projiciendo eandem patientiam adhibuerint, nullisque malis sint victi, hoc primum exemplum à Venetis prodi. Quam tandem rabiem ipsos agitare? aut pro quibus sceleribus puniendis hunc tantum furorem Venetorum mentibus divinitus objectum, ut omnia ruere & conflagrare sibi pulchrum ducant? Resipiscerent aliquando; ac sese, rem publicam & privatam, domos, conjuges, liberos, posteritatem tandem respicerent: neque omnia hæc prava obstinatione ac mentis cæcitate præcipitia dare pergerent. Non sese Philippum accusare, aut parum sinceram illius fidem arguere; cui contra Rempublicam Venetam plurimum debere semper præ se sint laturi: sed optimi Principis, optimaque mente utentis vicem dolere, cujus vires multifariam distractæ ad omnia sufficere non possint; quique infinita negotiorum mole implicitus non satis impigre se pro ipsorum ardore, ac pro eo atque ipsorum rationes ferant, possit commovere: ipsius quidem Duces, ac res ipsius procurantes magna ex parte numquam satis æquos sibi expertos: quibus quousque se ludificandos, ac quamdiu extrahendos præbituros esse? At enim parum honorificam pacem videri. Certe stultis & futilibus ingeniis, omniumque rerum humanarum ignaris. At sapientium semper fuisse consilia rebus accommodare, ac temporibus cedendo sese ad meliora reservare; dimicationesque, quæ suarum virium non sint, vel non suscipere omnino, vel deponere susceptas. Quam rem magnos & celsissimos Reges, ac clarissimos populos semper fecisse, cum omnium sæculorum, omniumque nationum monumenta testari, tum nostra ætate Cæsarem ipsum, eum, qui cæteros Reges dignitatis & honoris fastigio antecellit, ipsamque Austriam domum, quæ omnes Europæ Regias opibus & potentia magno intervallo superans, tot ditionibus ab hoc ipso Turca per varias occasiones illi abstractis, iniquis tamen obnoxiæ pacis conditionibus sese illi obstrinxerit: nedum Venetos, quibus præ Austriis tam tenues opes sint, ab omnium Christianorum societate vel desertos, vel inutiliter adjutos ejusdem consilii pudeat.

Hæc cum non jam occulte fremerent, neque in Senatu modo, & in consiliis publicis vociferarentur, sed in cœtibus quoque veluti concionabundi prædicarent; circumeundoque, ac singulos privatim monendo, hortando, finem urgendi non facerent, pervicerunt tandem, ut decerneretur instituta pacis consilia ad finem perducenda: quam rem è vestigio per litteras Barbaro imperarunt. Facile ac brevi pax inter cupidos convenit: cujus conditiones non æquitas, sed dispar fortuna composuit. Nam Cyprus & cætera loca à Turca capta illi remanserunt. At quas urbes, quæque opida in potestatem Venetorum venerunt, ea omnia Turcæ restituta sunt; finesque tantummodo urbium veteris Venetæ ditionis à Turca per tempus hujus belli occupati ad Venetos reverterunt: nullumque umquam bellum ab ulla civitate majore consensu susceptum & depositum est.

Varie à fœderatis accepta res est. Nam Pontifex in Venetos graviter exarsit; nuntiumque improvisum aversatus, illorum Legatum verbis male acceptum è conspectu protinus facessere jussit. At Philippus æquo animo rem tulit, Legatoque Veneto benigne appellato respondit, sese nulla re à Turca lacessitum, postulante Pontifice, religione impulsum cum Venetis, quorum tantummodo in fœdere jungendo salutem & commoda spectarit, arma haud gravate & haud retractanter consociasse, & eo tempore consociasse, cum duobus bellis civilibus implicitus sese à novo insuper negotio onerando posset excusare. Cæterum suam quemque rem optime nosse. Si Veneti rationes suas ita ferre existimarint, recte illos rebus suis consuluisse; neque se ægre ferre bellum illorum caussa susceptum, illorum arbitrio deponi; satisque habere, si orbis intelligat, alacritati suæ in suscipiendo sacro bello parem respondisse in perseverando constantiam: Suam fuisse, & in suscipiendo sacro bello pietatem, & in perseverando constantiam parem: Suam constitisse, & in suscipiendo sacro bello alacritatem, & in perseverando constantiam parem.

FINIS.

VBERTVS FOLIETA,

PATRICIVS GENVENSIS,

DE EXPEDITIONE IN TRIPOLIM.

Expeditio in Tripolim à Joanne Cerda, Duce Medinæcæli, ac Regio Vicario Siciliæ, magna de caussa suscepta est, jussu Philippi Regis, cum sua sponte, tum ejusdem Cerdæ, & Francisci Parisotti magni Magistri Hierosolymitani Ordinis suasu in id consilium impulsi. Ii Regi demonstrarunt ingens periculum Siciliæ, Sardiniæ, Melitæ imminere, Turcarum opibus in Africa in dies crescentibus, Draguteque majores vires paullatim colligente: nec rem ut utilitate magnam, ita quoque difficilem expeditu esse, aut exitu dubiam. Rebus enim Italiæ à Gallorum motibus recenti pace securis, illum veteranis legionibus præsidiariis ad hoc bellum uti posse: quibus quod militiæ genus Dragutem oppositurum, improviso præsertim deprehensum, ac nullis Turcarum Regiæ auxiliis fultum, quæ in tempore esse non possint? Non esse igitur præclaræ occasioni indormiendum. Horum uterque, præter publicam caussam, suos privatos habebat stimulos. Nam & magnus Magister imperio urbis Tripolis imminebat, quæ urbs ditionis Hierosolymitani Ordinis jam fuisset; & Cerda æmulatione Joannis Vegæ superioris Siciliæ Vicarii mire animo angebatur, si, cum ille Africanam urbem Imperio Hispaniensis Regiæ magna cum sua gloria addidisset, ipsius nullum foret in Hispanum nomen simile promeritum.

Quibus rationibus inductus Philippus Expeditionem decernit; Ducemque ipsum Vicarium Siciliæ Cerdam creat, imperatque Joanni Andreæ Auriæ, qui Legatus Andreæ patrui magni summæ navalium rerum præerat, ut Cerdæ cum tota classe sese adjungat, omnibusque in rebus illi dicto audiens sit, nec non Gumeranum Commendatarium haud parvæ existimationis virum in Italiam mittit, qui legiones à Vicariis Regnorum suorum in hujus belli usum extemplo corroget: enixis etiam mandatis ea de re per litteras suas Vicariis datis. Cæterum difficultates subito exortæ sunt, quæ initia bene inchoatorum consiliorum interrumperent: primisque sublatis, aliæ ex aliis subortæ rem diu extractam ad extremum everterunt, facultate comparandi interea hosti data.

Per idem enim tempus, quo Gumeranus in Italiam venit, subita mors Henrici Regis nunciata est, qui ex vulnere in oculo in certamine ludicro accepto decessit. Quo nuntio perturbatus Dux Suessæ Mediolani Vicarius negavit se quemquam de legione daturum, donec exploratum esset, quorsum Gallorum motus, si quos forte hæc mors excitasset, evaderent, præsertim rebus Subalpinis nondum stabilitis, aut constitutis; compluribusque oppidis ac locis nondum Sabaudio restitutis: cujus sententiam fixam ac stabilem Gumeranus nullis suasionibus, aut precibus, aut ad extremum obtestationibus movere potuit. Eamdem animi obfirmationem in Perafrano Ribera Alcanorum Duce Vicario Regni Neapolitani offendit, qui, cum auditum esset, præpotentem Turcarum classem, quæ jam Constantinopoli exierat, Aulonem petere; se copias vel uno capite imminuturum negavit, atque in adventu tantæ classis Regnum Neapolitanum præsidio nudaturum. Huc accessit discessus à reliqua classe triremium Hispaniensium à Rege evocatarum; quas Gumeranus, omni adhibita contentione, vociferans, obtestans, divorum atque hominum fidem implorans, retinere non potuit. Quibus rebus coactus est Cerda novos apparatus de integro facere, corbitas stipendio conducere, milites in Sicilia & in Calabria scribere: præterea Alvarum Sandium, qui paucis ante diebus jussu Philippi ad ipsum venerat, ut bello interesset, atque ad omnia consilia adhiberetur, in Longobardiam remittere ad novas copias cogendas. Verum cum omnis suspicio Gallorum motuum cessasset, pars veteranorum à Suessano tandem extorta est. Idem quoque à Vicario Neapolitano impetratum, classe Turcica in Orientem profecta, ac Neapolitanis littoribus omni metu solutis.

Cæterum cum veterani à Suessano impetrati, necnon Germani, ac reliquæ Italicæ copiæ Genuam convenissent, Hispanorum seditio ob non soluta stipendia conscensum in naves aliquantum morata est, &, ea sedata, onerariæ multis ex locis exspectandæ fuerunt; navibusque tandem conscensis adversa tempestas incubuit, quæ unam earum demersit, ac nonnullas ita quassavit, ut copiæ exscendere iterum coactæ sint: quibus impedimentis factum est, ut non prius Æstate, ac magna Autumni parte circumacta, mense Octobri classes ac terrestres copiæ Messanam convenerint. Magnus Magister non navalibus modo, sed terrestribus quoque auxiliis Expeditionem juvit, delecta quadrigentorum Equestris Ordinis virorum manu, ac sexcentis sclopariis missis: cæterum, quamquam in commeatibus ac machinis bellicis in naves imponendis, reliquisque necessariis rebus administrandis nihil de summa diligentia remissum est; non tamen ante exitum mensis Octobris classis è portu Messanæ solvere potuit; cum interea exercitus lustratus esset: fuerunt pedestres copiæ quattuordecim armatorum millia, hoc est, Hispanorum signa triginta septem, Italorum triginta quinque, Germanorum quattuordecim, Gallorum duo, classis autem fuit octo & viginti onerariæ, ad hoc minora navigia quattuordecim, triremes majoris & minoris formæ quattuor & quinquaginta, quarum quattuor Pontificiæ fuerunt, totidem Florentiæ Ducis, Hierosolymitanæ quinque.

Per idem tempus magnus Magister duas celoces in Africam exploratum misit, quod optime cogitatum, ut cætera omnia hujus Expeditionis, in malum vertit: altera enim à Dragute capta est: de cujus viri vitæ cursu & incrementis non ab re duxi pauca attingere. Is igitur vir humili & obscuro

ro loco natus, cum piraticam primo fecisset, multis atque insignibus egregiæ fortitudinis ac consilii operibus edendis nomen suum clarum fecit, magnamque in rebus navalibus famam collegit. Quare in summi Turcarum Imperatoris notitiam adductus, in Regiamque accitus, fortem ac fidelem operam multis locis navando, brevi in eum gratiæ & auctoritatis locum apud Turcam venit, ut cæteros omnes, qui res navales tractarent, longe anteiret: summaque maritimarum rerum illi crederetur; neque quidquam in illis sine illius consilio Turca aggrederetur, aut gereret. Quare ad magnas opes pervenerat, Tripolimque urbem, multa opida ac late patentem circa regionem à Turca in Africæ ora fiduciariam obtinebat. Is igitur cum ex captivis consilia & apparatus Christianorum cognovisset, opidum munire, ac validis præsidiis firmare, annonam convehere, reliquamque ad Christianorum in se intentam vim sustinendam opportuna comparare atque expedire instituit. Simul Turcam, ut postea dicemus, de Christianorum Expeditione certiorem facit; atque, ut classem, quæ Christiana superior sit, sibi subsidio quamprimum mittat, orat & postulat.

Interea Cerda Vicarius, omnibus rebus comparatis & instructis, commeatibusque, quæ triginta hominum millibus in quattuor menses sufficerent; bellicisque apparatibus, ac parte copiarum in onerarias impositis, illisque præmissis, ipse paullo post cum triremibus ac reliquis copiis subsecutus è Messanæ portu solvit, ac Syracusas appulit. Infelix navigationis initium eorum, quæ consecuta sunt, omen fuit: totum enim Novembrem mensem in portu Syracusarum adversa tempestate retenti sunt, ex quo non prius Decembri ineunte egredi potuerunt, re sæpe frustra tentata, onerariisque remulco ex portu extractis. Tandem secundam tempestatem nacti solverunt; cum interea Vicarius aliis malis in eo portu conflictatus esset: nam & morbis ex cœli mutatione conceptis exercitus tentari cœpit, ex quibus multi quotidie absumebantur, & militum rixis ac seditionibus castra habuit infesta, cum magna pars Italorum exsules Neapolitani, ac Siculi essent: quibus factum est, ut multi à signis discesserint. Igitur onerariis, quæ impeditioris navigationis erant, præmissis, triremes secutæ sunt: cum multum jam itineris onerariæ præcepissent, cursum in minorem Syrtim, quæ *Pali* appellatur, dirigunt; quo consilium erat omnem classem contrahere, ut inde Tripolim urbem paullo plus centum passuum millia distantem peterent. Cum totam noctem navigassent, triremesque Pachinum superassent; orta luce onerarias procul adspiciunt Syracusarum portum repetentes ab adversis flantibus ventis, cum ad Pachinum pervenissent, retro compulsas, paullisperque addubitarunt triremes, utrum viam, quam jam emensæ fuerant, retro repeterent, ut se cum onerariarum classe conjungerent, an ad Melitam insulam, quæ proxima sub manum erat, appellerent: postrema probata sententia, portum insulæ qui Marza Mussetus appellatur, tenuerunt. Comiter & apparate à magno Magistro accepti. Vicarius animo vehementer angi tam infelici rerum initio: nam continue sævientibus ventis, neque onerariæ in Melitam venire poterant, cum sæpe portum Syracusarum egressæ usque ad Pachinum processissent; semperque adverso flatu ventorum iter retro repetere coactæ essent; neque pars triremium, quas ad illas accersendas mittere decreverat, eadem de caussa Syracusas appelli possent, tandem sub exitum Decembris cum ventorum vis desedisset, triremes Melita profectæ Syracusas veniunt, onerariasque partim portum egressas offendunt, partim ipsæ remulco extrahunt, cum quarum majore parte in exitu Decembris Melitam appellunt, cum nonnullarum, quæ tempestate jactatæ cursum tenere non potuerunt, serior fuisset appulsus. Quare coactus est Vicarius milites exponere, ut maris jactatione, ac sentinæ vitiis, tum autem morbis partim ex iis caussis, partim ex parum salubri cælo contractis confectos reficeret: cæterum exercitu tribus amplius hominum millibus imminuto, ordinum ductores iterum in continentem mittendi fuerunt ad novos milites scribendos, dato mandato, ut eos in eam Africæ oræ partem adducerent, ubi classem, ac reliquum exercitum esse cognovissent, complures dies eadem de caussa adversæ tempestatis in Melita substiterunt.

Tandem Februario mense dimidio exacto, tempestate ad navigandum idonea facta, solvunt, onerariis jussis, si priores Syrtim Pali tenuissent, ibi triremes præstolari. Quattuor dierum navigatione triremes insulam ad Gerbim, quæ apud Veteres Lotophagitis fuit, ad locum, qui *Rocheta* vocatur, appulerunt, in quo classes solent aquari: quæ aquatio ne Maurorum incursionibus infesta esset, Dux cum omnibus copiis exscendit, aciemque instruxit, nec supervacaneum consilium fuit: nonnullæ enim equitum Turcarum ac Maurorum turmæ, atque haud contemnendus peditum numerus in aquatores magno impetu se intulerunt, cum quibus continenti, & haud incruento prælio dimicatum est, nonnullis Ducibus ac Primoribus sauciis, in quibus fuit Alvarus Sandius sclopi ictu accepto, dum is omnia circumspiciens, omnibusque locis occurrens in media pugna versatur. In eo littore euripus mille amplius passus introrsus porrigitur, in quo duæ triremes procul ab ostio conspectæ sunt, ad easque capiendas nonnullæ triremes missæ: verum, duabus onerariis in ancoris haud procul inde stantibus conspectis, triremes Christianæ cupiditate prædæ triremibus Turcicis omissis, imperioque neglecto, ad illas capiendas certatim convolant: pretiosis enim mercibus onustæ erant: quæ res fecit, ut magnæ rei occasio, quam postea dicturi sumus, omitteretur. In captis navibus nemo omnino mortalis est inventus, ex quo status insulæ ac consilia hostium cognosci possent, ac ne in insula quidem aliquis capi potuit, cum summa omnia Christiani fecissent: omnia enim circa littora arctissimis Turcarum atque incolarum custodiis clausa erant. Biduum in eo loco commorati solvunt, ac cursum ad Syrtim Pali dirigunt, quo appulsi nonnullas onerarias in ancoris stantes inveniunt, cum reliquæ subinde venirent, ut constitutum fuerat. Solum est sabulosum, puteique in illo fodiuntur, ex quibus emergunt scaturigines aquæ dulcis, verum insalubris, ac mali saporis. In proximo continenti Arabes, qui Mahamitæ appellantur, stativa habebant, gens Turcis in primis infensa. Hi, classe conspecta, Legatos è vestigio ad Vicarium mittunt, adventum gratulantes, ac cum illis incolam quemdam insulæ Gerbis exsulem, atque à Turcarum imperio abhorrentem. Ex eo status rerum in ea insula cognitus est, Dragutem cum valida equitum & peditum Turcarum manu paucis ante diebus insulam ingressum, ab incolis, qui Xechis Domini sui imperium oderant, ab eoque defecerant, vocatum (ii sunt in ea parte insulæ, quæ est ad Rochetam, ad quam classis appulerat) conflixisse cum Xeche, ac Mauris, superioremque evasisse; & eo tempore esse in insula, quod si Christiani duas triremes, quæ erant in euripo, combussissent, exitum ex insula Draguti omnino clausuros fuisse: nam nullam aliam navigiorum fuisse facultatem: per pontem vero, quo insula continenti jungitur, nullum fuisse Draguti transitum, ea parte firmissimis Arabum copiis insessa: eas porro triremes in Constantinopolim ad summum Imperatorem à Dragute mitti ad adventum Christianæ classis nunciandum, auxilia-

liaque petenda: onustas esse pretiosis muneribus ad ipsum Imperatorem, & ad Bassas, ac Primores Regiæ à Dragute missis, præfectumque iis esse Uluzalim Calabrum Christianæ religionis desertorem, hominem impigrum ac clari nominis piratam. Ingemuerunt Vicarius ac Proceres ejus rei occasionem omissam, in qua summa totius belli verteretur. Dragute enim, qui florem copiarum secum eduxisset, excluso, Tripoli sine ullo certamine potituros fuisse, ac bellum felici exitu confecturos.

Cum dimidium mensem ad Syrtim in ancoris stetissent, adversa tempestate morante, ibi multiplici malo conflictari cœperunt: nam militum corpora à præteritis morbis in Sicilia & in Melita contractis nondum plane confirmata, ad hoc ex diuturna navigatione, ac maris jactatione, tum autem tetro odore sentinæ affecta solum pestilens, cœlum corruptum, insalubrisque aqua excepit. Qua re ardentibus febribus correpti vulgo, ac catervatim, pecudum instar, quotidie moriebantur; miserabilique spectaculo in mare projiciebantur. Igitur Vicarius tantis aliis super alia cumulatis malis fractus Primores exercitus convocat, ac de summa rerum cum illis deliberat. Tres fuere sententiæ, nonnulli ad novos casus nova consilia accommodanda dicere: proinde summa ratione susceptam Expeditionem, majore omittendam; neque in re ad malam spem inclinata obstinate perseverandum: cælo se adverso perpetuo usos; omnibusque iniquitatibus conflictatos; copias magno numero imminutas, quotidieque imminui; quæque reliquæ sint corporibus affectis bello esse inutiles: non igitur contra fatum, si ita loqui liceat, luctandum, sed in Siciliam revertendum: seque meliori tempori reservandos: sanior sententia paucos, ut fit, assentientes habuit. Contra alii ibi manendum censebant, ac copias, quæ scribendæ missæ erant, tempestatemque ad navigandum idoneam exspectandam, ac tum inceptum iter persequendum. Tertia sententia media fuit; Expeditionem cœptam nullo modo deserendam, sed in insulam Gerbim revertendum; quandoquidem non amplius octoginta millia passuum ab urbe Tripoli longius discederent. Ibi cum loco salubri milites à præteritis morbis ac laboribus refecti & confirmati essent, novæque copiæ, quæ omnino exspectandæ sint, advenissent, tempestate idonea ad navigandum facta, tum uno & perpetuo cursu Tripolim petendam. Re altercationibus diu extracta, tandem omnes in eam sententiam conveniunt, ut inde discedatur; & ad tempestatem navigatio accommodetur, ac, si venti Tripolim ferant, fortuna utantur, cumque illis, quæ reliquæ sint copiæ, urbem circumsidant, cæterasque ibi exspectent: quod si ventus reluctetur, insulam Gerbim repetant, in eaque considant.

Hac probata sententia, Vicarius Xechem Mahamitarum vocat, (hoc nomine Arabes appellant eos, quorum angustæ ditiones Regii tituli honore dignæ non habentur) oratque, ut eam continentis regionem, quæ cum insula Gerbi ponte jungitur, insidat, neque quemquam Turcam insulam ingredi permittat: quod illi non modo non gravate, sed cupide etiam fecerunt, cum ab insito in Turcas odio, tum blandis Vicarii verbis, ac muneribus, promissoque stipendio deliniti. Igitur classe ad navigandum à Joanne Andrea Auria instructa, è Syrti solvunt, ventoque adverso increbescente, cursum in insulam Gerbim dirigunt, quam eodem die tenuerunt, copiæque sub vesperum in locum prope ab opido decem circiter passuum millia expositæ sunt: qui locus aptissimus visus est duabus de caussis: nam & circa puros ac patentes campos habebat, ab omnibusque insidiis tutos; neque longe aberat copiosa & percommoda aquatio: ex peritis enim ejus regionis, qui sæpe aquati fuerant, cognitum est, prope ab opido tria passuum millia undecim puteos esse salubris aquæ: eo in loco ea nocte considendum visum est: neque ullo modo in hostico iter noctu faciendum: nullos enim Mauros in appulsu classis apparuisse certissimum signum esse hostilis illorum animi: tentoriis statutis duo Mauri in castra veniunt in speciem Legati, re exploratores. Hi Xechis verbis incolumem adventum primum gratulati affirmant Xechem libenter sub imperium Philippi Regis futurum, in cujus nominis sola majestate tantam rebus suis tutelam esse intelligat. Quare cum nulla caussa armorum sit, petere & orare, ut classem iterum conscendat, insulamque liberam relinquat, id pro amico Vicarium facturum. Simul illud etiam petunt, ut Vicarius ad Rocchetam accedat, ibi Xechem quoque futurum; ac de summa rerum collocuturos: id ni propere faciat Vicarius, se haud facile irritatos suorum animos cohibere posse. Quamquam non fefellerunt; benignum tamen responsum à Vicario redditum est, se tempestate, cum Tripolim urbem peteret, in eam insulam compulsum, pacatoque, non hostili animo venisse: in quam insulam, Expeditione Tripolis confecta, venire in animo habuisset, ut Turcis inde expulsis Xechem in antiquam possessionem insulæ restitueret. Nunc quoniam ita casus tulerit, ut prius in insulam Gerbim venerit, lætari, se pacatos animos offendisse; ac quoniam jam copias exposuerit, nullam caussam esse, cur eas inde deportet, priusquam de amicitiæ conditionibus egerint, omniaque inter ipsos transacta sint, ipseque nonnulla in usum classis compararit. Quare se ad puteos postero die accessurum, atque ibi castra positurum, nemine violato. Eo, si videatur, accedat Xeches, ut capita de Republica conferant.

Cum hoc responso dimissis Legatis, ea nocte duo Christiani, qui erant in servitute, à Dominis aufugiunt, & in castra veniunt, nunciantque Turcas, classis Christianæ adventu cognito, opidi possessione, atque insulæ imperio Xechi cessisse; Maurosque ac Turcas, qui erant in opidi præsidio, conjunctis armis ac studiis Christianos invadere in animo habere. Igitur postero die Vicarius agmine ad iter & ad pugnam composito puteos petit, qui aberant octo circiter millium passuum intervallo, præmisso Sandio, qui locum castris capiat. Primum agmen erant Equites Hierosolymitani cum Germanis & Gallis duo millia numero; medii erant Itali tria millia: Hispani tria millia & quingenti numero agmen claudebant. Ad hanc summam copiæ à numero quattuordecim millium redactæ sunt, cum reliqui partim à signis discessissent, partim varia peste essent absumpti. In itinere Melorarem, is est Xechis Vicarius, obvium habuit: qui se Xechem excusatum missum dixit, quod obviam non processisset, ea de caussa illum in eo officio cessasse, quod voluntati suorum ipsum retinentium adversari non potuerit. Cum loco castris destinato appropinquassent, qui ab eo loco, in quo Xeches cum copiis instructis constiterat, colle quodam opposito tectus duo circiter millia passuum aberat; sonitusque Maurorum tympanorum exaudirent, qui terni editi signum pugnam cientium esse solent, nuntius à Xeche venit, postulavitque à Vicario, ut usque ad dimidium itineris cum quattuor tantummodo equitibus procedere ne gravaretur, cum pari enim equitum numero Xechem eo venturum; atque ita inter se collocuturos. Cognito petiti colloquii astu, Vicarius nuncium ac Melorarem dimittit; nuntiareque Xechi jubet, nihil esse, quod Xeches ad dimidium iter procedat: se enim castris statutis, copiisque quiete unius diei refectis, postero die ad illum venturum; aciemque è vestigio ad pugnam instruit, cum jam Mauri è colle prodeun-

deuntes apparere inciperent. Dextrum cornu à terrestri parte Hispani tenuerunt, lævum à parte maritima Itali, medii fuere Hierosolymitani cum Germanis ac Gallis; sclopariorum alæ circumfusæ sunt. Mauri è loco, ubi latuerant, moventes ad aciem accedunt, magnisque clamoribus, more illius gentis, sublatis sclopariorum alas magno impetu invadunt, quas ab omni parte tentarunt; acrique prælio aliquot horas dimicarunt. Cum validas impressiones sæpe dedissent, ac Christianos pepulissent, sæpeque à Christianis repulsi essent, tandem die in vesperum inclinato, cum aciem instructam attingere ausi non essent, pedem referunt, circiter centum & quinquaginta de suis amissis; cum de Christianis non amplius triginta cecidissent: in quibus fuere duo ordinum ductores.

Interea, qui ad castra statuenda ad puteos relicti erant, tempus segne non triverant, sed puteos purgarant, quos Mauri, ut aquandi facultatem Christianis adimerent, saxis ac glarea complerant. Sub vesperum exercitus in castra reductus est: quæ postero die perpetua munitione cincta sunt, ac tentoriis deficientibus, quæ in classe remanserant, milites tabernacula sibi ex ramis palmarum & olearum exstruunt. Castris locatis, Vicarius omnes curas in annonam, ac commeatus, bellicosque apparatus è classe exponendos, & in castra comportandos intendit. At Joannes Andreas Auria Sanctium Leivam cum triremibus quibus præfectus erat, ad fauces euripi, qui *Cantara* vulgo appellatur, de quo supra diximus, insidendas mittit, ut aditum à continenti, qui unus ab ea parte erat, novis copiis, si quæ forte in auxilium Xechis mitterentur, excluderet: missus est cum eo certus homo à Vicario, qui promissa stipendia Mahamitis persolveret. Sancius, cum Mahamitæ aditum illum custodiendum in se recepissent, ad classem revertitur. Cum exercitus in stativis esset, Xeches intelligens, quam non suarum virium res esset cum Philippi exercitu contendere, quotidie certum hominem è castris mittebat: qui cum prope castra processisset, in conspectu exercitus vexillo albo, quod pacatorum animorum & petentium pacem signum est, in solo defixo, atque epistola ibi relicta, abibat. Confirmabat per epistolas Xeches, se sub imperio Hispani Regis esse velle, atque in verba illius jurare, tributumque persolvere paratum esse: quæ conditiones à Vicario spretæ sunt; qui hominem non conditionibus ab illo oblatis veluti æquo jure, sed prælio victum, legibusque à se latis imperio subjungere vellet. Cum usque ad dimidium mensem Martium in stativis fuisset, commeatibus, bellicisque machinis, & apparatibus in terram expositis, omnibusque rebus constitutis, castra movet; acieque instructa ad Mauros pergit: quam rem cernens Xeches animo fractus, atque à fortuna pugnæ experienda prorsus abhorrens, senem quendam, qui apud Christianos in servitute fuerat, Italiceque sciebat, ad Vicarium mittit. Is demissis precibus à Vicario Xechis verbis supplex petiit, ut se atque insulam sub imperium Regis Hispani, cum quo armis Xeches contendere nolit, accipiat: opidum enim è vestigio traditurum Xechem, atque interea, dum conditiones deditionis scribuntur, obsides daturum. Accepta est conditio à Vicario de consilii sententia; cum, mutato consilio, satius visum esset, voluntarium sub imperium accipere, quam armis subactum & invitum; majoremque fructum fore insulæ à cladibus belli integræ, quam incendiis & ruinis vastatæ. Xeches illico obsides, quos Vicarius nominavit, duos longe principes mittit, opidumque tradit, quod multis de caussis valida munitione cingendum Vicarius duxit: primum ut eo vinculo mobilia Maurorum ingenia constricta teneret, ac defectiones rem illis usitatam cohiberet: deinde ne posthac ea insula Piratarum receptaculum esset, qui loco peropportuno, brevique trajectu Melitæ ac Siciliæ littora, oramque Italiæ in Africam versam continentibus excursionibus infestam faciebant. Igitur muneribus inter nationes partitis, opus cœptum est; æmulationeque nationum studia accendente ita appropperatum, ut brevi munimentum ad eum statum perductum sit, ut esset ad oppugnationes sustinendas validum.

Interea triremium Præfecti, jussu Vicarii, annonam, ac machinas, & tormenta, reliquosque bellicos apparatus in arcem comportabant, quibus etiam negotium datum est, ut quinquagenos aquæ cados in singulos dies singuli inferrent; quod munus segniter ab illis administratum est; dum quæstui ac mercaturæ intenti oleum ac lanam in naves imponunt: quæ res in primis caussa fuit, ut opidum amitteretur: nec lætum sane Vicario illud tempus fuit; febres enim exercitum labore operis & regionis æstibus conflictatum (maxima enim Veris pars jam processerat) tentare cœperant; ex quibus multi quotidie decedebant. In tempore quattuor onerariæ supplementum, quod in insula Melita Vicarius scribi jusserat, adduxerunt, omnia summa militum contentione administrabantur: Vicarius operi assidue insistebat, qui mille delectorum præsidio castellum firmat: hisque Barahonam Magistrum exercitus præficit; diemque jurisjurandi dandi Xechi constituit: is fuit ante diem III. Non. Majas, qui dies cum venisset, Xeches in constitutum locum frequenti Procerum cohorte stipatus venit, qui locus à Christianorum castris aberat mille passuum intervallo. Ibi coram missis à Vicario Xeches sollemnibus conceptis verbis in verba Philippi jurat, conditionesque pacis scriptæ sunt: fuerunt autem *annuum stipendium sex millium scutatorum Regibus Hispanis perpetuo pendendum; camelus, quattuor struthiocameli, quattuor milvii, quattuor picæ, vexillumque, in quo erant Hispaniensia insignia, ter sustulit.* Verum Dux primi anni stipendium paupertati hominum condonavit.

Interea magnus Magister per celeres nuncios Vicarium certiorem facit, sese pro re explorata & comperta cognovisse, classem quadraginta triremium omnibus rebus instructissimam Constantinopoli paratam, mox è portu soluturam Tripoli subsidio missam, quam paullo post ordinaria classis consecutura sit, ad eam urbem, etiamsi amissa sit, recuperandam. Quo nuncio nihil permotus Cerda institutam munitionem pergit urgere, tamquam nihil de rebus navalibus sollicitus. At Auria vehementer subito nuncio perculsus cogitare cœpit, ad classem Regiam quadraginta triremium viginti piratarum triremes in itinere, ut minimum, sese aggregaturas: quibus si addantur duæ & viginti triremes, quas Dragutes Tripoli habebat, haud dubie tantam classem conjunctam, tantoque Christiana superiorem ad se invadendum illico venturam. Per nuncium igitur (nam ipse in lecto cubabat) Cerdam magnopere monet, ut, incœpta munitione in præsens omissa, ac sese ad meliora tempora reservans, copias in naves imponat, ex hisque locis discedentes imminenti procellæ se subtrahant, cumque hac classe tot egregiorum bellatorum copia referta Ægæum petant, classique Turcarum numero nondum auctæ se opponant, ac prælium committant, haud dubie tanto imparem victuri: metu auxilii Turcarum amoto tum vero Africam tuto repetituros. Nihil, quod salutare esset, auribus admittere Cerda, totus in munimento perficiendo animo & cogitatione defixus; in quod assidua nocturna & diurna opera commeatus, & annonam, cæterosque bellicos apparatus comportandos curabat, cum duas peramplas cisternas aqua repleri jussisset. Quin etiam ab Auria postulat, ut par-

partem classis in Siciliam mittat ad commeatus accersitos ac pecunias convehendas. Nimis periculosum dicere Auria, tanto imminente discrimine, classem separare, coactus tamen est incredibili Cerdæ contentione Vicecomitem Cicadam cum duodecim triremibus mittere: primo testatus, satius consilium esse jam ex eo tempore peditatum Hispaniensem Neapolim & in Siciliam mittere; quo in tutum recepto, tum vero sese eventum rerum exspectaturos, conatusque & incepta hostium rationem consiliorum suorum gubernatura. Sub discessum Cicadæ, cum nonnullæ ex his navibus, quæ ex Sicilia exspectabantur, venissent, iterum Auria Cerdæ, ut proficiscerentur, instare, cum non modo præstituta dies, quæ erat septimo Kalendas Majas, sed dies sexto Nonas Majas venisset. Cæterum spei perficiendi operis cupiditas insulæ Gerbis possessionem Regiæ Hispaniensi stabiliendæ admota ita obcæcabat animum, ut omnia ab eo consilio abhorrentia respueret: cum ecce duæ celoces à Vicario Regni veniunt veteranos Hispanienses in præsidium Regni, classe Turcica adventante, repetentes. Multo acrius profectionem instare Auria, qui haud exiguam quoque pecuniæ vim ad illum detulit, quæ in arce relinquatur; majorem sese illi confecturum promittens, simulatque Siciliam attigisset; perfecturumque se, ut eæ pecuniæ in arcem introducerentur; obsidibus, ea de caussa, qui in arce ipsa adservarentur, oblatis. Nihil ista, ut cætera, Cerdam moverunt, omnibus curis in munitionem ad exitum perducendam versum; cumque Auria nullum instandi finem faceret, pervicit tandem, ut partem peditatus in naves imponere inciperet.

Dum hæc à Christianis administrantur, Cicada è Sicilia reverso, ecce ante diem sextum Idus Majas celox à magno Magistro cum Equite Coponio missa ad Auriam tum in lecto, ut diximus, in Regia triremi cubantem venit, litterasque magni Magistri illi reddit: in quibus erat scriptum, prævalidam classem Turcarum duarum & octoginta triremium omnibus rebus instructissimam Nonis Majis sex ante datas litteras horis in littoribus Gozi apparuisse, itinere in Meridiem directo Africæ littora petentem. Cohorruit Auria atroci ac subito nuntio perculsus, illicoque Gumeranum, qui forte officii caussa illi assidebat, cum Coponio Equite, ac litteris magni Magistri ad Vicarium mittit, eumque consilia enixis precibus miscens etiam atque etiam hortatur & obsecrat, ut ille omnibus rebus omissis classem illico conscendat: ut eodem vestigio discedant, urgere tempus, neque exspectent, dum Turca, nisi ante lucem evaserint, sub adverso flatu venti sine ulla elabendi spe ipsos ad unum capiat: tanta autem esse classis momenta, ut consilio illius servandæ nihil sit prævertendum.

Nuntiis dimissis extemplo consilium Ducum, ac Primorum classis in Regiam puppim vocat, cui interfuerunt Sanctius Leiva Neapolitanarum triremium Præfectus, Berlingerius Rechesentius Sicularum triremium rector., Scipio Auria, qui triremes ab Antonio parente acceptas ducebat, Vicecomes Cicada magni in rebus navalibus usus & nominis. Ii, cum Auria, quæ magnus Magister scripserat, exposuisset, simul sententiam suam demonstrasset, ac veris & firmis rationibus confirmasset, ad unum sententiam Auriæ omnes improbant. Cum interea Gumeranus à Vicario reversus esset, renunciassetque Vicarium nullo modo discessurum, nisi copiis in triremes impositis, ac secum ductis: affirmabant enim dissentientes, classem nullo modo, neque postero, neque multis insequentibus diebus ad insulam Gerbim esse posse, quam à Turca ad Dragutem missam verisimile esse illum prius adituram, Ducesque classis cum illo capita collaturos, atque ex ejus præscripto omnia facturos. Declarare hoc iter in Meridiem, ut magnus Magister scribit, directum: quod Gerbim petentibus in Libycum flectendum sit. Refellere eos Auria, ac dicere, ut maxime primum consilium sit Tripolis petendæ, ac Dragutis conveniendi; non tamen illos ita supine desides fore, ut Christianorum classem tanto imparem sub adversum flantem ventum in itinere deprehensam sine ullo negotio capiendam omittant, ac tantam occasionem turpiter deserant: deinde ne magnetem quidem, ac nauticam acum re explorata certum atque indubitatum facere posse locum, quo classes appellant; cum perexiguus & vix sensibilis flexus in longo itinere cursum longe variet. Cum Auria in consilio acriter pugnaret, clamaret, Deum, hominesque imploraret, classem Turcis prodi, seque ejus culpæ exsortem testaretur, ac tandem magis tolerabilem eorum sententiam diceret, qui, ut sese cum corbitis ad pugnam pararent, suadebant: quamquam ne hoc ipsum quidem consilium probaret in utramque partem infelix, sive pugna à Turcis vincerentur, sive in locis illis angustis obsessi deditionem facere cogerentur. Contra igitur Auriæ sententiam decretum est, ut nonnullæ triremes sub orientem solem in altum evehantur, ac, si nulla Turcarum classis apparuisset, tum vero per otium in copias in classem imponendas operam ponerent. Consilio dimisso, Auria eumdem Gumeranum ad Vicarium mittit, eadem consilia, easdemque preces iterans. Quibus nihil motus Vicarius in Regiam puppim circiter mediam noctem venit, affirmans sibi stare sententiam relictis copiis non discedere; sesèque hoc illis promisisse, ac nescire, quo ore, si fidem datam fallat, in illorum conspectum sit venturus. Cui Auria, &, si classem, Dux, inquit, in manum hostium prodideris, quo tandem ore in conspectum Philippi, & Italorum, atque Hispanorum venies? Nimis properum promissum fuit: classe enim servata, copias, quas relicturus es, & cætera omnia servas, assiduis supplementis & subsidiis à classe subinde vehendis. Nihil ea moverunt Cerdam: qui dato mandato corbitis, ut continuo discedant, imperat Auriæ, ut duabus ante lucem horis cum tota triremium classe, una tantum triremi sibi ad subita relicta, altum petat, solisque ortu exspectato, si nullæ Turcarum naves ab ipso conspiciantur, tum vero ad copias in naves accipiendas revertatur: scaphasque ea de caussa omnes sibi relinqui jubet.

Auria, cui suum probare, alienum consilium sequi necesse esset, jussa impigre exsequitur; quem ad præstitutam horam motum cætera classis consequitur. Cum secundus ventus aliquandiu Auriæ flasset, cælo albescente in adversum mutatus est tanto impetu, ut non modo Auria ejus vim remorum connixu eluctari non posset; sed proram convertere coactus sit; vixque dum certa luce hostilem classem in se sub adverso flatu venti deprehensum plenis velis tendentem cernit. Tum ingemiscens, haud ignaro, inquit, exitium imminet: vicit temeritas consilium. At omnes, qui erant in classe, subito metu trepidi ac consilii inopes, cum nulla effugii spes ostenderetur, triremes partim scopulis illidunt, partim in littora ejiciunt, partim ab hostibus capti ac nonnulli depressi sunt; cum ex tota classe, quæ fuit duarum & quadraginta triremium, decem septem tantummodo manus hostium evaserint, reliquæ viginti octo varia peste perierint. Cæterum Auria, cum Regia ad arcem se applicavit: quam tamen prope subire non potuit, humili vado altitudinem alvei Regiæ non ferente.

Auriæ Cerda præsto fuit: *Ac Joannes Andrea*, inquit, *quem unum hodiernæ cladis insontem Deus in primis respicere debet, quique inter omnes errantes sapuisti, quid mihi auctor es?* Cui Auria, *Terrestres* in-

inquit, *res tui consilii & imperii sunt, mihi, quod ad navales attinet, certum est celocem actutum conscendere, Messanamque petere: ibi reliquias cladis colligere.* In eamdem voluntatem descendit Vicarius; quamquam consilium primo nimis audax videbatur. Multis locis Sandius Carolo Cæsari ac Philippo filio Regibus suis fortem ac fidelem operam navavit, nullusque omnino fuit nostra ætate de Hispanis Proceribus, qui plura egregiæ fortitudinis, audaciæ, consilii opera ediderit. Illud fuit eximium virtutis atque animi magnitudinis specimen, quod, cum ipse una cum cæteris principibus periculo se subtrahere posset, neque ullum suum esset defendendæ arcis munus, Rempublicam ac Regis sui commoda privatæ saluti anteposuit: seque ipse in voluntariam perniciem obtulit. Nam, cum Dux illum cum cæteris Primoribus ducere secum vellet; *Ne istud*, inquit, *Christus immortalis, Virgoque mater sinat; ut tot fortissimos milites ac miseram turbam Christiani nominis necessitudine nobis conjunctam in tanto discrimine deseram, ac non cum illis quamcunque fortunam subeam. Ego-ne ut patiar tot Christianos homines sine Duce Turcis trucidandos projici? quam conveniens hoc meis antefactis fuerit? quid? parva-ne hic Regis nostri, atque illius Regnorum res agitur? quid enim futurum est, si Pialis arcem hanc expugnarit? an dubitamus, quin ille duplici victoria navali & terrestri elatus & inflatus Siciliæ ac Regni Neapolitani littora sit tentaturus? In quibus cum multa sint opida præsidiis nudata, atque ab omnibus necessariis rebus imparata, quis non videt, illum omnia, quæcumque adierit, loca extemplo in suam potestatem redacturum? distinendus igitur hic est lento bello, tibique, Dux, interea tempus ad comparandum, atque ad suspecta loca munienda, præsidiisque & bellicis apparatibus firmanda dandum: cui rei ipse me ac caput meum devoveo; in meque recipio, si Pialis arcem oppugnatione capere aggressus fuerit, haud minoribus cladibus audaciam illi staturam, quam quibus ipse nos affecerit: quod si obsidione nos expugnandi consilium ceperit, eam ego ita extraham, ut per otium tu interea omnia in tutum redigas. Cum ad extremum perventum fuerit; commeatibusque deficientibus jam ultra obsidio sustineri non poterit, audaci eruptione tanto impetu illum invadere in animo habeo, ut aut clara victoria, aut decora & memorabili morte bellum finiam: eaque detrimenta illi me reddi turum spero, ut flore ac robore copiarum amisso, ita enervatus ex hac insula discedat, ut præclare secum actum putet, si Constantinopolim classem incolumem reduxerit; nedum ille audeat Christiana littora tentare: est quidem Barahona, quem rebus præfecisti, vir impiger ac strenuus: verum tanta moles incumbens majori viro est sustinenda, cujus auctoritate tanta hominum multitudo pavore consternata, ex tamque multis nationibus collecta regi possit, cum præsertim tot dura perferenda sint; ac non modo cum hominibus, sed cum fame, & siti, ac pene cum natura ipsa pugnandum.* Virtutem miratus Dux, ingentibusque laudibus prosecutus summum imperium homini, ut postularat, mandat; seque, cum in Siciliam venerit, spondet, omni cura, omnique contentione incubiturum in triremes, quæ ex naufragio superfint, colligendas, omnesque Philippi classes undique contrahendas, ac novas copias scribendas; omnia denique summa facturum, ut quamprimum subsidio veniat, illumque obsidione & periculo eximat: quod idem magnus Magister postea per litteras ac nuncios Sandio confirmavit. His promissis Sandio confirmato, Dux, ac Joannes Andreas cum Primoribus, qui ex naufragio & clade reliqui fuerunt, septem celocibus conscensis silentio discedunt, incolumesque in Melitam perveniunt.

At Sandius omni adhibita contentione, nocturnamque operam ac laborem diurno continuando, commeatus ac bellicos apparatus, qui passim in littore strati jacebant, in arcem comportare, fossas ad majorem altitudinem deprimere, loca debiliora ac magis suspecta firmare, reliquaque ad tantam in se intentam molem sustinendam expedire instituit: novamque munitionem ante fossam ducit, qua milites protecti in fossa versentur. Conjunxit se cum Bassa statim Dragutes haud contemnendis pedestribus & equestribus copiis adductis, partim ex urbe Tripoli eductis, partim ex finitimæ Africæ oræ circumjectis locis contractis: paucisque post appulsum diebus omnes copiæ expositæ sunt, arxque circumsessa. Multi ex Primoribus Sandio auctores fuerunt, ut acie instructa, hostes, dum in terram exscenderent, incompositos atque improvisa re turbatos, ac trepidantes invaderet, ac fortunam pugnæ experiretur: sæpe per ejusmodi occasiones magnas copias à parva manu fusas ac deletas; periculosam illam quidem, verum unam esse salutis expediendæ viam: intelligere se non esse cauti ac sapientis Ducis copias numero tanto inferiores in aciem producere, atque hostibus tanta multitudine superantibus veluti trucidandas objicere: verum incidere sæpe tempora, in quibus audacia consilia cautis sint anteponenda: consilium igitur illud non se, sed rem ipsam, atque omnium rerum desperationem dare, omni alia certissimæ pestis vitandæ via præcisa: nam si se in arcem includi atque obsideri patiantur, quem alium finem exspectandum, quam ut fame, siti, laboribus, vulneribus confecti, ad extremum commeatibus in victum deficientibus, qui in breve tempus præparati sint, in manus immanium Barbarorum veniant, vel crudeliter jugulandi, vel in æternam servitutem morte ipsa longe tetriorem abducendi? Quid enim classe amissa, cum alia in multum tempus refici non possit, exspectandum? pennis-ne in sublime elatas peditum atque equitum nubes subsidio venturas sperandum, à quibus obsidione eximantur? Magnopere igitur se suadere, omni alia spe salutis adempta, ut illam, quæ reliqua sit, tentet; cum præsertim consilium in utrumque casum probandum sit: nam si secunda pugnæ fortuna fuerit, virtute, quam omnes nationes mirentur, egregiaque victoria tantum periculum discusserint; si adversa, nihil damni fieri: nihil enim aliud, quam lucis hujus usuram duorum mensium amitti: quod damnum illo ingenti lucro compensetur, quod mortem ignominiosam, aut teterrimam servitutem decora morte, quam nullus vir fortis umquam recusarit, repræsentarint.

Quæ monita quamquam haud ex toto vana intelligebat Sandius, multa tamen hominem ab eo consilio deterruerunt: nam primum apertis & patentibus campis ad hostem pergendum erat, ut nulla esset fallendi spes; neque dubium esset, quin Turcæ, Christianis ad se tendentibus procul conspectis, tempus habituri essent ad se expediendum, & ad pugnam aptandum, valida sclopariorum manu præmissa, quæ Christianorum iter, dum ipsi aciem instruunt, moraretur. Turcis porro ad pugnam instructis, quid aliud exiguas illas copias quam jugulandas dari? neque enim plus tria millia bellatorum erant, cum reliqua imbellis turba duo millia essent: manu porro conserta, si omittere pugnam vellent, nullus erat peditibus in arcem receptus: quæ tria millia passuum aberat: Turcas igitur copiis deletis arce illico potituros. Hoc vero erat consilio, quo remanserat Sandius, in primis adversarium longa oppugnatione Turcas distinendi, tempusque gerendarum rerum, atque omnem æstatem illis eximendi; ut interea spatium Christianis ad comparandum, ac muniendum, resque firmandas daretur: ea se de caussa in insula Gerbi remansisse, ac Rempublicam privatæ saluti anteposuisse. Igitur Primores solatur ac spe præsidii confirmat, quod à Duce promissum non sit desperandum: cum præsertim

tim facultas non desit. Ad triginta enim triremes Philippo superesse, quæ ut tempore æstatis ad navigandum aptissimo nullo negotio, brevique contrahi possint: quibus magna onerariarum vi adjuncta, quarum in Sicilia & circumjectis littoribus ingens semper sit numerus, subsidium vehi possit, ipsique obsidione eximi. Quare, reliquis cogitationibus depositis, omnem virium conatum in arcem defendendam esse conferendum.

Non est operæ universam historiam scribere aggresso singula hujus obsidionis stilo persequi: quæ atrox in primis & memorabilis fuit, in qua virtus & constantia Sandii quam maxime enituit: cui non cum hoste modo, sed multo magis cum suis, ac cum cælo, & ipsa rerum natura pugnandum fuit. Nam acres & crebras oppugnationes sustinuit, & continenti verberatione muri sæpe prostrati sunt, & turribus à Turcis excitatis, quæ Christianorum munimentis altitudine exstabant, sagittarum veluti densissimæ nubes intra arcem assidue ingerebantur, quibus milites, qui in continuo opere erant, vulnerabantur & exanimabantur: & Turcarum munitionibus prolatis, atque cum fossa arcis continuatis, quæ Turcas à supernis ictibus tegerent, tota in circuitu arx suffossa est. Verum alia longe major dimicatio fuit: nam intolerabilibus æstibus ut in caniculæ diebus, atque in calidissimis Africæ regionibus, assiduoque operis labore milites conficiebantur: sed nulla major erat, quam sitis pestis in summa aquæ penuria, cujus exiguum modum, cumque salsa immixtum militibus admetiebantur. Augebat acerbitatem, quod caseo, ac carnibus, & reliquis cibis salitis, quæ sitim accendebant, vescebantur, ut multi cum aliis malis, tum vero hac in primis peste vulgo deficerent. Nonnulli reperti sunt, qui necessarium sibi alimentum subtraherent, ut sitim, quando aquæ non possent, inedia sedarent: quæ res nonnullos ad summam imbecillitatem ac tabem perduxit. Quibus rebus factum est, ut, vi malorum pudorem vincente, multi ad Turcas luce ac palam transfugerent, cum diligens Ducum opera in illis retinendis eluderetur: quæ res eo tetrior ac miserabilior erat, quod ii, qui transfugiebant, illico ab hostibus in Christianorum conspectu ab arce spectantium vinciebantur, ac remo addicebantur: quo tamen spectaculo transfugia haudquaquam cohibebantur, hominibus horribilem atque æternam servitutem brevi sitis cruciatu leviorem ducentibus. Adversus quæ omnia mala virtus Sandii invicta stetit, qui tres circiter menses tot angustiis circumventus obsidionem extraxit.

Ad extremum aqua deficiente, cum ultra durari non posset, Ducibus, ac Primoribus, & militibus convocatis, qui ex tanto numero ad octingentos redacti erant, cum reliqui varia peste periissent, iniquitatem rerum lamentatus est, hortatusque, ut pristinæ virtutis memores tot egregia gesta præclaro exitu concluderent, animosque secum ad mortem virtute, hostilique sanguine honestandam præpararent: quibus verbis accensos silentio noctis è castris eduxit; hostiumque munimenta intravit. Jamque ad interiora tentoria penetrarat, in quibus Bassa ipse cubabat, consopitosque hostes nactus magnam illorum cædem editurus fuerat; cum, Turcis excitatis, ac trepidantibus, in variasque partes discurrentibus, respiciens se à suis in tumultu cum duobus tantum comitibus desertum cernit: quare pavorem & ignaviam suorum exsecratus per viam ab uno ex comitibus commonstratam sese sub arcem à parte maritima recipit, in triremesque, quæ ex naufragio reliquæ ad arcem devinctæ erant, conscendit, qui paullo post magna scapharum vi armatis refertarum ad eum locum à Turcis missa circumventus ad Bassam adductus est: qui hominem honorifice ob virtutem acceptum assidere jussum bono animo esse imperat: omnem enim honorem & pretium illius virtuti apud summum Imperatorem fore, si operam illi navare in animum induxerit. Constantinopolimque adductus; honorificisque conditionibus illi à Turca delatis, si sub signis suis stipendia facere vellet, repudiatis, in carcerem est inclusus, à quo tamen paucis post annis liberatus est. Qui in arcem fuga se receperunt milites, Sandio capto, è vestigio nonnulla prius pacti deditionem fecerunt: conditionibusque à Turca non servatis in miseram servitutem omnes fere abducti sunt. Hicque fuit infelicis Expeditionis finis.

VBERTVS FOLIETA,

PATRICIVS GENVENSIS,

DE EXPEDITIONE PRO ORANO, ET IN PIGNONVM.

CVM urbs Oranum Hispanorum Colonia, quæ est in Africæ ora è regione Carthaginis novæ, Regno Cirthæ gravis accola esset, finitimamque regionem assidue infestam faceret, Rex pestem visceribus hærentem ex Africa expellere constituit, in eamque Expeditionem cum viginti octo triremibus partim majoris, partim minoris formæ, & nonnullis omnis generis navibus, haud contemnendisque terrestribus Maurorum & Turcarum copiis profectus Marzachebiro copias prius admovet: quod opidum ab urbe Orano terrestri itinere quattuor millia passuum distans, cum maritima longe brevior sit via, quingentorum Hispanorum præsidio tenebatur, Martino Comitis Alcaudetis, qui urbi & regioni præerat, fratre præfecto. Est autem Marzachebirum in lingua, cujus paullum inflexus procursus sinum facit, ducentos & quinquaginta cir-

circiter passus introrsus retractum: in cujus linguæ angulo parvula quædam insula est exiguo spatio à continenti disjuncta: multi circumpositi huic opido imminent colles; à quibus bombardarum ictibus est obnoxium. Id incommodum ut vitarent Hispani, castellum in uno collium, cujus altitudo cæteris exstabat, excitarant; præsidioque firmarant: quod castellum Rex primum omnium expugnare est aggressus. Qui erant in præsidio; cum aliquot dies impetum hostium sustinuissent, nec jam pares essent, propugnaculis decussis, colleque quodam proximo, qui colli, in quo erat castellum ædificatum, imminebat, à Barbaris occupato, unde maxima detrimenta accipiebant; nocte castello excedunt; seque in opidum recipiunt. Rex castello potitus extemplo opidum aggreditur; insulaque angulo proxima octingentorum armatorum præsidio firmata, ut ab ea parte aditum subsidiis intercluderet, multis ex partibus opidum quatere instituit: cumque à planitie opido proxima munitionem anteriorem à Christianis ædificatam prostravisset, ea res Christianis in bonum vertit: strages enim diruti muri usum aggeris obsessis præbuit, eamque opidi partem veluti munimento firmavit: quare cum ab ea parte nihil proficeret, proximum murum quatere incipit; cujus haud exigua parte decussa, hostes per patefactum ruinis locum sæpe magno impetu opidum sunt aggressi, & à Christianis egregie se defendentibus repulsi: qui ictibus bombardarum præsertim è superioribus locis emissis aperti & expositi murum interiorem duxerant transversis muris à latere firmatum, solumque multis in locis excavarant; muroque ac cavis latentes minus ab ictibus bombardarum lædebantur.

Quibus rebus cognitis, Philippus haud cunctanter auxilium ferendum ratus, ejus Expeditionis Franciscum Mendozam Ducem creat; atque, ut, necessariis rebus comparatis, quamprimum proficiscatur, imperat. Simul Joanni Andreæ Auriæ scribit, ut, quantis plurimis possit navibus in Italia coactis, in Hispaniam protinus veniat; ac cum Francisco conjunctus in Expeditionem proficiscatur. Jam ante acceptas Regis litteras Auria obsidione Orani audita Neapolim se contulerat, ut naves ea de caussa undique contraheret; quibus coactis in Hispaniam iter intendit: cæterum adversis tempestatibus multis locis subsistere sæpe coactus est. Tandem idoneam tempestatem ad navigandum nactus è Balearibus Insulis solvens oram Hispaniæ tenuit: atque in urbem Barchinonem exscendit. Ibi Mendozam offendit ea, quæ ad Expeditionem pertinebant, sedulo comparantem: qui diplomate Regio, quo Dux creabatur, Auriæ ostenso postulat, ut se ac vires ex Italia advectas secum conjungat: prius se conventurum Regem Auria respondet; magnisque itineribus in Regiam contendit. Rex honorifice acceptum & appellatum Auriam mirari vetat, si non illum Ducem creasset: instans enim Orani periculum, cujus opidi salus in una celeritate verteretur, sibi hominem, quem præsto habuerit, eligendi necessitatem imposuisse, cum ipsius ex Italia adventus serior existimaretur: nec res dilationem ferret. Creato porro imperium abrogari nimis injuriosum esse: proinde postulat, ut rem æquo animo ferat, haudque retractanter sese cum Mendoza conjungat: in ipsius enim virtute ac navalium scientia omnem secundi exitus spem habere. Excusationem haudquaquam fucatam, aut commentitiam, sed à re ipsa profectam æquo animo accipit Auria, cum illud quoque à Rege impetrasset, ut sine ullo honoris titulo, omnique procuratione solutus tamquam in voluntaria militia privatam operam in ea Expeditione navaret; triremesque suas Pagano fratri ducendas tradere sibi liceret, ad quem mandata Regia deferrentur. Rexque insuper idem ipsi vicissim imperium in triremes Mendozæ ultro detulisset, si quis classis in Italia augendæ usus aliquando fuisset: qui insuper Mendozæ imperat, ut Auriam quamquam privatim militantem ad omnia consilia adhibeat.

Qua Regis benignitate mitigatus Auria, commeatu accepto Carthaginem novam petit; quo paullo post Mendoza, & omnis classis, ac terrestres copiæ convenerunt: fuerunt autem tria peditum millia præter Proceres, & nonnullos nobilitate præstantes viros Hispanos, atque etiam Italos sponte in eam Expeditionem profectos: classeque conscensa, quæ fuit quinque & triginta triremium, cursum Oranum dirigunt: duorumque dierum navigatione eo processerunt, unde præaltum montem, ad cujus radices Oranum urbs est, in conspectu habuerunt: confestimque jussu Mendozæ vela more nautico demissa sunt, ac mali refixi & summissi, ne procul ab hoste conspicerentur, Auria adversante ac contendente, id sine ratione & ante tempus fieri: neque enim se ita terræ appropinquasse, ut illud periculum sit: quare ulterius procedendum fuisse, aliquantumque itineris ante noctem præcipiendum.

Sub vesperum de ratione hostis invadendi disputatum est; ac de sententia Auriæ constitutum, omni contentione connitendum, ut classem hostilem saltem, cum dilucescere inciperet, improviso deprehensam adoriantur: eam esse in primis aptam horam, tardiorem ipsos detecturam, atque omnem conatum irritum facturam: ratio etiam itineris faciendi præscripta est. Igitur primis tenebris malis erectis ac velis datis iter persequuntur. Paullum processerant, cum jussu Mendozæ ratio itineris mutata est, paullumque ad Orientem iter flexum, Auria reclamante, ac Deûm & hominum fidem testante, bene inchoata consilia sine caussa mutari, ea navigatione seriorem ipsorum adventum fore: ac sic occasionem rei bene gerendæ è manibus emissum iri: quod & factum est. His enim duabus de caussis, & navigationis nocte mutatæ, & quod die nimis properatum est in velis demittendis ac malis proclinandis, cursus ita retardatus est, ut prima luce procul ab Orano duodecim millia passuum abessent: quare procul in alto conspecti tempus Mauris dederunt fugæ præcipiendæ, qui ea hora improviso, ac trepidantes à Christianis animo ad pugnam præparato deprehensi profecto satis temporis non habuissent ad armamenta componenda, seque navigationi aptandos. Ita sapientibus consiliis Auriæ spretis, egregia occasio hostilis classis aut omnis, aut majoris partis capiendæ ac delendæ è manibus emissa est; Maurorumque classis fugam extemplo cepit. Idem fecit Rex terrestri itinere castris subito per summam trepidationem incensis; nonnullisque machinis partim relictis, partim vel concrematis, vel demersis. Ita Oranum obsidione ereptum est. Orano liberato classis in Hispaniam rediit; complures que Duces ac Proceres in sua reversi sunt.

Cæterum cum tempus gerendarum rerum nondum exiisset, Philippus alteram Expeditionem in Africam facere decrevit, arcemque opidi, quod Veles vocatur, in scopulo sitam, quod vulgo Hispani Pignonum vocant, tentare: quæ receptaculum piratarum esset, ex qua illi in circumjecta maria assidue excurrentes Hispaniæ littora infesta faciebant; prædasque navium & hominum agebant: cum fretum quoque Herculeum, cui arx propinqua est, exire jam auderent; ac commeatus ex India venientes sæpe interciperent: quam rem, & Hispaniæ in primis damnosam, & sibi in tanto imperio turpem intelligebat. Felicis exitus spes posita erat non tam in apparatibus, qui satis tenues erant, quam in verbis Petri Vanegæ militiæ Præfecti.

fecti. Is confirmarat, se per duos Christianæ religionis desertores occulta consilia cum nonnullis in arce habere arcis subito tradendæ, si navis silentio noctis ad promontorium appellatur, quæ scalas deferat. Quare Philippus eidem Mendozæ hujus quoque Expeditionis Duci creato imperat, ut cum classe, quam habeat, eo illico contendat. In Mendozæ postea morbo impliciti locum Sanctius Leiva suffectus est, qui cum classe profectus cum Pignono appropinquasset, partem classis præmittit, ac cum eo Vanegam, & duos desertores; qui nocte navicula ad promontorium appulsa, pro eo ut intra arcem acciperentur, bombardarum ictibus excepti sunt. Igitur spe, qua in primis inductus venerat, frustratus Leiva exscensionem tamen fecit, ut omnia expertus videretur, ac, si qua occasio rei bene gerendæ forte oblata esset, eam ne prætermitteret. Verum mox intellexit, majoris certaminis, majorumque virium, quam earum, quas adduxerat, rem esse. Igitur classe iterum conscensa, nulla re tentata, in Hispaniam revertitur.

VBERTVS FOLIETA,
PATRICIVS GENVENSIS,
DE
ALTERA EXPEDITIONE IN PIGNONVM.

PHILIPPVS nullam Expeditionem Hispanis utiliorem, aut gratiorem iis de caussis, quas alio loco diximus, in præsentia intelligens, arcem Pignoni superioribus annis frustra tentatam majore conatu repetendam decrevit. Igitur Garsiæ Toleto, quem Præfectum classium crearat, cuique summam maritimarum rerum detulerat, mandat, ut omnibus rebus sedulo comparatis in eam Expeditionem quamprimum eat. Ille imperata impigre facit, Barchinoneque profectus in Italiam contendit. Ibi classibus Philippi ex omnibus Italicis Regnis, ac simul Ducis Sabaudii, Genuensium, Ducis Florentiæ, Ordinis Hierosolymitani contractis, ac mille quadringentis veteranis Hispanis ex præsidiariis Regni Neapolitani, Annibaleque Altempsio cum legione Germanorum, quam jussu Philippi scripserat, in naves impositis, in Hispaniam revertitur, atque ex urbe Barchinone reditus sui Regem certiorem facit, seque Malacam confert, Præfectisque classium in multas partes Hispaniæ circummissis ad naves & necessarios apparatus contrahendos, ipse in ea urbe, quæ in Expeditionem necessaria erant, comparare & expedire instituit.

Brevi omnis Philippi & sociorum classis in ejus urbis portum convenit: fuerunt autem triremes omnino nonaginta quattuor numero; quarum viginti sex sociorum erant, reliquæ ipsius Philippi, minoraque navigia, quæ remo aguntur, quattuordecim: ad hoc onerariæ sexdecim, quæ commeatus, & bellicas machinas, atque apparatus veherent: terrestres vero copiæ peditum decem millia, ac centum quinquaginta equites. Adfuit & haud contemnendus insignis nobilitatis virorum numerus partim Italorum, partim Hispanorum; unaque complures Hierosolymitani Ordinis Equites spectatæ virtutis. Hi omnes voluntariam militiam professi erant; Italique Chiappinum Vitellium Ducem habebant, quem Garsias Magistrum exercitus creavit. Bombardæ murales decem octo, ac nonnullæ campestres; magnaque omnis generis bellicorum apparatuum & commeatuum vis. Ad hoc non exiguus jumentorum numerus, quibus commeatus ac bellicæ machinæ à mari, si usus postulasset, in interiorem regionem subveherentur.

Cum his terrestribus & navalibus copiis Garsias in exitu Augusti mensis è portu Malacæ solvit; secundaque navigatione usus biduo littus Africæ tenuit, prope à Pignono quinque passuum millia: quem locum incolæ *Turrim Alcala* appellant; copiisque & bellicis machinis, reliquisque apparatibus & commeatibus expositis, castellum eo in loco ædificat atque communit; præsidioque quattuor signorum militum imposito omnem annonam, omnesque commeatus in illo includit; ex quo tamquam ex horreo necessariæ res jumentis ac navibus subinde ad exercitum subveherentur. Triduo in iis rebus administrandis commoratus ex eo loco agmine composito movit; urbemque Veles petit. Primum agmen dimidia pars Hispanorum erant, ac cum illis Hierosolymitani Equites, quod Sanctius Leiva ducebat, in eoque erat Chiappinus Vitellius, quod ejus muneris esset castris locum deligere. Medii erant reliqui Hispani ac Lusitani à Rege Portugalliæ missi, quibus præerat Franciscus Baretus Lusitani auxilii Præfectus. Postremi Germani sequebantur; quibus additi sunt quadringenti sclopari Hispani. His præfectus est Jo. Andreas Auria, qui omnia circumspiceret, ac, si qui labore ac tædio viæ deficerent, aut à signis dilaberentur, eos ad ordines cogeret redire: ad hoc si quis tumultus à Mauris lacessentibus increpuisset, provideret, ne ordines turbarentur.

Aliquantum itineris processerant, cum circiter quingenti pedites Mauri, ac quadringenti equites apparuerunt, qui cum primum agmen attingere non auderent, quod quinquaginta sclopi majoris formæ illud antecederent, ac campestres bombardæ subsequerentur, postremum agmen carpere ac lacessere modo accedentes, modo refugientes sunt aggressi. Cum his continenter dimicatum est, Auria fortem atque indefessam operam navante, majore cum Maurorum quam Christianorum detrimento. Perventum tandem est ad urbem à loco,

co, unde moverunt, ſex millium paſſuum intervallo diſtantem: quam habitatoribus vacuam inventam præſidio occupant; Vitelliuſque, loco caſtris delecto, ad ſitum Pignoni ex propinquo cognoſcendum procedit. Muralium bombardarum ſubvehendarum maritima via brevior quamvis periculoſior magis placebat: ipſam enim arcem prætervehenda erant navigia: quod negotium, ac ſimul bombardas ſtatuendi, & opidum quatiendi Auriæ datum eſt; cujus auctoritas facilius ac minus retractanter nauticos ad pericula ſubeunda eſſet impulſura.

Eſt autem Pignonum parvum promontorium, non amplius trecentos paſſus in circuitu ambiens, in littore Africæ Mauritaniæ è regione urbis Malacæ ſitum, procul à freto Herculeo centum millia paſſuum, à continenti freto quinquaginta circiter paſſus disjunctum; undique præruptum, ut nullus ſit ad cacumen, in quo opidum eſt, aditus, præter anguſtæ inter abſciſſas rupes ſemitæ arduum ac perdifficilem adſcenſum: mœnia turriculas ac pinnas habent antiquo munitionum genere: fretum interjectum decem triremibus tutam ſtationem præbet. Omnibus rebus ſatis inſpectis, bombardiſque adductis, locus leniter faſtigiatus, ut maxime aptus, delectus eſt, caveiſque aggere refertis, ac bombardis poſitis arx totum diem à terreſtri & maritima parte continenter quaſſata eſt; propugnaculaque decuſſa: verum miſſis, qui ſtragem factam ex propinquo ſpecularentur, intellectum eſt, majore cum fructu arcem quaſſatum iri, ſi bombardæ in collem arci imminentem tranſlatæ eſſent: quæ res magni ac perdifficilis operis erat. Auria munus illud ſibi depopoſcit: ſed ſupervacaneus conatus fuit: proxima enim nocte præſidiarii duabus ſcaphis, quas in freto præſto habebant, ſilentio opido exceſſerunt: quare à transfuga nuntiata, præmiſſus eſt Auria, qui certa & explorata referret. Is cum nimio ardore provectus proxime murum ac portam pridie verberatam ſolus ſubiiſſet, tres Mauros obvios habuit nutu deditionem ſignificantes, quorum duobus ad Garſiam miſſis, ipſe cum circiter duodecim militibus, qui interea ſeſe cum illo conjunxerant, primus arcem ingreſſus eſt: cui perpauci illi, qui reliqui erant, Turcæ ad triginta numero ſeſe tradiderunt: Garſiaſque arce natura loci munitiſſima uno die potitus eſt; quam rem longæ ac difficilis oppugnationis, magnique certaminis fore animo præceperat. Garſias arcem quadringentorum Hiſpanorum præſidio, machiniſque & reliquis neceſſariis bellicis apparatibus firmat; formamque novæ munitionis, qua arx erat firmanda, à Vitellio deſcriptam ad Regem mittit.

Reditus ac conſcenſus in naves paullo infeſtior fuit. Sariffus enim cum magnis pedeſtribus & equeſtribus copiis venit; ac prope à caſtris conſedit; caſtraque ſæpe fruſtra tentavit, cum omnes colles atque edita circa loca Chriſtianorum præſidiis tenerentur: eaque de cauſſa in diſceſſu Chriſtiani ordinem agminis mutarunt: præmiſſique ſunt tirones ac ſubitarii Hiſpani, quibus minimum fidebatur: hos ſequebantur Germani: poſtremum agmen veterani erant Hiſpani, quibus additæ ſunt duæ validæ ſclopariorum alæ, ac cum illis Vitellius, cujus conſilium & virtus ad omnia ſubita præſto eſſet. Simul Auriæ delecta militum manus attributa eſt; ipſique negotium datum, ut omnia circumſpiciens provideret, ne in conſcenſu aliquis tumultus excitaretur, ſi quid Mauri forte moviſſent. Primi jam ad mare pervenerant ac conſcendere cœperant, cum ſubito ingens numerus Maurorum peditum miſſilibus armatorum ſe ex ſuperioribus locis dejicit, poſtremumque agmen invadit, ita obſtinatis animis, ut ſæpe virtute Chriſtianorum in illos converſorum repulſi iterum reverterentur, ac Chriſtianos premerent, nonnulloſque interficerent. Eodem tempore magna pars equitatus è collibus deſcendit, validamque impreſſionem in ſclopariorum alas dat, cui illi cedere coacti ſunt; pedemque referre incipiebant; Mauriſque inſtantibus & prementibus haud dubie in fugam verſi fuiſſent, atque ab ea parte ignominia accepta eſſet; ni virtus Vitellii res inclinatas ſuſtinuiſſet. Is circum diſcurrens fugientes reprehenſans, ac ſiſtens, & in prælium reverti cogens hortando, Deûmque, & hominum fidem obteſtando, fugam repreſſit & pugnam reſtituit. Eodem tempore Garſias delectam loricatorum manum laborantibus ſclopariis auxilio mittit: diu & acriter cum Mauris pugnatum eſt; mutuæque impreſſiones ſæpe datæ, quibus modo hi, modo illi cedebant. Virtus Auriæ conſpecta in primis eſt. Is cum locum quendam editum occupaſſet, ut ex eo laborantibus præſidio eſſet, à Mauris circumventus, ac cum paucis relictus proximus extremo periculo fuit, cum equo ſuffoſſo ad pedes deſcendere coactus eſſet: quod periculum virtute & audacia diſcuſſit: cuneo enim facto per ipſam Maurorum aciem audacia obſtupefactorum erupit; incolumiſque ſe ad ſuos recepit. Tandem Mauris repulſis, cum per totum pugnæ tempus primi, ac qui poſt illos deinceps inſequebantur, claſſem numquam conſcendere intermiſiſſent, omnes conſcenderunt, circiter ducentis in prælio amiſſis; cum de Mauris longe major numerus cecidiſſet. Cæterum Sariffus, & ante profectionem, & in itinere, & pugna accenſa, & in ipſo claſſis conſcenſu, totoque biduo, quo claſſis, poſtquam copiæ conſcenderunt, adverſa tempeſtate in littoribus Africæ retenta eſt, per nuncios ac caduceatores de pace & compoſitione agere numquam intermiſit: cum Garſias nullam pacis conditionem propoſitam auribus admiſiſſet, qui tempeſtate ad navigandum apta tandem facta ſolvens ſecundo curſu Malacam incolumis appulit.

At Rex iis, quæ geſta erant, cognitis, per litteras ſuas Garſiæ operam & diligentiam laudavit; Auriæque & Vitellio gratias egit, quorum virtus & induſtria ea in Expeditione maxime enituiſſet, egregiæque navatæ ab illis operæ ſeſe memorem fore affirmavit.

VBER-

VBERTVS FOLIETA,

PATRICIVS GENVENSIS,

DE EXPEDITIONE TVNETANA.

Expeditio Tunetana tractu quidem brevis, confectu facilis, exitu felix fuit: cæterum bene rei gestæ lætitia cito in luctum & dedecus vertit, partim alicujus ex defensoribus ignavia, partim socordia nostrorum Procerum lente ac negligenter res administrantium, ac promissa hominum & bellicorum apparatuum subsidia tarde ac maligne submittentium. Eam historiam nunc ordiri pergam. Joannes Austrius, fœdere soluto, curam in usum societatis præparatam Tunetum convertit: quam urbem paucis ante annis, Amida Rege ejecto, Turcæ occuparant, haud parvum operæ pretium fore ratus ejus urbis recuperationem, cujus possessio Turcis stabilita, periculum esset, ne secum traheret arcem Guletæ tantis hominum & pecuniarum impensis, tantaque dimicatione à Carolo parente omnibus Regnorum suorum viribus connixo expugnatam, ab eodemque amplificatam, & valido munimento firmatam; ex eaque capta gradus fieret Turcis ad Regnum Neapolitanum, Insulasque Siciliam & Sardiniam invadendas. Animos Joanni faciebat navalium & terrestrium copiarum abundantia, quibus Turcæ, qui Tunetum tenebant, haudquaquam pares essent, quodque nullus eo anno esset metus subsidii Constantinopoli submittendi.

Igitur omnibus rebus paratis & instructis, Mazaria Siciliæ urbe, quo copias contraxerat, movet: fuerunt autem naves longæ nonaginta numero, onerariæ decem & octo, Hispanorum octo peditum millia, Italorum decem, Germanorum duo, equites quadringenti; ad hoc magna annonæ & bellicorum apparatuum copia. Primus appulsus fuit ad insulam Favigianam; paucisque post diebus tempestatem idoneam ad navigandum nactus ante diem octavum Idus Octobreis solvit, ac secunda navigatione itinere brevi confecto, Africæ oram tenuit, copiisque, ac tormentis, & commeatibus, cæteroque omni bellico apparatu exposito, Tunetum iter intendit; cujus adventum Radamus à Bassa captæ urbi præfectus relictus, & Aidares, qui nuper Constantinopoli venerat, successor missus, haud exspectandum rati Caravanum concedunt, copiarum suarum non tam numero quam generi diffidentes: erant enim sex millia stipendia facientium, partim Turcæ, partim aliarum nationum, ac par numerus ex delectu provinciali; urbe atque arce libera Austrio relicta, annona atque omni genere commeatuum referta, ac circiter quinquaginta curulibus bombardis, magnoque pulveris tormentarii pondere. Capta urbs à Christianis direpta est, rerum tantummodo præda militibus permissa, humanorum capitum interdicta.

Postero die Austrius mœnia circumiens situm urbis contemplatus, omnibusque diligenter perlu-

B stratis, novam arcem inter stagnum & partem urbis in stagnum vergentem ædificare constituit, loco idoneo opportunitatibus ex nova arce Guletanæ præbendis: situmque & formam describit, tantum spatium munimento amplexus, quod octo mortalium millia caperet, quattuorque tantummodo defensorum millibus tutum esset. Id eo consilio fecit, ut turbulentis temporibus præter præsidiarios receptaculum cæterorum esset; neque cives Tunetani diversoriis & hospitiis gravarentur: qua re nihil est, quod regnantes populis magis invisos faciat.

Situs urbis Tuneti, locique, & regionis circumjectæ natura nobis hoc loco est explicanda. Sita est C hæc urbs haud procul à vetere Carthagine, cujus vestigia ac ruinæ magnitudinem illam adhuc spirantes passim jacentes etiam nunc cernuntur. In eo Africæ oræ sinu, qui inter promontoria Hermeam & Apollinis magno ambitu curvatur, quorum illud *Caput bonum*, hoc *farinæ* nunc appellatur, nomine à portu, quem promontorium ipsum introrsus flexum tutissimum facit, accepto: à quo portu haud longe distat urbs Biserta, quam castra Cornelia fuisse credo, Bagrada celebris nominis flumine intercedente. Tunetum autem nescias mediterraneam, an maritimam urbem rectius dixeris: nam à perpetuo recti littoris cursu septem circiter passuum millia D introrsus retracta est, ut à prætervehentibus non cernatur, & nobilissimum illum Carthaginis olim portum, omniumque ingentium classium capacem viginti circiter millia passuum ambientem, cum in longitudinem ac latitudinem septem tantummodo pateat, qui mœnia Tuneti attingit, stagnum verius, quam portum appellaris: terra enim undique cingitur pertenui tantum euripo in mare pervium, ut tutissimam, nullisque ventis infestam stationem navibus præbeat: cæterum vetustate omnia perimente, & negligentia hominum portum non purgantium factum est, ut purgamentis urbis, atque humo ab E influentibus undique imbribus & torrentibus paullatim ingesta celeberrimus portus pene exsiccatus sit, totusque vadosus factus, ac nullo in loco navigiorum patiens: unus tantummodo à mari ad urbem per ipsum eundem tenuem euripum, qui non modo terram, sed stagnum ipsum medium secat, perangustus commeatus relictus est singulis exiguis navigiis, iisque fundo plano: neque enim carinatum alveum undæ humilitas fert. In medio stagno parva insula est paullum à recto euripo, qui in urbem fert, deflexa; ad quam per transversum brevem euripum cum recto conjunctum unus est navigiis aditus. Ad ripam euripi, qua terram secat, fuerat vetus F arx antiquo munimenti genere, quam Carolus expugnatam nova munitione ad recentem formam ampliarat, validoque muro quadrato sepserat singulis prominentibus turribus, quæ ab usu latera subeuntium incessendi, latera appellantur, in singulis angulis firmato. Cæterum postea admonitus exiguum illum arcis modum non esse magnæ incumbenti moli ferendæ, majus spatium amplexus, ulterioreque ripa comprehensa, nova ac late paten-

patente munitione priorem cinxerat, sexangulari ambitu, sex prominentibus belloarduis munito, ut euripus, qui prius exteriora mœnia arcis alluebat, nunc mediam ipsam arcem interfluat.

Igitur Austrius arcis ædificandæ negotium dat Gabrieli Serbellono, quem eundem Vicarium Regis cum summo imperio Tuneti reliquit, Pagano Auria cum viginti duobus Italorum signis, Andreaque Salazario cum totidem Hispanorum, ac Lupo Hurtado Mendoza cum scl0pariorum equitum ala illi additis: insulæ Sinogheram Hispanum, captæ urbi, ac Regno, Maurisque regendis Ametum Regis Amidæ fratrem præfecit, ipso Amida repudiato, turbulenti & inquieti ingenii homine, tum autem Mauris inviso ob parricidium in patrem admissum luminibus orbatum, ac Regno dejectum. Qui Amidas in naves impositus jussu Austrii Neapolim devectus est: in qua urbe inopem & ignobilem ætatem egit, diemque extremum tandem clausit. Serbellonus non quidem laborem & curam recusare, sed multa opponere, quæ effectum impedirent, materiæ, calcis, instrumentorum, operarum, fabrorum, architectorum penuriam: bono animo esse jubere hominem Austrius: omnia enim hæc affatim illi ex Italia submissum iri prolixe promittit. Quod reliquum belli opus erat, ut Bisertam quoque finitimam urbem caperet, sine qua res Tunetanas pacatas relinquere non poterat; Mauri ipsi, ac cives Bisertini sine ullo certamine illi confectum dederunt, Turcis, qui erant in arcis præsidio, obtruncatis. Arci Franciscus Avila Hispanus cum signi sui militibus trecentis numero; urbi ipsi atque incolis is ipse Bisertinus civis, qui in Turcis exigendis & obtruncandis dux & auctor facinoris fuerat, præfecti sunt.

At Selimus navali clade accepta, ac Philippo urbis Tuneti potente facto, castello quoque ad eam urbem ædificari cœpto, tantas indignitates ac detrimenta ulcisci constituens omnes curas in Expeditionem Tunetanam confert. Quod consilium cum sua sponte commotus cepisse dicitur; tum Uluzalis assiduis adhortationibus instigatus spem facientis, atque in se recipientis majores clades, quam acceptæ sint, Christianis se redditurum, ac funestam Philippicis Ducibus temeritatem & audaciam facturum, qui tanti fastigii Principem sibi irritare non veriti sint, munitionem quoque inchoatam impediturum; quin etiam arcem Guletam, quæ cervicibus Regni Tunetani, ac circumjectæ Africanæ oræ immineat, expugnaturum. Viam igitur sibi ad consilia exsequenda præmunire aggressus Regibus Tripolis, Algerii, Caravani beneficiariis suis per litteras imperat, ut quantas maximas possint, hominum, & commeatuum, bellicorumque apparatuum copias contrahant: cum quibus ineunte æstate classi suæ, quam omnium, quæcunque Constantinopoli exierint, maximam, ac potentissimam in Africam mittere in animo habeat, præsto sint. Illi imperata impigre exsequi instituunt.

Qui tanti consiliorum apparatus à Christianis cogniti Philippicorum Ducum ac Procuratorum animos potius commoverunt, quam curam & diligentiam intenderunt. At Serbellonus animo angi res ad iniqua inclinatas cernens, qui quamquam omnes diligentiæ & vigilantiæ partes in arce ædificanda præstitisset, tamen necessariarum rerum & operarum penuria opus absolvere non potuit, neque adversus tantam intentam vim satis firmare; cum per assiduas litteras monenti, oranti, fidem promissorum obtestanti nihil promissarum rerum submitteretur, non pecuniæ aut in militum stipendia, aut in operarum mercedem, non materia, non ferramenta, non clavi, non instrumenta fabrilia, non architecti, ac fabri, non pactæ ineunte Vere triremes quadraginta numero, quarum remigii multiplex opera, ac varius usus futurus fuerat. Qua in re Austrius omni culpa est liberandus; qui cum jussu Philippi in ditionem Mediolanensem concessisset, & ad Viglevanum consedisset, ac propterea rebus expediendis interesse non posset; non tamen in partibus suis implendis cessarat, per litterasque enixe imperarat, ut pacta hominum, pecuniarum, & armamentorum, atque instrumentorum, cæterarumque necessariarum rerum subsidia ad Serbellonum sedulo mitterentur. Cæterum tanta fuit in Regiis Procuratoribus Regnorum in Africam versorum res administrantibus partim negligentia, partim avaritia, partim gloriæ Austrii obtrectatio; ut, tamquam laudi sibi ducerent officium & fidem Regi debitam deseruisse, nihil imperatorum effecerint, nullaque in re Gabrielem juverint, ac tantummodo viginti triremes Bernardino Velasco Præfecto non prius tamen dimidio mense Junio Tunetum miserint: quarum ipsarum nulla aut perexigua utilitas fuit: nam non plus decem dies ibi fuerunt, cum Gabriel Velascum neque precibus, neque obtestationibus retinere potuisset, illique demonstrasset, quantus esset miserorum militum labor, quos omnibus iniquitatibus conflictatos in opere assidue habebat, quantoque in periculo arx, si opus imperfectum esset, simulque tot Christianorum capitum millia fidelem & indefessam operam Regi navantium, atque haud exiguus Procerum & insignis nobilitatis virorum numerus relinquerentur. Quæ omnia nihil hominem moverunt; tamquam is quoque turpe sibi duceret, si in officio & fide Regi suo debita negligenda cæterorum socordiæ cessisse videretur, eo cæteris magis damnandus, quod subjecta oculis necessitas omnem homini illius rei non creditæ excusationem adimit.

Quibus rebus factum est, ut in appulsu Turcicæ classis omnia imperfecta essent, non ad justam altitudinem muri perducti, alibi decempeda, alibi eo amplius humiliores; non munimenta pectus tegentia superædificata, fossæ quoque partim non inchoatæ omnino, partim non in justam altitudinem, aut latitudinem depressæ, aut dilatatæ: viæ tectæ vix inchoatæ, solo tantummodo complanato, ac forma vestigii dumtaxat descripta: ad hoc quattuor propugnacula ultra fossas excitata, ac viam tectam contingentia ante muros arcis, qui campos spectant, inchoata non altiora alabardæ hastili fuerunt: dejecta quidem sunt mœnia urbis arci & ipsi urbi interjecta; cæterum non ita prorsus decussa, ut non illorum altitudo multis in locis exstaret, arcique immineret: cum opera multipliciter partienda fuerit in cætera quoque loca arci imminentia, quæ plurima fuerunt, diruenda, in duas imminentes turres exstruendas, in stationum receptacula, domos militum ædificandas, in cellas ad annonam, ac commeatus, bellicosque apparatus, & instrumenta recipienda præparandas ac fabricandas, in easque ipsas res à stagno in arcem subinde convehendas, in molas fabricandas, cisternas defodiendas & aqua implendas; cujus tanta vis ingesta est, ut non modo toto obsidionis tempore numquam defecerit, sed septem cisternæ intactæ superfuerint. Quæ omnia in tanta operarum penuria, tantoque omnium necessariarum rerum defectu octo mensium curriculo administrata sunt.

Dum ea administrantur, mandatum acceptum est, ut Biserta deseratur, ac duobus Hispanorum millibus, totidemque Italorum in nova munitione, duobusque tantummodo Hispanorum millibus in arce Guletæ retentis; qui si numerum explere non

VBERTVS FOLIETA,

PATRICIVS GENVENSIS,

DE EXPEDITIONE TVNETANA.

EXPEDITIO Tunetana tractu quidem brevis, confectu facilis, exitu felix fuit: cæterum bene rei gestæ lætitia cito in luctum & dedecus vertit, partim alicujus ex defensoribus ignavia, partim socordia nostrorum Procerum lente ac negligenter res administrantium, ac promissa hominum & bellicorum apparatuum subsidia tarde ac maligne submittentium. Eam historiam nunc ordiri pergam. Joannes Austrius, fœdere soluto, curam in usum societatis præparatam Tunetum convertit: quam urbem paucis ante annis, Amida Rege ejecto, Turcæ occuparant, haud parvum operæ pretium fore ratus ejus urbis recuperationem, cujus possessio Turcis stabilita, periculum esset, ne secum traheret arcem Guletæ tantis hominum & pecuniarum impensis, tantaque dimicatione à Carolo parente omnibus Regnorum suorum viribus connixo expugnatam, ab eodemque amplificatam, & valido munimento firmatam; ex eaque capta gradus fieret Turcis ad Regnum Neapolitanum, Insulasque Siciliam & Sardiniam invadendas. Animos Joanni faciebat navalium & terrestrium copiarum abundantia, quibus Turcæ, qui Tunetum tenebant, haudquaquam pares essent, quodque nullus eo anno esset metus subsidii Constantinopoli submittendi.

Igitur omnibus rebus paratis & instructis, Mazaria Siciliæ urbe, quo copias contraxerat, movet: fuerunt autem naves longæ nonaginta numero, onerariæ decem & octo, Hispanorum octo peditum millia, Italorum decem, Germanorum duo, equites quadringenti; ad hoc magna annonæ & bellicorum apparatuum copia. Primus appulsus fuit ad insulam Favigianam; paucisque post diebus tempestatem idoneam ad navigandum nactus ante diem octavum Idus Octobreis solvit, ac secunda navigatione itinere brevi confecto, Africæ oram tenuit, copiisque, ac tormentis, & commeatibus, cæteroque omni bellico apparatu exposito, Tunetum iter intendit; cujus adventum Radamus à Bassa captæ urbi præfectus relictus, & Aidares, qui nuper Constantinopoli venerat, successor missus, haud exspectandum rati Caravanum concedunt, copiarum suarum non tam numero quam generi diffidentes: erant enim sex millia stipendia facientium, partim Turcæ, partim aliarum nationum, ac par numerus ex delectu provinciali; urbe atque arce libera Austrio relicta, annona atque omni genere commeatuum referta, ac circiter quinquaginta curulibus bombardis, magnoque pulveris tormentarii pondere. Capta urbs à Christianis direpta est, rerum tantummodo præda militibus permissa, humanorum capitum interdicta.

Postero die Austrius mœnia circumiens situm urbis contemplatus, omnibusque diligenter perlustratis, novam arcem inter stagnum & partem urbis in stagnum vergentem ædificare constituit, loco idoneo opportunitatibus ex nova arce Guletanæ præbendis: situmque & formam describit, tantum spatium munimento amplexus, quod octo mortalium millia caperet, quattuorque tantummodo defensorum millibus tutum esset. Id eo consilio fecit, ut turbulentis temporibus præter præsidiarios receptaculum cæterorum esset; neque cives Tunetani diversoriis & hospitiis gravarentur: qua re nihil est, quod regnantes populis magis invisos faciat.

Situs urbis Tuneti, locique, & regionis circumjectæ natura nobis hoc loco est explicanda. Sita est hæc urbs haud procul à vetere Carthagine, cujus vestigia ac ruinæ magnitudinem illam adhuc spirantes passim jacentes etiam nunc cernuntur. In eo Africæ oræ sinu, qui inter promontoria Hermeam & Apollinis magno ambitu curvatur, quorum illud *Caput bonum*, hoc *farinæ* nunc appellatur, nomine à portu, quem promontorium ipsum introrsus flexum tutissimum facit, accepto: à quo portu haud longe distat urbs Biserta, quam castra Cornelia fuisse credo, Bagrada celebris nominis flumine intercedente. Tunetum autem nescias mediterraneam, an maritimam urbem rectius dixeris: nam à perpetuo recti littoris cursu septem circiter passuum millia introrsus retracta est, ut à prætervehentibus non cernatur, & nobilissimum illum Carthaginis olim portum, omniumque ingentium classium capacem viginti circiter millia passuum ambientem, cum in longitudinem ac latitudinem septem tantummodo pateat, qui mœnia Tuneti attingit, stagnum verius, quam portum appellaris: terra enim undique cingitur pertenui tantum euripo in mare pervium, ut tutissimam, nullisque ventis infestam stationem navibus præbeat: cæterum vetustate omnia perimente, & negligentia hominum portum non purgantium factum est, ut purgamentis urbis, atque humo ab influentibus undique imbribus & torrentibus paullatim ingesta celeberrimus portus pene exsiccatus sit, totusque vadosus factus, ac nullo in loco navigiorum patiens: unus tantummodo à mari ad urbem per ipsum eundem tenuem euripum, qui non modo terram, sed stagnum ipsum medium secat, perangustus commeatus relictus est singulis exiguis navigiis, iisque fundo plano: neque enim carinatum alveum undæ humilitas fert. In medio stagno parva insula est paullum à recto euripo, qui in urbem fert, deflexa; ad quam per transversum brevem euripum cum recto conjunctum unus est navigiis aditus. Ad ripam euripi, qua terram secat, fuerat vetus arx antiquo munimenti genere, quam Carolus expugnatam nova munitione ad recentem formam ampliarat, validoque muro quadrato sepserat singulis prominentibus turribus, quæ ab usu latera subeuntium incessendi, latera appellantur, in singulis angulis firmato. Cæterum postea admonitus exiguum illum arcis modum non esse magnæ incumbenti moli ferendæ, majus spatium amplexus, ulterioreque ripa comprehensa, nova ac late paten-

patente munitione priorem cinxerat, sexangulari ambitu, sex prominentibus belloarduis munito, ut euripus, qui prius exteriora mœnia arcis alluebat, nunc mediam ipsam arcem interfluat.

Igitur Austrius arcis ædificandæ negotium dat Gabrieli Serbellono, quem eundem Vicarium Regis cum summo imperio Tuneti reliquit, Pagano Auria cum viginti duobus Italorum signis, Andreaque Salazario cum totidem Hispanorum, ac Lupo Hurtado Mendoza cum sclopariorum equitum ala illi additis: insulæ Sinogheram Hispanum, captæ urbi, ac Regno, Maurisque regendis Ametum Regis Amidæ fratrem præfecit, ipso Amida repudiato, turbulenti & inquieti ingenii homine, tum autem Mauris inviso ob parricidium in patrem admissum luminibus orbatum, ac Regno dejectum. Qui Amidas in naves impositus jussu Austrii Neapolim devectus est: in qua urbe inopem & ignobilem ætatem egit, diemque extremum tandem clausit. Serbellonus non quidem laborem & curam recusare, sed multa opponere, quæ effectum impedirent, materiæ, calcis, instrumentorum, operarum, fabrorum, architectorum penuriam: bono animo esse jubere hominem Austrius: omnia enim hæc affatim illi ex Italia submissum iri prolixe promittit. Quod reliquum belli opus erat, ut Bisertam quoque finitimam urbem caperet, sine qua res Tunetanas pacatas relinquere non poterat; Mauri ipsi, ac cives Bisertini sine ullo certamine illi confectum dederunt, Turcis, qui erant in arcis præsidio, obtruncatis. Arci Franciscus Avila Hispanus cum signi sui militibus trecentis numero; urbi ipsi atque incolis is ipse Bisertinus civis, qui in Turcis exigendis & obtruncandis dux & auctor facinoris fuerat, præfecti sunt.

At Selimus navali clade accepta, ac Philippo urbis Tuneti potente facto, castello quoque ad eam urbem ædificari cœpto, tantas indignitates ac detrimenta ulcisci constituens omnes curas in Expeditionem Tunetanam confert. Quod consilium cum sua sponte commotus cepisse dicitur; tum Uluzalis assiduis adhortationibus instigatus spem facientis, atque in se recipientis majores clades, quam acceptæ sint, Christianis se redditurum, ac funestam Philippicis Ducibus temeritatem & audaciam facturum, qui tanti fastigii Principem sibi irritare non veriti sint, munitionem quoque inchoatam impediturum; quin etiam arcem Guletam, quæ cervicibus Regni Tunetani, ac circumjectæ Africanæ oræ immineat, expugnaturum. Viam igitur sibi ad consilia exsequenda præmunire aggressus Regibus Tripolis, Algerii, Caravani beneficiariis suis per litteras imperat, ut quantas maximas possint, hominum, & commeatuum, bellicorumque apparatuum copiás contrahant: cum quibus ineunte æstate classi suæ, quam omnium, quæcunque Constantinopoli exierint, maximam, ac potentissimam in Africam mittere in animo habeat, præsto sint. Illi imperata impigre exsequi instituunt.

Qui tanti consiliorum apparatus à Christianis cogniti Philippicorum Ducum ac Procuratorum animos potius commoverunt, quam curam & diligentiam intenderunt. At Serbellonus animo angi res ad iniqua inclinatas cernens, qui quamquam omnes diligentiæ & vigilantiæ partes in arce ædificanda præstitisset, tamen necessariarum rerum & operarum penuria opus absolvere non potuit, neque adversus tantam intentam vim satis firmare; cum per assiduas litteras monenti, oranti, fidem promissorum obtestanti nihil promissarum rerum submitteretur, non pecuniæ aut in militum stipendia, aut in operarum mercedem, non materia, non ferramenta, non clavi, non instrumenta fabrilia, non architecti, ac fabri, non pactæ ineunte Vere triremes quadraginta numero, quarum remigii multiplex opera, ac varius usus futurus fuerat. Qua in re Austrius omni culpa est liberandus; qui cum jussu Philippi in ditionem Mediolanensem concessisset, & ad Viglevanum consedisset, ac propterea rebus expediendis interesse non posset; non tamen in partibus suis implendis cessarat, per litterasque enixe imperarat, ut pacta hominum, pecuniarum, & armamentorum, atque instrumentorum, cæterarumque necessariarum rerum subsidia ad Serbellonum sedulo mitterentur. Cæterum tanta fuit in Regiis Procuratoribus Regnorum in Africam versorum res administrantibus partim negligentia, partim avaritia, partim gloriæ Austrii obtrectatio; ut, tamquam laudi sibi ducerent officium & fidem Regi debitam deseruisse, nihil imperatorum effecerint, nullaque in re Gabrielem juverint, ac tantummodo viginti triremes Bernardino Velasco Præfecto non prius tamen dimidio mense Junio Tunetum miserint: quarum ipsarum nulla aut perexigua utilitas fuit: nam non plus decem dies ibi fuerunt, cum Gabriel Velascum neque precibus, neque obtestationibus retinere potuisset, illique demonstrasset, quantus esset miserorum militum labor, quos omnibus iniquitatibus conflictatos in opere assidue habebat, quantoque in periculo arx, si opus imperfectum esset, simulque tot Christianorum capitum millia fidelem & indefessam operam Regi navantium, atque haud exiguus Procerum & insignis nobilitatis virorum numerus relinquerentur. Quæ omnia nihil hominem moverunt; tamquam is quoque turpe sibi duceret, si in officio & fide Regi suo debita negligenda cæterorum socordiæ cessisse videretur, eo cæteris magis damnandus, quod subjecta oculis necessitas omnem homini illius rei non creditæ excusationem adimit.

Quibus rebus factum est, ut in appulsu Turcicæ classis omnia imperfecta essent, non ad justam altitudinem muri perducti, alibi decempeda, alibi eo amplius humiliores; non munimenta pectus tegentia superædificata, fossæ quoque partim non inchoatæ omnino, partim non in justam altitudinem, aut latitudinem depressæ, aut dilatatæ: viæ tectæ vix inchoatæ, solo tantummodo complanato, ac forma vestigii dumtaxat descripta: ad hoc quattuor propugnacula ultra fossas excitata, ac viam tectam contingentia ante muros arcis, qui campos spectant, inchoata non altiora alabardæ hastili fuerunt: dejecta quidem sunt mœnia urbis arci & ipsi urbi interjecta; cæterum non ita prorsus decussa, ut non illorum altitudo multis in locis exstaret, arcique immineret: cum opera multipliciter partienda fuerit in cætera quoque loca arci imminentia, quæ plurima fuerunt, diruenda, in duas imminentes turres exstruendas, in stationum receptacula, domos militum ædificandas, in cellas ad annonam, ac commeatus, bellicosque apparatus, & instrumenta recipienda præparandas ac fabricandas, in easque ipsas res à stagno in arcem subinde convehendas, in molas fabricandas, cisternas defodiendas & aqua implendas; cujus tanta vis ingesta est, ut non modo toto obsidionis tempore numquam defecerit, sed septem cisternæ intactæ superfuerint. Quæ omnia in tanta operarum penuria, tantoque omnium necessariarum rerum defectu octo mensium curriculo administrata sunt.

Dum ea administrantur, mandatum acceptum est, ut Biserta deseratur, ac duobus Hispanorum millibus, totidemque Italorum in nova munitione, duobusque tantummodo Hispanorum millibus in arce Guletæ retentis; qui si numerum explere non

non possint, Italis suppleantur, reliquæ copiæ, tamquam supervacuæ, atque aliorum inopiam aggravantes dimittantur: quod illico factum est; Franciscusque Aialius cum sui signi militibus Hispanis, Bisertæ arce relicta, in arce Guletæ concessit; in quam quattuor Hispanorum signa, totidemque Italorum à Gabriele ex nova munitione missa sunt, quæ copiæ, pecunia in militum stipendia deficiente, cum lustrari non potuissent, arbitrio ductorum delectus dimittendorum permissus est: qua re factum est, ut præscriptus numerus retentorum defuerit potius quam superfuerit. Illud quoque ad cæteras iniquitates accessit: nam mense Junio exeunte Reges, seu Præsides Tripolis, Gerbis insulæ, Caravani, ac ductor quidam ab urbe Constantina missus cum duodecim circiter armatorum millibus, quibus nonnulli Turcæ admisti erant, cum quibus magnus Maurorum atque equitum Arabum numerus se conjunxit, Tunetanos fines infestis copiis ingressi sunt; qui quamquam in conspectum urbis numquam venerunt, viam tamen commeatibus ex agro in urbem convehendis penitus clauserunt, arctioraque omnia Christianis fecerunt.

Dum ea administrantur, Granvelani Cardinalis Neapolitani Regni Vicarii litteris Kalendis Juliis redditis certior fit Gabriel de ingenti Turcarum classe Tunetum pro re certa & explorata petente, magnamque vim hominum, ac bombardarum, omnisque generis bellicorum apparatuum & instrumentorum, magnamque annonæ & commeatuum copiam vehente: quibus litteris postulabat Granvelanus à Gabriele, ne gravaretur arcem Guletæ invisere, singulaque diligenter perlustrare, ac circumspicere, Petrumque Portucarrerium arcis Præfectum, quibuscumque in rebus posset, ope sua & consilio juvare. Erat Portucarrerius Hispanus genere, nobilis, ac minime malus vir: cæterum rei bellicæ ignarus atque insolens, & ad omnia militaria munera rudis: depravatis enim horum temporum moribus in tanto pretio apud Christianos homines est nobilitas, ut eam ad virtutem interpretatione revocent: qua re fit, ut sæpe maxima & gravissima munera, strenuis, & fortibus, magnique consilii & peritiæ viris præteritis, ignavis hominibus, quique nullum rerum usum, aut scientiam habeant, sola nobilitate commendante, tamquam illa virtutem secum necessario trahat, committantur; qui mandatis negotiis impares res inscitia sua evertunt. Quo sæculi vitio Hispani usi custodiam arcis Guletanæ, in qua tanta essent ad tutelam Regnorum in Italia à Philippo possessorum momenta, Portucarrerio mandarunt: quod pravum consilium magna arcis amissæ mercede illis stetit. Morbo hoc Turcæ carent, apud quos uni, eique expertæ virtuti omnis honos & pretium est, quam non genere, neque stemmatibus, sed editis & conspectis facinoribus metiuntur, qui sint, non unde sint, homines spectantes. Neque ego nobilitatem insector, à qua virtutem, modo illa subsit, ornari & splendidiorem fieri confiteor; sed infelicem cæcitatem hujus sæculi lugeo, quæ virtutem nobilitati tamquam illi congenitam assignet: cæterum justa indignatione paullo longius provectus ad inceptum redeo.

Morem igitur gessit Serbellonus, seque illico in arcem Guletanam contulit, singulasque ejus partes interiores & exteriores diligenter & accurate contemplatus, vitiorum, quæ haud levia in ea offendit, Portucarrerium monuit: quorum illud primum fuit, cujus hominem sex ante mensibus frustra monuerat, nec curam negligentis monita excitarant, munitionem pectus tegentem muris in campos versis suppositam atque humiliorem consulto relictam, ut locus aptior esset bombardis, quibus campus petebatur, in eo statutis, ad duos pedes exaltandam esse: militumque saluti, ut illorum altitudine ad ictus hostium tecti essent, potius consulendum, quam bombardarum rationem habendam; quarum præ militum tutela non ita magna esset utilitas. Caussante Portucarrerio inopiam terræ, *At tu*, inquit Serbellonus, *defectum industria supple: solumque areæ, in quo milites consistunt, duos pedes deprime, sic assequeris, ut tantumdem altitudo munitionis crescat, quantum solum decrescet: nam bombardæ ad partes, quæ sunt à tergo, ubi nulla est necessaria munitionis altitudo, commode & utiliter transferentur.* Veteribus quoque interioris arcis muris munitionem superpositam extollendam censuit Gabriel, eaque de caussa Tunetum reversus duas fabrorum centurias, atque asseres, cæteraque instrumenta ad opus necessaria Portucarrerio misit.

Dum ea à Christianis lente & segniter administrantur, classis Turcica ducentarum nonaginta navium, quarum ducentæ sexaginta longæ fuerunt, ex iis ducentæ triginta majoris, triginta minoris formæ triremes, reliquæ onerariæ varii generis ac nominis, ante diem tertium Idus Julias in Africæ oram appulsa est: cumque uno die ad promontorium pulchri, quod nunc *Caput Carthaginis* appellatur, in ancoris fuissent, copias ac bellicos apparatus sine ullo certamine in terram exponunt, quæ ex variis locis Europæ & Africæ contractæ fuerunt ad quadraginta armatorum millia, in quibus fuisse dicuntur septem millia Janizerorum, quod erat robur exercitus; reliqui partim Turcæ, partim Mauri, dimidia pars sclopis, dimidia arcubus armati. Præerat classi Vluzalis, terrestribus copiis Assenanus Bassa ipsius Imperatoris gener: ad eum summa imperii respiciebat: qui eodem tempore utramque curam amplexi ad arcem Guletæ, & ad urbem ipsam partitas copias admovent, Aydare Caravani Præside ad oppugnationem urbis misso cum omnibus copiis, quæ terrestri itinere ad exercitum venerant, quattuor millibus ex iis, quas vexerat classis, additis, octoque majoris formæ, ac totidem minoris bombardis illi tributis, qui ante diem sextum Kalendas Augustas in utroque urbis suburbio castra statuit, urbemque quatere inchoat: quam Gabriel, ne multis commodis, quæ ex ea retenta percipiebantur, sese privaret, prius non deserendam duxerat: cæterum cum tanta virium pars, contra quam putarat, in ipso initio incubuisset; post validam impressionem à Christianis erumpentibus in Turcas datam, qua cum non exigua ipsorum cæde aversi sunt, urbe & veteri arce Turcis relicta, omnes copias in varias urbis partes distributas eodem die ex omnibus locis contractas, ne uno quidem suorum desiderato, in novam munitionem retrahit; in quam eadem se recepit statio, quæ erat in custodia turris Morabiti, atque ipse Muleasses Ametes non tam consilio mutato, quam re coactus, cum prius Serbellono promisisset sese cum haud contemnenda clientium ac partes suas sequentium manu per circumjectam regionem pervagaturum, ac subvectiones annonæ & cæterarum rerum ad usum exercitus quotidie comportandarum infestas illis facturum: qua de caussa pecuniis, armis, bellicis instrumentis, annona, tentoriis instructus fuerat. Desistendi caussa fuit plaga ingens suorum proditione accepta. Nam cum adversus adventantes Turcas cum noningentis equitibus ac quattuor Maurorum millibus ex urbe prodiisset, præsidio quoque undecim signorum Hispanorum pone sequente, Salazario Duce, atque equitatu Hispaniensi, quem ducebat Lupus Hurtadus, fultus, propeque ab urbe ictu bombardæ consedisset: simulatque exercitus Turcarum in conspectum venit, à suis relictus est, qui omnes ad Turcas repente, nullaque tentata re, transfugerunt.

Con-

Consilium Serbelloni copias in novam munitionem contrahendi, atque in incepto persistendi varie pro cujusque ingenio acceptum est, variosque sermones præbuit. Sunt enim qui fidem & constantiam hominis laudent, qui arcem, quam defendendam susceperat, fidemque Austrio jurejurando datam ne certissima quidem proposita pernicie deserere voluerit. Alii contra Serbellonum vehementer reprehendunt, imperatorisque sapientiam in illo desiderant, cujus cura non uno tantum mandato munere, unoque opere terminatur: nam hoc privati cujusvis ductoris est; sed summam curam animo & cogitatione debet amplecti, ad eamque consilia accommodare: debuisse igitur Serbellonum novam munitionem, quæ non in eum statum adducta esset, ut tantam oppugnationis molem sustinere posset, deserere, atque vel ante Turcarum adventum, vel etiam ipsis appulsis, in arcem Guletæ cum omnibus copiis procedere: quam procul dubio tam valido addito quattuor millium strenuorum militum præsidio, tum autem opera & consilio suo rerum bellicarum peritissimi hominis adversus omnem impetum defendisset; quæ servata novam munitionem atque urbem à Turcis captam, tantosque conatus inutiles fecisset: Guletæ enim arx retenta Christianos urbis ac novæ munitionis potentes fecisset: omni autem non servatæ fidei culpa ac verecundia Serbellonum liberaturam fuisse necessariarum rerum inopiam, sine quibus arx adversus tantam vim firmari non potuisset. Illius igitur amissæ culpam in illorum negligentiam & desidiam versuram, qui in pactis hominum, materiarum, instrumentorum, reliquorumque apparatuum subsidiis non submittendis tanto officio ita supine indormientes fuerint, Serbellonumque ipsum, ac tot egregios Duces, & fortes ac strenuos milites, simulque urbem Tunetum, arcemque Guletæ tanto labore, tantisque impendiis à Carolo Quinto partam Turcis prodiderint. Cæterum historiam scribentis est, res litterarum monumentis mandare, nec de illis judicium ferre.

Magna opera, magnaque contentione ad arcem Guletæ res geri cœptæ sunt. Nam Turcæ quattuor bombardis in colle proximo ei loco, in quem exscensionem fecerant, positis, quæ eos, qui erant in opere, tutarentur, munitiones excitare extemplo incipiunt: quas septimo die ab inchoato opere non anguineo flexu continuatas, sed deinceps aliam post aliam interruptas ad fossam arcis producunt; cum facile opus esset, firmaque arenæ illius, paucis admistis cæmentis, coagmentatio esset: qui quamquam valida impressione ab erumpentibus Christianis cum nonnullorum cæde à munimentis expulsi sunt: tertio decimo tamen die locis ad verberanda mœnia firmatis ac communitis, arcem bipartito à parte maritima, ab extrema ipsa ora fossæ, & stagno quatere instituunt. Nec minore interea opera, minusve assiduo labore Turcæ munitionibus ex compluribus locis producendis novam arcem ad urbem urgebant; cum sæpe inter illos munientes & Christianos erumpentes per varias occasiones, variaque fortuna dimicaretur; in quibus præliis Pagani Auriæ opera & audacia in primis conspecta est.

Quas res Austrius cum ex nuntiis à Portucarrerio ad se & ad Regem missis cognovisset; suæ in Regem fidei, suæque pietatis, ac sui maxime muneris, suique operis esse ducens, ne arx, cujus ædificandæ ipse auctor fuisset, in manus hostium veniret; neve tantus numerus Procerum, egregiorumque Ducum, ac fidelium militum periret; nulla mora interposita certis hominibus ad scribendos milites circummissis, ipse Genuam magnis itineribus contendit. Ibi aliquot dies subsistere coactus est ab horribili ac subita procella coorta, re eo anni tempore insolita, ac prodigii loco habita: qua Regia triremis, ac quotquot naves illo in portu fuerunt, laceratæ sunt; ut aliquot dies in navibus quassatis ac perfractis reficiendis ponendi fuerint. Genua tandem solvens, pridie Idus Augustas Neapolim appulit: qua in urbe spe, qua venerat, pecuniarum & copiarum frustratus, cum perexiguum utrumque subsidium fuisset, cum nonnullis triremibus Panhormum contendit, quo ante diem quintum decimum Kalendas Octobris Marcellus Auria appulit cum tribus & viginti triremibus, atque Italicis copiis jussu Austrii nuper coactis. Austrius Carolo Darcalo ad Regem misso, qui statum rerum eum doceret, cum nondum omnes copiæ ad eum convenissent, animo angebatur: à die enim decimo nono Kalendas Septembris ad decimum Kalendas Octobris, toto illo quadraginta dierum spatio nullum nuncium de rebus Tunetanis accepit, tristeque omen mentibus omnium insidebat.

Miserat ante Austrii appulsum Dux Terræ novæ Tunetum duas expeditas triremes cum trecentis delectis Hispanis, omni instrumento, omnibusque rebus, quæ cursum tardare possent, præter necessaria, atque etiam bombardis ipsis exoneratas: cum milites arma tantummodo, quibus sese ac remigium armarent, secum ferrent; libertate remigibus promissa, si in misso subsidio introducendo impigram & indefessam operam navassent: cæterum adversa tempestate cursum tenere non potuerant, retroque compulsæ, Panhormum redierant. Has igitur duas triremes Austrius iterum misit, Ægidio Andrada cum quattuor triremibus, ut tutius navigarent, comite addito; de quarum itinere atque incertis casibus sollicitus Austrius, nullo de illis nuncio per multos dies accepto, animo suspensus Alphonsum Bassanum cum octo triremibus Favigianam usque procedere jubet; qui certa & explorata de subsidio & Andrada misso ad se referat: qui aliquanto post, nulla omnino re comperta, rediit.

Interea Turcæ arcem Guletanam continenter quassando, magnam stragem exterioris muri ediderant; tredecimque dierum dimicatione omni ope contenderant, ut tecta via ad mare ferente potirentur; verum irrito conatu, Christianis illam acriter defendentibus: cæterum eadem via tandem occupanda Turcis ultro dimissa est Portucarrerii jussu; cum à sententia deduci non potuisset à Boccafosca Italo, & Aialio Hispano peritis ordinum ductoribus omni ope orantibus & postulantibus, atque in se recipientibus, se viam illam duos menses defensuros, ac sic partem Turcarum copiarum à novis conatibus distenturos, negante Portucarrerio, sese ejus rei retinendæ caussa, quæ nihil, aut perexiguum ad summam rerum faceret, arcem defensoribus exinaniturum; quæ satis tuta futura esset, si mœnia defenderentur. Interea nostri occultum cuniculum ad tentorium ipsius Assenani Bassæ ferentem ducere inchoarunt: quem ad effectum perducere non potuerunt proditione transfugæ Hispani, qui rem Turcis enunciavit, ingentibus præmiis ab Uluzali affectus; qui, ut cæteros ad idem scelus instigaret, munimenta Christianorum circumiens magna voce clamitabat, magnum sibi pretium, magnum honorem apud Turcas esse; idem cæteris futurum, quicunque ad meliorem & honoratiorem militiam sese contulissent. Gravis & acerbus tristis cuniculi eventus Christianis fuit; cæterum longe magis Portucarrerii animum fregit, quod Turcæ interea haud exiguam murorum partem prostraverant, munimentaque usque ad oram fossæ Carthaginem spectantis produxerant: crebraque circum

 castel-

castella excitarant, Vluzali, cui ille locus obvenerat, omnia impigre administrante; cum remigio è triremibus educto operarum copia abundaret, ac quingentos camelos accersisset, magnamque materiæ vim varii generis contraheret, qua fossam impleret, operariis assiduam & indefessam operam læte illi navantibus, non tam adhortationibus, quam effusa hominis liberalitate inductis, qui large omnibus donando sua sponte commotam diligentiam incitabat; ut Turcæ illum *montem aureum* appellarent.

Nec segnior interea erat arcis Tunetanæ oppugnatio, minusve ad illam laborabatur: quamquam majore animo, majoreque consilio, & audacia, fortioreque, & magis impigra opera Turcis ibi, quam ad Guletam resistebatur, cum Turcæ bifariam divisis copiis (ut duobus locis consederant) bipartito Christianos urgerent, munimentisque subinde promovendis magis in dies mœnibus appropinquarent, portasque arcis, atque interiora ædificia militum receptacula assiduis bombardarum ictibus incesserent, ac magna detrimenta Christianis inferrent: ad quorum audaciam comprimendam Christiani jussu Serbelloni acribus eruptionibus septies illos aggressi sunt, modo, quousque procederent, neque eum terminum prætergrederentur, à Serbellono præscripto: quibus impressionibus Turcæ sæpe retro compulsi sunt, magna facta hominum jactura, quingenis ex illis in singulis præliis absumptis: quæ res illos coegit copias in unum contrahere, ut ad resistendum Christianis invadentibus firmiores essent.

Cæterum Serbellono non minus suam, quam Portucarrerii vicem laborandum erat, à quo assiduis nunciis & litteris fatigabatur, ut hominum subsidia ad se submitteret, sine quibus arx Guletana impetum Turcarum diutius ferre non posset, cui Serbellonus semper respondit, nullam esse rationem, cur illum sublevandi caussa ipse copias suas imminueret: quin etiam verius & æquius esse, Portucarrerium sibi, quam se Portucarrerio subsidia submittere: neque enim se in minores angustias à Turcis adductum, quam illum esse; neque minus acriter ab illis urgeri, quin etiam longe majoribus iniquitatibus premi: quippe arcem Guletanam præaltis mœnibus ac vetustate duratis munitam, altissimaque, ac perampla fossa, circumfluenteque aqua cinctam, angustiorem præterea, ac minore idcirco numero defensorum egentem: contra, Tunetanam munitionem latissime patentem, nudam fere & apertam hostibus expositam esse; muros habere recentes & invalidos, nullo in loco ad justam altitudinem perductos; quin etiam multis in locis dimidio humiliores, nulla fossa firmatos, nullo flumine illos circumluente: huc accedere, quod si Turcæ præsidium Tunetanum imminutum senserint, haud dubitandum sit, quin illi oppugnatione Guletana paulisper intermissa, protinus Tunetum advolent, omnemque vim belli in novam munitionem vertant, qua haud dubie mox potituri sint: ea porro expugnata, Guletam omnes repetituri sint, quibus conjunctis quo modo tum Portucarrerium restiturum, qui sese dimidiatis nunc imparem esse prædicet: quæ si omnia Portucarrerius cogitatione amplexus fuerit, intellecturum profecto illum pro sua sapientia, quam iniquum sit, vires illi detrahere, qui illis magis, quam detrahens egeat. Tandem cum audisset Turcas fossæ, ut diximus, imminere, illamque mox replere aggressuros, victus assiduis precibus, simul metuens, ne quid Portucarrerius per metum mollius consuleret, delectam sexcentorum strenuorum militum manum ad illum misit, in qua complures fuerunt Itali & Hispani.

At Turcæ remigio è triremibus educto, quingentisque camelis contractis, cum operarum copia abundarent, inchoata opera assidue urgentes, aliaque super alia nova quotidie inchoantes, arctiores res obsessis in dies faciebant, cum munitionem usque ad ostium canalis, quæ in stagnum influit, produxissent, spe illius operibus obstruendi, ejusque usum hosti adimendi. Cæterum libera stagni possessio Christianis perpetuo fuit; qua illos numquam ullo argumento Turcæ, cum omnia extrema tentassent, dejicere potuerunt, cum tamen bombardis idoneis & eminentibus locis statutis usum canalis & commercia impedirent, aditumque subsidiis, quæ Tuneto sæpe submissa sunt, difficilem & periculosum facerent. Magna eo tempore mœstitia, magnusque metus obsessorum mentibus insidebat res ad iniqua inclinatas cernentibus, via tecta amissa, horribili bombardarum hostilium arcem continenter ac bipartito quatientium procella incumbente, fenestris laterum, quæ belloardua vocant, obstructis & cæcatis, ipsorum bombardis loco dejectis, quarum tamen perexiguus usus semper fuerat, machinis ligneis, quas *platas formas* appellant, quibus statuerentur ac stabilirentur, nullis ante præparatis, magna displosorum penuria: ut summa fuerat Christianorum in præparando negligentia.

Igitur Turcæ, cum munimentis arci successissent, fossam Carthagini oppositam implere incipiunt; magnam per plures dies coactam varii generis materiam ex immanibus arborum truncis, saccis lana refertis, cupis humo plenis nocte in eam demittentes; cum diurna opera in suffodiendo aggeribusque exstruendis poneretur, quorum ea erat latitudo, ut tricenorum militum ordinem in fronte caperet, inter quos altitudo aggeris adversus belloarduum sancti Petri excitati eminebat, in quo tredecim ingentibus bombardis statutis, continenti totius diei verberatione, quam duabus horis ante ortum solem inchoabant, quattuor tantummodo meridianis horis intermissa belloarduum quatiebant, cum per mensis amplius spatium non minus mille in die ictibus (id quod certissimis argumentis compertum est) mœnia petiissent, quibus ingentes muri strages multis in locis ediderunt, cum Christiani è regione locorum ruinis patefactorum munitiones ducerent: quibus tamen ad ictus hostiles non ita tegebantur, ut non ex illis complures quotidie caderent: eoque miserabilior erat obsessorum conditio, quod non modo aperta vi, sed proditionibus quoque suorum oppugnabantur: detectus enim est gregarius quidam Hispanus, qui de pulvere incendendo occulta consilia cum Turcis habuerat; ac merito supplicio affectus.

Dum utroque in loco vehementer laboratur, litteræ Granvelani Cardinalis, & Ducis Suessani ad Serbellonum afferuntur, ad ipsum & ad Portucarrerium communiter datæ; in quibus erat scriptum: quoniam ex assiduis litteris Portucarrerii cognovissent, res arcis Guletanæ ad extremum adductas, neque teneri jam eam arcem posse, nisi ingenti præsidio subveniatur: magni autem Regis interesse eam arcem non amitti, eamque curam cæteris omnibus rebus præverti debere; sese igitur magnopere censere, ut Serbellonus omnia summa faciat: quod si opus sit, ipsemet sese cum omnibus, quas habeat, copiis, relicta arce Tunetana, in arcem Guletanam conferat; hanc unam se rationem censere illius arcis retinendæ: cæterum se has litteras moniti potius, quam jussi vim habere velle, liberumque se illi de omnibus rebus consilium relinquere, quod illi certius & exploratius præsens res, quam cujusquam absentis judicium dare possit: faceret igitur, quod è fide sua & è Regis sui re duceret.

His

His litteris acceptis, Serbellonus continuo consilium Procerum, eorumque, qui procurationes habebant, in domum Salazarii, qui ex vulnere in lecto cubabat, convocat, litteras recitat, simulque eas, quas à Portucarrerio acceperat; quibus demonstrabat Portucarrerius omnium animos in arce Guletana jacere, auxiliumque enixis precibus flagitabat. Utrisque litteris lectis, sententias exquirit; ac primum ex Sinoghera stagno & commerciis præfecto quærit, quantum, omnibus navigiis, quæ habeat, contractis, militum numerum uno commeatu transvehere possit. Ille, ut connitatur, non plus quadringentos respondet. Tum Serbellonus, litteras, inquit, illarumque sententiam audistis, Proceres, quoque statu res nostræ sint, juxta mecum omnes intelligitis; quantoque cum periculo copiæ in arcem Guletanam trajiciantur: quas si omnes trajicere, ut litteræ suadent, placet, id non minus sex commeatibus fieri potest: in quorum uno si offendatur, haud dubie utraque arx amittitur: quapropter mihi in animo est, Proceres, nisi vos aliter censeatis, delectam quadringentorum manum sub peritis & strenuis Ducibus ad Portucarrerium mittere, cum quibus ipsemet caput meum Deo & Regi nostro devoveo, speroque fore, ut præsentia mea animos Guletanorum prostratos erigam, ac cum iis, quos mecum veham, sine alio ullo novarum copiarum supplemento eam arcem, si Deus adjuverit, me retenturum confido. Acriter ab omni consilio restitum est in eo, quod se, arce Tunetana relicta, in Guletanam concessurum dixit; in reliquis assensum. Missi sunt igitur de Hispanis Martinus Cugnius, & Diegus Maldonadus cum suorum signorum militibus ducentis omnino numero: totidem Itali fuerunt, quos duxit Hercules Pisanus, tot de alienis militibus signis suis additis, qui ducentorum numerum explerent; Cugniumque & Petrum Boadilium verbis suis Portucarrerio demonstrare jubet, quam egregia sua sit in ipsum voluntas, quantæque curæ ejus & arcis Guletanæ salus: qui, nisi à consilio retentus esset, sese ipsum illi subsidio venire professus sit; cæterum debere Portucarrerium non adeo sese solum respicere, ut non cæterorum quoque non minus necessariam operam Regi navantium rationem ducat; ac cogitare, non minoribus angustiis, cæterum majoribus iniquitatibus res Tunetanas premi; neque æquum esse, illas copiis omnibus exinanitas Barbaris occupandas prodi: ad hoc considerandum illi esse subsidia die quidem submitti non posse omnino; nocte periculosissime submitti, cum non plus mille passus navigia arci appropinquare possint, stationibus Turcarum, & operibus ab illis excitatis prohibentibus, ut necesse sit militibus exscendere, ac per stagnum aqua cingulo tenus immersos pedibus ad arcem accedere, ut omni levi adverso casu pereundum sit: quæ res secum certam, & haud dubiam omnium perniciem, evidentemque caussam utriusque arcis amittendæ conjunctam habeat: animum igitur obfirmet Portucarrerius ad arcem cum iis, quas habeat, copiis, cumque duobus jam missis supplementis defendendam, quæ res non magni negotii, minimique discriminis sit; neque se videre ullam tantam timoris caussam, quam Portucarrerius significet, si modo is partes boni Ducis præstet, parque in illo sit negotio ac muneri suscepto animus, cum nulla ex parte, natura loci ita ferente, hostis magno numero illum invadere possit, ut multitudine defensorum egeat, præterquam ad belloarduum sancti Petri, cujus fossam exsiccaverant Turcæ; neque ad illud ipsum pluribus, quam quantas viæ latitudo caperet. Quare cum hunc locum munimentis ac validis stationibus firmarit, à reliquis illum securum esse, neque ullam vim in unum tantummodo locum incumbentem formidolosam, cui nullæ quamvis exiguæ copiæ non facile resistant; quas obsessi distrahere, ut multis locis occurrant, non cogantur: bono igitur animo Portucarrerium esse jubeant, ad quem, si res cogat, ac si arx in extremum discrimen adducatur, ipse cum omnibus copiis periculo eximendum advolaturus sit: cum his mandatis nocte ante diem quartum decimum Kalendas Septembris dimissi, cum exscensionem valde procul ab arce fecissent, inter scloporum hostilium ictus, quibus è munitionibus incessebantur, atque ex vado cum illis dimicantes, omnibus discriminibus superatis, incolumes arcem ingressi sunt.

Postero die, qui fuit ad duodecimum Kalendas Septembris, Turcæ omnibus rebus satis præparatis, ingentibus animis, magnoque impetu arcem invadunt: Christianisque acriter resistentibus, per septem amplius continentes horas pugnatum est. Turcæque tandem cum magna ipsorum cæde sub vesperum aversi sunt; cum ne Christianis quidem incruentum prælium fuisset, ducentis cæsis, ac trecentis vulneratis: fessos superioris prælii laboribus altera oppugnatio insequenti die excepit; quæ quamquam brevis, duarumque tantum horarum fuit, virorumque fortium opera ab illis edita sunt, vires tamen lassitudine debilitavit. Iterum igitur subsidium à Serbellono petunt; quod ab illo itidem quadringentorum haud retractanter missum est; ac per eadem discrimina, quibus superior commeatus, in arcem tandem pervenit.

Posterus dies, qui fuit decimo Kalendas Septembris, finem oppugnationi attulit: arx enim sine ullo certamine, ullove strepitu à Turcis capta est; cum neque milites, qui mille ducenti supererant; neque Dux quidquam, quod ipsorum muneris esset, fecissent. Qui Dux simul atque Turcas belloarduum Sancti Martini, munitionemque superpositam adscendisse vidit, nulli rei occurrens in veterem arcem extemplo se recipit; hostesque exteriore munimento, nemine resistente, potiti sunt, nec minore ignavia, minoreque cum dedecore interior arx amissa est; quam illico, nemine defendente, Turcæ intrarunt; cum murum duodecim pedum altitudinis sine scalis, nostris obtorpentibus, alii super alios scandentes, parvoque terræ aggere eo comportatæ extemplo excitato, superassent. Trecenti omnino milites superstites relicti sunt, atque imbellis sexus & ætatis circiter ducenta capita; reliqui omnes obtruncati. Portucarrerius, Ametesque frater, & filius Amidæ Regis in potestatem hostium venerunt: præda ingens fuit, magna vi armorum bellicorumque apparatuum omnis generis capta, in quibus fuerunt bombardæ circiter ducentæ variæ magnitudinis. Inopiam sublevavit magna annonæ inventa copia; sine qua Turcæ usque ad Idus Septembris, quo die Tuneto potiti sunt, tolerare vitam haudquaquam potuissent. Hostes captam arcem, ut jusserat Rex, cum omnibus ædificiis diruunt, cuniculis suffossam, igneque indito; navesque sub eam subducunt, bombardis statutis, atque in mare versis, quibus Austrium, si eo cum classe venisset, ab accessu arcerent.

Arce Guletana capta, omnis vis belli Tunetum, in novamque munitionem versa est; cum bellatorum numerus, qui fuerant millia quattuor, ad mille quadringentos redactus esset, reliquis partim ad arcem Guletanam missis, partim præliis, eruptionibus, transfugiis, aliisque belli casibus absumptis. Igitur Turcæ, bombardis statutis, tripartito arcem, triaque belloardua, Serbellonum, Auriam, Sancti Joannis quatere, ligonibusque eodem tempore suffodere incipiunt, cum munitioni-

 bus

bus producendis, fossæ appropinquassent, transversamque, & firmam, ac prægaltam munitionem in singulis trium belloarduorum oppugnatorum fossis excitassent, quibus ad ictus cæterorum belloarduorum ipsorum latera incessentium tuti essent: ad hoc parvum collem multa congesta materia ad eam altitudinem excitarunt, quæ aream belloardui Auriæ oculis subjiceret, aggeremque qui fossam belloardui Sancti Joannis transversam secabat, ita exaltarunt, ut eam quoque aream oculis subjectam haberent: vallaque & munitiones multiplicarunt, ut alicubi sexcuplices essent, alia ante aliam; cum à nostris opere prohiberi non possent, quod firmæ sclopariorum stationes in præsidium opus facientium locatæ continentibus sclopororum ictibus Christianos incessebant, ex quibus illico caderet, si quis è muro caput protulisset: qua peste, simulque iis detrimentis, quæ colliculus ac bombardæ inferebant, non minus in die quadraginta ex Christianis exanimabantur præter saucios, cum Turcæ opus ac verberationem numquam intermitterent, modo hanc, modo illam partem petentes, ut nihil tecti ac tuti obsessis relinquerent: qui tamen tantis iniquitatibus conflictati numquam in locis ruina patefactis obstruendis, decussis reponendis, cæterisque, quæ res necessario poscebat, obeundis mandata munera omiserunt, cum noctu exsequerentur, quæ interdiu nimis periculosa, atque adeo exitiosa essent; ac tria hæc arcis loca, in quæ major vis hostium incubuerat, quanto maximo defendentium numero in illa paucitate potuerant, firmassent; cum Turcæ munitionum numerum multiplicare, colliculos, & aggeres exstructos exaltare, Christianorum munimenta suffodere, cuniculos ducere, mœnia quatere numquam cessarent, eo artificio utentes, ut speciem arcem aggredi parantium sæpe præberent; quo Christianos ad eum strepitum caput proferentes ictibus sclopariorum expositos haberent.

Rebus in summas angustias adductis, Serbellonus potius, ut ne hunc quidem officii gradum omisisse videretur, cæteris omnibus in præparando & defendenda arce diligenter & integre servatis, quam ulla magnopere spe, circumsistens periculum majorem vim ad hominum curam & diligentiam stimulandam habiturum, quam imminens habuisset, litteras de consilii sententia ad Austrium dat, quibus statum rerum demonstrat: ex quattuor defensorum millibus se ad perexiguum numerum redactum, mille ducentis in arcem Guletanam quattuor commeatibus missis, reliquis varia peste ac belli laboribus absumptis; Turcas prægaltis excitatis munimentis arci circumvallatæ & belloarduis imminere; quod ni propere validum subsidium submittatur, arcem in hostium potestatem in ipsius Austrii oculis sedentis & inspectantis venturam; illudque Austrium assecuturum, ut expeditione sua ac consilio novæ arcis ad Tunetum exstruendæ nihil quæsisse videri possit, quam ut Turcas aliter quieturos irritaret ad Christianos non modo ex nova munitione, sed ex veteri quoque Guletana exterminandos. Viam quoque subsidii introducendi demonstrat: exscensionem enim ad Camaitam, qui pagus est ultra ruinas veteris Carthaginis, faciendam; stagnum inde petendum, quo cum milites in auxilium missi pervenerint, qui non pauciores sint duorum millium numero, secundum stagni littus ad Tunetum, & ad novam munitionem contendendum. Sinoghera quoque Præfectus insulæ in eandem sententiam ad Austrium scribit, affirmans ad extrema ventum esse, neque retineri arcem diutius posse: cæterum in ope ferenda à Serbellono discrepabat: nullum enim auxilium non serum fore existimabat; & hujus ipsius in arcem introducendi nullam aliam viam cernebat, quam si Austrius ipse cum tota classe veniret, ac fortunam pugnæ cum præpotenti Turcarum classe, quam non magnopere terrestria prælia copiis imminuissent, experiretur, sesque, ac classem in tantam aleam daret: magni autem laboris ac magni discriminis fuit harum litterarum mittendarum ratio: scapha enim, quæ litteras perferret, è stagno educta humeris hominum onus subeuntium tria passuum millia ad mare gestanda fuit: litteræ incolumes Panhormum, ubi tum erat Austrius, pervenerunt: quibus ille acceptis, consilium Procerum continuo vocat, litterisque per Scribam recitatis, quantas copias habeat, exponit, sex & nonaginta triremes partim ipsius Regis, partim ipsius stipendiarias, decem Principum amicorum, undecim peditum millia, quinque Hispanorum, sex Italorum; ac de ratione subsidii mittendi illos consulit. Variatum est sententiis, aliis non placere Camaitæ via à Serbellono proposita, cum dicerent eum locum non minus à stagno sex millia passuum abesse; interesseque puros ac patentes campos, per quos necessario iter faciendum sit, ut nullo modo exiguæ Christianæ copiæ equestrem illam Maurorum procellam vitare possint: igitur magnopere censere, ut exponendæ copiæ à parte Aracz subsidio obsessis eant, propeque à munitione Tunetana considant; ibique valido munimento excitato tecti in occasionem munitionis intrandæ intenti sint. Magnopere alii dissentire, arcique Tunetanæ per æqua per iniqua omnibus copiis, totaque classe opem ferendam dicere; nullumque discrimen in eo, in quo tanta res Philippi Regis, tantaque existimatio Christiani nominis agatur, recusandum: exempla etiam Principum proferre, qui nullis discriminibus in simili re tentanda deterriti sunt, quorum insigne erat, ac recens Henrici Gallorum Regis in subsidio in Fanum Quintini introducendo. Cum acriter in consilio pro sententia ab auctoribus pugnaretur, Austrius finem certaminibus imposuit, consilio suo exposito: sibi enim esse in animo dixit, cum septuaginta expeditis ac valido remigio firmatis triremibus Drepanum petere: ibi sperare aliquam se rationem consilii ad effectum perducendi initurum, ac consilium, quod res & tempus, aliquisque novus exortus casus dederit, se capturum: sibi enim stare sententiam omnia summa facere, personamque suam cuivis discrimini objicere: hac enim se mente ex Longobardia profectum in ea loca venisse: rogat, ut illi interea in omnes partes animum versent; sollertique cogitatione cuncta amplectantur, ut consulere in medium possint: factaque dictis continuans Drepanum iter dirigit.

Interea Turcæ, cum res usque ad octavum Idus Septembris in operibus ligonis & in quatienda arce fuissent, eo tandem die cælo albescente, omnibus rebus ad oppugnationem instructis, magno impetu arcem tripartito iis in locis, quæ diximus, invadunt; cum in ipso oppugnationis initio ignis è cuniculo in belloarduum Serbellonum ducto erupisset; cum majore tamen ipsorum oppugnantium, quam defendentium pernicie, in quorum caput major vis emicantis materiæ, quam in obsessos recidit: quo tamen adverso casu nihil ab incepto retardati sunt, magno scalarum numero ad singula oppugnata belloardua erecto, prælioque semper acrius, majoreque impetu repetito. Tandem Turcæ, Christianis acriter mœnia defendentibus, haud levibus acceptis detrimentis repulsi sunt; cum oppugnationem ab aurora ad meridiem produxissent. Mire felici hujus oppugnationis successu confirmati sunt militum animi, qui tot superioribus cladibus, ac tanta numeri imminutione fracti labare jam cœperant; ut alacres, ac cum hostium contemptu illorum impetus exci-

ciperent, impavidique sese discriminibus offerrent.

Idem igitur exitus secundæ oppugnationis fuit ante diem quintum Idus, eadem hora, eodemque impetu initæ, eodemque temporis spatio continuatæ. At tertia, quæ ante diem tertium Idus commissa est, judicium tulit, qui exitus rerum brevi futurus esset: ad sexcentos enim tantummodo bellatores sese redactos viderunt Christiani; cum in tutela belloarduorum oppugnatorum vix centeni milites essent, reliquis perexiguis copiis ad custodiam reliquorum trium belloarduorum ac sex interjectorum murorum relictis; ut in tam vasto ambitu tam exiguis sparsis copiis, vix in singulis partibus extremi speculatores essent: illud etiam accedebat, quod hostes in superioribus oppugnationibus quarta parte areæ singulorum belloarduorum potiti erant; neque quidquam inter oppugnantes & defendentes intercedebat, præter aggerem terrenum forma persimili humo è fossa egestæ, quæ ab imo lata, natura sua in acutum cacumen paullatim fastigiatur, non plus quam humani corporis altitudine: quem ipsum aggerem suffodiendo hostes continenter extenuare conabantur, cum ignibus, lapidibus, & aliis missilibus sese mutuo Christiani & Turcæ ex eo aggere incesserent; hostesque nocte, quæ postremam oppugnationem antecessit, bombarda in belloardui Auriæ parte, quam tenebant, statuta, longe plus aggeris dejicerent, quam quantum obsessi reficere possent.

Insequenti igitur die, qui ipsis Idibus Septembris fuit, Turcæ, oriente luce, magno impetu, atque omnibus viribus tribus in consuetis locis arcem invadunt. Acriter, ut in tanta paucitate, à Christianis resistitur: omnium atrocissima pugna erat ad belloarduum Auriam; in quo, tamquam hosti magis opportuno & extremo periculo propiore, ipse Serbellonus erat; eaque fortitudinis & audaciæ documenta ediderunt Christiani, ut incitatum impetum Turcarum comprimerent, postremo illos averterent. Dum ad belloarduum Auriam laboratur, ingens strepitus ad aures pugnantium accidit; Serbellonusque respiciens ignem cuniculo inditum ad belloarduum Serbellonum emicantem cernit: quare omissa pugna, eo propere accurrit, totamque frontem munitionis in ipso belloarduo inter obsessos hostes ductam ab erumpente igne eversam & complanatam cernit, hostesque, cum fumus omnia opplevisset, occasione usos magno numero aream belloardui ingressos; quibus Hispani & Itali, cum dextera & læva se ab incendio subduxissent, medio loco cessissent: quos Serbellonus appellans unum in locum, atque in medium belloarduum cogit, hortaturque, ut in extremo discrimine plusquam virilem operam pro se quisque edat: illi, & monitis, & extrema necessitate invitati, omnibus viribus connixi primo inferunt pedem, postremo hostem avertunt, & è belloarduo deturbant: Serbellonusque re restituta atque imperatis, quæ opus essent, ad belloarduum Auriam cursu propere revertitur, resque ibi perditas offendit; Turcasque aggeribus superatis Christianos trucidantes cernit, à quibus ipse, cum neminem præter puerum secum haberet, ignotus, quinam homo esset, captus est: qui eventus fecit, ut beneficii loco numeraret miserabilem filii casum pridie sclopi ictu sublati; quasi mors in tempore imminenti calamitati illum exemisset. Ita Christiani urbem Tunetum & arces tantis impendiis exstructas amiserunt majore cum dedecore, quam quanta cum gloria ea urbs à Carolo Quinto parta & firmata fuerat; cum ne ipse quidem Serbellonus vir cæteroqui fortis & prudens, idemque in primis cautus & peritus Dux reprehensione liberetur; quamquam in arce tutanda nullas seduli & boni imperatoris partes prætermiserit.

Expugnationem arcis Tunetanæ insulæ deditio mox secuta est; quam, Serbellono per epistolam jussu Bassæ conscriptam suadente, paucis ultro citroque commutatis verbis, fecit Sinoghera, libertatem & incolumem discessum sibi ac suis pactus. Cæterum pactorum fidem Bassa non quidem aperte fregit, sed impudenti, atque indigna tanto fastigio, degenerique, & abjecto caussidico erubescenda calumnia elusit: ex quadringentis enim capitibus, quæ omnino erant in insula, quinquaginta tantummodo dimisit; reliquos in servitute retinuit, interpretatus eos tantum pactis comprehendi, qui præsidio insulæ ante captam arcem Tunetanam fuerant assignati, non autem eos, qui in expugnatione arcis eo aufugissent, jam mancipia sua jure belli factos. In insula erat Paganus Auria, qui eo sontico morbo correptus concesserat. Is cum de deditione agi sensisset, salutem suam gregariorum quattuor Maurorum non perspectæ, quam Turcarum Procerum suspectæ fidei committere maluit; qui, promisso decem ducatorum millium accepto, hominem per occulta & devia itinera in parvam insulam, quæ è regione Tabracæ coloniæ sita nomen nostra ætate ab urbe accepit, incolumem perducendum susceperunt. Verum gens, cui nulla jurisjurandi religio, aut promissorum fides umquam sancta fuit, à natura sua degenerare non potuit: miserum enim adolescentem acriter primo se defendentem, ac perfidiam exprobrantem, à cujus ingenii & audaciæ indole, si vita longior contigisset, maxima quæque exspectabantur, circumventum obtruncant, caputque à cervice desectum ad Bassam deferunt, cum minus violatæ fidei præmium majori servatæ prætulissent.

VBER-

VBERTVS FOLIETA,

PATRICIVS GENVENSIS,

DE OBSIDIONE MELITENSI.

Obsidio Melitæ ex omnibus rebus, quas plurimas ætas nostra vidit, memorabilis in primis fuit, nullumque bellum aut nostra, aut multorum sæculorum memoria gestum est, in quo acrius, majoreque animorum certamine utrimque pugnatum sit; pluraque, aut majora sint edita egregiæ fortitudinis, audaciæ, constantiæ, documenta. Haud igitur opera abusus existimandus sim, si singula paullo diligentius persecutus fuero; quin etiam dies interdum, quibus res gestæ sunt, notavero; nomina eorum, quorum virtus, & opera conspectior fuit, tradidero, ne nonnullis quidem paullo minutioribus omissis. Multæ autem, eæque haudquaquam leves, ut Turcæ putant, caussæ Solimanum ad eam Expeditionem suscipiendam impulerunt. Primum vetus in Hierosolymitanos Equites odium, multipliciter invisos: quippe illos in expugnatione Rhodi incolumes dimissos tanti beneficii immemores studia sua cum perpetuo ipsius hoste ad sese oppugnandum conjunxisse, insignem in primis ac perpetuam illi operam navantes; ad hoc continentibus excursionibus omnem Africæ atque Asiæ oram infestam facere, quotidieque prædas hominum & mercium agere: quin etiam, quod intolerabile in primis videbatur, commercia Mecham urbem, in qua sepulchrum Mahumetis est, religionis caussa commeantium interrumpere: indignationem accendebat, quod cum reliquæ Christianorum classes Turcis contemptui essent, unæ Hierosolymitanorum naves formidolosæ erant: omnibus enim bellicis apparatibus affatim instructæ, ad hoc ingenti vi acrium bellatorum ac nauticorum sociorum refertæ in navalibus pugnis superiores discedebant; easque de Turcis victorias sæpe tulerant, ut illorum classes neque cum Hierosolymitanis congredi auderent; neque congressæ, nisi numero longe præstarent, pares essent. Quibus de caussis assiduis suorum querelis in Hierosolymitanos Equites incitabatur; mulieribus etiam religionem illi injicientibus, magnamque labem illius animo concipi dicentibus, ni nefarios prædones, qui piis hominibus aditum ad sanctissimum vatem suum venerandum intercluderent, quique exceptos in miseram servitutem abducerent, toto orbe terrarum exterminaret.

Ad veteres irritationes novus stimulus accessit Pignoni ad urbem Veles superiore anno expugnati, quæ expugnatio ut Philippo læta in primis fuit, quippe quæ Hispaniam hærente visceribus peste liberasset, ita Solimanum vehementer perculit in admirationem animi atque opum Philippi versum, quem nihil fregissent maxima classis pars ad insulam Lothophagitim, quam Gerbim appellant, amissa; neque duæ & viginti triremes in Hispaniæ littoribus naufragio paulo ante absumptæ, ut maritimas vires diu recuperare, seseque à tanto casu erigere non posse videretur; quin contra ingenti classe comparata, non modo Oranum è faucibus Sariffi omnibus viribus in ejus urbis oppugnationem incumbentis eripuisset, sed etiam ipsum tanti nominis Regem ultro bello lacessere non dubitasset. Ad hoc assiduis litteris & Ducum Turcarum, qui opida & arces in Africæ ora præsidiis tenebant, fatigabatur, non modo turpe illi esse dictitantium in tanto Imperio classibus Philippi, atque Equitum Hierosolymitanorum omnem illam oram vexari, ac nautica commercia impediri; sed etiam monentium, nisi obviam eatur, brevi omni Africæ possessione Turcas expulsum iri. Illa etiam tacita suberat cogitatio, se sibi ex tam opportuna insula gradum in Siciliam & in Regnum Neapolitanum facturum, stationemque classibus suis firmaturum, quibus ex propinquo omnia circa Christianorum maria infesta faceret, ac commeatus maritimos illis clauderet.

His de causis Solimanus Melitæ insulæ Hierosolymitanisque Equitibus arma inferre decrevit. Consilio à summis Proceribus probato, classem quammaximam instrui & ornari, atque alia, quæ in usum maximi belli necessaria sunt, comparari jubet: simul Regi Cirthæ fiduciario suo, ac Draguti imperat, ut classes, quas habeant, expediant, atque instruant; quantasque plurimas possint piratarum naves contrahant: seseque cum classe, quam missurus sit, conjungant: eadem mandata per omnes Regnorum suorum oras circummittit; præterea duos speculatores mercatorum habitu ad res explorandas in Melitam ire jubet. Hi situm opidi atque arcium contemplati; quin etiam altitudinem murorum & fossarum partim propinquo adspectu æstimando, partim hasta, quam gestabant, permensi, cum illam casu, aliasque res agentes modo ad murum erigere simularent, modo in fossam decidere permitterent, ad Solimanum reversi omnia, quæ cognoverant, referunt, cum etiam situm ac formam opidi & arcium in tabella descriptam attulissent.

Turcarum apparatus in Christianas Provincias statim, ut necesse erat, perlatus omnium animos exspectatione suspendit, cum non satis constaret, quem locum Turcæ petituri essent, quove tanta procella esset incubitura: magnique animorum motus excitati sunt: multi enim mortales consilium Pignoni expugnati improbare, quod Turcarum animos irritasset, tantamque belli molem Christianis populis conflasset, multorum cladium caussam futuram: formidolosa enim Christianis erant eo tempore Turcarum arma ac nomen ob multas aliam super aliam illis annis acceptas clades. At Garsias Toletus Vicarius Regni Siciliæ, & classium Philippi Præfectus arci Tuneti timens, raptim classe contracta, necessariis omnibus rebus comparatis, initio mensis Aprilis cursum Tunetum dirigit; atque in itinere exscensione ad Melitam facta, Joannem Valletam Magistrum Hierosolymitani

mitani Ordinis tantæ imminentis molis exſpectatione ſollicitum confirmat demonſtratione egregiæ Philippi in ſacrum Ordinem voluntatis, ac promiſſione ingentium terreſtrium ac navalium ſubſidiorum, ſi Melita à Turcis bello petatur: quare nihil eſſe, ait, quod ille de novis copiis comparandis laboret, ſuſtineat modo primum belli impetum cum eo, quod tum habeat, præſidio, ac delectibus inſulanis, delectaque Hiſpanorum manu, quam, ſimulatque in Siciliam reverſus ſit, ſeſe illi miſſurum affirmat: quam rem facilem ſibi fore recentibus adhuc corporibus & animis militum, neque belli laboribus abſumptis, aut confectis: ſeſe enim quamprimum affuturum: ad hoc magno Magiſtro ſumma contentione agente, retractans primo, ac penuriam, qua in ipſa Sicilia laborabatur, annumque frugibus adverſum excuſans, tandem precibus expugnatus ſe hominem cum mandatis Drepanum miſſurum promittit, qui rem frumentariam expediat, annonæque quantam maximam, ut in illis anguſtiis, vim poſſit, comparet, quæ Melitam ſubvehatur. Quibus promiſſis magnus Magiſter confirmatus, magni animi & conſilii vir, opidum atque arces munitionibus firmare; bellicos apparatus comparare; annonam, remque frumentariam providere; tota inſula delectum habere; aliaque, quæ tantæ obſidionis ſuſtinendæ uſus poſtularent, ſumma cum cura & diligentia expedire inſtituit.

Interea Garſias Tunetum appulit, arceque ad fauces portus omni generi bellicorum apparatuum, atque aucto præſidio firmata, omnibuſque proviſis, ſecurus ab eo periculo in Siciliam revertitur. Meſſanaque ut maxime opportuna ſede delecta, omnem cogitationem in liberationem Melitæ, ſi vis Turcarum in illam vertatur, confert: ac primum duo Hiſpanorum ſigna, ut magno Magiſtro promiſerat, mittit; qui urbe Syracuſis conſcendentes triremibus ſunt devecti: quo etiam pervenerunt trecenti & quinquaginta Itali milites ab iis miſſi, quibus militum extra inſulam ſcribendorum magnus Magiſter negotium dederat: eodem tempore nonnullam annonæ ac faſcium ſarmentorum copiam in uſum muniendi advexerunt partim naves ex Sicilia, Drepanoque urbe ad id ipſum à magno Magiſtro eo miſſæ, partim triremium Præfecti ea de cauſſa circummiſſi, onerariis, quæ in illos inciderunt, captis, & Melitam adductis; pretio frumenti dominis perſoluto: ex ipſa enim regione nihil, aut parum adjutus eſt, frumentis meſſi nondum maturis. At Garſias Philippum de ſtatu rerum certiorem facit; neceſſariaque auxilia poſtulat. Philippus intelligens in diſcrimine Melitæ ſalutem Siciliæ agi, omni ope ſubveniendum ſtatuit; Ducibuſque Provinciarum Italicarum & Præfectis claſſium imperat, ut Garſiæ præſto ſint, & imperio pareant. Garſias omnes triremium Præfectos cum claſſibus ſuis ad ſe ſtatim convenire Meſſanam jubet: præterea ingentem vim onerariarum, conquiſitoribus in omnes oras miſſis, ad ſe contrahit; Hiſpanoſque evocat: ad hoc per Duces in multas Italiæ partes miſſos, ac per litteras à Principibus Provinciarum Philippi amicis ac beneficiariis petit, ut viginti peditum Italicorum millia non quidem ita ſcribant, ut illis jam ex eo tempore ſtipendia procedant,(idque, ut pecuniarum impenſæ parcatur) ſed nomina dari jubeant, fidemque accipiant, illos, cum appellati fuerint, ad ſigna conventuros.

Interea claſſis Turcarum omnibus rebus inſtructa & ornata quarto Kalendas Aprilis ſeſquidecimi ſæculi Chriſtianæ ſalutis anno ſexageſimo quinto Conſtantinopoli ſolvit: quæ cum in Peloponneſum veniſſet, portum Methonis tenuit: ibi Muſtaphas Baſſa vetus ac peritus miles terreſtrium copiarum Dux exercitum recenſet. Fuerunt ex præſidiariis Anatoliæ ſeptem Spahiorum millia, ex præſidiariis Mitylenes, nonnullorumque obſcuri nominis opidorum mille. Janizeri, qui robur Turcarum exercitus habentur, quattuor millia & quingenti: ad hoc tredecim millia voluntariorum militum ex quodam hominum genere, qui vectigalibus ſacerdotiorum aluntur. Hi Solimano ipſi promiſerant, ſeſe pro religione ac pro fide Imperatori debita mortem forti, alacrique animo oppetituros: ex præſidiariis Romaniæ mille ducenti Spahii: præterea tria millia voluntariorum militum ex multarum gentium colluvie lucri cupiditate & rapinarum ſpe tractorum, ut omnes terreſtres copiæ ſummam triginta millium armatorum conficerent. Claſſis vero, cujus Præfectus fuit Pialis Baſſa, Conſtantinopoli profecta fuit triremium centum triginta; quibus additæ ſunt decem triremes præſidiariæ inſulæ Rhodiorum, ac duæ præſidiariæ Mitylenes: ad has triremes numero decem ſeptem; ut numerus navium, quæ remigio aguntur, tum eſſet centum quinquaginta novem: ad hoc onerariæ viginti duæ commeatuum & bellicorum apparatuum refertæ: quibus, ut poſtea dicemus, cum claſſis in Melitam perveniſſet, additæ ſunt ſex triremes ex præſidiariis Alexandriæ, ac tredecim, quas Drogutes adduxit: ad hoc decem minoris formæ triremes urbe Bona, & ex inſula Lothophagiti, ut numerus navium omnino eſſet remigio actarum centum octoginta octo, onerariarum viginti duarum. Claſſis, quæ tum contracta eſt, Peloponneſo profecta, ſecundoque vento uſa vigeſimo Kalendas Junias Marzam Siroccum unum ex inſulæ Melitæ portubus tenuit: portum enim inſulæ Araba voce *Marzam* appellant, in quo cum mari fluctibus aſpero jactaretur, in aliam ſtationem, quam *Majarum* vocant, conceſſit.

Sed prius ſitus & forma inſulæ Melitæ nobis eſt deſcribenda: eſt autem inſula Melita in mari Siculo Siciliæ inſulæ & Africæ oræ interjecta; diſtatque à Pachino Siciliæ promontorio ſexaginta millia paſſuum; ab urbe vero Tripoli, quæ eſt in Africæ ora, & à minore Syrti paſſuum millia ducenta ſeptuaginta. Patet hæc inſula in circuitu ſexaginta paſſuum millia, cum longitudo viginti millium paſſuum ſit, latitudo circiter decem: lateri, quod in Occidentem vergit, parva quædam alia inſula prætenditur, quam recentiores *Gozum* vocant, freto latitudinis quattuor millium paſſuum interpoſito. In media fere inſula urbs eſt eodem, quo inſula, nomine, à qua octo millium paſſuum intervallo abeſt inſulæ portus, ad quem obſidio, omniſque vis belli conſtitit. Is eſt ſinus oſtio Aquilonem & Siciliam ſpectanti mille circiter paſſus intorſus retractus, quem lingua ab intimo ſinu ad oſtium portus excurrens medium ſecat; duoſque ſinus facit: in extrema lingua tumulus conſurgit, in cujus cacumine arx munitiſſima eſt, quæ *ſancti Hermi* appellatur. Sinus, qui eſt à læva, *Marza Muſſetus* appellatur, nonnulloſque exiguos receſſus habet: ejus vero ſinus, qui eſt à dextra, latus quattuor receſſibus, iiſque ſatis amplis excavatur, quos tres intercurrentes linguæ diſtinguunt: in quarum una opidum eſt valido munimento cinctum, in ejuſque linguæ extrema parte arx & ipſa munitiſſima *ſancti Angeli* vocata loco edito ſita eſt: in altera vero proxima lingua arx eſt ipſa quoque munitiſſima, quæ *ſancti Michaelis* nominatur; quæ arx totum illud ſpatium, quod eſt à media ad extremam linguam, munimento amplectitur.

Validiſſimis & numero, & genere bellatorum præſidiis opidum & arces firmatæ erant: delectam enim militum mille partim Italorum, partim Hiſpanorum, partim Gallorum manum magnus Magiſter in

armis habuit: mille præterea navales ſocios conſpectæ multis in præliis virtutis, quingentoſque opidanos. Accedebant inſulanorum circiter quattuor millia, quos vicatim habitantes ex tota inſula ad ſe contraxerat ſclopis armatos, illiſque egregie utentes: ipſi Ordinis Equites, qui tum aderant, erant quingenti numero. Hæ omnes copiæ in opidum atque arces, quas diximus, diſtributæ ſunt: in caſtello enim ſancti Angeli quinquaginta delecti milites erant; arx ſancti Michaelis valido unius ſigni militum, ac navalium ſociorum duarum triremium præſidio tenebatur; quo etiam ſe contulit Petrus Montius Admiratus, qui poſtea magnus Magiſter fuit, cum magno equitum Italorum numero. In arce ſancti Hermi ſexaginta erant armati, quæ validiore præſidio poſtea firmata eſt quadraginta equitum & unius ſigni Hiſpanorum. Inſula Gozus octoginta armatorum præſidium habuit. Urbis vero veteris præſidio præfectus eſt Petrus Meſquita; quo etiam miſſus eſt Joannes Vagnonius cum ſex Equeſtris Ordinis viris, ac delecta centum & quinquaginta peditum manu. Campeſtri regioni præfuit Gulielmus Capperius Mareſchalus, trigintaque illi additi ſunt Equeſtris Ordinis viri, qui cum ſexcentis armatis illi attributis atque inſulanis equitibus ad ducentos quinquaginta numero regionem circumiret; ac pro loco & tempore, quæ opus eſſent, provideret; exque Turcarum conatibus conſilia caperet.

Hic admonuiſſe non ab re fuerit noſtræ ætatis uſum novum equitum nomen à Veteribus diverſum induxiſſe: omnes enim, qui equo merebant, cujuſcumque fortunæ homines à Veteribus equites vocabantur, & in equeſtri ordine cenſebantur; at noſtra ætate, qui equo merent, equeſtreque munus faciunt, equitum appellatione carent, neque equeſtris loci viri ſunt: ad quem ordinem ac nomen tantummodo admittuntur viri nobilitate & fortuna conſpecti; eſtque inſignis honoris titulus, qui vel à Regibus impetratur; vel à Majoribus veluti hæreditarius in poſteritatem inſigniorum gentium manat: locus poſtulare videbatur, ut litterarum monumentis mandaremus, quis ſit ſacer Hieroſolymitanorum Equitum Ordo; quod Reipublicæ genus; quæ hominum inſtituta, ac leges; quam præclaris, quamque piis de cauſſis fuerint inſtituti; quanto uſui Chriſtianis rebus ſemper fuerint, præſertim in ſacri belli Expeditionibus; qui illorum fuerit curſus ad gloriam; quam multa egregiæ fortitudinis ac bellicæ virtutis terra, marique omnibus ætatibus ediderint opera; quæ res tantas illis opes toto Chriſtiano Orbe conflarit; quo modo Hieroſolymis una cum Chriſtianis Regibus à Barbaris tandem expulſi multis locis pervagati ſint, quaſque ſedes tenuerint: quarum ultima Rhodus inſula fuit, qua à Solimano Turcarum Imperatore excedere coacti ſunt, cum arctiſſima obſidione cincti, atrociſſimiſque, & continentibus oppugnationibus eodem die ſæpe redintegratis conflictati complures menſes Turcam omnium Regnorum ſuorum viribus ſubnixum in ſe unos incumbentem ſuſtinuiſſent, omniumque ſæculorum & gentium memoriam fortitudinis ac virtutis gloria eo facinore ſuperaſſent: ad extremum quomodo inſulam Melitam ſedem ſibi delegerint à Carolo Quincto una cum urbe Tripoli in Africæ ora fiduciariam aſſignatam. Sed non neceſſe habui ea perſcribere; nam neque ſuſcepti operis eſt, qui res tantummodo ætate noſtra geſtas univerſa Hiſtoria complecti aggreſſi ſumus; & alii permulti diligenter ſcripſere. Ii igitur equites, quos diximus, non ex Equeſtri nobilium Ordine erant, ſed ex eo genere equo merentium, quod memoravimus: eorumque opera in excurſionibus faciendis, Turcis vexandis, commeatibus impediendis & expediendis, nunciis in Siciliam mittendis ſedula ac diligens, magnoque uſui toto hoc bello fuit.

Cæterum tanta erat in omnibus cupiditas manum cum Turcis conferendi, ut animorum ardor & alacritas oculis ac vultu emicaret. At magnus Magiſter tanto circumſiſtente terrore nihil animo fractus omnia ſedulo atque impigre comparare ac providere, muneraque inter Proceres partitus omnibus locis occurrere, ſuos hortari, quæ facto opus ſint, imperare, plurima ipſe obire, poſtremo nullas egregii Ducis partes prætermittere, cum Garſiam per expeditum nuncium adventus Turcarum è veſtigio certiorem feciſſet. Poſtero die claſſis in portum Marzam Siroccum reverſa nocte inſequenti copias per otium exponit; primaque luce inſequentis diei valida Turcarum manus ad vicum Catharinæ prope ab opido duo paſſuum millia ad ſitum locorum cognoſcendum accedit. At magnus Magiſter omnium primum ſupplicationibus ac ſollenni quadraginta horarum precatione Divini Numinis pacem expoſcit; quingentoſque armatos opido emittit ad iter & conſilium Turcarum cognoſcendum: inter quos & Turcas propinquos factos prælium commiſſum eſt, primo Turcis magis ſecundum, quorum creſcenti multitudini Melitenſes cedere coacti ſunt: qua re ex muris conſpecta, nonnulli Equeſtris Ordinis viri, magnaque cum illis armatorum multitudo opido erumpentes ſuis laborantibus ſubſidio accurrunt: forteque eodem tempore magna inſulani equitatus pars eodem ſupervenit: quare Melitenſes, qui primo cedebant, numero & animis aucti in Turcas converſi magno impetu illos invadunt: qui & ipſi ſubſidiis ſubinde accurrentibus aucti Melitenſium impreſſionem conſtanter ſuſtinent; atroxque aliquamdiu prælium fuit: tandem Melitenſes omnibus viribus connixi Turcas cum multorum cæde ac vulneribus avertunt.

Poſtero die Turcæ è vico Catharinæ, ubi ea nocte conſederant, movent; agmineque bipartito partim ad opidum ſuccedunt ad ſitum ac mœnia ex propinquo contemplanda; partim Marzam Muſſetum petunt. Qui ad mœnia ſubierunt crebris bombardarum emiſſionibus repulſi ſunt: in agmen Marzam petens valida armatorum manus, cum quibus nonnulli Equeſtris Ordinis fuerunt, emiſſa eſt; quæ acri ſex horarum prælio iter illorum morata eſt, modo terga cædendo, cedentibuſque inſtando, validiſque impreſſionibus ſæpe illos urgendo; modo Turcis converſis fortiter reſiſtendo. Non incruentum hoc prælium Turcis fuit, ex quibus plus centum quinquaginta partim cecidiſſe, partim graviter ſauciati dicuntur; cum de Chriſtianis non plus undecim occubuerint, ac triginta vulnerati ſint. Turcæ cum omnibus copiis ad Marzam Muſſetum conſidunt; cum viciſſet ea ſententia, quæ omnium primum arcem ſancti Hermi oppugnandam cenſebat, qua expugnata, portum ipſum Marzam Muſſetum in poteſtate eſſent habituri: quæ ſtatio longe tutior ac commodior, quam Marza Siroccus futura eſſet.

At Muſtaphas poſtero die, quam caſtra locata ſunt, prima luce copias tripartito diſtribuit: cum una parte ipſe ad ſitum arcis ſancti Hermi ex propinquo ſpeculandum ſuccedit, alteram partem ad eam opidi partem, quæ Provinciæ appellatur, cognoſcendam mittit; tertiam ad bombardas, reliquaque bellica inſtrumenta ad locum, in quo caſtra locata ſunt, attrahenda. Qui ad inſpicienda mœnia ſubierunt, utrique crebris bombardarum emiſſionibus repulſi ſunt: qui ad tormenta accerſenda miſſi, bidui ſpatio duodecim bombardas Marzam Muſſetum attraxerunt, magna boum copia ſuppeditante ex

ex præda, quam Turcæ ex tota insula ingentem egerant. Bombardis adductis, Turcæ aggeres ad arcem sancti Hermi excitare incipiunt. Eorum consilio cognito, magnus Magister eam arcem validiore centum quinquaginta armatorum submisso præsidio firmat. Postero die Turcæ castra propius arcem admovent, duabusque bombardis majoris formæ in colle quodam statutis, catenam, qua sinus opido & arci sancti Michaelis interjectus clauditur, navesque, quæ in portu erant, ædificiaque opidi atque arcis sancti Michaelis crebris emissionibus petere incipiunt; biremem que quandam ictibus demergunt; ac nonnullos mortales interficiunt. Magnus Magister è vestigio triremes tres in fossam opidi ad ictus Turcarum tutam subducit, aliasque tres demergit, ita, ut summæ navium partes æquor maris æquarent: eo die, is fuit VIII. Kal. Jun. Uluzalis præsidii Alexandrini Præfectus cum sex triremibus ad Melitam appulit: seque cum reliqua classe conjunxit.

At magnus Magister de Procerum consilio Camillum Medicium & Raphaelem Salvagum, Equestris Ordinis viros, illum ad Pontificem Maximum, hunc ad Garsiam Legatos mittit, Medicium, qui, quantis angustiis prematur, in quantumque discrimen adductus sit egregius ille Equitum Hierosolymitanorum Ordo, in quo tantum decus, tantumque præsidium Christianis rebus semper fuerit, Pontifici demonstret; illumque pro communis parentis jure obtestetur, ne sese in tanto discrimine deserat: Salvagum, qui Garsiæ diligentiam stimulet, classeque appulsa & copiis expositis, nullum esse jam differendi tempus doceat; officiique & promissorum commonefaciat; atque oret & postulet, ut promissa terrestria & maritima auxilia undique quamprimum properet contrahere; ac subsidio veniat; nonnullosque Christianos, qui in adventu classis ad magnum Magistrum transfugerant, secum ducere Salvagum jubet, ex quorum ore Garsias consiliis Turcarum cognitis, nihil sibi cunctandum, neque segniter agendum intelligat: imperatque Salvago, ne prius à Garsia discedat, quam consilia procedere videat. Hi ambo ea nocte triremi sancti Jacobi conscensa portum furto egressi in Siciliam iter dirigunt.

Per ea tempora Joannes Zerda arcis Præfectus ad magnum Magistrum validius præsidium, nonnullasque necessarias res petitum venit: simul admonet, exiguam arcem ac nullis prominentium turrium lateribus firmatam non esse tantæ moli in se incumbenti diu ferendæ: persimilemque esse dixit corporis longa tabe confecti, quod assiduo nutrimento egeat. At magnum Magistrum, etsi Zerdam vera dicere intelligebat; movebaturque pernicie tot egregiorum Equitum ac Procerum; multa tamen hortata sunt, ne ab arce defendenda desisteret, quorum illud primum fuit, quod eos, qui Philippo erant in consilio, lente acturos non dubitabat; intelligebatque, quanti operis, quamque diuturni temporis res esset, tantas terrestres & navales vires ex tam longe dissitis regionibus in unum contrahere; ac propterea exspectata auxilia seriora, quam opus esset, futura providebat: quare si arce sancti Hermi ipso initio Turcis cessisset, illos opidum è vestigio circumsessuros, atque oppugnare incepturos. Cui autem non apparere tantam procellam diu ferri non posse? ac paucitatem à tanta multitudine assiduis laboribus, vulneribus, cædibus brevi confectum iri? Turcas igitur oppugnatione sancti Hermi distinere statuit; eamque defensionem quamdiutissime extrahere, resque producere; ut interim Garsiæ ac Philippicis Ducibus tempus ad comparandum daretur; exspectataque auxilia, qua una spe ipsorum salus nitebatur, venirent. Necessitate igitur subactus est vir pius ac prudens Medicos imitari; atque, ut totius corporis salutem tueretur, membrum pati præcidi: quare bono animo esse Zerdam jubet: hortaturque, ut ipse ac cæteri in arce sancti Hermi defendenda fortem ac fidelem operam edant, quam ab illorum eaque multis locis conspecta virtute omnes exspectent: sese enim nulla in re subinde providenda defuturum: quod si milites, quos habeat, eo in præsidio esse graventur, se ipsum Magistrum cum novo præsidio eo accedere, atque ibi esse, extremaque omnia subire paratum dicit: simul petitas res large dat, ac centum & quinquaginta delectos Hispanos ad præsidium addit.

Dum Turcæ in munitionibus ad arcem sancti Hermi exstruendis, machinisque bellicis & cæteris ad oppugnationem necessariis rebus classe ad eum locum convehendis sunt occupati, Dragutes cum tredecim majoris ac duabus minoris formæ triremibus, quibus circiter mille & quingentos bellatores advexit, in Melitam appulit: honorificeque à Bassis exceptus est. Magna erat hujus viri apud Turcam auctoritas ob egregiam rerum bellicarum scientiam, atque usum; magnamque virtutis opinionem in angustis & maximis rebus sæpe spectatæ: plurimumque in illius consilio ponebat Turca, sine quo ne quid mari, aut terra molirentur, imperaverat Bassis. Is igitur instituta belli gerendi ratione cognita, consilium Bassarum magnopere dicitur improbasse; qui bellum ab expugnatione insulæ Gozi, atque arcis in ea sitæ ac Matris urbis non essent exorsi. Gozo enim adempta, viam subsidiorum submittendorum Christianis adimi; quæ res omnium prima providenda fuerit. Urbe Matre in potestatem redacta, veluti uberibus, quibus opida tamquam filii alantur, facile esse filiis simul potiri. Defendere factum Mustaphas; ac se eo consilio à sancto Hermo initium fecisse dicere, ut tutam stationem classis Marzam Mussetum haberet; neque huic consilio quidquam debuisse præverti: classe enim in tutam stationem redacta, tum cætera visuros. In ea lingua castra posuerant Turcæ, qua sinum discriminari diximus; in cujus extrema parte est arx ipsa sancti Hermi: igitur Mustaphas omnes industriæ & diligentiæ nervos contendens, cum in opere faciendo remigibus, quibus quadraginta triremes nudarat, uteretur, operarum copia abundante, brevi munimentorum opus ad effectum perduxit, quæ non ex aggere fabricabantur, cujus in locis asperi ac nudi soli nulla erat facultas; sed ex trabibus & asseribus inter se compactis veluti murus ducebatur, quem palea & lino referciebant: firmissimumque erat hoc munimenti genus ad eos, qui arcem quatiebant, ab ictibus ab arce emissis tegendos.

Igitur pridie Kalendas Junias quattuordecim muralibus bombardis statutis, arcem quatere instituunt, in primisque summam partem castelli, quod paullum ab arce disjunctum recenter ædificatum fuerat, decutere conantur, quod mire Turcas lædebat: tantum enim hujus castelli altitudo cætero ædificio exstabat, ut munimenta à Turcis excitata non satis ab ictibus à castello emissis milites tegerent: quod etiam castellum Dragutes ab extremo cornu Marzæ Musseti, quod, freto interjecto, est è regione arcis; simulque arcem ipsam quattuor majoris formæ bombardis quatere instituit: continentique verberatione cum numerum bombardarum auxissent Turcæ superiora propugnacula ac pluteos dejiciunt: quæ res Christianis usum bombardarum ademit; cum Turcarum ictibus aperti in muro consistere non possent: quare quod reliquum erat, ad ea, quæ quassata erant, reficienda, patefacta obstruenda, aggeres excitandos omnem curam atque operam ne nocte quidem cessantes transferunt. Turcæ opus assidue urgen-

urgentes munimenta quotidie proferre ac propius arcem subire, quæ brevi ad ipsam fossam perduxerunt: inde dextra & læva opus continuantes, totam oram fossæ in circuitu munimento ambire, atque ita arcem circumvallare aggrediuntur: pervenerunt tandem ad littus dextra in opidum versum. Igitur duabus bombardis statutis, magnaque sclopariorum vi ibi locata, navigia inter opidum & arcem commeantia, atque hominum & cæterarum necessariarum rerum subsidia in arcem subvehentia incessere cœperunt; ut sic ea commercia interrumperent: qua etiam de caussa, nonnulla navigia in eum sinum introduxerunt: quod inceptum Christianis infestum quidem illud commercium fecit; cæterum non plane interrupit: numquam enim navigia commeare destiterunt: læva vero munimento continuando, propugnaculum attigerunt, quod Marzam Musletum spectans ab ea parte veluti eminenti latere arcem muniebat; jungebaturque castello, quod diximus, muro quodam è lapidibus sine calce coagmentatis; isque murus quinquaginta sclopariorum statione erat firmatus. Igitur noctem Turcæ iis, qui erant in præsidio, assiduis è propugnaculo sclopororum emissionibus infestam & inquietam fecerunt: prima luce præsidiariis labore nocturno fessis solute & negligenter agentibus; extremoque vigile somno consopito interfecto, per fenestram ad usum bombardarum patefactam irrumpere cœperunt, ad quorum adspectum præsidiarii subito pavore exanimati, pugnæ atque omnis militaris muneris obliti sese in præcipitem fugam conjiciunt, partimque ex ponte ligneo, qui erat pone propugnaculum, in fossam se dejiciunt; partim, quibus id expeditum non fuit, à Turcis interficiuntur. Idem exitus fuit eorum, qui pavore & fuga præsidiariorum propugnaculi perculsi sese & ipsi ex altero ponte ligneo in fossam dejecerunt.

Turcæ propugnaculo potiti magnis clamoribus & ululatibus more illius gentis animi lætitiam significantes, cæco pugnandi ardore tracti magno numero in fossam descendunt, eodem impetu arce se potituros sperantes. In ea fossa inter ipsos & obsessos, qui omnes ex arce castello proximo in eam partem accurrerunt, à prima luce ad postmeridianum tempus acri prælio dimicatum est; cum Turcæ scalis ad murum erectis, quæ tamen muri altitudinem non æquabant, arcem conscendere tentarent: ceciderunt in eo prælio de Turcis circiter quadringenti; de Christianis quinquaginta: quod si arx lateribus prominentium turrium munita fuisset, longe majore clade inconsulta audacia eo die Turcis stetisset: cum ad opidum & arcem tanta animorum contentione res gererentur; non magis interea regio quieta, aut molestiis vacua erat: validæ enim Turcarum manus in tanta hominum copia ab exercitu discedentes tota insula prædabundæ vagabantur; ac cædibus, incendiis, vastationibus, passim grassabantur: in quos egregiæ equitum turmæ, delecta peditum manu comitante, ex urbe Matre sæpe erumpentes acres impressiones dabant, funestasque illis populationes faciebant, compluribus eorum interfectis & vulneratis, ac prædam dimittere coactis.

Interea nuntii à magno Magistro missi Messanam appulerunt, Salvagusque mandata magni Magistri Garsiæ exposuit. Garsias eadem, quæ sæpe promiserat, prolixe confirmat, sese in auxilia terrestria & maritima undique contrahenda totum animo & cogitatione insistere, quæ simulatque convenerint, quod, antequam dies ante diem tertium decimum Kalendas Augusti exeat, omnino futurum haud dubitet; se Melitam advolaturum, nullumque discrimen recusaturum dicit: neque enim

A suam, aut Philippi Regis sui fidem & pietatem pati, ut sacer Ordo Turcis opprimendus deseratur: proinde bono animo sit magnus Magister; certissimaque spe fretus opera eximia ac conspecta ipsius virtute & fortitudine digna edat: ipsumque met Salvagum, qui ea magno Magistro renunciet, remittit, duabus triremibus ipsius Ordinis illi attributis. Hujus viri egregia toto eo bello in primis opera & virtus fuit, magnoque multis in rebus sacro Ordini usui; cujus hoc non in postremis editum est ab illo specimen: nam cum triremes superato Pachino promontorio tempestate ulterius procedere prohiberentur; neque sine magno periculo navigationi se committere possent, Salvagus in tanta re nullum discrimen recusandum ratus, omissis triremibus, celocem conscendit, seque tanto discrimini sponte obtulit; quo superato, ad insulam appulsus portum ingrediendo aliud longe majus discrimen subiit, crebra veluti sclopororum grandine à Turcis, qui adventum senserunt, petitus; quibus nauta quidam juxta illum exanimatus concidit. Salvagus, legatione renunciata, eadem nocte à magno Magistro ad Garsiam remittitur, qui nihil recenti periculo fractus, celoce conscensa, eodem cum discrimine portum egreditur.

Propugnaculo potiti Turcæ, sarmentorum fascibus magna copia convectis ac super exstructis, illud ad altitudinem murum arcis æquantem exaltant, duasque bombardas in summo statuunt, murum neque ab ea parte, neque à reliquis, in quibus bombardæ statutæ erant, verberare umquam intermittentes: nonnullos etiam Turcas in fossam demittunt, qui exiguum victum secum ferentes à prima luce usque ad occidentem solem obsessos sagittis assidue incessebant; neque prius inde, gravi constituta pœna, discedebant, quam signa receptui cecinissent. Turcæ nihil, quod ad expugnationem arcis iter expediret, non moliendum rati, præter cætera opera, pontem etiam ex navium antennis validis funibus constrictum ejus latitudinis, quæ quattuor armatorum ordinem caperet, exstruunt; humoque superingesta insternunt, ne ignibus superne emissis absumi possit: eumque pontem ab exteriore ora fossæ cum muro arcis conjungunt; in quo consistentes murum excavare incipiunt, ac cavum ea amplitudine facere, in quo nonnulli eorum abditi supernis ictibus interiores lædi non possint: quam rem obsessi sentientes è regione ejus loci murum ducunt, omnia magno Magistro suppeditante ac providente: qui etiam præsidium centum armatis immissis auxit; fœminasque, quæ ex tota insula in eam arcem tamquam in tutissimum locum confugerant, ex arce in opidum deduxit: sauciisque, & nimio labore confectis militibus, & ordinum ductoribus in opidum subinde receptis, in eorum locum integros & recentes submittebat: multi enim ex utraque parte quotidie cadebant.

Erant præsidii Præfecti, ad quos summa imperii pertinebat, Eguarras Euboicus, Balius, & Brolius: Eguarras, quamquam vulnere in præliis accepto prægravabatur, magnusque Magister demonstrarat, se alium in ejus locum mittere paratum, respondit, *Sese defensionem illam non deserturum, neque arcem ullo modo exiturum: animum enim Deo immortali, corpus sacro Ordini devovisse: quod si alius magis idoneus inventus sit, æquo animo se munere Præfecti cessurum; meliorisque imperio pro privato equite obtemperaturum.* Brolius vero, cum sese senecta ac diuturno labore confectum tanto labori imparem esse respondisset, in ejus locum Melchior Monseratus missus est. At obsessi, quamquam labore numquam intermisso die ac nocte iidem semper urgebantur; tantum tamen certaminis mentibus imbiberant, ut neque corpore, neque animo succumberent; sed

sed dies & noctes intenti omnia impigre obirent, quassata reficerent, muros atque aggeres ducerent, pluteos excitarent, omnibusque locis multimoda arte occurrerent, Miranda ordinum ductore, cujus virtus in ea obsidione in primis enituit, egregiam operam navante.

Interea Salvagus Syracusas appulit; duasque ibi sacri Ordinis triremes nactus, Cornisono Præfecto magni Magistri verbis imperat, ut delectam quadringentorum virorum manum, quæ ex multis orbis regionibus in eam urbem convenerat, in insulam Melitam trajiciat, rationem quoque navigationis, quæ tutissima sit, ut magnus Magister monuerat, præscribit. Fuerunt autem in iis nonnulli sacri Ordinis Equites, ac complures insignis nobilitatis viri; qui omnes religionis caussa in sacram militiam fine stipendio nomina dederant.

Interea magna turbarum caussa Melitæ exorta est: qui enim in arce obsidebantur, nimio labore ac tædio fessi, tumultu & querelis ab infimis ordinibus ortis, de communi sententia magno Magistro scribunt, ventum ad extremum esse; neque durari jam posse; neque exiguum illum locum diutius durare adversus tantam vim posse; propugnaculi altitudinem arcis murum superare; superiora muri propugnacula ac pluteos decussos; sese ictibus nulla re tegente apertos & expositos ex superexstante atque imminenti loco crebra missilium veluti grandine obrui: jam Turcas ipsum murum moliri aggressos, cuniculumque agere, in quem si ignem indant; cui non apparere, exiguum illum locum subito eversum iri; seque omnes ruina illa obruendos? Proinde ea ipsa nocte navigia mittat, quæ ipsos in opidum trajiciant. Id ni faciat, stare sententiam ab ultima desperatione consilium vesanæ audaciæ capiendi: omnes enim arce erupturos, certissimæque morti Turcas aggrediendo sese sponte oblaturos; ut armati potius, ac pugnantes occumbant, quam tam deformi mortis genere vitam finiant, vel ruina oppressi, animaque inclusa suffocati, vel capta arce à Turcis veluti par numerus pecudum jugulati.

Atrox ac subitum postulatum magnum Magistrum ita perturbavit, ut diu neque mente, neque vultu constaret: tandem cum se collegisset, tres Equestris Ordinis primarios viros ad res ac statum arcis inspiciendum mittit, animorumque motus sedandos. Magnæ inter missos, cum singula diligenter inspexissent, & obsessos contentiones, jurgia quoque jactata sunt; retinereque missos volebant obsessi. Tandem cum missi lenibus verbis iras permulsissent; ad mediam noctem dimittuntur: qui cum ea, quæ cognoverant, magno Magistro renunciassent; res prima luce ad consilium refertur, magnisque altercationibus & disputationibus jactantur, cum cuniculi timorem ex vano natum esse constaret. Per ingentes contentiones res eo deducta est, arcis defensionem nullo modo omittendam; aliosque in eorum locum, qui ibi esse graventur, submittendos: summusque Præfectus creatus est Constantinus Castriotus, qui unus ex tribus missis auctor fuerat arcis retinendæ, sese in eo præsidio futurum professus: vix scriptum decretum erat; cum litteræ ab arce veniunt, quarum hæc fuit sententia: *Non se quidem arcem deserere in animo umquam vere habuisse; sed negligentiam eorum, qui extra arcem sint, eum tumultum commovisse: neque enim necessaria sibi in tempore suppeditari: proinde magnum Magistrum & consilium orare, ut diligentiores posthac sint: sese enim omnia extrema perferre, atque animam potius profundere, quam arcis defensionem deserere paratos.* Sententiam mutasse dicuntur ignominiæ metu, cum multi ex opido amicos clam per litteras monuissent, quantopere illorum ignavia vulgo vituperaretur; quantamque infamiæ labem nomini ipsi suo in perpetuum conciperent: pro singulis enim, qui exituri sint, quaternos intraturos; certatimque novo Præfecto creato nomina dare, arcem intrare cupientes: collaudatos magnus Magister, ac monitos, illos tum, cum in sacrum Ordinem cooptati sint, corpus & animam illi addixisse, neque esse jam illis integrum ulla discrimina recusare, ad quæ tanta jurisjurandi religione ipsi se sponte obstrinxerint, bono animo esse jubet: sese enim nulla in re defuturum: ita nihil mutatum est.

At Turcæ ante diem tertium decimum Idus Junias belloarduum in Marzam Mussetum versum malleis & vectibus assidue tundendo in eum statum perduxerant, ut veluti per gradus conscendi posset: ac quamquam opus alterius pontis, quem ex antennis instituerant, nondum ad effectum pervenerat, neque tantum ex summo muro decussferant, ut scalæ altitudinem æquarent; vesana tamen ferocia inducti arcem omnibus copiis aggredi constituunt. Igitur omnibus rebus præparatis, ordinibusque scloparioriorum & sagittariorum instructis, scalis ad murum erectis, arcem bipartito aggrediuntur ad belloarduum Marzæ Musseto oppositum, & ad eum locum, in quo pontem ligneum exstruxerant: funesque quosdam in sublime jactantes, caveas refertas humo, quas obsessi sese tegendi caussa in muro statuerant, harpagonibus apprehendere conabantur; cumque omnibus viribus conniterentur, manibusque eminentia saxa apprehenderent, ac veluti muro arreperent, nonnulli eorum in summum murum evadunt; signisque aliquot in caveis defixis, ignes artificio compositos in arcem jacere incipiunt. Verum mox ab obsessis acriter resistentibus & connitentibus retro impulsi sunt, & in fossam præcipites deturbati: quorum pars cum iterum consurgentes, aliique cum illis murum sæpe conscendere tentassent; nonnullique ad summum evaderent, simili ruina præcipites dejiciuntur. Ita in longa & atroci pugna irrito incepto, multorum sanguine ac cæde amentem ferociam luerunt; cum tamen ne obsessis quidem tam longa & acris oppugnatio incruenta fuisset.

Per ea tempora Medicius Romam pervenit, quingentosque pedites à Pontifice impetravit: quorum Dux primo creatus est Lucas Antonius Thomassonus Interamnas, perspectæ virtutis ductor, in cujus locum, illo mandatum munus recusante, suffectus est Pompejus Columna; centumque pedites additi, qui è vestigio iter ingressus pedibus Terracinam perrexit, unde classem conscendit; quam cum diu Tarracinæ exspectasset, multæque caussæ iter retardassent, serior eorum appulsus Messanam fuit. Per idem tempus Cornisonus Gozum appulit, ex opidanisque cognovit, sinum Antofegæ à Turcarum navigiis teneri, & in freto duas Turcarum triremes apparuisse; omniaque circa Turcarum custodiis clausa esse. Igitur tot nobilitate ac virtute insignes viros in manifestam perniciem non dandos ratus, sed meliori tempori reservandos, Syracusas revertitur.

Interea Salvagus Messanam venit, statumque arcis sancti Hermi, simul quantis angustiis magnus Magister ac sacer Ordo prematur, Garsiæ demonstrat, instatque, ut promissa auxilia mittere maturet: sese omnia sedulo facere, Garsias respondere; cæterum magni moliminis esse tam longe dissitas copias & classes in unum locum contrahere: ad hoc Regis & consilii diligentiam in tanta re desiderari; quam tamen ipse assiduis litteris & nuntiis stimulare non desinat. *At saltem*, inquit Salvagus, *interea, dum auxilia comparantur, delectam mille Hispanorum manum subsidio submitte, cum quibus, iis adjunctis, qui Syracusis præsto sunt, magnus Magister, dum Regia classis & auxilia conveniunt, tolerare oppugnationem possit.*

possit. Se visurum aliquid respondere Garsias, ac petit, ut magni Magistri postulata scripto edat, plurimum eam rem valituram ad diligentiam Regii consilii incitandam: scriptum edit Salvagus: summa postulatorum fuit; *Si parvum interea mille armatorum subsidium submittatur, magnum Magistrum sperare, sese usque ad tertium decimum Kalendas Augusti obsidionem producturum, dum promissa auxilia veniant: ea porro satis esse novem millium fortium bellatorum; qui si in insulam exponantur, eos non modo Turcis superiores haud dubie futuros, sed non dubitare, quin Turcæ primo adventu, ne tentato quidem certamine obsidionem solvant; atque ex insula excedant: ad viginti millia bellatorum tum esse redactos Turcas, reliquos varia peste absumptos; ac tum cum auxilia venerint, longe minorem numerum iisdem de caussis pugnantium fore; eos porro assiduis & intolerandis laboribus confectos ne ad arma quidem sustinenda suffecturos: numero tantum confidere Turcas, cæterum genere longe esse infirmas copias, quotidieque in pede referendo ignaviæ suæ signa haud obscura dare; cum non sensim, neque ordines servantes, sed effusa fuga cedant.*

Interea ad arcem sancti Hermi magnopere laborabatur; cum nulla quiete ab operibus & prœliis data, laborem diurnum nocturnus exciperet; Mirandaque, & alii nonnulli ordinum ductores ad magnum Magistrum venerunt, demonstraruntque, milites laboribus jam pares non esse; jamque vires ad arma sustinenda deesse: unusque eorum diserte magno Magistro dixit, se in arcem non reversurum: centuriam enim suam ad viginti quinque redactam, reliquos variis casibus absumptos. Sententiam retinere magnus Magister, hortarique, ut virtutis, ac religionis, & jurisjurandi memores animo ne deficiant: promissa Philippi Regis auxilia propediem affutura, se interea supplementis & aliis necessariis rebus illos juvare non cessaturum. Pudore victi in arcem revertuntur, ac sese ad omnia extrema perferenda confirmant, renovatisque studiis majore animorum alacritate intermissa defensionis opera repetunt, ollasque pice ac teda refertas & incensas dejiciunt; magnaque pontis pars igne concepto hausta est.

Igitur Turcæ, cum pontis consilium non procederet, per omnem circumjectam regionem vineta ac pomiferas arbores succidentes ingentem vim sarmentorum comportant, quibus fossam repleant: quæ opera facilia illis erant in tanta operarum copia: speculatoria enim navigia à Piali continenter circummissa nonnullas Christianorum naviculas ceperunt: idemque sermo inter captos constabat, non plus quadraginta triremes in portu Messanæ tum esse, & Joannem Andream Auriam abesse. Securus igitur ab eo periculo Pialis remigium ex septuaginta triremibus eduxerat, quas hominibus vacuas in portu Marza Sirocco habebat; castellumque ad eorum tutelam exstruxerat, quod quattuor bombardis firmarat. At Mustaphas, fossa aliqua ex parte repleta, periculum facere decrevit, quem animum, quasve vires defensores haberent; simul adscensum in arcem explorare: orto igitur sole, scalis admotis, multis ex partibus adscendere conatur. Christiani acriter obsistunt, conscendentesque Turcas deturbare nituntur: acre prælium commissum est, quod multas horas duravit ter à Turcis repulsis intermissum & integratum: qui cum magnam partem diei quievissent, iterum sub vesperum murum aggrediuntur: ex ea oppugnatione, simul ex verbis duorum transfugarum spem concepit Mustaphas arce se potiturum: quare postero die omnibus copiis, omnique apparatuum conatu illam aggredi constituit; atque, ut interim defensores assiduo labore defatigaret, totam insequentem noctem illis inquietam fecit, mœnia sine intermissione quatiendo. Igitur insequenti die, cum vix dilucescere inciperet, (is fuit dies ante diem XVI. Kal. Julias) Turcæ omni instrumento, omnique oppugnandi apparatu prolato, atque omnibus rebus instructis & præparatis, ingenti vi scalarum admota, arcem & castellum ex omnibus in circuitu partibus magno impetu aggrediuntur. Erat autem varium armorum genus: nam alii sagittis, omnique missilium genere, alii gladiis & clypeis, alii brevioribus hastis, alii ignibus compositis, quos vel fistulis æneis, vel fictilibus ollis gestabant, erant armati: contra Christiani ingentibus animis varie & ipsi armati resistunt; brevique atrox prælium fuit, ac spectatu horribile; non solum quod multi utrimque caderent, cum utrique, veluti mente ab omni periculi sensu alienata, in media mole pugnæ versarentur; sed etiam quod omnia circa sonitu armorum, crepitu ictuum, clamoribus dissonis, cadentium gemitu late perstreperent; flammaque fumo immista omnia compleret; ac modo prospectum inter se pugnantium adimeret; modo res conspectiores faceret. In tam triste spectaculum magnus Magister, cæterique Equestris Ordinis viri, ac militum, & opidanorum turba ex omnibus opidi locis in eam partem versis erant intenti, periculi quidem præsentis, at non curæ expertes: ad suam enim ipsi sortem fortunam pugnantium cogitatione & miseratione revocabant; intuentesque non pugnam modo, sed genus etiam pugnæ, tantamque molem in paucos illos defensores ingruentem cernentes, horrore ingenti perstringebantur; variusque erat in illis animorum habitus: alii vicem nobilium Equitum in tantum discrimen adductorum solliciti miserari; alii manus supplices ad cœlum tendere, omnibusque votis ac precibus Divini Numinis opem implorare, qui erant ferocioris ingenii, pugnantes veluti præsentes essent, eorumque voces exaudirentur, ut virorum fortium opera ederent, voce, gestuque corporis hortari.

At magnus Magister, nihil eorum, quæ auxilio pugnantibus essent, prætermittens, bombardas in omnibus opidi partibus arcem prospicientibus statuerat; quæ assiduis ictibus Turcarum latera incessentes, & magna detrimenta inferebant, & impetus sæpe retardabant; magnusque usus illarum una in re fuit. Turcæ enim omnibus viribus connixi in murum belloardui Marzæ Mussetto respondentis evaserunt, circiter quinquaginta numero, clamore velut arce capta lætitiæ indice sublato: infrequentes eo in loco defensores erant: omnes enim ad eam partem arcis, quæ ponte juncta erat, fere accurrerant: quod in eum locum major oppugnationis procella versa esset. Igitur qui erant in opido rem in summum discrimen adductam cernentes bombardam in eum locum collineant; cujus certo ictu nonnullis ex Turcis exanimatis, reliqui se ex muro dejiciunt. Ea res saluti defensoribus fuit. Tandem Turcæ omnia frustra experti pedem referunt; cum sex continentes horas ingentibus utrimque animis fuisset pugnatum: Turcæque paulisper intermissam pugnam atrociores semper coorti sexies repetissent: ceciderunt in ea oppugnatione de Turcis circiter octingenti; de Christianis non pauci; in quibus nonnulli fuerunt Equestris Ordinis viri, ac plerique militaribus honorum gradibus functi: fuit hæc altera oppugnatio ex iis, quæ universis copiis commissæ sunt: oppugnatione dirempta, sub vesperum magnus Magister saucios omnes ex arce deductos curandos distribuit; ac novum & recens præsidium centum & quinquaginta armatorum in arcem mittit; simulque cum illis haud exiguum operarum numerum; ad hoc magnam copiam centonum, funium ancoralium, aliorumque id genus ad tegendos bellatores aptorum.

Ini-

Interea Messanæ Salvagus Garsiæ instare, ut mille petitos Hispanos in Melitam mittat. Garsias extrahere, ac multa caussari: modo enim, unde essent eroganda stipendia, quærere: quam rem Prior Messanensis expediebat, de suo se menstruum stipendium persoluturum affirmans; modo se Hispanos non missurum dicere, sed illorum loco mille Italos; Chiappinumque Vitellium peritum Ducem exspectandum, quem cum Etruscis copiis jam iter ingressum constet. Nimis longum id esse respondere Salvagus, & Prior, interea res ad Melitam in periculo esse. Se igitur Prior milites scripturum suscipere: præberet modo ille trajiciendi facultatem. Vereri se respondere Garsias, ne navigia & præsidium à Turcis, qui omnia custodiis clausa teneant, intercipiantur: duplex in ea re damnum factum iri: nam & fortissimorum militum manum sine ullo fructu perituram; & consilia sua emanatura: tandem cum rem aliquot dies produxisset, pudore & precibus victus quattuor triremes mittit; in quibus fuerunt duæ sacri Ordinis, quarum, ut diximus, Præfectus erat Cornisonus cum delecta Hispanorum veteranorum cohorte; dato mandato Cardonæ triremium Præfecto, ut, si cum in Melitam venerit, arcem sancti Hermi expugnatam offenderit, nullo modo præsidium missum exponat. Syracusas cum venissent, una conscenderunt insignis illa Procerum & nobilium equitum manus, quos religionis studium ad piam & debitam operam sacro Ordini navandam in eam urbem attraxerat: fuerunt autem omnino sexcenti numero.

Interea ad arcem sancti Hermi vehementer laborabatur; Turcæque mœnia quatere nunquam desistebant. Contra Christiani assiduo opere dies & noctes urgeri; omnibus locis impigre occurrere; dejecta restituere; quassata reficere: munitiones ex materia, centonibus, velis, funibus ancorariis exstruere; cum sæpe etiam varias rationes pontis comburendi frustra iniissent, humo, qua pons constratus erat, materiam ab incendiis defendente: ac ne triremes quidem segne tempus interea terebant: quæ Marza Sirocco relicto in sinus sancti Paulli & sancti Georgii concesserant; insulamque circumibant, atque arcem ipsæ quoque à parte maritima verberabant. Illis diebus incidit casus, qui magnum in rebus momentum facere posset. Accesserat Dragutes ad oram fossæ: stragemque murorum ex propinquo contemplabatur, à periculis cavendis ad imperandum, quæ facto opus essent, tota mente aversa: forte globus bombardæ ex arce displosæ adversum parietem fossæ percussit; ex quo ictu fragmentum lapidis resiliens aurem hominis tanta vi percussit; ut sopitus, ac nihil sentiens conciderit, qui magnam vim sanguinis ex faucibus ac naribus evomens inter manus à suis pro mortuo inde ablatus est. Animadverterat Mustaphas, expugnationis extrahendæ magnam caussam esse subsidia, quæ subinde in arcem ex opido submittebantur: quibus interclusis sperarat haud dubie paucitatem illam, quæ semper recentibus copiis renovabatur, vulneribus, cædibus, laboribus brevi absumptum iri. Quare opus assidue urgendo omni cura intentus fuerat in munimento perficiendo, quod ab ora exteriore fossæ usque ad littus maris ad opidum pertinens ducebatur, quo tecti Turcæ sagittis & sclopis scaphas ab appulsu ad rupem, in qua arx est, arcerent: quod opus per hos dies ad effectum pervenit: quamquam Christiani, qui erant in arce, missilibus assidue superne incessendo Turcas ab opere prohibere omni ope frustra contenderant, tenebris noctis Turcas, qui erant in opere, protegentibus.

Ante diem decimum Kalendas Julias cum Turcæ assidue quatiendo eas strages muri multis in locis fecissent, ut facilis per eas esset adscensus, omnibus copiis arcem tripartito aggrediuntur: fuit hæc tertia universarum copiarum oppugnatio genere superiori haud absimilis; cum Turcæ scalis admotis magno impetu perrumpere tentarent; ac paullisper pugna intermissa eandem majoribus virium conatibus repeterent; idemque esset in iis, qui ex opido spectaculo erant intenti, animorum habitus: multis autem de caussis hæc quam superior atrocior fuit, quod longius usque ad vesperum producta est, & quod longe plures de utraque parte ceciderunt. Turcæ enim munitionem à parte belloardui Marzam Mussetum intuentis forma parum introrsus curvata excitarunt, cujus imminens altitudo ita munimentis arcis exstabat, ut omnia fere arcis interiora illi aperta essent. Hanc igitur munitionem cum magnus numerus Turcarum conscendisset, velut densissimam sagittarum nubem in arcem ac subjectos Christianos ingerebant; qui, ut in loco angusto conferti, tamquam sagittis destinatum petentibus, partim cadebant, partim vulnerabantur, in quibus fuerunt complures ordinum ductores, ac qui procurationes habebant; cum in eas partes discurrere cogerentur, in quas defensionis usus postulabat: nox pugnam diremit, quæ longe atrocior & miserabilior, quam ipsa pugna, obsessis fuit: qui per nuntium natantem (nulla enim alia erat facultas) magnum Magistrum certiorem faciunt ad extremum ventum esse, nec jam ultra sustineri posse; magnam defensorum partem in illius diei pugna occubuisse; qui superstites sint, majore ex parte saucios esse; verum integros nihilo magis esse pugnæ habiles, cum, viribus assiduo labore affectis, non modo non arma sustinere, sed vix pedibus hærere possint; ad hoc pulverem, ignes compositos, ac reliquos omnes defensionis apparatus consumptos: quare ni ea nocte validum hominum & apparatuum subsidium mittat, insequenti die haud dubie arce potituros Turcas, seque, quos sors pugnæ reliquos fecerit, veluti parem pecudum numerum Barbarorum crudelitati jugulandos objectum iri. Igitur magnus Magister quinque cymbas armatis & bellicis apparatibus refertas subsidio mittit: sed irritus conatus fuit: nam præter eos, qui munitione ad littus perducta tecti sagittis & sclopis, aliisque missilibus eos arcebant, Pialis monitu Mustaphæ octoginta triremes ad fauces portus appulerat, magnoque scapharum numero littori per totam longitudinem prætento omnia loca, in quæ subsidia submissa exscensionem facere solebant, occuparat; quæ scaphæ sagittis ac sclopis advenientes cymbas arcebant, quarum nulla terram tenere potuit, cum ter magnus Magister eas misisset, omniaque expertus esset. Igitur obsessi subsidio interclusi omni salutis spe adempta totam noctem inter gemitus morientium ac vulnera colligantium exspectatione certissimæ mortis insomnem traduxerunt; tandem appropinquante luce fletibus omissis, iisque, qui erant in castello, intra arcem receptis, ab ultima desperatione, nulla deditionis mentione facta, sese ad bene moriendum confirmant. Orto tandem sole Turcæ arcem defensoribus exinanitam invadunt, ac quamquam pauci illi obsessi omnem incredibilis virtutis conatum in extrema sorte ediderunt, tamen tanta multitudine longe superante brevi in arcem irrumpunt: quare qui reliqui fuerunt milites, cum Turcas in arce cernerent, sese ex mœnibus præcipites dejiciunt, cursuque ad littus contendunt, ac mare ingrediuntur: ex iis perpauci ad opidum adnatarunt: reliqui partim undis hausti, partim à scaphis Turcarum circum discurrentibus sunt interfecti: qui capti sunt, omnes crudelissime trucidati. In Equestris Ordinis viros omnia immanis ac barbaræ cru-

crudelitatis edita exempla sunt: pedibus enim suspensi per summos cruciatus intestinis etiam avulsis fœdum in modum expirarunt. Turcæ, ingentibus clamoribus sublatis, frequentibus signis in muro statutis, lætitiam arcis captæ significant; ex cujus exiguitate Mustaphas, quanta moles opidi futura esset, conjiciens, exclamasse fertur, *Proh superi, exiguus hic filius nos tam longa oppugnatione distinuit, quid parentem facturum putamus?*

Duravit hæc obsidio dies novem & viginti, cujus extremus, quo capta arx est, fuit pervigilium divi Joannis Baptistæ: in ea obsidione de Turcis plus quattuor millia cecidisse feruntur, iique ex melioribus & fortioribus, multique apud eos clari Duces, ac militaribus muneribus usi: de Christianis amplius mille, in quibus fuerunt multi Equestris Ordinis insignes viri, multique egregii ordinum ductores, honorificisque procurationibus ornati. Multis de caussis virtus Hierosolymitanorum Equitum ac Christianorum militum cum universorum, tum nonnullorum nominatim Ducum, ac Procerum in hac defensione memorabilis in primis ex omnibus rebus, quas audierim, videtur: nam præter tot vix humanæ patientiæ tolerabiles labores exhaustos, quibus, nulla quiete data, eosdem homines die ac nocte paucitas objiciebat, quibusque neque corpus fatigari, neque animus vinci umquam potuit; ac præter incredibilem fortitudinem & audaciam in discriminibus subeundis ac præliis ineundis; cum omnes, veluti mente à cogitatione periculi alienata, nulloque ante se cadentium exemplo retardante, in eundem sese casum alacres darent, ac certissimæ morti veluti devoverent; illud videtur ad posteritatis memoriam maxime insigne, quod in supplementis in arcem mittendis, cum omnes se ad minime dubiam perniciem mitti intelligerent, non modo nullus inventus est, qui retractaret; sed tantum fuit religionis in omnibus studium, pro qua se dimicare intelligebant, tantusque decoris æmulandi ardor, ut certatim nomina darent, supplicibusque precibus pro se quisque tamquam in summi beneficii loco à magno Magistro sese potissimum mitti efflagitaret. Procerum vero in laboribus exantlandis, discriminibus subeundis, præliis impigre ineundis, morte fortiter oppetenda ita omnia militaria officia constiterunt, ut multorum nomen consentiente omnium sermone celebre sit, in quibus virtus Mirandæ Hispani Magistri exercitus in primis enituit. Is vir rei militaris peritissimus, de cujus consilio omnia agebantur, cum toto obsidionis tempore in consulendo, providendo, omnibus locis occurrendo, neque imperando modo, quæ facto opus essent, sed pleraque ipse transigendo, omniaque maxima & minima obeundo, discriminibus sese ultro offerendo, in media pugnæ mole versando, vulneribus accipiendis omnes strenui militis atque egregii Ducis partes implesset, tot præclaras gestas res convenienti vitæ exitu conclusit: nam cum extrema oppugnatione multis vulneribus toto corpore in superioribus pugnis acceptis, confecto & exsangui non modo ad arma sustinenda, sed ad membra regenda vires deessent, tamen ad locum pugnæ deferri voluit: ibi milites cohortando, ut extremam illam operam Christo ac religioni fortem & fidelem navarent; & ad constituta cœlestia præmia accipienda una secum alacres properarent, interfectus est. Nec Turcis arcis captæ gaudium sincerum fuit: quibus, præter tot fortissimos bellatores & egregios Duces, qui flos & robur exercitus erant, amissos; funestam ac luctuosam expugnationem in primis fecit mors Dragutis clarissimi Ducis, in cujus consilio, astu, rerum militarium intelligentia, tanta erant ad res gerendas momenta; qui eo ipso die arcis captæ ex ictu accepto decessit.

Arce sancti Hermi capta, magnus Magister litteras querelarum plenas ad urbis Matris Præfectum mittit: desertum se ab iis, quorum ope juvari debuerit: quorumque fiducia tantam vim exspectarit, eorum negligentiam crebris litteris & nuntiis aliis super alium missis opem suppliciter implorantibus excitare non potuisse: arcem sancti Hermi immanissimis hostibus à Christianis sedentibus & inspectantibus per summam turpitudinem proditam; tot fortissimos milites, tot egregios Duces, tot insignis nobilitatis Equites & Proceres barbaræ crudelitati per acerbissimos cruciatus jugulandos relictos, quattuor tantum triremes toto obsidionis tempore semel in alto veluti in somnis apparuisse, ac subito evanuisse; nullam præterea opis ferendæ viam initam, ac ne tentatam quidem: imperatque, ut hæc Garsiæ perscribat: simul moneat, ni propere auxilio veniatur, inanem postea omnem conatum fore, oretque, ne miserorum Equitum salus ludibrio habeatur. Jussa facit Præfectus; ac non modo litteras, sed certum hominem cum illis ad Garsiam mittit, qui ad insulam Gozum advectus omni trajiciendi in Siciliam facultate carens scapham quandam nactus pluribus locis dehiscentem, ac multam aquam per rimas accipientem, cum nulla esset tum clavorum, aut picis copia, qua compages linirentur, recentibus coriis bubulis contegit, ac funiculis deligat: ita novo commento scapha ad navigandum idonea facta, in Siciliam transmittit.

At Turcæ arce potiti magnum Magistrum animis imminutum ad quasvis conditiones facile se adducturos credentes, turmam equitum mittunt, quæ cum arci sancti Michaelis appropinquasset, consistentes vexillum candidum colloquii postulantium index erigunt: paullo post extra turmam senex quidam procedit; iterque portam arcis versus capit: comprehensus nuntium se secum habere ad magnum Magistrum cum mandatis de conditionibus opidi dedendi dicit: vinctus atque oculis velatis extemplo ad magnum Magistrum mittitur. Magnus Magister hominem ad se adductum verbis male acceptum suspendi illico jubet: verum, re ad consilium relata, decretum est, jus gentium in nuncio valere debere: quare magnus Magister hominem propere è suo conspectu facessere, & ad suos redire jussum monet, ne amplius aut ipse, aut quisquam alius ea de caussa ad se revertatur: si quis venerit, capitis pœna temeritatem luiturum. Summa mandatorum, ut postea compertum est, hæc fuit: *Hortatur Bassa magnum Magistrum, ne vim, cui ipse nullo modo par esse posset, experiretur, sed deditionem faceret, incolumem enim se illum cum suis, suisque rebus omnibus dimissurum; quin etiam magnum Turcarum Imperatorem pro Melita concessa insulam aliquam opportunam in Ægeo assignaturum, in qua, si ita libeat, ipse cum nobilium Equitum suorum cohorte sedes ac domicilium collocet: pro qua honestum vectigal Imperatori pendat.* Hac spe frustrati Turcæ opido copias admovent, castrisque tripartito positis opidum atque arcem sancti Michaelis circumsidunt, munimento tantum in fronte ad ictus opidanorum tecti, cum terga nulla munitione tegerentur; sive is mos est Turcis, sive illi omnem muniendi laborem tum supervacuum ducerent, ut in nullo hostilis exercitus metu: adeoque mœnibus institerunt, ut voces loquentium ab obsessis exciperentur.

Per ea tempora Cardona, quem Syracusis cum præsidio conscendisse diximus, in conspectum insulæ venerat, Martineziumque Hispanum peritum & impigrum militem celoce ad urbis Matris Præfectum miserat, ad statum belli ac sancti Hermi;

mi, & ad locum, in quem tuto exscensionem faceret, cognoscendum; simul ad signum tuti, vel impediti accessus accipiendum: variisque casibus impeditus, ac variis erroribus jactatus cum bis in Siciliam ad locum, quem *Pozalem* vulgo appellant, reverti coactus esset, insulam Melitam tenere numquam potuit: tandem cum Martinezius, & una Quinsius Equestris Ordinis vir cum Martinezio à Præfecto missus ad locum Pozalis revertissent, signo accepto, atque omnibus satis exploratis tertio iter in Melitam dirigit. Magno usui ut multis locis, ita hic fuit opera & consilium Salvagi, qui sedula diligentia omnibus rebus accurrens Messana profectus Syracusas, ac deinde Pozalem venerat, ut difficultates, si quæ forte exortæ essent, expediret. Is cum mandata Garsiæ cognita haberet; neque eum, quem cuperet, ardorem in Cardona cognosceret, cum Martinezio & Quinsio egerat, eosque pro illorum fide obtestatus fuerat, ut cum in Melitam appulissent, ipsi primi omnium in terram exscensionem facerent; ac si forte arcem jam expugnatam offenderent, reverterentur ad Cardonam; atque arcem à Christianis adhuc teneri renunciarent, ne ille se mandatis Garsiæ prohiberi diceret præsidium exponere: quod monitum illi cum astu ac fide servarunt: nam cum latus insulæ, ac locum, qui *Petra nigra* appellatur, classis tenuisset, in duas scaphas se dimittentes ad terram appellunt; ac cum nonnullis obviis in conspectu classis collocuti subito reversi renunciant Cardonæ, arcem sancti Hermi, qua jam quinque dies Turcas potitos cognoverunt, nondum captam, verum in extremas angustias adductam: quare copias rebus tam urgentibus properet exponere: itaque expositæ sunt in locum, qui ab urbe sex millia passuum abest. Magnus Magister re per litteras Præfecti cognita, lætus nuntio rationem itineris, & ad quem locum accedant, perscribit: igitur illi postero die iter ingressi. Is fuit Petro & Paulo festus, densa forte ac peropportune exorta nebula agmen à conspectu Turcarum tegente, non recto itinere, sed ex magni Magistri præscripto trium millium passuum circuitu, ut fallerent, Marza Musseto vitato, ad Marzam Scalam iter dirigunt; & ad eum locum littoris, qui *Rivella* appellatur, prope ab æde Salvatoris perveniunt: qui unus locus, cum cætera omnia circa opidum Turcis clausa essent, stationibus & munimentis erat intermissus. Ibi scaphas à magno Magistro missas præsto habuerunt, à quibus in opidum incolumes sunt delati, & à magno Magistro, totaque Equitum cohorte, militumque & opidanorum circumfusa turba effusa lætitia accepti & complexi, omnibus illos laudibus prosequentibus, ac servatores de cœlo demissos acclamantibus; virtutemque, ac fidem ad cœlum extollentibus: qui, cum extra omne periculum essent, sese ac salutem suam in tanta voluntaria discrimina obtulissent; atque in eosdem cum cæteris casus pro religione devovissent. Qua re cognita Mustaphas negligentiam suam magnopere accusasse dicitur, qui non eum quoque aditum subsidiis interclusisset; atque è vestigio munimentis productis, firmaque hominum statione ibi posita, eam quoque partem circumvallavit.

Eo tempore quidam Christianæ religionis desertor, qui complures annos apud Turcas fuerat; ab illisque opibus & honoribus auctus in equestrem Spahiorum ordinem lectus, mente divinitus monita, omni re sua spreta ad Christianos & ad magnum Magistrum nando transfugit; quique sit, exponit, magnumque Magistrum docet, Mustaphæ esse in animo, magna bombardarum vi arcem sancti Michaelis à colle sancti Hermi quatere, stratoque muro, omnibus copiis arcem ab ea parte magno impetu invadere. Jam antea, arce sancti Hermi capta, magnus Magister veritus, ne Turcæ catenam, quæ à littore opidi ad littus sancti Hermi juncta portum claudebat, perfringerent; atque ita per omnes sinus partes excurrendi liberam facultatem haberent, eam inde transtulerat; eaque ab opido ad arcem sancti Michaelis ducta sinum interjectum clauserat, ut saltem illa pars à Turcarum excursionibus tuta esset: ad hoc gravi edicto sanxerat, ne quis ad opidum, aut ad urbem Matrem ullum Turcam captivum faceret; sed omnes trucidarentur, ut Turcis ea crudelitate irritatis, ac propterea omni spe veniæ suis adempta, nemo de deditione cogitaret, sed omnes certissimo suppliciorum metu sese ad dimicandum, omniaque extrema præferenda confirmarent; nullamque aliam salutis spem, quam in virtute positam haberent: igitur Mustaphæ consilio ex transfuga cognito, sollerti animo omnia circumspiciens, quæ Turcarum conatibus opponeret, de peritorum consilio vallum ex validis antennis & malis navium contextum ab ea littoris parte ducere constituit, quo Turcæ ab accessu mœnium arcerentur: verum extremi littoris ea erat duritia soli, in qua pali defigi non possent, ut vallum quindecim circiter pedes introrsum retractius ducere coactus sit; atque illi quoque parti opidi timens, quæ nationi Germanicæ, & Anglicæ defendenda obvenerat, nonnullas scaphas catenis inter se devinctas ibi demersit, quæ ab ea parte Turcas arcerent.

At Turcæ bombardis in colle sancti Hermi, & in aliis opportunis locis statutis, tertio Nonas Julias opidum ab una parte, atque angulum castelli sancti Angeli, quem *Rostrum* vulgo appellabant; arcem vero sancti Michaelis ab omnibus fere partibus quatere incipiunt; continenterque complures dies verberando bombardisque sæpe, prout usus postulabat, modo in has, modo in illas partes translatis, magnas murorum strages multis in locis ediderunt: nam arcis sancti Michaelis tantum muri quodam loco decusserunt, ut strages fastigium conscendentibus opportunum efficeret: rostri vero sancti Angeli, & proximi muri, atque eminentium circa turrium tantam partem straverunt, ut ruina solo fere æquata sit: quæ res facilis Turcis fuit: nam ab ea parte, quæ maritima erat, ut minus suspecta, minusque oppugnationibus obnoxia murus erat exigua crassitudine, neque aggere introrsum firmatus: ad hoc nulla erat quassata reficiendi, atque aggerum & munitionum opponendarum facultas; cum ne nocte quidem, quod tempus muniendi & reficiendi, ac patefacta obstruendi obsessis liberum datur, Bassa quatere intermitteret, ut nemo ab ea parte in opere consistere posset.

Interea Hispani præsidiarii ex Italicis Provinciis Messanam convenerunt, eodemque tota classis contracta est. Quare Salvagus, qui, ut diximus, ex eo tempore, quo in Siciliam venit, numquam Garsiam precibus fatigare destiterat, ut promissum subsidium in Melitam mitteret, Messanam reversus, ac nuncio arcis sancti Hermi expugnatæ accepto, tum vero acrius ac liberius Garsiæ instare, fidemque promissorum implorare. Garsias non aperte recusare, sed retractare, perplexeque respondere, ac multa caussari; modoque Italicas copias nondum venisse, sine quibus tantam rem ingredi non possit, modo se Turcis longe viribus inferiorem, dicere. Hoc ipsum conqueri Salvagus; ac nimis lente in tanto discrimine agi dicere; extrahique se, & miserorum Equitum salutem ludibrio esse: ni cessatum esset, magnum Magistrum ac sacrum Ordinem eripi jam obsidione potuisse: neque excusationem imbecillitatis virium accipere: nam si fortiter & audacter agere velint, non

non posse quamvis ingentem classem prohibere, quo minus copiæ in insulam exponantur: nauticos & maritimarum rerum peritos in eam rem testari: deinde non esse hanc excusationem Garsiæ jam integram, quæ tum afferenda fuerit, cum magno Magistro omni asseveratione confirmavit, se omnino subsidio venturum: illis promissis magnum Magistrum ac nobilissimum Ordinem inductos, Garsiæque fidem secutos tantam Turcarum in se intentam vim, & fortiter exspectasse, & constanter sustinere: nunc in ipso discrimine miseros Equites deseri, ac Turcis trucidandos projici: quorum spem nisi Garsias promissis suis aluisset, consilium sibi capturos fuisse, neque se in manifestam perniciem temere præcipitaturos; cum urgeret Salvagus, ac Deum hominesque testaretur, fidem non servari, sacrumque Hierosolymitanum Ordinem prodi; hæcque & alia ejusmodi non modo ipsi Garsiæ libere diceret, sed palam concionantis in modum vulgo vociferaretur, negligentiamque Garsiæ asperis ac liberis verbis perstringeret; enimvero ea res Garsiæ stomachum fecit: qui Salvagum magnam sibi audientiam, magnosque ad se hominum concursus facere animadvertens; hominesque vultu ac nutu dolorem atque assensum significare; purgare sese, atque invidiam cunctandi, neque opis subito ferendæ detestari cœpit; cum diceret omnibus apparere, non esse se ad apertam vim Turcis parem: promisisse se quidem magno Magistro subsidio venturum; verum ea spe fretum promisisse, quæ ipsum defecerit: nam ex centum viginti triremibus sibi à Rege promissis ad nonaginta se redactum; & Turcarum classem majorem esse, quam nuntiabatur, ipsummet Magistrum testari. Alexandriæ enim & aliarum insularum præsidiariis præter exspectationem additis, plus viginti triremibus auctam esse: qua re fieri, ut utraque ratione ducta quinquaginta amplius triremibus inferior sit, quam animo præceperat: quomodo igitur nonaginta triremes, ac paucas onerarias, quarum in pugna qui usus sit, magna mercede multis locis ætatem nostram didicisse, ducentis Turcarum triremibus præter onerarias, quibus ne ipsi quidem careant, objiciatur? in eam rem litteras Regis proferre, quæ ita Melitensibus subsidio iret imperabant, ut diserte tamen adscriberet, caveret, ne in manifestam perniciem classem projiceret, qua una omnium Christianarum maritimarum rerum spes ac salus contineretur: jam vero copiarum furto in insulam exponendarum multo minus rationem explicatam habere: quomodo enim fallere possit, cum illud constet, octoginta Turcarum triremes remigio, sociis nauticis, pugnatoribus refertas, omnibusque apparatibus instructas tam exiguam insulam assidue ambire, ut omnis aditus clam illis vel parvo navigio sit interclusus, nedum tanta classis fallere posse speret? non tamen se subsidio omnino iturum negare; sed rem temere nolle præcipitare, verum cum Ducibus ac peritis deliberare: cum iis aliquam rationem opis ferendæ interea, dum accersitæ Italicæ copiæ conveniunt, initurum: bono igitur animo esse omnes jubet, caput curarum sibi Melitæ liberationem esse affirmans; neque segne interea tempus terere, sed, quæ ad eam rem pertineant, sedulo comparare & expedire: quibus verbis ut fidem faceret; utque quod viribus deerat, arte suppleret, duo commentus est: nam scaphas onerariarum, quæ firmiores essent, magno numero comparavit, quas armatis implere in animo habebat, & in earum unamquamque singulas mediocris modi bombardas imponere; quæ, pugna commissa, cum triremes inter se junctæ hærerent, per intervalla triremium occulte discurrerent; hostiliumque triremium latera bombardis incesserent. Alterum commentum tale fuit. Retia ex firmis & crassis funibus quamminutissimis maculis contexi imperavit, quæ palorum ordine in utroque triremium latere defixo sustinerentur, ad eam altitudinem, quæ inferius pugnantibus impedimento non esset, instarque tecti essent non fastigiati, sed plani, in quibus singulis centeni sclopis & aliis missilibus armati consisterent, qui, pugna commissa, ipsi pluteis tecti subjectos Turcas & apertos ictibus missilium superne peterent: quamquam hoc commentum à multis nauticarum rerum peritis, ut inane improbabatur, planeque inutile fore dicebatur, si triremes mari fluctibus aspero jactarentur.

Jam multis ante diebus Joannes Andreas Auria triremium suarum classe Messanam venerat: is adolescentiam vix ingressus cum avitam & contestatam gentis Auriæ, ac Majorum suorum in rebus navalibus gloriam virtute retulisset, eaque jam inde ab initio adolescentiæ audaciæ, consilii documenta multis locis dedisset, ut appareret magni in illo futuri Ducis indolem esse; tum vero in Melitæ obsidione ejus virtus in primis conspecta est: nam cum complurium præclarorum consiliorum Garsiæ sæpe auctor fuisset, tum vero illud eximium, ac neutiquam vulgatæ laudis fuit; quod nuncio sancti Hermi capti, ac tanto sacri Ordinis discrimine permotus, magnitudineque animi inductus, professus est, se audaci & memorabili facinore tantum imminens periculum discussurum; caputque suum pro Christiana religione, ac pro Philippi majestate, ejusque Regnorum salute in omne discrimen objecturum: tres igitur expeditas triremes de omni classe se delecturum dicit, ex eorumque remigio omnia servitia detrahere; in eorum locum Christianos ad remum damnatos & constrictos sufficere in animo habere; iisque ad impigram & fortem operam navandam libertatis spe incitatis, compedibus detractis pro militibus uti: in triremes porro duo veteranorum Hispanorum signa, eos præterea equites, ac milites, qui religionis studio in Siciliam convenerint, ut in Melitensi bello operam suam Christianæ Religioni navarent, impositurum: ita fore, ut numerus bellatorum tribus triremibus trajiciendorum omnino circiter mille & ducentorum sit; quo præsidio recentium delectorum in opidum inducto, vel eo solo omnes Turcarum impetus magnus Magister possit sustinere; vel certe, si illud non satis sit, rem extrahere, dum quamvis serum universarum copiarum auxilium in insulam trajiciatur: rationem porro subsidii in opidum inducendi periculosam quidem in primis esse: verum in tanta re nullum discrimen fugiendum: eam autem esse ejusmodi, se cum triremibus ad insulam accessurum, ac magno Magistro adventus sui per celocem certiore facto, ut catena sublata liber sit in portum interiorem ingressus, ostium portus silentio noctis intraturum: non dubitare se, quin fauces portus à triremibus Turcarum insideantur: verum improviso adventu dubitationem Turcis injecturum, hostiles-ne, an de suis triremes sint: ad hoc, tenebris omnia tegentibus & incerta facientibus, haud exploratum Turcis fore, quantus sit triremium numerus; sic, dum illi inter ancipitia consilia spectabundi hæsitant, se vim remis facturum & penetraturum: quod si Turcæ Christianas esse triremes sentiant, ac numerum deprehendant, hoc non prius fore, quam ipse illis ita appropinquarit, ut illi non satis temporis habeant ad detendendum, atque arma super tabulatum extrahenda, seque ad pugnam aptandos, quodque majoris moliminis & diuturnioris est, ad ancoras tollendas; quæ dum illi expediunt, se interea remis pervicturum, ut in portum irrumpat: quod si Turcæ impigre antevertant, ipsumque adipiscantur, se magna vi globorum

rum in illos displosa, tantisper illos à manu conferenda moraturum, dum remigio omnibus viribus in spem promissæ libertatis connitente, celeritate triremium illos prætervolet: neque moveri se ictibus bombardarum ab arce sancti Hermi superne emittendis, qui, nocte præsertim, quam incerti sint, multis locis compertum esse: quod si fato prorsus iniquo utatur; ipseque à Turcis capiatur, quid aliud damni fieri, quam unius capitis & exiguarum copiarum amissarum?

Garsias in admirationem audaciæ ac virtutis versus consilium laudat ac probat; ac non modo eam facultatem facit, verum solenne insuper promissum ab illo exigit præclara cogitata exsequendi: cæterum dum Joannes Andreas se omni alacritate & diligentia comparat, secum reputans Garsias tantæ nobilitatis adolescentem, tantique in rebus navalibus nominis, cujus consilio, scientia, virtute maritimæ res Philippi in primis niterentur, in tam præcipitem casum haudquaquam dandum, sed majoribus rebus reservandum, consilium mutat, Auria summa ope contra tendente, atque expostulante; ut Garsias precibus & novis rationibus victus Auriæ morem gerere iterum coactus fit: cæterum paullo post, mutata sententia, Auriæ se, quod ille cuperet, permissurum præcise negavit; quem cum viginti septem triremibus ad copias Etruscas (fuerunt autem quattuor peditum millia) à Chiappino Vitellio conscriptas tollendas, seque cum classe Hispaniensi, quam tandem Genuam appulsam allatum est, conjungendum mittit: neque tamen consilium Auriæ omittendum ratus easdem triremes tres ita, ut suaserat Auria, remigibus Christianis instructas mittit; quas Pompejus Columna, qui diu Garsiam precibus & obtestationibus fatigaverat, ut mitteretur, cum præsidio Pontificio, quod adduxerat; atque una, qui subinde ex compluribus locis convenerant, equites conscendunt. Verum Garsias caute agendum statuit, neque illos in incertum casum dandos; sed tuto & explorato ingressum tentandum: igitur imperat, ne prius ad insulam accedant, quam per celocem litteræ suæ ad magnum Magistrum perferantur, quibus magnum Magistrum subsidii submissi certiorem faciebat: petebatque, ne tam egregia manus Turcis temere projiceretur: qua utrum ipse indigeret, ac tutus aditus esset, an contra, signis editis declararet: tuti accessus signum fore sonitum bombardæ sub exitum primæ vigiliæ ter per modica intervalla displosæ; interclusi vero ignem in singulis tribus vigiliis in loco edito, ac late conspecto sublatum, qui horæ spatium duret; quo exstincto continuo sonitus bombardæ semel displosæ edatur. Triremes cum Melitæ appropinquassent, sex passuum millia procul ab insula consistunt, celoceque missa, ac literis magno Magistro redditis, signum aditus interclusi ac revertendi accipiunt: quare nulla re tentata in Siciliam revertuntur.

Dum auxilia lente comparantur; ac res segniter administrantur; tempusque disputationibus & nunciis circummittendis teritur; interea Melita atroci, internecinoque bello ardebat; opidumque & arces arctissima obsidione premebantur: scapharum trajectus inter opidum & arcem sancti Michaelis assiduis Turcarum missilibus interseptus erat, multique commeantes quotidie absumebantur: igitur magnus Magister Petri Montii Admirati, illiusque arcis Præfecti monitu ponte ex suppositis cadis ac tabulis superstratis ea latitudine exstructo, quæ binum ordinem armatorum caperet, opidum & arcem junxit, per quem tutior & expeditior erat commeantibus transitus: quæ res in oppugnationibus magno usui fuit, subsidiis, quæ subinde laborantibus submittebantur, facile commeantibus.

Per ea tempora Assanus Bassa Rex Cirthæ magni Turcarum Imperatoris fiduciarius cum octo & viginti triremibus minoris formæ, ac duabus majoris, quibus duo millia egregiorum bellatorum advexit, in Melitam appulit; magnaque lætitia à Bassis, ut tempore tam opportuno, est exceptus: igitur Mustaphas, copiis & animis suorum auctis, arcem sancti Michaelis omni vi aggredi constituit; scaphisque, & naviculis varii generis ad quinquaginta in portum opidi partim per ipsum ostium portus nocturno tempore introductis, quæ littus linguæ, qua sinum distinctum diximus, per totam longitudinem legentes in intima portus penetrarunt, partim terrestri via per ipsam linguam incredibili militum labore transvectis; in eas duo peditum millia imponit, qui partem maritimam aggrediantur, hisque Uluzalim præficit: à terrestri vero parte sex armatorum millia mœnia invadere jubet. Prima igitur luce, quæ fuit Idibus Juliis, naviculæ à littore linguæ moventes magnis clamoribus sublatis arcem petunt, cum prius vallum ab ea parte exstructum, ut supra dictum est, funibus revellere frustra conati essent. Eodem tempore altera acies, cui terrestris pars oppugnanda attributa erat, mœnibus succedit: at obsessi ancipiti periculo urgente ingentibus animis se ad resistendum parant, & ad pugnam aptant: igitur ii, qui à parte maritima veniebant, cum exscensionem in loca æqua facere vallo prohiberentur, ad extremam partem arcis, quæ rostrum appellatur, quo vallum productum non erat, flectunt: ibi in promontorium, in quo ipsum rostrum exstructum est, qui locus arduus & periniquus exscendentibus erat, exscensionem faciunt, præ pugnandi ardore omnis periculi immemores; cum à Christianis crebris scloporum ictibus superne peterentur: magnaque scalarum vi ad murum rostri erecta pars assensum tentant, pars ulterius procedentes ad locum ruinis solo fere æquatum perveniunt: ibi inter ipsos & obsessos, cum veluti æquo campo manum consererent, ingens prælium subito commissum est. Eodem tempore Turcæ à parte terrestri magno impetu mœnia aggrediuntur; nec minore constantia & audacia à Christianis ibi quoque resistitur: prælium igitur ingentibus animis inceptum ipso certamine magis ac magis accendi, atroxque in primis pugnæ species esse; neque gladiis modo, & hastis, ac sagittis, & sclopis, sed ignibus compositis res geri; multi utrimque cadere: ad hoc clamoribus Turcarum ex circumjectis locis pugnam spectantium & cientium, gemitibus morientium, bombardarum ac scloporum sonitu omnia perstrepere: præterea fumo ex emissionibus bombardarum sublato veluti densa nube prospectum adimente omnia circa modo obumbrari, modo ignibus veluti fulguribus intermicantibus refulgere. Diu & acriter ubique pugnatum est, magnaque cædes Turcarum vesana audacia sese inferentium edita; magno Magistro valida Procerum ac militum subsidia suis laborantibus subinde missitante, Montioque in omnes partes discurrendo ac providendo, omnia maxima & minima impigre obeunte. Tandem cum vires & animi Christianis crevissent, Turcæ illorum impressionem jam ferre non valentes terga vertunt, præcipitique fuga mare ac scaphas repetunt, quos fugientes Christiani insecuti & urgentes ictibus scloporum conficiunt. Turcæ scaphas, quas quisque adeptus est, trepidantes, ac sine ordine, seque mutuo urgentes ac trudentes conscendunt: quarum nonnullis conscendentium multitudine prægravante demersis, qui in illis erant, naufragio perierunt: qui scaphas

præsto non habuerunt, ut perniciem à Christianis prementibus vitarent, in certiorem pestem inciderunt: in mare enim amenti trepidatione sese projicientes, cum omnes fere nandi essent ignari, infinitumque spatium enatandum esset, undis hausti sunt: miserabilisque in primis fuit Turcarum in undis pereuntium adspectus, cum plerique eorum manus supplices ad Christianos tendentes, illosque per immortalem illum, quem colerent, Deum obtestantes, eorum misericordiam implorarent: brevique omne circa mare fluitantibus cadaveribus, capitibus, ac membris à corpore detruncatis, ad hoc scutis, galeis, thoracibus, signis constratum est; eaque fuit clades Turcarum, ut de duobus millibus, quos à parte maritima mœnia aggressos diximus, sexcenti tantummodo incolumes ad suos redierint: reliqui nonnulli capti; maxima pars varia peste absumpti: à parte quoque terrestri nonnulla, longe tamen minor, clades accepta est: minus enim pugnæ ibi fuit; ut numerum cæsorum Turcarum ac graviter sauciorum mille octingentos excessisse constet: neque Christianis incruentum sane prælium fuit, in quo nonnulli ex insignioribus Equestris Ordinis viris, ac circiter octoginta milites ceciderunt; ac non pauci gravia vulnera acceperunt: captivi jussu magni Magistri ad unum sunt jugulati.

Magnus fuit in castris Turcarum luctus; magnusque Mustaphæ mœror, qui ab ea arce, quæ pene capta videbatur, mœnibus ubique fere stratis; quaque sese copiis admotis è vestigio potiturum sperarat, tantam cladem, tantamque ignominiam accepisset: quin etiam ita illi exploratam ac minime dubiam expugnationem fuisse ferunt, ut in scaphis captis magna copia funium & compedum inventa sit, quibus Christianos captivos vincirent. Secundum eam oppugnationem obsessi, cum Turcæ quatere intermisissent, atque in alias partes bombardas transtulissent, ex quibus majores strages murorum se facturos sperabant, summa contentione, ne nocte quidem intermissa, munitionem urgentes, paucis diebus quassata refecerunt ac firmarunt, patefactaque aggeribus obstruxerunt; ut de integro omnibus ex partibus muri essent quatiendi, præterquam ab ea parte, quæ Magistro exercitus defendenda obvenerat; quod ibi Turcæ aggeres ita ultra promovissent, ut illis murum arcis pene attingerent. At magnus Magister in omnes partes dies noctesque animum versare, cum nihil vel minimum non suæ curæ esse existimaret, omnia, quæ ad defensionem pertinerent, summa diligentia exsequi, ingenti numero ignium artificio compositorum fabricato, magnaque copia ahenorum calida pice refertorum ad loca oppugnationum statuta, quibus subeuntes hostes perfunderent: ad hoc latus illud arcis, quod brachio maris ab ea parte, quæ *Bromola* appellatur, alluitur, totum in longitudinem usque ad intimum sinum catena ex validis antennis contexta communiunt.

Cæterum Mustaphas, ut omnia tentaret, ad aliam oppugnandi rationem animum adjecit: nam cum cerneret stragem ipsam muri, qui à parte Magistro exercitus attributa, ut diximus, refici non potuerat, pro munimento obsessis esse, ligone & malleo utendum ratus, murum multis in locis excavare incepit: quam rem cum obsessi sensissent, è regione ejus loci interiorem fossam ducunt; tantaque à Christianis contentio adhibita est, ut biduo ad eam altitudinem foderint, ut solum fossæ cavis Turcarum depressius esset: qui idcirco in irritum inceptum sese terere tempus animadvertentes, excavandi opere omisso, munitionem, qua murum pene contingi diximus ad littus, usque ad castellum in Bromolam vergens producere instituunt: ab alia quoque parte munimentum super aggere ipso fossæ excitant eo usque productum, ut ad ictus ex arce opidi emissos tegantur, atque ut arcem omni ex parte urgerent, alio in loco in ipsa ora fossæ muro adversa, immanibus antennis ac navium malis nocte defixis, pontem exstruere incipiunt, haud absimilem illi, quem ad arcem sancti Hermi ædificarant: tutoque in eo opere versabantur, cum Christiani, pluteis ac propugnaculis decussis, neque caput proferre, neque missilibus Turcas ab opere prohibere possent. Ab hoc ponte quamquam perexigua detrimenta Christiani essent accepturi, quod ille locus non esset quatientibus opportunus; tamen magnus Magister nullam quamvis parvam rem negligendam ratus, imperat, ut omnia tententur, quamobrem pons evertatur. Jussa impigre facit Magister exercitus, bis nocte delecta manu irrito incepto emissa, quæ pontem comburere tentaret: igitur Perisottus magni Magistri fratris filius juvenili ardore tractus, delecta juvenum manu secum educta, interdiu ex arce erumpit; eo consilio, ut sublicas fune apprehenderet, quo deinde à Christianis ex arce contento & adducto, sublicæ revellerentur, ponsque corrueret; verum ictu sclopi percussus, sopitus concidit, interque manus ab iis, qui cum eo erant, in arcem est relatus.

Igitur cum frustra omnes conatus essent, obsessi fenestra proximum murum aperiunt, ac bombarda duos globos catena inter se annexos, ne inanis ictus esset, emittente, pontem ex ea quatientes nonnullam antennarum partem perfringunt; quem ut incendio totum absumerent, locum muri è regione pontis perfodientes foramine ad pontem penetrant; ignesque compositos in illum emittunt: qui conatus, quamquam sæpe ignem materia concepit, non modo sine effectu fuit, Turcis incendium prohibentibus; verum etiam obsessis damnosus: bombarda enim è regione statuta, atque eo collineantibus Turcis, globi per foramen penetrantes nonnullos intra arcem, qui erant in opere, interfecerunt. Erant singulæ opidi atque arcis partes singulis nationibus defendendæ distributæ: atque unaquæque nationis suæ primarium virum Præfectum, singulique Præfecti cohortem nationis suæ equitum circa se habebant: tantusque erat in omni hominum genere pugnandi ardor, tantusque præ sempiterna cœlesti gloria, quam se in sacro bello occumbentes adepturos confidebant, mortis contemptus; ut Duces non modo rebus consilio & imperio regendis adessent, sed suis ipsi corporibus prælia impigre inirent, seseque discriminibus alacriter offerrent: quare multi quotidie in continentibus certaminibus gravia vulnera accipiebant: ex quibus, & ex ægritudinibus, ac morbis ex nimio labore contractis nonnulli decedebant; ut sæpe necesse fuerit in sauciorum locum alios Præfectos sufficere. Sed virtus magni Magistri in hoc quoque mortis contemptu, ut in cæteris imperatoriis artibus, quas toto hoc bello edidit plurimas, in primis enituit.

Percrebuerat fama Mustapham solenni jurejurando sæpe confirmasse, se, cum opido potitus esset, omnes, qui in illo inventi fuissent, ad unum interfecturum, nulliusque ætati, aut dignitati parsurum; unumque magnum Magistrum vivum servaturum, quem in triumpho ductum ante magnum Imperatorem statueret. Re cognita magnus Magister in frequenti Procerum & Equitum cœtu clara voce in concionantis modum ejusmodi verba pronunciavit, *Non ita se Deum immortalem à Christianorum caussa aversum existimare, ut fortissimos milites suos immanibus Barbaris religionis suæ hostibus trucidandos sit relicturus: verum si, Divina ira hominum sceleribus irritata, tam luctuosus exitus ipsos maneat; sese, ut laborum fuerit, ita mortis quoque socium fore: gregarii enim militis vestitu sumpto in mediam pugnæ molem se projecturum; ac certissimo discrimini oblaturum, ut ignotus ac pugnans occumbat; neque Bassa-*

gan-

gaudium ac gloriam magni Hierosolymitani Magistri capti, & in triumphum ducti præbeat.

Animadverterat Bassa in oppugnationibus arcis continua subsidia laborantibus ex opido submitti: quare ut magni Magistri curam ad opidum defendendum averteret, (neque enim putabat illum in illa copiarum paucitate ad omnia suffecturum) bombardis in omnibus opportunis circa opidum & arcem sancti Michaelis locis statutis (fuerunt autem sexaginta numero murales omnes ac maximæ formæ) opidum & arcem multis locis magno ac continenti impetu quatere instituit: crebri erant ac pene continui ictus; cum Turcæ in bombardas displosas mira celeritate pulverem sacculis quibusdam, ac globos inderent: erat atrox in primis & horribilis totius negotii facies, muris continenter quassatis multis in locis procidentibus; ad hoc fumo in sublime elato, ac numquam intermisso, alio post alium suboriente, densissimisque tenebris omnia opplente, ac lucem solis adimente; præterea solo contremiscente, ædificiisque ingenti soli motu concussis pluribus in locis fatiscentibus, ac speciem & metum mox ruiturorum præbentibus; postremo fragore assidue edito sensum aurium, animosque obstupefaciente: qui tantus fuit, ut interdum ex ipsa Sicilia per tantum locorum spatium exaudiretur: illudque belli genus aliquot dies fuit, ut Turcæ à prima luce ad occidentem solem undique opidum & arcem sancti Michaelis, bombardis sæpe alio & alio translatis continenter quaterent: cumque ingentes murorum strages multis locis ederent, obsessorum omnis opera ne nocte quidem quieti data in muniendo ponebatur: cum alibi mœnia ipsa ruinis patefacta aggeribus, varioque munimentorum genere ex materia & centonibus obstruerent; alibi ut loci ac defensionis natura postulabat, muros ac munimenta introrsus ducta opponerent: maxime igitur miserabilis erat Melitæ conditio; maximisque animi & corporis angustiis obsessi premebantur: nam labor operis non die, non nocte intermissus, qui vel eosdem semper in illa paucitate urgebat, vel parvum quiescendi intervallum dabat, ita illos confecerat, ut jam vires ad laborem deessent; cum non milites modo, sed opidani quoque sine ullo ætatis, aut sexus discrimine in opere versarentur: ad hoc, Turcis ex superioribus locis assiduis bombardarum ictibus interiora arcis nuda & aperta petentibus, multi, qui erant in opere, necessariasque res administrabant, quotidie vulnerabantur & interficiebantur: quibus tamen ante se cadentium casibus nemo ab opere & à se offerendo deterrebatur; certissimæ mortis exspectatione, si Turcæ opido potiti essent, omnium mentes à cogitatione incerti periculi avertente: præterea aqua laborari jam cœptum erat; non quidem ut tum esset illius penuria, sed quod magnus Magister serius auxilium veritus, quam ut aqua sufficere posset, omnia ante prospiciens, ne in subita & improvisa re trepidaret, aquæ altitudine omnibus in locis, in quibus adservabatur, explorata, jam illam viritim admetiri inceperat. Jam vero nimium seri ac lenti auxilii, qui erat unica spes, mentibus hominum insidens metus supra cætera omnia mala angebat: quæ res per crebras litteras à magno Magistro Garsiæ demonstrabantur, celocibus subinde per captas occasiones furto emissis: quibus litteris magnus Magister Deum immortalem, ipsiusque Garsiæ fidem obtestabatur & implorabat, ne auxilium mittere differret; si diutius extraheretur, superfluum omnino futurum; ventum ad extrema esse: nec durari jam ultra posse; mœnia passim strata; magnam partem hominum varia peste absumptam; paucis, qui supersint, jam vires ad arma sustinenda deesse: jam vero ut cætera mala vincantur, famem vinci naturam non sinere.

Cæterum ne apud Turcas quidem res interea lætæ erant: nam re frumentaria laborari cœptum erat, longinquis subvectionibus, ac variis de caussis impeditis: ad hoc continuis laboribus, cœloque ipso, atque intolerandis æstivis caloribus conflictati vario morborum genere tentabantur, alvi in primis profluvio, ex quo multi quotidie decedebant. Bassarum animos in primis angebat constans inter omnes captivos sermo, Messanæ classem centum circiter triremium & quadraginta onerariarum contractam; florentesque, ac magnas Italicas & Hispanienses copias convenisse, quibus recentibus atque integris suas jam extenuatas, ac vulneribus, laboribus, morbis confectas haudquaquam pares futuras intelligebant, flore præsertim ac robore exercitus varia peste absumpto: igitur, ne improviso deprehenderentur, octoginta triremes bellatoribus ac sociis nauticis refertas, omnibusque rebus affatim instructas insulam assidue circumire jubent.

At Garsias litteris magni Magistri vehementer perculsus confestim rescribens hortatur, ne animo deficiat, neve labori succumbat: Philippi Regis certam stare sententiam, ut Melitæ subsidio omnino eatur; neque ullum discrimen recusetur: sibi vero Garsiæ studio sacrosancti ac nobilissimi Ordinis ex immanium Barbarorum faucibus eripiendi neminem omnino mortalium, ac ne ipsum quidem magnum Magistrum præcurrere, quin etiam optare se in ipso opido esse, atque quemadmodum nunc tantummodo curæ & sollicitudinis est, ita periculorum quoque socium esse: sese igitur omnia summa facere, ac porro facturum, ut copiæ, quæ à se non minore desiderio Messanæ, quam ab ipso Magistro in Melita exspectentur, quamprimum conveniant: quibus contractis, se è vestigio iter ingressurum: neque mirari debere magnum Magistrum, si cum tam longe mandata & imperia Regis fuerint petenda, res diutius omnium exspectatione & desiderio extrahatur: venisse jam libera Regis mandata; ac Joannem Andream Auriam multis ab hinc diebus à se in Etruriam ac Genuam missum, qui res expediat ac copias Etruscas advehat; quo appulso, nullam se moram interpositurum: interea se onerarias, quod impeditioris navigationis sint, Syracusas præmissurum; ne, cum triremes advenerint, expeditius navigantium triremium iter morentur: totum igitur mensem Augustum, cum tum Julius in exitu esset, ipsi durandum esse, certissima auxilii spe subnixo, ac quod reliquum est malorum, constanter perferendum: interea Cornisonum cum triremibus sacri Ordinis se remittere, cum delecta manu Equestris Ordinis, ac reliquorum nobilitate insignium virorum, qui religionis caussa, nullaque mercedis spe, sacræ militiæ sponte sese addixerant, in Siciliamque convenerant: illis se signa jam conventa edidisse: orare tamen, ut si omnes aditus sint omnino interclusi, ne tam delectam nobilium manum in certam pestem se dare patiatur: monere in primis, ut summam diligentiam in aqua partienda adhibeat: hoc omnium curarum caput esse debere. His litteris datis, & onerarias præmittit, & Cornisonum dimittit, atque una cum illo certos homines rerum militarium peritos mittit, qui situm insulæ, atque opidi, locaque ad exponendas copias idonea, cognoscant; ad hoc quæ sit ad Turcas expeditior via, quæ hostilium castrorum forma, qui tendentium ordo; quo genere munimentorum tegantur, qui hostium numerus, quæ vires illis, qui animus sit; omniaque satis explorata & comperta ad se reversi referant.

Interea Turcæ continenter opidum & arcem quatientes non solum mœnia passim sternebant, sed omnia quoque intra arcem infesta faciebant: interiora

riora enim opidi & arcis ex superioribus & imminentibus locis petentes nihil, quod in humanis miseriis esset, reliquum obsessis faciebant, non eo solum, quod multi mortales bombardarum ictibus vulgo quotidie exanimabantur, sed quod nihil tuti, aut quieti ne intra quidem cubicula ipsa ac triclinia miseris præbebatur; cum non modo ædificiorum tecta dejicerent, sed sæpe cubantium cubilia perfringerent, ac cœnantium mensas everterent: nihil tamen tot malis frangebantur; quin ea quæ sui muneris erant, pro se quisque impigre obirent; in opere versarentur; mœnia defenderent: eaque cum sua sponte faciebant, tum magni Magistri exemplo invitati; quem prægravem annis cernerent, & ad labores indefessum, & ad pericula intrepidum: neque dubium est, quin ab illius constanti, atque humanum pene captum exsuperante virtute res Melitæ sustentatæ sint, quæ sine illo brevi casuræ fuerint: vivido enim ingenio in vegeto corpore vigente ac virente, vir clarus, primoribus, quique maximum rei militaris usum habere existimabantur, latera cingentibus, omnibus rebus invigilare, omnia providere, opidum assidue circumire, omnibus rebus occurrere, omnia maxima & minima obire, operi insistere, præliis interesse, hortari, laborantibus subsidia submittere, inclinatas res sustinere, pugnam restituere, nullas denique imperatorias partes prætermittere, numquam quiescere; quin etiam exiguum illud noctis tempus, quod quieti dare naturæ necessitas cogebat, non vestes exuere, neque lecto molliter substrato, sed nuda tabula vestitus recubare; cumque ad arma conclamabatur, caput galea, ac collum, & summa pectoris lorica tectus princeps prosilire, atque ad loca, unde tumultus personaret, impigre occurrere: quæ res in viro egregio eo mirabiliores erant, quod tantis belli occupationibus distentus, numquam tamen curationem ægrotantium atque egentium prætermittebat, quin illos quotidie inviseret; illisque ministraret: ut si quis rem vere existimare velit, nemo belli Dux aut nostra, aut multorum sæculorum memoria plura, aut majora ingenii, consilii, fortitudinis, audaciæ, diligentiæ, laboris, in perpessione malorum tolerantiæ documenta edidisse sit dicendus. Quare homines in tantarum virtutum admirationem versi se ad imitationem Principis unici exempli conformabant. Magni Magistri laudibus conjungenda est Equestris Ordinis virorum, ordinumque ductorum, atque omnium militiæ graduum hominum virtus: quorum quam fortis & egregia opera fuerit, quam nemo sibi pro communi salute ac pro Christiani nominis decore pepercerit, hinc licet existimare, quod nullum omnino defendendi opidi munus fuit, nulla mœnium pars ex omnibus, quibus singulis toto opidi & arcis circuitu, Equestris Ordinis viri præfecti sunt, in quibus in locum interfectorum, aut ita sauciorum, ut pugnæ inhabiles essent, non sæpe novi Præfecti sint suffecti.

At Turcæ cum opidum assidue quatientes eam partem muri, quæ *Castella* appellatur, stravissent; tamen ad opidum succedere & in fossam descendere prohibebantur à prominenti turri, qua latera subeuntium incessebantur; cujus impedimenti tollendi novam rationem commenti sunt: parietem enim fossæ muro opidi adversum demolientes lapides ac terram egestam in fossam projecerunt; simul stragem diruti muri eo comportarunt; cumulumque ita alte consurgentem fecerunt, ut eo ictus bombardarum à latere venientes impedirentur: quare Turcæ in fossam & sub mœnibus tuto versabantur, ac, quamquam locus jussu magni Magistri magna Christianorum contentione purgatus est, iterum tamen à Turcis multitudine operariorum abundantibus est repletus.

Eo tempore triremes duæ à Piali exploratum missæ Bassis renuntiarunt, Messanæ ingentem classem, terrestresque copias numero & genere firmissimas contractas; Christianosque haud dubie auxilio Melitensibus brevi venturos; res intentissime administrari; jamque onerarias Syracusas ea de caussa præmissas: quo nuncio Mustaphas vehementer perculsus intelligens confectas illas & exsangues, quas habebat, copias Christianis recentibus ac vigentibus trucidandas objicere, extremæ esse dementiæ, de obsidione solvenda animo dicitur agitasse, jamque bombardas in naves imponere constituisse: verum ab eo consilio magnopere Uluzalis, quod jam sæpe memoravimus, vir Calaber Christianæ religionis desertor, hominem dicitur deterruisse: quare ipse & Pialis principum exercitus consilio vocato sententias exquirunt, quibus variantibus, ea vicit, quæ obsidionem nullo modo solvendam censebat: magnæ enim ignominiæ esse, magni Imperatoris classem & exercitum Christianis non ferentibus, sed comminantibus auxilium, ab incepto desistere; ac res tanto labore, tantorumque consiliorum apparatu inchoatas non ad finem perducere. Ad nuncium igitur advenientis auxilii, bombardis interea relictis, iisque præsidio valido firmatis, ne obsidio deserta videatur, classem cum flore virium conscendendam, ac rem navali pugnæ committendam: haud dubie penes Turcas si non alia re, numero saltem tanto superiores victoriam futuram: classe porro fusa, opidum, omni spe præcisa, ut nihil illi admoveatur, sua sponte è vestigio casurum: ita nihil mutatum est.

Igitur Turcæ instituta opera urgentes, arctiusque in dies opidum atque arcem prementes jam in eum statum res adduxerant, ut ipsi tuto sub mœnibus essent, neque supernis Christianorum ictibus læderentur; magnusque idcirco metus obsessis est injectus, ne illi, nemine prohibente, cuniculos in opidum agerent: cæterum incidit casus, qui conatus Turcarum patefecit: nam cum terra, quæ angulum unius ex arcis propugnaculis sustinebat, subtus excavata procidisset, foramen quoddam detectum est; per quod milites, qui erant in statione, introspicientes ingentem specum cernunt; ac per illum Turcas armatos discurrentes: dumque Proceres, qui erant in statione, quid sibi ille specus vellet mirabundi inter se quærunt, signifer quidam Hispanus Andreas Mugnatonius nomine ollam igne composito ardentem in specum præcipitat; atque ipse hastam eodem composito igne præfixam gerens in eundem se specum dejicit: quem duo Equestris Ordinis viri, qui proximi erant, ne inferioris sortis homini virtute cedere viderentur, consequuntur; ac post eos tres alii milites: ad quorum adspectum Turcæ perterrefacti se protinus è specu ejiciunt: ita facultas perlustrandi Christianis data est; qui omnia diligenter contemplati è specu emergentes referunt, duos specus excavasse Turcas triginta circiter pedes intra arcem penetrantes, ea latitudine, ut ternus ordo armatorum per illos ingredi possit: quos eo consilio excavarunt, ut solo superiore crebris cavis in omnes partes spectantibus perforato, cum Turcæ ad illum locum oppugnandum subiissent; ex illis cavis eorum, qui in illo loco ad defensionem constitissent, crura, inguina, atque omnes corporis partes supinis scloporum ictibus peterent: qua re haud dubie factum iri, ut nemo ibi consistere posset, ictibus certis, ac destinatum locum petentibus: sic fore, ut Turcæ ab ea parte defensoribus nudata in arcem irrumpant. Re cognita, magnus Magister Mugnatonium laudatum, cujus virtute & audacia tantum imminens periculum discussum sit, aureo torque magni ponderis donat; verborumque honorem addit, non esse quidem illud

illud præmium tanto pro merito par; verum in illis temporum & rerum angustiis se, quod possit, virtuti testimonium dare: pergeret porro similia virtutis facinora edere, & à se majora præmia in dies exspectaret. Obsessi jussu magni Magistri obicibus oppositis specus claudunt, Turcisque multorum dierum laborem irritum reddunt.

Postero die, qui Kalendas Augusti insecutus est, Mustaphas arcem iterum tentandam ratus, copiis admotis ab una parte magno impetu mœnia invadit; præliumque atrox & cruentum accensum est, quod multas horas duravit, multis utrimque cadentibus, atque acriter utrisque pugnantibus: tandem obsessis constanter resistentibus, Turcæ cum multorum vulneribus ac cæde repulsi sunt; cum de Christianis aliquot Equestris Ordinis viri, & complures inferioris sortis milites cecidissent; idque potius ex ictibus bombardarum ex superioribus locis ipsos petentibus, quam alio pugnæ casu. Mustaphas ad institutam rationem conversus belloardua loci, qui *Castella* appellatur, & proximum illis murum magno, numquamque intermisso impetu quatere; contra omnis ab obsessis diurna ac nocturna opera in quassatis reficiendis poni, in primis in muro à parte maritima excitando, qui continenter verberatus totus pene prociderat. Jam Turcæ opus inceptæ munitionis ad effectum perduxerant; fossamque ante murum Castellæ, quam obsessos semel purgasse diximus, iterum ruderibus, cæmentis, ac terra congesta ad eam altitudinem implerant, ut tuti ad strages editas ex propinquo contemplandas mœnibus succederent.

Mira erat eo tempore in utroque Duce & Garsia quoque hostilium rerum & consiliorum ignoratio, cum eorum explorandorum varias rationes iniissent. Mustaphas enim biremes ac celoces sæpe circummittendo neminem excipere potuit, ex quo certi quid cognosceret; propterea quod omnia littora Siciliæ validis præsidiis dispositis ita clausa tenebantur, ut Turcarum naves neque ad ea appellere, neque exscensionem facere possent: ad extremum veterem ac peritum biremis Præfectum mittit, Sangiacatusque honorem, si quid explorati ac comperti ad se adferat, homini pollicetur. Garsias vero in actuarium ad magnum Magistrum missum quendam conscendere jussit Turcarum institutorum ac linguæ peritum; qui exscensione ad urbem Matrem facta, vestitu atque habitu Turcico ad hostes accederet, seque cum illis immisceret; omnibusque diligenter exploratis, prima quaque oblata occasione ad se revertendi uteretur. Actuarium in Turcarum classem incidit, isque, qui litteras deferebat, vir cautus & prudens, antequam à Turcis caperetur, illas demersit, & ad Bassam adductus mentitus est, litteras cum alio actuario missas, quod ad magnum Magistrum incolume pervenisse putet. Cum omnia diligenter quæreret Bassa, rogavit, ecqua cum Christianorum classe navis Gallorum, aut Venetorum esset, & quod illi auxilii genus misissent: negavit captivus.

At magnus Magister Joannem Vasquezium Hispanum, impigrum & expertæ audaciæ virum, cum sexaginta viris per fossam Castellæ nocte emittit, qui, manu cum Turcis, in quos primos inciderit, conserta, aliquem illorum vivum capere studeat; inciditque insignis casus, qui silentio non visus est prætereundus: nam Vasquezius cum audacius, quam cautius ad hostem per fossam pergeret, atque ad loca quædam angusta pervenisset, per quæ vix bini ingredi possent, à magna parte suorum desertus in firmam Turcarum stationem incidit; eosque magna audacia invadit, ac nonnullos primo impetu in mare præcipites agit: verum Turcis ad tumultum multis ex partibus accurrentibus, iisque, qui primo fugerant, in pugnam conversis, circumventus fortiter dimicans ipse cum paucis illis, qui cum eo remanserant, interficitur: cæterum Turcæ cum initio tumultus subito pavore attoniti, nocte præsertim species rerum incertas faciente, Christianos vestitu Turcarum inductos cernere sibi viderentur, eo errore inducti, cum in fuga alii in alios inciderent, aliique alios premerent ac truderent, Christianos alter alterum esse credentes inter se ipsi conversi mutuo se interficiebant: neque prius interficiendi finis est factus, quam error liquido apertus est: cæterum non muris modo tam opidi, quam arcis, sed munitionibus quoque ab obsessis in murorum locum excitatis sæpe à Turcis stratis; iterumque à Christianis refectis; nulloque verberandi fine à Turcis umquam facto, cum fossa ante murum Castellæ jam ad summum repleta esset; Turcæque ab ea parte commode mœnibus succedere possent; tempus visum est Mustaphæ ultima experiendi, omnibusque viribus connitendi, atque opidum & arcem eodem tempore tertia acerrima oppugnatione tentandi: igitur ad septimum Idus Augusti tribus armatorum millibus, qui opidum à parte Castellæ aggrederentur, missis, ipse cum octo millibus ad arcem sancti Michaelis magno impetu magnisque clamoribus invadendam succedit. At obsessi adversus tantam adventantem vim corpora & animos parant. Ex iis, qui ad opidum missi sunt, quingenti tantum mœnibus successerunt, ac per stragem diruti muri commodum adscensum fastigio suo præbentem magna audacia atque impetu conscendere cœperunt: verum missilibus superne venientibus incitatus cursus repressus est: ipsique in medio fastigio consistere coacti: inde inter ipsos & obsessos missilibus tantum pugnatum est.

At ad arcem sancti Michaelis tanta animorum & omnium virium contentione dimicatum est, ut nullum certamen in tota hac obsidione atrocius, aut adspectu horribilius fuerit, nec in quo major cædes tam Turcarum, quam Christianorum edita sit: non enim procul missilibus tantum, sed cominus manu conserta gladiis & hastis res gesta est; cum utraque pars, morte contempta, nihilque cadentium ante se casibus deterrita, pugnæ se offerret: atrox in primis fuit ignium compositorum utrimque emissorum facies; quorum tanta vis fuit, ut totus ille circa locus procul spectantibus continenti incendio ardere videretur, miserabilisque in primis erat varia peste pereuntium adspectus: nam alii igne correpti horribili genere mortis conflagrabant; alii ex alto præcipitati capite illiso confringebantur; alii sclopорum ac bombardarum ictibus exanimabantur; quorum capita ac membra à corpore resilientia toto aere circumvolare cernebantur. Cum multi utrimque caderent, majoribus tamen iniquitatibus Christiani conflictabantur; non enim à sola pugna premebantur, sed, quod longe gravius ac pestilentius fuit, à bombardis ex superioribus circumpositis collibus in illos undique ac continenter displosis conficiebantur: stetit tamen immota statio tot iniquitatibus circumventa, ac locum constanter tutata est, neque ipsi milites tantum atque Equites impetum Turcarum sustinuerunt, sed una cum illis mulieres ipsæ, atque omnis imbellis puerorum & senio confectorum ætas ad partem periculi capessendam adfuerunt, metu inevitabilis mortis, si in potestatem Turcarum venissent, naturalem timiditatem vincente: eæ ad mœnia, & ad loca, in quibus maxime laborabatur, accurrentes multimoda & sedula opera pugnantibus magno adjumento esse; saxa, ac missilia, aquamque ad restinguenda incendia, aliaque, quæ ad pugnam usui erant, comportare; in media quoque discrimina se inferre; quin etiam nonnullæ prælio se immiscere, saxa, ac ferventem aquam, & calidam picem in subeuntes Turcas

cas devolvere. At magnus Magister ex opido pugnam spectans duobus animi motibus angi: nam tot nobilium Equitum, ac reliquorum Christianorum in oculis suis miserabiliter pereuntium, vicem mœrere, & tantam in unum locum incumbentem vim formidare, vererique, ut suorum virtus tantæ moli diu par esset: cum oppugnatio quattuor continentes horas semper recrudescens durasset: sub oculis enim Bassæ res gerebatur; qui cum primoribus discurrens, ac, si quos cedentes videret, fuste domitos in prælium redire cogens, hortationibus certamen accendebat, monens atque obtestans, si paullum modo conniterentur, opido mox potituros: quæ res finem tot exhaustis laboribus tandem esset impositura.

Cæterum in medio pugnæ ardore, cum res in summum discrimen adducta esset; jamque Christianos magis vires quam animus deficere inciperent; Turcæ, Christianis mirantibus ac caussam ignorantibus, subito, ipseque cum illis Bassa prælium omittunt, ac pedem referunt; trepidantesque, ac fugientium similes castra repetunt. Trepidi discessus caussa talis fuit: Mesquita urbis Matris Præfectus cum in speculis continue esset, incendium ab ignibus compositis in prælio excitatum [illegible]te refulgens conspicatus, arcem sancti Michaelis conflagrare & à Turcis maxime premi ratus, ut illos à prælio averteret, Joannem Lugnium cum equitum turma, ac Vincentium Venturam cum sclopariorum manu equis vecta mittit, qui castra Turcarum invadant, ac tumultum excitent. Illi imperata impigre faciunt; itinereque raptim facto, ad castra, & in eam forte partem, in qua saucii & ægrotantes cubabant, veniunt. Ibi cum omnia soluta & neglecta sine custode ac sine statione offendissent, castra magno impetu invadunt; ac magnam jacentium cædem edunt. Quare tumultu ab ea parte excitato totis castris ad arma conclamatur: cumque omnia in castris clamoribus perstreperent; tumultus ad eam stationem pervenit, quæ in colle Coradino vocato prope arcem sancti Michaelis constiterat, qui in eam partem conversi cum suos in castris trepidantes & discurrentes cernerent, rati Christianorum auxilia supervenisse, ac cum illis ipsum fortasse Garsiam, castraque invasisse, confestim mittunt, qui Bassæ rem nuncient: ille trepido nuncio, atque eadem auxilii appulsi suspicione perculsus, omissa oppugnatione, effuso cursu castra repetit. Lugnius & Ventura id, cujus caussa venerant, assecuti, cum Janizeri jam in armis essent, illorum vim haudquaquam exspectandam rati se incolumes ad suos in urbem recipiunt. Magna fuit in hac oppugnatione utriusque partis cædes; multique clari viri, atque ordinum ductores utrimque ceciderunt, complur esque graviter vulnerati sunt. Magnus Magister tanto periculo ereptus Deo immortali, qui sibi numine suo in tanto discrimine adfuisset, precationibus & hymnis in templo gratias agit.

Magno cum dolore & indignatione repulsi Turcæ intermissam verberationem magno impetu ab omnibus in circuitu partibus repetunt: cumque magnas strages murorum quotidie facerent; obsessi à parte Castellæ interiorem murum ducunt fossa & prominentium turrium lateribus firmatum. Immanis magnitudinis tormentis utebantur Turcæ: nam globi bombardarum earum, quæ *Basilisci* appellantur, aggeres excitatos viginti pedes, Cannones vero duodecim penetrabant: cui malo ut occurreret Franciscus Guevara, rem, quæ minus penetrabiles aggeres faceret, commentus est: sacculorum enim magna copia ex rudi ac crasso panno ut consueretur, curavit: ex his terra minute confracta ac cribrata, ac plurimo humore madefacta infartis aggeres exstruebat; quos septem tantum introrsus pedes Basiliscorum globi penetrarent. At obsessi cum nulli rei, quæ ad defensionem pertineret, deessent, ædificia diruebant, ut lapidibus ad defensionem uterentur, iis, qui præparati fuerant, absumptis.

Per ea tempora Cornisonus cum duobus sacri Ordinis religionis triremibus Melitæ appropinquavit, cumque cognovisset omnia arctissimis custodiis clausa esse; neque ad insulam appelli sine magno periculo posse; metu, ne si caperetur, præter damnum tot nobilium Equitum amissorum, consilia Christianorum ad Turcas emanarent, de omnium consilio in Siciliam revertitur, Salazario à Garsia explorandi caussa misso cum scapha dimisso, qui furto ad insulam Gozum appulit, atque inde tuto trajectu se ad urbem Matrem contulit, validoque præsidio equitum ac peditum à Præfecto accepto transversis limitibus silentio noctis prope castra accessit, præsidioque subsistere jusso, ipse cum quinque equitibus in eum locum processit, unde in conspectu erant Turcæ, ibi luce exspectata loco quodam opportuno latens situm ac formam castrorum, atque ordinem tendentium; omniaque, quæ in tali re cognoscenda erant, diligenter contemplatus, ad stationem, quæ ipsum exspectabat, reversus in urbem veterem incolumis pervenit; cum regressum variis casibus infestum habuisset; sæpeque in insidias hostium multis in locis collocatas incidisset.

Dum ea ad Melitam geruntur, Garsias, qui incerto animo ad eum diem fluctuatus fuerat, differri jam non posse; ac de re tandem statuendum intelligebat: cæterum à consilio navalis pugnæ plane abhorrebat; ad quod multi hominem hortabantur, in quibus fuerat Joannes Andreas Auria, qui tum aberat, ad Etruscas copias trajiciendas, ut supra dictum est, missus. Is sibi illud negotium dari depoposcerat; seque ex aperto Turcarum classem invasurum receperat: neque enim Turcas, quamvis Christianorum triremium classis dimidio minor sit, si quis tamen rem vere existimare velit, viribus navalibus Christianos anteire, qui tanto sint onerariis superiores, (ad septuaginta enim contractæ erant) quæ si pugnatoribus impleantur, tamquam moles superne imminentes Turcicam classem sint dejecturæ; quibusque Christianæ triremes undique cinctæ, earumque præsidio tutæ à Turcarum triremium multitudine circumveniri non possint. Verum Garsias nullius hortatibus, aut auctoritate de sententia deduci potuit, cum se in tam præcipitem casum totam Regiam classem projecturum negaret: qua amissa, omnia Regnorum Philippi littora navalibus præsidiis nudata Turcarum incursionibus exposita manerent.

Igitur tota ea cogitatione plane deposita, de ope terrestri via ferenda animo agitare cœpit: reque hominum sermonibus & disputationibus in cœtibus diu agitata; multisque sententiarum certaminibus jactata, tandem Garsias omnes terrestrium copiarum ac classium Præfectos Primoresque exercitus convocat, ut cum illis deliberet; ratioque rei gerendæ de communi sententia ineatur ac statuatur. Fuit in hoc consilio Ascanius Cornius, quem Garsias initio hujus belli à Pontifice omnibus precibus depoposcerat; cum illum Pontifex nonnullis criminibus insimulatum Romæ in custodia haberet: verum Pontifex publicas rationes omnibus rebus prævertendas intelligens; ne in tanto rerum Christianarum discrimine virum tanto rerum militarium usu & scientia Reipublicæ subtraxisse videretur, carceribus liberatum ad Garsiam miserat: cum eo sæpe Garsias de tota ratione belli privatos sermones contulerat; conatusque fuerat Ascanius omnibus stimulis hominem fluctuantem ad rem suscipiendam incitare, quam illum sine summo flagitio omittere non posse diceret; magnamque dedecoris labem illius nomini concipi demonstrarat;

strarat, si tam apta Turcarum conatibus insula, tamque Philippi Regnis propinqua, ipso sedente & inspectante, in Turcarum potestatem venisset. Cum consedissent, verba facit Garsias, *Aliquam rationem ineundam Melitæ, sacrique Ordinis obsidione eximendi: pertinere id non magis ad fidem & officium, quam ad salutem & incolumitatem Regnorum Philippi Italicorum: quæ, si Turcæ sibi sedem & arcem in tam propinqua insula fecerint, assiduis molestiis & incursionibus infesta futura sint; milleque casibus & discriminibus obnoxia: neque rem ulterius extrahi posse: ventum enim ad extremum esse: illo igitur die finem contentionum faciendum, ac de re tandem statuendum: ac, quoniam maritima via ac navalis pugna, quæ necessario subeunda esset, non placeat; (neque enim ipsos esse ad apertam vim pares, neque ullo modo omnes Philippi maritimas vires eo contractas tanto Turcis inferiores in tantam aleam dandas) reliquam esse terrestrem viam: in eam porro duas deliberationes incidere: alteram esse, quænam ratio sit expedienda copiarum tuto ac furto in insulam trajiciendarum: alteram, an omnino trajiciendæ sint, subsidioque eundum, ac pedestri certamine, si res cogat, cum Turcis decernendum; in qua re sententiis variari videat: proinde omnes hortatur, ut sententiam dicant & in commune consulant: se enim eo, quod illi statuerint, staturum confirmat:* & secundum eam Orationem inter classium Præfectos, qui primi sententiam rogati sunt, convenit, copias trajici tuto posse; ac ratio rei expediendæ talis demonstrata est: iter in Gozum insulam dirigendum: cum insulæ ad id spatium appropinquarint, ut à Turcis conspici non possint, subsistendum, noctemque exspectandam; atque in tenebris conventum luminis signum extollendum, quod arci Gozi adventum classis significet: ac, si eodem signo sublato Gozenses responderint, intelligendum, tuto accedi posse ad Gozum; neque Turcarum classem ibi tum esse: ni responderint, ulterius non procedendum, sed retro classem movendam, atque iterum redeundum, signumque tollendum; ac sic deinceps faciendum, donec respondeant: tumque classem ad Gozum appellendam: appulsis littora Melitæ, ac circumfusum mare, totumque fretum inter Gozum & Melitam circumjectum sub adspectum fore: quod si Turcarum triremibus liberum sit, nullius periculi, aut negotii esse, exiguum quattuor millium passuum fretum trajicere, copiasque exponere.

Inter terrestres Duces plus certaminis fuit, aliis alia censentibus: in quibus Alvarus Sandius sententiam rogatus ita locutus dicitur: *Difficilem mihi & impeditam hujus Expeditionis dissuadendæ rationem duo faciunt: nam & in tanta majoris partis voluntate, animorumque ardore retractare, haud parvam videtur habere timiditatis significationem & nostrorum militum ignaviam coarguere, & id, quod mihi necessario est faciendum, magnam mihi invidiam, sat scio, vulgo conflabit: cæterum ea me mei documenta in bellis, quibus interfui, dedisse spero; iisque discriminibus caput semper ultro objecisse; ut non maxime omnium aciem ac tela horrere sim existimandus: invidiam vero omnem ea, quæ ætas nostra vidit, à me plane deprecantur: utinam milites nostri Orationem meam factis refellerent, ac me verbis mentiri re coarguerent. Duo sunt, quæ nos ad opem ferendam hortantur, officium & utilitas: ingens, inquiunt, flagitium sit sacrum Ordinem in extremum discrimen adductum ope nostra præsertim promissa deserere, & periculum Regnis Italicis imminens, Melita in Turcarum potestatem redacta, audacia est discutiendum: in qua re vide, Garsia, quam ego ab iis, qui ita disputant, dissentiam: nam iis immo de caussis & ignominiæ, & damni vitandi tibi cessandum censeo: quid enim turpius est summo Duci, aut magis detrimentosum, quam inconsulta temeritas & imprudentia? ea porro nulla major esse potest, quam copias sine ulla utilitate Turcis veluti parem numerum pecudum trucidandas objicere: si ulla subest spes, sacrum Ordinem tantis angustiis circumventum liberandi, Melitaque retinendæ; nullum quamvis ingens discrimen non subeundum censeo; omniaque extrema tentanda: nunc sine ulla effectus spe, in tantam aleam classem dando, & in certissimam perniciem copias præcipitando, quid aliud, quam damnum damno, & dedecus dedecore cumulamus? Sexaginta expeditis triremibus subsidium trajiciendum censent: mitto, quot subitis casibus, qui à nemine quamvis prudente provideri possunt, classis obnoxia futura sit; octoginta Turcarum triremibus omnibus rebus instructis, propugnatoribusque refertis tam parvam insulam assidue ambientibus, quam difficile sit, in trajiciendo, in subsistendo, in classe appellenda, in copiis exponendis fallere: verum fac copias tuto expositas; quæ tandem res nobis animos facit, aut spem nostram alit? utrum tandem nos, an hostem ignoramus? & utrum numero, an genere copiæ nostræ cum hostibus sunt conferendæ? numerum duplo majorem hostium esse constat: nos enim sexaginta triremibus octo peditum millia summum trajicere possumus. Genus vero utrumque consideremus. Hostes Turcæ sunt, gens diuturnis malis durata ac longa armorum tractatione assuefacta; quaque nulla gens ad pericula ingredienda ac manum conserendam audacior, aut promptior est: eademque prælio inito ad nulla tela, aut vulnera pavida, ad nullosque impetus cedens, sed obstinate locum assignatum obtinens, mortemque fortiter oppetens: præterea (quo res bellicæ in primis continentur) disciplina militaris apud illos incorruptior est & sanctior: & ut præmia virtuti, ita pœnæ ignaviæ sunt constitutæ; nullusque in delictis est gratiæ locus: quo metu animis tacite insidente homines adacti, nulla discrimina recusant; à flagitiisque militaribus admittendis cavent, quæ sciant capite sibi haud dubie luenda: jamque eo & sui fiducia, & nostrorum contemptus pervenerunt, ut parva sæpe illorum manus longe majorem nostrorum numerum; parvaque illorum navigia & numero inferiora Christianorum triremes omnibus rebus instructas invadere non dubitent: idque semper felici audacia: clades multis locis accepta, navigiaque nostra per summum nostrorum dedecus quotidie capta satis id declarant: quibus rebus factum est, ut fractis nostrorum animis formidolosum sit Turcarum nomen; nostrique cum illis manum conserere horreant. Age, nostros contra consideremus, ac primum Italos: equidem de perpetua, contestataque hujus nationis, atque illorum Majorum bellica laude numquam detraham; neque quisquam est omnino de Hispanis, qui à nobilissima gente voluntate & studio me minus abhorreat: verum, quas exspectamus, copiæ quid tandem erunt, quam collectitius & subitarius miles, quorum maxima pars aciem numquam viderit; quique in aciem producti, vix hostium adspectum ferant, sed ad primum impetum (id quod sæpe usu venisse scimus) ne tentato quidem prælio turpi fuga deserant signa? Jam vero de Hispanis nostris, qui veterani videntur, quique robur exercitus futuri sunt, pudet loqui, sed rei magnitudo cogit vera fateri: longa bellandi desuetudine enervati sunt, tum autem diuturno otio, & deliciis, ac voluptatibus Italicarum urbium effeminati: ut omittam haud exiguam partem tyronum esse: ut numquam res nostratum imbellis ac deses fuerit: quid igitur ad aliud, quam vel ad certam perniciem, vel ad ignominiam properamus? quid igitur placet, dicat aliquis, Melitam deserere; tantumque dedecus nomini nostro concipi? mihi quidem hæc non placent, si prohibere possim: sed rationem prohibendi me doceant, oportet, qui Expeditionem decernunt: ego quidem in omnibus rerum iniquitatibus hostem ex aperto invadere stultæ temeritatis semper esse audivi: neque dedecus dedecore, præsertim culpa & temeritate contracto, discutitur, sed augetur; reique inexsuperabilis magnitudo semper homines ab omni dedecore liberavit: ad meliora igitur tem-*

pora classem hanc, & has copias, nosque ipsi reservemus: quodque ad sacrum Ordinem attinet; magno Magistro scribamus, ut, omni via auxilii ferendi interclusa, sibi consilium capiat; quamque honestissimis conditionibus possit, cum Turcis transigat; atque, ut ipse ac sui incolumes dimittantur, pactus, fortunæ ac temporibus cedere in animum inducat: quam rem ad Rhodum concessam facile nunc quoque impetrabit. Nam, quod ad nos attinet, non habet id vitii res; neque Melita capta res Philippi funditus eversæ sunt: exiguum tantum ea insula paucarum triremium erit receptaculum, quibus majorem numerum opponemus: nam totam classem in Melita Turcas relinquere neque moris est illius gentis, neque illorum rationibus aptum: neque vero à tam exigua & sterili insula, aut à circumjectis oræ Africanæ opidis, quæ Turcarum præsidiis tenentur, tantus mortalium numerus ali potest: neque periculum est, quin Philippus illos ex Melita expellat; cum rebus necessariis provisis & comparatis majore conatu illam Expeditionem capessendam decreverit, ut eosdem Turcas Carolus parens Tuneto expulit; ipsumque Ahenobarbum tanti nominis Ducem, longeque majorem negotii molem superavit.

Cum perorasset Sandius, Cornius in contrariam sententiam ita disseruit: *Haud dissimulavit initio Orationis Sandius in promisso auxilio Melitensibus non ferendo magnam inesse timiditatis speciem; qui eam ipsam suspicionem, cujus nemo illum coarguit, neque vero jure coarguere potest, à se removere ultro studuerit: ego vero, Garsia, non timiditatis modo speciem eam rem, sed proditionis quoque gravissimum crimen habituram statuo; plurimumque nos in tanto officio prætermittendo apud omnes nationes offensuros: neque, quæ Sandius de maritimis periculis in trajiciendo & appellendo attigit, ad ea necesse habeo respondere, cum hominis Oratio tot Præfectorum ac navalium rerum peritorum constanti auctoritate refellatur; qua nobis standum est, cum etiam rationem rei expediendæ demonstrarint: ad terrestre igitur subsidium venio: ac primum quod mihi in Oratione tua dedisti, Sandi, id libenter accipio; tantum officium nostrum, tantamque rem Philippi Regis nostri agi, ut in Melita liberanda nullum quamvis magnum discrimen subeundum non sit; modo id sine certa pernicie fieri possit: quod negabas: de tua igitur sententia subsidio eundum est, si nos in nullam perniciem daturos doceo: quid si illud etiam doceo, ne nullum quidem periculum adiri? tu enim ita disputasti, quasi aperto prælio res sit processura; ac signis collatis justa acie cum Turcis dimicandum sit; nullaque alia sit obsidionis solvendæ via: verum ego longe aliam rationem ingrediendam censeo, quæ certa & explorata, ac tuta est: sed prius silentio præterire non possum, quod tu tantum de nostrorum virtute detraxisti, ac tantum Turcis tribuisti: nam ego contra sic statuo, nos copias habituros, quas Turcis opponamus & numero non inferiores, & genere longe firmiores. Turcas enim non plus quattuordecim millia, summum sedecim in armis habere, constantissimis nunciis compertum est; cum dimidia exercitus pars præliis, laboribus, morbis, aliaque varia peste sit absumpta; verisimileque sit, florem & robur totius exercitus amissum: fortissimos enim & audacissimos quosque primores fere in præliis cadere solere scimus: ignavos & timidos superesse, existimandum est; & eos ipsos laboribus, morbis, vigiliis confectos & exsangues, ad hoc more illius gentis nullis loricis tectos: huic tu igitur hominum generi nostros recentes & integros, pariterque ad hostem petendum & ad se defendendum armatos opponere formidabis? neque, si quid aliquando otio & lascivia nostri deliquerunt, id ignaviæ & timiditati est assignandum: adest enim corporum, animorumque robur, præsertim à necessitate excitatum, quæ in Melita maxima erit: nam in parva insula mari undique cincta, omnique fugiendi spe præcisa, (classem enim, simulatque illos exposuerit, discedere volo) quis dubitet, quin, cum viderint sibi aut vincendum, aut moriendum; omnemque salutis spem in armis & virtute esse, virorum fortium opera sint edituri? sed numero quoque illos æquabimus: non enim octo tantum millia sub signis habebimus primo commeatu trajectos, sed altera totidem Italorum, qui exspectantur, quique, primis expositis, secundo commeatu repetentur, ut etiamsi acie & æquo campo sit concurrendum, superiores simus futuri: verum ego ab acie censeo abstinendum; cujus exitus etsi mihi non dubius, tamen non ita exploratus est; aliamque rationem certam & explicatam, ac sine ullo periculo Melitæ obsidione eximendæ ineundam censeo: ea vero, quæ alia est, quam ea, quæ æque tibi, ac mihi, & vero omnibus, qui militarium rerum usum habent, nota est; quæque & nostra, & aliis ætatibus sæpe experta, semper fere effectum habuit? cum enim ad urbem venerimus, quæ ab opido & castris Turcarum octo millium passuum abest intervallo, tum volo, ut castra paullatim promoventes hosti appropinquemus; locoque munito confidentes, nullique discrimini nos offerentes, & in omnes occasiones intenti, spectatores tantum ex tuto simus. Ad nostrorum adventum Turcæ, aut spe Melitæ obtinendæ plane deposita, obsidionem solvent, classemque conscendent, id quod illos facturos potius reor: aut, si obstinati perstiterint, alterutrum fore necesse est; vel ut, obsidione relicta, in nos copias convertant: tum igitur obsidio soluta erit, tempusque magno Magistro dabitur suos à diuturnis laboribus reficiendi, subsidiumque integrorum & recentium à nobis missum in opidum accipiendi; nosque interea tutis locis nos continentes, nullamque pugnandi copiam facientes exspectabimus, dum copiæ secundo commeatu veniant: quibus trajectis, tum pro re & tempore consilium capiemus; satisque erit nobis interea Turcas à mœnibus opidi abstraxisse: quod si obsidionem non quidem solvant omnino; verum copias, quibus nunc tamquam corona opidum cingunt, in angustum contrahant, ne sparsi & longitudine extenuati opportuni sint nostrorum conatibus & irruptionibus, cum præsertim terga nullis munimentis tecta illos habere sciamus; tum idem assequemur: nam magna ex parte relaxabitur opidanis pugnandi ac tot locis occurrendi labor: faciliorque tum erit nobis via subsidium per intermissa à Turcis loca in opidum inducendi, quam sexcentis illis fuit, qui Melita pene circumvallata, per summum decus in opidum penetrarunt: tam recenti ac tantæ virtutis exemplo nos invitante, & ignaviam nostram coarguente, quid cum summo dedecore nostro, summoque periculo tam opportunæ insulæ amittendæ cessamus? ac quin, Deo immortali bene juvante, subsidio quamprimum accurrimus? quem nobis suo numine adversus cælestis religionis hostes affuturum dubitare non debemus: ac quid est, quod de re tam facili & explorata, tamquam de difficili & impedita tam multis verbis disseramus? disciplinamque Turcarum, ac nostrorum temporum ignaviam & desidiam, tam multasque res in consilium adhibeamus? perinde quasi huc convenerimus, ut gymnasia de re militari more Philosophorum haberemus; aliquamque de bellicis rebus doctrinam ederemus.*

Et frequentiores & ipse Garsias Cornio assensi sunt; decretumque est omni ope auxilium ferendum: igitur Garsias omnia, quæ ad Expeditionem pertinerent, toto pectore, omnibusque curis amplectitur: cum interea Joannes Andreas Auria Chiappinum Vitellium ac copias Etruscas advexisset. Eodem tempore Salazarius, ut supra dictum est, exploratum missus ex Melita redit, ac, quæ cognoverat, refert; simul litteras Vincentii Anastasii ad Cornium datas affert, quibus ille situm insulæ, opidi naturam, intervalla locorum, loca ad classem appellendam, & ad copias exponendas apta; ad hoc formam castrorum Turcarum, clades ab illis acceptas, genus militum, quot bello absumpti, & ad quem numerum redacti existimentur, ac cætera, quæ in tali re cognoscenda sint,

sint, omnia diligentissime persequebatur: exspectabanturque Joannes Cardona, & Sanctius Leiva cum classis parte: quorum ille Panhormum missus fuerat ad onerarias, quæ ibi erant, remulco trahendas; hic Tunetum ad arcem Guletam, ad supplementum hominum, & annonam, bellicosque apparatus vehendos.

Dum in Sicilia omni studio comparatur; obsessi consuetis malis assidue urgebantur: ac Turcæ ira & indignatione, quod oppugnationes tanto impetu atque omnibus viribus sæpe tentatæ non procederent, in rabiem versi mœnia continenter quatiendo, quando oppugnationibus non possent, opidum evertere sunt aggressi: quare partitis muneribus, Mustaphas arcem Sancti Michaelis, Pialis opidum expugnandum sortiuntur; æmulationeque utrumque stimulante, ad gloriam ejus partis, quæ unicuique obvenit, prius expugnatæ certatim connituntur: principium enim cætera attraxisse visum iri; ac penes illum belli confecti ac victoriæ decus haud dubie fore, à quo illa inceperit: neque tamen interea umquam intermiserunt opidum, aut arcem ab aliqua parte, cum aliqua virium parte aggrediendo, tentare; ut duplex labor, & quassata, ac diruta reficiendi, atque erigendi, & præliorum sustinendorum eodem tempore obsessos exerceret.

At Bassæ, cum litteræ per idem tempus à magno Imperatore venissent, quibus imperabat, ut Melitam omni ope expugnare contenderent; quam rem si ea æstate ad effectum perducere non possent, in ea insula hiemarent; cumque militum querelæ audirentur, sese sine ullo præmio intolerabiles labores exhaurire; consilio cum Primoribus habito, pronunciant, tres continentes dies oppugnatione numquam intermissa, opidum, cum maturum fuerit, oppugnare decrevisse; ut, si non alia re, lassitudine tandem obsessos expugnent, omnemque tam rerum, quam servorum prædam militum, si egregiam & constantem operam navarint, fore pollicentur. Interea mœnia dies & noctes quatere urgent: deficientibusque copiis, quattuor millia de remigio triremium detracta in supplementum armant. At obsessorum opera non continenti modo, sed multiplici labore distringebatur: nam Turcæ, non modo mœnia continue quatiendo ac sæpe aggrediendo, sed specubus subterraneis excavandis, per quos in opidum penetrarent, Christianos vexabant: quam rem obsessi ut prohiberent, fossas è regione fodiebant, solumque multis in locis perforabant, ut per ea cava Turcas ab opere missilibus arcerent: verum Turcæ, in tanta operarum copia, fossas, cava ab obsessis facta è vestigio obstruebant: quare magnus metus Christianos incessit, ne Turcæ occultis cuniculis actis, & indito pulvere incensis, aliquas opidi atque arcis sancti Michaelis partes everterent. Tandem Turcæ ante diem quinctum decimum, & quartum decimum Kalendas Septembris duabus validis oppugnationibus opidum & arcem S. Michaelis tripartito aggrediuntur. In utraque diu & acriter pugnatum est; multique utrinque ceciderunt, ac vulnerati sunt: in quibus fuerunt nonnulli ex Primoribus. Quo tempore magnus Magister, nuncio accepto ad murum Castellæ vehementer laborari, jamque Turcas in summum evasisse, gladio educto extemplo eo accurrit; verum offendit suos constanter resistentes ac Turcas repellentes; cum etiam mulieres prælium impigre inissent, ac saxa & missilia in subeuntem hostem devolverent, audacterque in media pugna versarentur.

Cum res diurnis oppugnationibus non processisset, Turcæ nocturnam experiri constituunt: igitur mœnia arcis S. Michaelis acriter prius verberata, cum luna pernox esset, aggrediuntur; ac per stragem diruti muri adscensum tentant: sed ab obsessis vigilantibus cum multorum cæde ac sanguine repelluntur. Insequenti die, qui fuit tertio decimo Kalendas, Bassæ omnibus viribus connixi duabus longe, quam superiores fuerint, atrocioribus ac diuturnioribus oppugnationibus opidum & arcem sancti Michaelis prima luce undique aggrediuntur, non tam potiendi opidi spe, qui conatus sæpe irritus fuerat, quam eo consilio, ut, quoniam nulla alia re poterant, lassitudine & paullatim absumendo obsessos tandem vincerent. In hac oppugnatione, & in cæteris superioribus eo astu usi sunt Turcæ, ut cum primi in summum evasissent, ac manum cum obsessis æquo campo conseruissent, postremi ordines ex inferiore loco, & ex ipsis munimentis obsessos sagittis & sclopis collineantes incesserent: quorum ictibus multi cadebant: quo Turcarum astu animadverso, obsessi non temere extra munitionem caput proferebant, ne certis ac destinatum petentibus ictibus se apertos exponerent: quod si aliquando illos prodire res coegisset, huic pesti obnoxii erant: igitur Turcæ oppugnationem ingentibus animis accensam paullisper subinde intermittentes, eamdem mox majore impetu repetebant: cæterum quemadmodum illi ad invadendum, ita Christiani ad defendendum semper acriores & alacriores consurgebant.

Cum omnia undique certaminibus maxime arderent, trepidus nuncius ad magnum Magistrum, qui in medio foro cum primorum globo armatus constiterat ad omnia subita intentus, accurrit exclamans perditas res: Turcas enim à parte Castellæ in oppidum irrupisse: quo nuncio perculsus magnus Magister hasta, ut erat armatus, eo extemplo advolat: ibi Turcas jam in mœnia evasisse cernit, resque in summas angustias adductas; suos tamen constantissime vim & impressionem sustinere, cum multi ex omnibus undique partibus in eum locum, quem maxime premi audissent, advolassent: quare ex iis, qui secum erant, manu delectorum missa, qui pugnæ succederent, hortatur, ne animis deficiant; sed virorum fortium, ut semper fecerint, in extremo discrimine opera edant: sese adesse, ac si necesse viderit, una cum illis corpore ipsum suo pugnam initurum ac socium gloriosæ mortis futurum: ita illi cum novo auxilio aucti, tum ab hortationibus ac conspectu Principis incensi omnibus viribus connituntur, ac tandem Turcas, magna illorum edita cæde, avertunt & è munimentis deturbant.

Virtus & audacia Vincentii Vasconii in ea oppugnatione silentio prætereunda non est: is cum in locum Boninsignii saucii in eam partem, quæ illi defendenda obvenerat, jussu magni Magistri successisset; sensissetque Turcas pluteum, quo defensores tegebantur, non modo ligonibus ac malleis suffodiendo, sed uncis quoque ab hastis exstantibus apprehensum revellere conari; militem conscendere munimentum jubet, ac, quid agant Turcæ, inspicere: qui statim ictu sclopi exanimatus concidit: quo casu nihil deterritus Vasconius pluteum ipse conscendit, hastam prælongam igne composito præfixam gestans; duosque secum ducit singulas fistulas igne composito refectas gestantes; quas cum illi in subjectos Turcas præcipitassent, ipse hasta incensa illos pertingere incipit: verum duobus sclopororum ictibus vulneratus, brachioque dextro trajecto, pluteo descendere cogitur: nihil tamen vulneribus, aut doloris morsu fractus viginti circiter milites cum ollis igne composito refertis pluteum conscendere jubet; à quibus ollis in Turcas devolutis, nonnullisque eorum igne correptis, reliqui se ex loco, in

quem conscenderant, præcipites dejecerunt. Ad arcem sancti Michaelis minus pugnæ fuit, minoreque animorum certamine res ibi gesta est, non tamen prælio omnino incruento.

Turcæ tandem undique repulsi, ac prælio dirempto, cum aliquantum spatii quievissent, Christianos lassitudine confectos minus habiles ad resistendum rati, opidum & arcem sancti Michaelis, eodem, quo prius impetu, eodemque omnium virium conatu iterum invadunt: nec minus atrox minusve cruenta hæc secunda oppugnatio fuit; Christianis, contra quam Turcæ existimarant, eadem animi magnitudine resistentibus; atque utrisque non modo hastis & gladiis, atque omnis generis missilibus, sed maxime ignibus compositis, ut in omnibus oppugnationibus factum est, pugnantibus: quibus cum multi corriperentur, partim horribili mortis genere conflagrabant, partim ambusti discedebant: illa res periniqua Turcis fuit, quod cum sub mœnibus conferti starent, saxis instar creberrimæ grandinis superne devolutis vulnerabantur; nullo ictu in illa densitate inani accidente, sed veluti destinatum petente: quod incommodum si se dilatando vitare vellent, in aliam majorem pestem incidebant: nam in eum locum venire necesse erat, in quo ictibus bombardarum ab arce sancti Angeli continenter displosarum sese apertos exponebant: ad extremum eadem cum clade atque ignominia Turcæ repulsi sunt, cum hæc oppugnatio duas continentes horas durasset, superior quattuor; atque utraque multos mortales absumpsisset, & vulnerasset, compluresque in iis de utriusque partis Primoribus. Virtus Francisci Guevaræ in hac & in cæteris oppugnationibus in primis enituit: is in mediam molem pugnæ semper sese inferens, atque ad loca, in quibus maxime laborabatur, discurrens, dextra Crucifixum circumferens ac pugnantibus ostentans, ejusmodi hortationibus illorum animos acuebat: *Macti virtute estote fortissimi hujus, quem cernitis, Christi milites, ac pro illius gloria & religione acriter dimicate: quem enim sanguinem Dominus & Deus vester pro salute vestra fudit, eum nunc à vobis repetit.* Insequenti die Turcæ, cum totam noctem, quæ antecessit, numquam quatere intermisissent omnibus copiis opidum & arcem S. Michaelis aggrediuntur: eadem fuit species pugnæ, idemque armorum & missilium, atque ignium genus: major tamen vis in arcem sancti Michaelis, quam in opidum illata est: tandem multis illorum cæsis ac vulneratis repulsi sunt; ira ac rabie ardentibus, nihil ex tantis conatibus procedere.

Per idem tempus duo transfugæ ab arce S. Michaelis in castra Turcarum venerunt; narraruntque Mustaphæ, obsessos bono & magno animo esse; neque ullius necessariæ rei inopia premi: ternos enim panes, ac grandem lagenam vini in die viritim distribui. Mustaphas ira & indignatione ardere, angustiores res obsidentium, quam obsessorum esse: cum pulvis ac reliqui bellici apparatus jam deficere inciperent, in primisque globi: quo fiebat, ut emissos colligere cogeretur: jamque fame laborare Turcæ cœperant; ac Bassæ exspectatione pendebant onerariæ, quam in insulam Gerbim ad ingentem vim panis torridi convehendam miserant; aliasque onerarias in Græciam & Syriam mittere constituerant, ad commeatus advehendos, ut in Melita hybernarent; parvumque opidum, quoniam nulla alia re possent, ad extremum fame expugnarent. Atque, ut transfugia Christianæ religionis desertorum, quorum maximus semper apud Turcas est numerus, in Siciliam impediant, catena ex immanibus antennis ac malis navium contexta, inter utrumque cornu ducta portum claudunt.

Interea Garsias, omnibus rebus comparatis; cum Cardona & Leiva tandem venissent, nihilque jam exspectaretur, præter quattuor peditum millia in ditione Urbinate conscripta; quibus imperatum fuerat, ut Cajetam venirent, ut inde à tredecim triremibus ac nonnullis onerariis, quæ ea de caussa Neapoli substiterant, trajicerentur; non ultra differendum ratus, de omni classe tres & sexaginta triremes deligit; quas, omnibus impedimentis detractis, ut ad cursum essent celeriores, omnibusque rebus instructissimas ac firmatas remigio, gubernatoribus ac nauticis sociis affatim refersit; cum omnem florem ac robur de reliquis triginta quinque triremibus, quæ Messanæ remanserunt, detraxisset: cum hac classe Messana solvens Syracusas venit: quo eodem tempore terrestres copiæ trajectæ sunt. Ibi magnum Procerum numerum offendit: qui ex multis Italiæ locis, nonnulli etiam ex Hispania religionis stimulis impulsi in eam urbem convenerant; ut operam suam in tam pio ac sacro bello navarent; magnumque clientium ac strenuorum virorum numerum omnes fere secum duxerant: quos omnes Garsias amanter complexus, honorifice appellavit. Haud temere tanta classis, qua una Christianorum navales res continerentur, in incertos casus danda erat: quam rem etiam Rex magnopere illi mandasse dicitur: explorato igitur in tanta re agendum intelligens, aliquem virum de longe Primoribus in insulam Gozum mittere statuit, ad quam ex consilii decreto classis, ut diximus, primo appellenda erat; qui vir cum Præfecto opidi de signis conveniret: sermone de ea re injecto, Joannes Andreas Auria se iturum profitetur: gratiis ingentibus actis, negare Garsias se illum missurum: rem enim longe minorem esse eximia illius dignitate; ipsumque tantum virum majoribus rebus reservandum dicere. In stando pervicit Auria, ut ipse mitteretur: itaque cum prætoria triremi sua profectus est: signum autem hoc editum est: in speculis esset Præfectus opidi; cum in mari nocte lumen conspexisset, intellecturum Præfectum, signum illud esse adventantis classis: quare ipse, si fretum, omniaque circa litora ab ipso conspecta hostium navibus vacua sint, lumine uno sublato rem significet: quod si denæ circiter naves in conspectu sint, duo tollat lumina; ac sic deinceps denas quasque naves singulis luminibus significet; hominemque facem gestantem eum locum versus, in quo hostiles naves sint, cursitantem mittat. Magni moliminis, magnorumque discriminum ea res fuit: nam cum Auria tertio post profectionem è portu Syracusano die ita Gozo appropinquasset, ut latratus canum exaudirentur, Martinezium quendam Hispanum ad eam rem delectum cum celoce in terram mittit, signis conventis homini descripto editis: dato insuper mandato, ut insequente nocte, qua ipse ea de causa Gozum repetiturus esset, lumine sublato sese in opido sospitem esse significaret; ac certum hominem cum altera scapha comitem illi addidit, qui paullo post reversus renunciavit, Martinezium in terram incolumem exscendisse. Inde igitur discedens Auria, totumque quod reliquum fuit noctis, insequentemque diem mari Siciliæ & Melitæ interjecto discurrens, adversoque vento usus, Gozo noctu repetita, complures horas in speculis fuit; cumque signum nullum conspexisset, vehementer animo perculsus est, veritus Martinezium insidiis exceptum; alterumque speculatorem misisset; ni navibus hostium circa discurrentibus prohibitus esset: à quibus prope factum est, ut bis interciperetur, qui bis ea nocte summo discrimini proximus fuit, quod cum evasisset, inde concedens, ac non minus animo, quam

quam corpore fluctuans haud exiguis tempestatum asperitatibus, adversisque ventis jactatus, variisque casibus & discriminibus conflictatus, tandem tertio die, cum tempestas desævisset, Gozum noctu tertium accessit, signumque conventum bis conspexit: inde igitur profectus Siciliam repetit, ac Pachinum tenuit: ibi cognoscit Garsiam promontorio superato in Lenosam insulam iter direxisse: quo Auria, cum aquandi caussa aliquamdiu ad Pachinum subsistere coactus esset, propere contendit, atque ibi consedit. Multos circa eandem rem ambitus fecerim, legentibusque fastidio sim, si quot circuitus, quotque errationes ab Auria factæ sint, dum Garsiam & classem quærit, persequi velim; quo ad Lenosam, ut convenerat, non invento, quoties inter Lenosam & Lampedosam, aliasque circumjectas insulas ac Siciliæ littora discurrere coactus sit, continentibus adversis tempestatibus atque imbribus jactatus, tum autem aquandi difficultatibus vexatus: quare ad Garsiam revertor: qui interea, exercitu lustrato, cum classis omnes, qui convenerant, capere non posset, mille & septingentis ex Vitellianis, quos trajiceret, delegit; reliqui omnes fuerunt Hispani, cum omnino octo millia essent: reliquæ copiæ cum magna ipsorum querela in Sicilia relictæ sunt.

Igitur omnibus rebus constitutis Garsias ante diem nonum Kalendas Septembris è portu Syracusano solvit; Pachinoque superato, littora Siciliæ legens cursum in insulam Lenosam dirigit: quam & alias Siciliæ adjacentes aliis nominibus à Veteribus appellatas scio: in qua insula Auriæ reditum se exspectaturum cum illo composuerat: atque in itinere onerariam illam, quæ in insulam Gerbim ad panem ac reliquos commeatus tollendos à Bassis missa fuerat, commeatibus & bellicis apparatibus onustam capit: verum ventis conversis, atque adversa tempestate incumbente, non modo Lenosam, sed ne Lampedosam quidem, cum omnibus viribus contendisset, tenere potuit: quare in insulam Pantalaream iter flexit, ventisque crebro variantibus, modoque in hanc, modo in illam partem ferentibus, ad eorum flatus navigationem accommodare cogebatur: quibus tres dies continenter jactatus ad extremum Euro sæviente adversa atque aspera tempestate exceptus est, marique ingentes fluctus volvente, effusissimoque imbre assidue decidente, totum diem atque insequentem noctem classis conflictata ac disjecta est: omnesque triremes partim toto mari sparsæ sunt, partim, quæ conglobatæ remanserunt, se vicissim urgentes, atque inter se incurrentes proras ac rostra perfringebant: tandem cum venti sævire desiissent, tempestasque desedisset, tota classis quassata & lacerata, nulla omnino trireme desiderata, Favigianam insulam tenuit, quæ insula haud procul ab urbe Drepano Siciliæ adjacet: ibi milites quiete paucorum dierum à labore & jactatione maris sunt refecti. Aliquot dies in ea insula fuit Garsias Auriæ exspectatione suspensus: tandem tempestatem ad navigandum aptam nactus, Favigiana profectus Lenosam insulam tenuit; ab hominibusque ab Auria relictis signa composita Gozensibus edita cognoscit; nuncioque lætus discedit, tribus hominibus de suis vicissim relictis, jussis quindecim dies Auriam opperiri; hominique, si eo appulerit, renunciare, ut, quoniam conveniendi potestas non fuerit, Syracusas se conferat, quo copiis expositis Garsias è vestigio sit reversurus: ibi conventuros: tria erant agmina aliquanto intervallo interjecto. Igitur cum Gozo appropinquassent, postremum agmen, quod Cardona ducebat, nocte prospectum adimente, atque omnia incerta faciente, à reliqua classe aberravit: erroreque cognito Cardona classem quærens cum aliquamdiu ultro citroque discurrisset, ea nusquam inventa, fretum intravit, & ad locum, in quem copiæ exponendæ erant, pervenit: ubi cum classem non invenisset; mirabundus inde discedit. Garsias vero cum se à postremo agmine desertum sensisset, totam noctem errabundus, pluribus scaphis ad hominem quærendum circummissis, à luce oppressus est: qua omnia aperiente, tandem convenerunt: cumque se à Turcis conspectos haud dubitarent; egregia occasione copiarum tuto exponendarum amissa, cum totam insulam à parte in Africam versa ambissent, in Siciliam reversi Pachinum tenuerunt: & ad locum, quem *Poxalem* vocant, omnes copiæ expositæ sunt: ibi circiter mille quingenti à signis discesserunt, partim morbis impliciti, pugnæque inhabiles facti, partim nausea & tædio jactationis mare horrentes: quibus malis atque adversis rerum initiis fractus Garsias iterum fluctuari animo cœpit, atque de incepto omittendo agitare.

Per ea tempora Turcæ non segne tempus terebant; cum in opere assiduo essent, Christianorumque munitiones subtus continenter excavando, complures specus subterraneos duxissent; magnoque in metu essent obsessi, ne, cuniculis actis & incensis, aliquæ opidi partes everterentur: quos ut prohiberent, contrarias fossas ducebant, cum die ac nocte in opere essent. At Turcæ, opus assidue urgendo, aggerem belloarduum Castellæ altitudine æquantem ac proximo muro superexstantem ad ipsa mœnia perducunt: quæ res longe detrimentosa obsessis fuit: nam Turcæ area complanata & dilatata, firmam scloporiorum stationem ibi constituerunt; locumque pluteis circumvallarunt corio contectis, ut ab incendiis tuti essent: quare ipsi ex tuto, atque ex superiore loco subjectos obsessos scloporum ictibus assidue petebant, quibus multi passim exanimabantur; cum nihil obsessis profuisset interior jam ante eo in loco ductus murus; quem fenestra aperuerunt, ut per eam bombardæ ictibus Turcas ex aggere dejicerent: verum Turcæ ex superiore munitione in eum locum bombardis suis collineantes fenestram obstruxerunt: quare ab ea parte res ita in arctum adductæ sunt, ut multi magno Magistro confirmarint, eam partem jam defendi non posse; auctoresque illi fuerint, se in arcem S. Angeli cum aliquibus delectis recipiendi, & opidum atque arcem S. Michaelis deserendi: quam vocem ille magno & constanti animo abominatus, atque ita suadentes aversatus, nullam aliam cogitationem eo tempore in consilium adhibendam dixit, quam de Turcis eo loco expellendis: Claramontioque Equestris Ordinis viro, cujus virtutem & audaciam multis locis perspectam habebat, cuique plurimum confidebat, ad se vocato, quid illum facere velit, imperat; validamque ac delectam armatorum manum attribuit. Ille impigre imperata faciens, per fenestram à Christianis ea de caussa in muro factam Francisco Guevara comite, nocte in ipsum summum aggerem egreditur; stationemque Turcarum omnibus viribus aggressus è vestigio ex eo loco deturbat, nonnullis eorum obtruncatis; magnoque operarum numero eo adducto locum illum valido munimento firmat: quam rem Turcæ cum sensissent, bombardarum emissionibus eos, qui erant in opere, vexare cœperunt; quarum ictus ne in tenebris incerti essent, hastam lumine præfixam subtus eum locum ad perpendiculum defigunt, ut destinatum locum & à lumine indicatum peterent; quarum ictibus multi, qui erant in opere, exanimati sunt: quare Turcæ eam pestem, quam Christianis aggere excitando machinati fuerant, in se ipsos vertisse cernentes omni consilio opidi

opidi à parte Castellæ toties infeliciter tentata aggrediendi plane deposito, pridie Kalendas Septembris ad inferiores partes opidi oppugnationem transferunt: quam rem obsessi animadvertentes cuniculos in eam partem agere incipiunt, quibus incensis, Turcæ mœnibus succedentes in sublime evolarent, atque ea peste perirent: verum Turcæ cum rem sensissent, subtus penetrantes tanta celeritate res administrarunt, ut, priusquam ab extremis vigilibus sentirentur, ad ipsa præfurnia pervenerint; nonnullisque cadis pulveris raptis, se in tutum receperint: eodem die Turcæ arcem S. Michaelis, cum opposito munimento decusso simplex tantum tabulatum remansisset, aggressi sunt omnibus viribus connixi; ultimaque experti, tandem cum multorum cæde repulsi sunt, ac paullo post, cum aliquantum imbris dejectum esset, Turcæ idcirco Christianos stationes deseruisse, soluteque ac negligenter agere rati, quod nulla oppugnatio decidente imbre verisimilis esset, arcem iterum aggrediuntur: cæterum spes eos frustrata est: frequentes enim stationes invenerunt, atque acriter resistentes: quare inceptum statim omittunt: cæterum Turcæ non aperta modo vi, sed astu quoque in oppugnationibus utebantur, varia genera fallendi commenti: nam cum obsessos ad manum conserendam prodeuntes cernebant, ipsi procumbentes, ne ictibus essent obnoxii, suis, qui erant in statione, invehebant: illi ex munitionibus Christianos apertos ictibus bombardarum incessebant: ad hoc cum manus conserta esset, in medio pugnæ ardore bombardas inanes displodebant, ut eo metu Christiani astus ignari pugnæ se subtraherent, ac Turcæ consisterent.

At Mustaphas omnia nequidquam expertus, se in irritam spem terere tempus intelligere; in omnesque partes animum versare ac quærere, quidnam sibi conandum esset; ne sine ullo omnino effectu ejus in Melitam adventus, tantique conatus essent: subiit animum cogitatio, ipsam urbem Matrem bello ad eum diem intactam aggredi, verum prius quid animi, quid virium defensores haberent, explorandum ratus, cum valida delectorum manu eo ipse accedit: cæterum audaci eruptione ac frequentibus bombardarum emissionibus exceptus, haud minorem molem urbem, quam oppidum ipsum, esse intellexit: quare eo consilio plane deposito, ad suos redit. Vulgo fremebant milites, Proceres exercitus nullam periculi partem capessere, neminemque ex illis sibi in oppugnationibus præire; sed spectatores tantum alieni periculi miseros milites, tamquam vilia & despecta capita, Christianis trucidandos objicere: haud injustis querelis permotus Mustaphas tentorium suum in ipsa ora fossæ ante arcem statuit; vallo excitato, quo ab ictibus obsessorum tegeretur: ipseque & Rex Cirthæ Proceribus in consilium adhibitis capita conferunt: ibi Rex se principem mœnia conscensurum, atque in summo muro signa Turcica defixurum profitetur: quæ res in vulgus pronunciata sermones compescuit ac querelas sedavit.

Eo tempore pius Monachus vulneribus exsanguis; cum præ membrorum lassitudine in publicum prodire non posset, assiduis precibus, quando pugnando, aut concionando non poterat, res juvabat: quibus precibus ab imo pectore erumpentibus, Divino Numine propitio facto, visa est homini species Christi Domini, atque una Joannis sacri Ordinis præsidis, Paullique, & Francisci: editaque vox, *Divinum Numen exoratum Melitam ac Sacrum Ordinem servaturum*: qua re magno Magistro demonstrata, atque in vulgus pronunciata, magna lætitia toto opido fuit: omnes igitur Divino promisso confirmati se mutuo ad sustinendum hortari.

A At Turcæ subterraneis specubus assidue fodiendis longe introrsus opidum multis in partibus penetrarant: adversus quos obsessi contrarios cuniculos egerant: quibus Septembri mense ineunte pulvere indito tribus in locis incensis, Turcæ solo, in quo constiterant, everso, in sublime emicantes horribili mortis genere interierunt: ad arcem vero sancti Michaelis Turcæ omnia belloardua partim tota, partim majore ex parte occuparant, locaque subtus excavata tuti insidebant, ac murum cum ipsis obsessorum aggeribus conjunxerunt: B præterea omnibus propugnaculis detersis, vallo tantummodo simplicis tabulati inter obsessos & Turcas interjecto obsessi tegebantur: quod & ipsum Turcæ uncis, quibus prælongas hastas præfixerant, apprehensum revellere conabantur: ad hoc hastis quibusdam, *ronchis* vulgo appellatis, cuspide falcibus haud absimili, Christianorum hastas apprehensas perfringere nitebantur: adversus quæ omnia cum, obsessorum virtute immota stante, Turcæ nullam aliam esse viam invictos animos expugnandi intelligentes, quam ipsos paullatim absumendo, turrim ligneam aggere fartam altitudine mœnibus arcis exstantem ædificant, ac super illam magnum sclopariorum numerum con- C stituunt, qui ex superiore loco Christianos subjectos & apertos assiduis ictibus incessant: è vestigio Christiani, munimentis ab ea parte perforatis, bombardas in fenestris statuunt; continentibusque ictibus turrim demoliuntur: vicit tandem invicta Christianorum virtus Turcarum pertinaciam: nam Bassa omnia ultima expertus oppugnationem tandem omittere decrevit, cum intelligeret opidum & animos defendentium inexpugnabiles esse; ad hoc voces ac querelæ militum vulgo audirentur, sese sine ulla fructus spe, assiduo labore uri, quo pene jam confecti sint: membra se vix jam regere posse; longeque majore malo- D rum mole se quam obsessos premi: quare consilia ad opidum artissima obsidione urgendum convertit; ut quos vi & ferro inexpugnabiles expertus fuerat, eos fame ad extremum expugnaret.

Interea Joannes Andreas Auria in Lenosam insulam reversus, ibique Garsiæ mandato ex hominibus relictis cognito, confestim Syracusas petit: qui cum in consilio, quæ gessisset, quæque sibi in eo itinere accidissent, exposuisset, ingentibus ipsius Garsiæ & omnium Procerum laudibus est exceptus; qui talis vir, Garsia illum retinente, atque eximiæ hominis dignitati parcente, caput E ipse suum pro Republica ac pro Christiani nominis gloria in tanta discrimina atque in ipsam pene mediam Turcarum classem ultro obtulisset. Nutare iterum animus Garsiæ cœperat, re de integro ad disputationem revocata: cæterum omnes Proceres pro se quisque ipseque in primis Joannes Andreas Garsiam hortari, ut bene inchoata consilia ad exitum perducat; dataque facultate secundæ navigationis utatur; neque dubitet ad certam victoriam properare; monereque, ne cunctetur miseros Equites in extremum discrimen adductos, quorum omnis salutis spes à promissis F ipsius pendeat, ex immanium Barbarorum faucibus eripere: quibus victus tandem orationibus, ac veritus invidiam, si ipse solus tanto omnium ardori defuisset, proficisci decrevit, rebus prius constitutis, ac mandatis scripto editis, cum, copiis expositis, in Siciliam è vestigio reverti ad secundum commeatum repetendum in animo haberet, Auria apud se retento, ut Rex per litteras imperarat: quinque igitur Duces exercitui præficit, in quibus principem locum Alvarum Sandium voluit obtinere, (ita enim & imperarat Rex, & merita hominis poscebant) penes quos conjunctos imperium sit, idque ratum sit,

sit, quod major pars censuerit: fuerunt autem, ipse Sandius, Ascanius Cornius, Vincentius Vitellius cognatus Chiappini, qui nonnullis de caussis munus recusavit, Sanctius Londionius, Gundisalvus Bracamontes; singulisque singula munera nominatim sunt dispertita. Nam Sandius Legionis Neapolitanæ, Londionius Mediolanensis, Bracamontes Sardæ, Vitellius Italicæ Duces facti sunt; Cornius Magister exercitus creatus: dato mandato, ut edicta ipsius Garsiæ nomine pronuncientur; ac, simulatque ad magnum Magistrum pervenerint, imperio illi cedant, hominisque dicto, tamquam ipsius Garsiæ, audientes sint.

His editis mandatis, copiisque in naves impositis Syracusano portu solvit; Siciliæque littora legens promontorium Saccæ tenuit: inde iter in Melitam intendit; secundissimisque flantibus ventis tantum itineris confecit, ut meridie ad Melitæ conspectum venerit: inde in insulam Gozum cursum dirigit, cui cum viginti passuum millia appropinquasset, substitit, ne ab hostibus conspiceretur: primisque se intendentibus tenebris movit, ac circiter dimidiam noctem, cum insulæ appropinquasset, lumineque sublato, composito signo ab opidanis responsum esset, omnia circa hostilibus classibus vacua ac tuta esse, lætus fretum ingreditur; & ad opidum classem appellit: cumque ab opidanis cognovisset, Turcarum classem circiter quadraginta triremium eo die in freto fuisse, ac die in occasum inclinato discessisse; ut securior ab omni periculo esset, lucem ad exponendas copias exspectare constituit, turbas & errores nocturnos veritus. Igitur cum lucescere inciperet (is fuit dies septimo Idus Septembris) freto trajecto, ad illud littus Melitæ è regione parvæ insulæ Comini, quod promontorium *Meleghæ* appellatur, classem appellit, omniaque cum ordine administrans, minus quattuor horarum spatio omnes copias, quæ erant ad sex millium numerum redactæ; omnesque commeatus ac bellicos apparatus exponit; certisque hominibus itinerum peritis ad urbem veterem, quæ ab eo loco octo millium passuum aberat intervallo, præmissis, qui adventum suum nuncient, ac petant, ut quantum maximum possint jumentorum numerum ad commeatus & impedimenta convehenda mittant, ipse è vestigio classe conscensa, magna bombardarum vi displosa, qua adventus classis & subsidii magno Magistro significabatur, Siciliam ad secundum commeatum accipiendum repetit. At Duces, agmine è vestigio ordinato, iter ingrediuntur, cum milites (ut in nulla jumentorum facultate) commeatus & bellicos apparatus ac reliqua impedimenta ipsimet humeris suis comportare cogerentur, duabusque iniquitatibus eodem tempore urerentur, & nimii oneris & itineris asperi & confragosi; ut multi, cum prægravarentur, saccis apertis dimidiam partem panis projicerent: qua re à Ducibus animadversa, onera allevare coacti sunt, ac panem unius sacci in duobus sacculis ponere: quibus rebus effectum est, ut tria tantum passuum millia eo die perrectum sit; nec citius, quam quaternis castris, breve illud iter confici potuerit: quo tandem peracto, exercitus, loco satis idoneo à Cornio, qui agmen præcedebat, ante capto consedit: clivum enim perardui adscensus in fronte habebat; alterumque latus ipsa urbe, alterum peramplo Monachorum cœnobio muniebantur. In eo igitur loco exercitus constitit labore itineris & oneris, ad hoc vigiliis & cæli injuriis confectus; cum, ut in nulla tabernaculorum ac lectorum facultate, sub dio in aspero ac nudo solo cubantes quietem capere toto eo itinere coacti essent. Ibi Duces litteras à magno Magistro accipiunt: in quibus erat scriptum, ad urbem subsisterent: nihilque esse, cur ad opidum accederent: Turcas enim, cognito Christianæ classis atque auxilii adventu è vestigio tabernacula detendisse, bombardasque, & commeatus, omnesque bellicos apparatus in naves imposuisse; ipsosque omnes conscendisse: atque ita Divini Numinis benignitate, illorumque opera obsidionem solutam: in opido porro non esse commoda hospitia, tectis dirutis, nulloque ædificio integro: ad Marzam vero castra poni non posse, aere tetro odore cadaverum hominum & jumentorum passim sparsorum, ac purgamentorum toto circa corrupto ac pestilenti facto.

Cum ab omni Turcarum molestia securi triduum in castris tranquillam quietem egissent; ecce trepidus eques à magno Magistro missus currens prima luce venit, nunciatque Ascanio Cornio, quem portam urbis forte egredientem offendit, Turcas mutato consilio exscensionem fecisse; ac cum Christianis congredi decrevisse, jamque magna parte itineris confecta mox affuturos. Mutati consilii caussa fuit, transfuga quidam Granatensis ex Maurorum stirpe; qui nunciavit Bassis, exiguas esse trajectas copias: non enim sex millium numerum excedere, (& vera narrabat, cum plus mille quingenti iis, quas diximus, de caussis à signis discessissent) verum mox numerum duplicatum iri. Garsiam enim Siciliam repetisse; ac quæ ibi præsto sint, reliquas copias secundo commeatu adducturum. Enimvero Mustaphæ haud omittenda occasio visa, Rege Cirthæ assentiente, Piale magnopere dissentiente, hominemque à novo consilio revocare frustra contendente. Mustaphas affirmare magnæ sibi invidiæ ac fortasse fraudi quoque apud summum Imperatorem fore, plurimumque apud omnes sese offensuros, si ipsi ad primum Christianorum crepitum, tamquam examen apum, perterriti subito avolarint, ac numero duabus amplius partibus superioribus fortunam pugnæ experiri detrectarint: contra Pialis ita disputare, flore ac robore exercitus in præteritis præliis amisso, imbelles illos, qui remanserint; tum autem diuturnis laboribus confectos, & exsangues, atque inermes florentibus, ac delectis, integrisque, & recentibus, optimeque armatis Christianis, quid aliud quam veluti pecudes trucidandos objici? victus est duorum consensu Pialis: ita copiæ iterum expositæ sunt ad sedecim millia numero; Mustaphasque ad Christianos terrestre iter intendit, Pialis vero negotium classis ad stationem S. Paulli appellendæ sumpsit, ut Turcæ ad omnia subita tutum receptaculum sub manum haberent: nuncio ad Sandium & reliquos cum litteris magni Magistri misso, Cornius extemplo in castra advolat, copiasque instruit; atque ibi, ubi constiterant, edito loco Londionio, & Bracamontio, quos secum habebat, consilium approbantibus, invadentes Turcas exspectare constituit: certam enim & exploratam victoriam esse, si Turcæ eo subierint: quos sine ullo certamine ipsa iniquitas loci victura sit: cæterum cum ad extremam crepidinem, unde erat in inferiora loca despectus, processisset, cernit alteram planitiem, quæ suberat, militibus plenam: eo accurrit Cornius, asperisque verbis castigatos, qui ordines relinquere ausi sint, additis etiam minis, si cunctarentur dicto audientes esse, ad ordines reducit.

Dum ea Cornius administrat, Sandius, ac Vitellius, reliquique, qui cum illo erant, Proceres, nuncio Turcarum adventus accepto, cum magna hominum caterva in eam ipsam inferiorem planitiem, Cornio ignaro, descendunt: hos conspicati milites plerique ad eos se applicant; brevique tota planities armatis completur: qua re conspecta Cornius accurrens iterum eo descendit, Sandioque ac Proceribus rationem consilii sui exponit; magnæque temeritatis esse dicit, ac contra rectam belli ratio-

rationem victoriam certam & exploratam in incertam aleam dare; proinde hortatur, ut omnes se in superiorem locum secum recipiant, remque ratione potius, quam temerario impetu gerentes: fateri Sandius superiorem locum tutiorem esse; cæterum Turcas numquam eo subituros: itaque occasionem egregiæ victoriæ è manibus emissum iri; quæ haud dubia sit adversus confectos, & imbelles, ac præteritis malis jam victos: respondere Cornius, divinare id neminem posse: quare conatus Turcarum prius inspiciendos: qui si à colle conscendendo abstinuerint, integra tum fore Christianis consilia: ac tum, si visum fuerit, ad illos descensuros: retinere sententiam Sandius, ardorique militum indulgendum dicere. Hic altercatio ex utriusque contentionis studio inter illos exorta est, vario assensu. Cornius Deum immortalem atque homines testari, si quid cladis acceptum sit, non penes se, sed penes eos culpam fore, qui res non ratione & consilio, sed temere velint geri: cæterum victus est ardore militum ac Procerum pugnare cupientium, ac celeriora consilia tutioribus præferentium.

Jam Turcæ apparere incipiebant, quos ad locum castrorum iter intendere Christiani Duces existimarunt: deinde cum, urbe ad lævam relicta, iter flexissent, intellectum est, illos collem quendam proximum petere: quare Sandius validam sclopariorum manum, quæ à signis discesserat, ad locum pugnantibus opportunum præoccupandum cursu propere contendere imperat; aliosque post eos, ut ad illum multi pugnandi cupidi subinde conveniebant, submittit, cum quibus Chiappinus Vitellius ivit; qui cum in summum collem evasissent, Turcas jam & ipsos conscendisse inveniunt, quos magno impetu aggressi de colle dejiciunt; præcipitique fuga se ad suos recipientes insequuntur: interea conclamatum est, ut acies ex loco, in quo instructæ stabant, moveant, atque ulterius procedant: ipseque Cornius, quia magis factum non probare, quam non interesse pugnæ poterat, in inferiorem locum descendens se cum cæteris conjungit. Sandius Chiappinum præmissum subsequens collem paullo post conscendit: atque in subjecta valle aciem Turcarum instructam cernit: quare retromissis, qui agmina aut accelerare jubeant, ex superiore loco ignaviam Turcarum ferocibus verbis increpat: sclopari Turcas cedentes insequentes ipsam aciem sclopis incessere, pugnamque procul lacessere incipiunt.

At Mustaphas audacia Christianorum perterrefactus, appropinquantibus agminibus procul conspectis, suosque fracto animo ac victis similes cernens, pedem statim referre cœpit; Ducibusque Christianis, qui Turcas cedentes conspicati è vestigio collem descenderant, urgentibus ac terga abeuntium cædentibus, acriterque, si quando Turcæ conversi restitissent, dimicantibus, fugienti potius, quam se recipienti similis trepido cursu naves ac mare repetebat: qui cum ab amenti trepidatione neque animus, neque sensus homini constaret, bis equo decidisse dicitur: tantaque fuit in Turcis fugiendi, atque imminenti discrimini se subtrahendi aviditas, tantusque in Christianis manum conserendi ardor, cum à Ducibus cohiberi non possent, ut meridiano æstu etiam conficiente, plerique lassitudine in ipsa via aspera præsertim & incommoda defecerint, ac nonnulli exanimati sint: tandem, cum ad mare pervenissent, multo confusius, quam iter fecerant, naves conscendunt, ipsa turba se mutuo impedientes, cum multis qui scaphas præsto non habuerunt, ab insana trepidatione se in mare projicerent, nando se ad naves perventuros sperantes; compluresque in classe conscendenda fœdius, quam in ipso prælio vario genere mortis perierunt, partim nando, partim scaphis nimio pondere demersis undis hausti, partim etiam scloporum ictibus à Christianis assidue emissis in ipso mari confecti: illudque memorabile in primis fuit, quod multi ex Turcis nantes ab Hispanis militibus, qui, ardore pugnæ ab omni periculi cogitatione animos avertente, se post Turcas in mare projecerunt, in mediis undis partim cæsi, partim capti sunt, ac, nisi triremes bombardarum ictibus Christianos accedentes ab extremo littore arcuissent, perexiguus Turcarum numerus in naves incolumis se recepisset; duo tamen illorum millia in ea fuga, illiusque diei assiduis præliis ac laboribus, ut ex transfugis postea cognitum est, varia peste absumpta sunt, cum de Christianis non plus quattuordecim desiderati sint.

Is fuit infelicis Expeditionis finis: Bassæque eadem nocte ignominiæ & cladis pleni, viginti mortalium millibus amissis, quorum duodecim millia bellatores fuerunt, reliqua turba remiges ac nautici, classem solventes cursum in Græciam dirigunt, insula Melita libera tandem relicta; quam arctissima quattuor circiter mensium obsidione, acerrimaque oppugnatione presserant: littoraque Siciliæ prætervecti à Garsia è portu Syracusano conspecti sunt: ex qua re intellexit obsidionem solutam: quam rem etiam paullo post ex magni Magistri ac Ducum litteris cognovit: quæ res laborem secundi commeatus trajiciendi illi ademit.

At Christiani Duces ad opidum accesserunt ad magnum Magistrum salutandum: qui illos omni verborum honore, omnique gratiarum actione prolixe est prosecutus, quorum optato adventu ipse, ac sacer Ordo ex immanium Barbarorum faucibus esset ereptus. Fœda opidi facies Ducibus apparuit, omnibus mœnibus prostratis, opidoque ipso in circuitu toto pene suffosso; omnibus fere intra opidum tectis dirutis, atque ædificiis quassatis & apertis; ut non effigies opidi ab interitu servati, sed capti ab hostibus ac diruti relicti videretur: auxit miserationem cladium recentium commemoratio, cum de quindecim mortalium millibus omnis ordinis, omnisque sexus, & ætatis, (tot enim capita ante obsidionem in opido, atque in arcibus S. Hermi & Sancti Michaelis censa sunt) novem millia partim belli casibus, partim morbis interierint, in quibus fuerunt amplius tria bellatorum millia; ut de tanto numero, cum obsidio soluta est, sexcenti tantum bellatores, Equestris Ordinis viris connumeratis, reliqui fuerunt: admirationi in primis fuit immanium bellicarum machinarum à Turcis relictarum species: *morlachi* enim (id est tormenti genus) globos lapideos trecentorum pondo torquebant, *basilisci* globos ferreos centum sexaginta pondo, *cannones* octoginta emittebant: ductaque inde ratione, amplius septuaginta millia emissionum pro certo fuisse creduntur.

F I N I S.

VBERTI FOLIETAE,
PATRICII GENVENSIS,

OPVSCVLA NONNVLLA

VARII ARGVMENTI:

Quorum index est in versa pagina.

AD

PTOLEMAEVM GALLIVM,

CARDINALEM COMENSEM AMPLISSIMVM.

DE VITAE ET STVDIORVM RATIONE HOMINIS SACRIS INITIATI.

DE RATIONE SCRIBENDAE HISTORIAE.

DE CAVSSIS MAGNITVDINIS TVRCARVM IMPERII.

TYBVRTINVM HIPPOLYTI CARDINALIS FERRARIENSIS.

BRVMANVS, SIVE DE LAVDIBVS VRBIS NEAPOLIS.

DE NONNVLLIS, IN QVIBVS PLATO AB ARISTOTELE REPREHENDITVR.

DE NORMA POLYBIANA.

ORATIO IN FESTO DIE OMNIVM SANCTORVM.

PTOLEMAEO GALLIO,

CARDINALI COMENSI

AMPLISSIMO,

VBERTVS FOLIETA

S. P. D.

S*VMMA dignitas, & amplitudo tua, ac status mei tenuitas faciunt*, PTOLEMAEE AMPLISSIME, *ut non modo tuis in me meritis referre parem gratiam nullam possim, sed in hac ipsa qualicumque referenda gratia, non tam observantiæ ac studii, quod tibi summum debeo, onus levare, quam augere videar. Etenim in Libellis meis, quos amicorum hortatu edere decrevi, tibi nuncupandis beneficium me potius accepturum, quam daturum intelligo: neque enim tibi, clarissimarumque virtutum tuarum gloriæ, quæ excelso loco posita ab omnibus conspicitur, quidquam lucis scriptis meis possum afferre; sed contra hæc ipsa scripta per se obscura futura nomine tuo præferendo mire illustrabuntur: quæ vero splendidior esse possit inscriptio, quam nominis tui, cum tu is exstiteris, qui nullis externis opibus subnixus, sed meritorum tantum tuorum gradibus ex privata fortuna ad altissimum istum honoris & auctoritatis locum conscenderis, cujusque eximiæ & præstantes virtutes, in primis vero singularis prudentia ita enituerint, ut non modo Pius Quartus te in Senatum legerit, atque ad interiora consilia perpetuo adhibuerit, summæque graviorum negotiorum præfecerit, sed Gregorius quoque Tertiusdecimus, cum quo nihil privati juris aut necessitudinis tibi intercedebat, raro, atque haud scio, an unico ex multorum sæculorum memoria exemplo idem tibi munus mandarit: quas summas & singulares virtutes tuas non necesse habeo in præsentia stilo persequi, cum quod eæ splendore ipsæ suo sine cujusquam oratione satis sunt illustres, tum ne eas tibi ipsi narrando pudorem tuum onerare videar voluisse. Atque ea cum ita sint, tuæ tamen sapientiæ & æquitatis est*, PTOLEMAEE CLARISSIME, *voluntate ac pietate mea, quod unum facultatis meæ est, in quaque me à nemine vinci umquam patiar, te satis remuneratum putare, in hisque lucubratiunculis accipiendis te ita humanitati tuæ proximum esse, ut in studio & observantia mea tum, cum illam ad te detuli, amplectenda fuisti: ac quemadmodum tum quantum tuæ gratiæ & benevolentiæ mihi impartireris, ex eadem potius humanitate tua, quam ex meis ullis meritis statuisti, ita nunc quam grata tibi esse debeant Opuscula hæc nostra, non ex eo quanti ipsa facienda judicabis, sed ex amore in me tuo statuas oro. Vale.*

VBERTVS FOLIETA,

PATRICIVS GENVENSIS,

DE

VITAE ET STVDIORVM RATIONE HOMINIS SACRIS INITIATI.

AD ROBERTVM NOBILEM, *CARD. AMPLISSIMVM.*

Etsi hominum tui ſtudioſorum neminem omnino eſſe puto, cui ſecundæ res tuæ jucundiores ſint, quam mihi, tamen in iſta tua ampliſſimi honoris acceſſione duæ me res à gratulatione retrahebant. Altera, quod occupationibus tuis parcendum eſſe ſtatuebam; nolebamque in tam magno gratulantium numero, quibus tu omnibus pro tua humanitate voles reſpondere, neceſſitatem meis quoque litteris reſpondendi tibi imponere: Altera quod cum jam diu gradus iſte honoris à Pontifice tibi ſit non modo deſtinatus ac promiſſus, ſed pene delatus, exiſtimabam voluptatem ex ea re jam ex eo tempore animo conceptam meo tibi ita cognitam eſſe ac perſpectam, ut litterarum teſtificatione non indigeret: cum præſertim ſæpe coram tecum hanc ipſam honoris adeptionem gratulatione præcurriſſem. Sed tamen cum audiſſem te Cardinalem factum, quamvis voluptas jam (ut dixi) inveterata cumulata non ſit, neque enim ullus erat cumulo locus, tamen novos quoſdam lætitiæ motus eo nuntio mihi ſenſi in animo excitari, quos ita comprimere non potui, ut non hanc Epiſtolam ſtatim exararem, qua primum tibi iterum gratularer, atque ita gratularer, ut magis ex animo non poſſem, eamque rem precarer tibi bene, feliciterque evenire: deinde ut incredibili meo erga te amori obſequerer, in te nonnullis de rebus admonendo: quæ res quamquam minime neceſſaria poteſt videri, cum quod virtus tua non egeat monitore, tum quod ſint apud te multi cum eximia doctrina, tum ſingulari prudentia præditi viri, qui te admonitionibus & conſilio juvare poſſint, & regere, tuus præſertim optimus & ſapientiſſimus parens, à cujus voluntate numquam tibi eſt diſcedendum, tamen non omnino alienum duxi à ſingulari meo erga te ſtudio, ſi hæc quoque veluti meæ obſervantiæ ſigna ad te pervenirent: quibus tu tantum tribues, quantum & ipſe tribuendum cenſebis, & ceterorum judicia qui me prudentia antecedunt, ab iis non diſcrepare intelliges. Quorum primum eſt, ut Divinæ benignitatis erga te magnitudinem agnoſcas, quæ tibi in tam altum dignitatis locum præbuerit adſcenſum, in ea præſertim ætate, quæ ab eo gradu longiſſime abſit; neque in hac re aut quidquam tibi, aut Pontificis Max. propinquitati aſſumas, quaſi idcirco debitus tibi fuerit iſte honor: nam contra ea res majorem in te animi demiſſionem debet excitare. Etenim hoc ipſum, nactum fuiſſe te Avunculum magnum Pontificem Maximum, magnus eſt Divinæ benignitatis cumulus. Quare Divino Numini tantæ gratiæ à te ſunt habendæ, quantas animus tuus capere poteſt maximas. Quod eo etiam facies impenſius, ſi tecum reputare volueris, tam multos homines partim generis ſplendore, partim innumerabilibus virtutum laudibus florentes in Romana Aula conſenuiſſe, neque tamen ad iſtum gradum, quem tu puer es adeptus, pervenire potuiſſe. Omnis igitur (ut dixi) tibi ætas eſſe debet in tanto beneficio grata recordatione colendo, gratiaque ob illud Deo habenda, quam debes: cujus rei faciendæ una eſt tantum via, ſi te in omnibus non ſolum factis & dictis tuis, ſed etiam cogitationibus ad præceptorum Divinorum præſcriptum conformabis.

Proximum monitum eſt, ut cum præſtantiſſimum inter ſacros homines locum obtineas, ad eas res mentem cogitationemque adjicias, quas ſacerdotis profeſſio poſtulat. Etenim plerique noſtra ætate (quod lugendum ſit) dignitatem tantummodo & opes in ſacerdotio ſpectantes, iiſque hianti cupiditate imminentes, quanti oneris, quantæque ſollicitudinis res ſit ſacerdotium, ſibi curandum non putant, eaque re fit, ut nullam officii ſui partem in ſacerdotio gerendo tueantur: qua re quid dici poteſt indignius? Nam ſi nullum eſt tam ſordidum artificium, aut tam humile, ut ad illud ſeſe conferentes, non ſibi prius quærendum putent, quod ſit illius artificii officium, quidve ſit illi propoſitum, ut ad illud poſſint induſtriam & diligentiam ſuam accommodare, quam turpe eſt, in re omnium maxima & graviſſima ab infimi generis hominibus vinci? neque reputare, quæ ſint ſacerdotum partes; cujuſque muneris colendi cauſſa à Deo inſtitutum ſit ſacerdotium? Hoc te genus hominum à veteri ſacerdotum virtute tantopere degenerantium nequaquam volo imitari: ſed contra conſiderare, cum nihil aliud ſit ſacerdos, quam inter Deum & hominem internuntius quidam atque interpres, precibuſque, & ſacrificiis Deum hominibus propitium reddendo, humana apud Deum; ſacris vero Myſteriis hominibus communicandis, iiſdemque Divinorum ſermonum uberrimo pabulo alendis, & ad Divinum amorem excitandis, Divina apud homines Legatione munus fungatur, quantum ac quam magnum munus ſit ſacerdotium, quamque non modo ad honorem & ad dignitatem inſigne, ſed ad curam, animique ſollicitudinem grave. Cujus ſuſtinendi cum duplex omnino ratio ſit, morum, & doctrinæ, in utraque ſumma tibi cura, diligentiaque eſt ponenda; & (quod ad mores attinet) danda opera, ut manum, linguam, mentem ab omni ſceleris contagione caſtam & integram ſerves, cavendumque, ne quod in omni vita ullius flagitii veſtigium appareat. Omnium præterea voluptatum & libidinum

dinum illecebræ declinandæ ſunt, quod nulla res majorem vim habeat ad animos adoleſcentium corrumpendos, & ab officii regione deducendos: quæ res tametſi difficultatem nonnullam videtur habere, tamen ſi ſecum reputare voluerint ii, qui ſacris initiantur, ſeſe Dei eſſe adminiſtros, facile intelligent, qui apud homines Deum referunt poteſtate, eoſdem illum ipſum Deum vitæ imitatione & ſimilitudine exprimere opportere. Neque enim ſacerdotibus communi tantummodo omnium Chriſtianorum officio curſus quidam vitæ ab omni vitio disjunctæ, & cum virtute conjunctæ eſt tenendus, ſed præcipua quædam & magis neceſſaria ratio virtutis à Deo ipſo illis eſt impoſita, cum illorum vitam edito loco ſitam eſſe diceret, in qua ceteris hominibus exemplum ad imitandum eſſet propoſitum; cumque illos lucernarum perſimiles eſſe prædicaret in montium vertice conſtitutarum, quarum virtute ac ſplendore lumen ceteris mortalibus præferretur: quæ præcepta ſi noſtri temporis ſacerdotes ſecum ipſi interdum agitarent, & cum Deo majore in gratia, & cum hominibus majore eſſent in honore; minuſque ex invidia & populorum offenſione laborarent: nunc illorum nonnulli Divinorum monitorum penitus obliti, flagitiiſque, & ſceleribus contaminati in ſummo jacent populorum contemptu.

Ab hac tam perdita, tamque profligata ratione te volo, Roberte, abhorrere: neque putare (quod plerique ſtulti facere ſolent) in ceterorum vitiis, ſi iiſdem tu, quibus illi, fueris inquinatus, tibi excuſationem ineſſe: ſed contra potius, eo majore laude dignam fore virtutem tuam, quo pauciores ſocios habebis. Quare omnis vitæ ratio ad eorum ſimilitudinem tibi eſt accommodanda, quorum laude ordo ſacerdotalis, qui ceterorum infamia premitur, ſublevatur. Neque tamen cum ab ipſorum lutulentis vitiis abſueris, perfectum opus tibi debes exiſtimare, ſed alia quædam ſupereſſe putare, quæ tibi nequaquam ſint negligenda. In primis modeſtiæ ratio: quæ virtus ut eſt propria ætatis tuæ, ita tibi alia majore ratione ſeorſum à ceteris adoleſcentibus magnopere eſt amplectenda. Nihil eſt enim, quod animos hominum ab officio magis abducat, quam ſecundæ res, bonaque fortuna: hæc ſolet animos hominum inflare, ſpirituſque quoſdam elationis & arrogantiæ plenos ſecum afferre: quæ res facit, ut cum amplitudo fortunæ non ſatis æquis oculis ab omnibus adſpici ſoleat, ſi ad illam ſuperbiam præterea, arrogantiamque adjunxeris, intolerabilis res fiat; ſummoque in omnium odio verſetur. Quare omni ratione cohibendus eſt hic impetus, modeſtiæque freno coercendus, omniſque aſperitas vitanda, contraque ſumma humanitas, atque in omnibus & dictis, & factis, ſuavitas inducenda: qua virtute, ut nulla eſt Chriſtianæ profeſſioni conjunctior, ita nec quæ magis ſecundæ fortunæ invidiam mitiget; communemque hominum benevolentiam illi conciliet. Neque tamen ut in unaquaque re magnam habet reprehenſionem nimium eſſe, ita in hac nobis eſt committendum, ut dum modeſtiæ laudem nimium conſectamur, ad levitatem dilabamur, ſed ita temperanda eſt tota ratio, ut ſimul cum humanitate gravitatis rationem habeamus. Neque enim cum aditus faciles laudo, idcirco projectam, nimiſque familiarem cum quibuſcumque hominibus etiam ignotis conſuetudinem probo: neque ſi ſuperbum ſupercilium & frontis contractionem deteſtor, ideo minorem mihi ſtomachum facit levitatis ac fuci cujuſdam plena ſubmiſſio. Sit igitur in vultu cum dignitate quadam conjuncta hilaritas, abſit humilis blanditia; ſit in ſermone ſuavitas, vitetur aſſentatio; ſit in quotidiana conſuetudine facilitas & comitas, faceſſat diſſolutio. Atque ut ſummatim dicam, non ita humanitatis laudem amplexemur, ut gravitati & dignitati parum conſulamus; neque rurſus gravitatis retinendæ cupiditate ita efferamur, ut ab humanitatis ratione abhorreamus: quamquam ſi in alterutram partem peccandum ſit, ad humanitatem potius eſt incumbendum, quod gravitas & dignitas fortunæ ſplendore facile ſeſe tueantur.

Ad mores adjungenda eſt doctrina. In qua re ſi tu, ut reliqui adoleſcentes, liberam haberes voluntatem, ad quod te ſtudium potiſſimum conferres, plus operæ ſumerem in ſententia mea ea de re tibi exponenda; plurimumque darem animi tui propenſioni, quam ut ſequereris, te hortarer. Cum vero ſacerdotis officium in Chriſtiana doctrina hominibus tradenda in primis ſit explicandum: ejuſque doctrinæ promulgandæ, ac cum hominibus communicandæ cauſſa à Chriſto ipſo toto orbe terrarum legati ſint ſacerdotes, intelligis profecto hanc tibi libertatem à ſacerdotis profeſſione præcidi: Theologiæque ſtudium, quod ceteris quoque hominibus ſua nobilitate omnium ſtudiorum debeat eſſe jucundiſſimum, tibi etiam eſſe neceſſarium. Hoc igitur tibi propoſitum eſſe debet, eoque omnis labor, opera diligentia tua eſt conferenda, ceteraque omnia, quæcumque leges & audies, ad illud ſunt referenda. At Theologiæ ſtudium eſt ejuſmodi, quod etiamſi omnibus ornamentis careat, quibus cetera ſtudia commendari ſolent, tamen ſubjectæ materiæ dignitate, quæ eſt Deus, maximaque utilitate, quod ad æternam ſalutem beatitudinemque hominibus iter monſtret ac patefaciat, omnes homines neglectis ceteris ad ſe attrahere debeat. Cum vero ad materiæ nobilitatem omnis generis ornamenta acceſſerint, quam non probanda eſt illorum ratio, ne dicam vituperanda, qui ab hoc ſtudio abhorrent. Cave enim putes, Roberte, ullum doctrinæ genus aut majore copia ac rerum varietate, aut majore eloquentia, aut ſubtiliore diſputandi ratione, aut à præſtantioribus hominum ingeniis umquam fuiſſe tractatum: ut veritas, quæ huic ſtudio ſubjuncta eſt, quæ etiam ſine ullo fuco nuda & ſimplex ſua pulchritudine & ſpecie eſt jucunda, admirabiliores etiam habeat delectationes luce orationis ornata. Nam ut omittam ſacros ipſos utriuſque Teſtamenti Libros, qui cum divino Spiritu dictante conſcripti ſint, ſua ſeſe majeſtate ſine ullo fuco, aut verborum ornamentis ſatis commendant; quis Baſilio in diſputando acrior, aut ſubtilior, aut gravior? quis majoribus ingenii aut doctrinæ opibus inſtructus? Quid? in Nazianzeni oratione præter eximiam ſacrarum rerum ſcientiam, ob quam merito eſt *Theologus* appellatus, præſtantemque in omni genere doctrinam, an Demoſthenis ſonitus & fulgura deſideramus? Chryſoſtomus vero an non beatiſſima illa copia, & ubertate, omniumque fere ornamentorum genere, ingenii præterea nobilitate Ciceronem nobis expreſſit? Multiplicem vero Hieronymi doctrinam, omniumque magnarum rerum abſolutam notitiam, & orationis copiam; acerrimum quoque Tertulliani ingenium, variamque eruditionem, quo in gradu laudis collocabimus? In Auguſtini vero cæleſtis ingenii acie an non præſtantiſſimorum Philoſophorum laudibus Chriſtiana gloria reſpondit: cujus in diſputando, erroribuſque refellendis ac vera doctrina aſſerenda acerrimam vim quæ ſatis æquare poſſit admiratio? Quid? Recentior hæc Scholaſticorum induſtria an eſt ſilentio prætereunda? quorum ratio diſputandi quamvis nonnullis paullo anguſtior, paulloque exilior ac ſpinoſior videri poſſit, tamen negare non poſſumus, lumen ab ea præferri, iterque monſtrari, quo minore cum erratione quæ contraria videantur inter

ſe aptare; ambigua diſtinguere ac denique in ampliſſimis illis ſacrorum Librorum ſpatiis liberius poſſimus, minoreque cum offendendi periculo, excurrere.

Deinde cum ad doctrinas conſequendas magnam partem ſine dubio ordo obtineat, certe Veterum ſcripta ſplendida illa quidem ac prope divina hac commoditate carent: neque quiſquam ſive de Græcis, ſive de Latinis fuit, qui illud ſuſceperit ac ſpectarit, quemadmodum totam Theologiæ doctrinam plenam & abſolutam traderet, remque à principio ad extremum ordine quodam perduceret: ſed modo hanc, modo illam rem tractantes, diſputationes ſuas ad Eccleſiæ tempora accommodabant. Quorum egregia ſcripta cum hac ordinis luce carerent, Divino conſilio factum puto, ut recentiora hæc ingenia exiſterent, quæ quod ſuperioribus deerat, id ipſa acumine & diligentia ſua adderent, confuſaſque illas & ſparſim tractatas quæſtiones in ordinem digererent; ſeriemque quandam conficerent, qua rebus aliis ex aliis annexis, & dilucidior eſſet hæc doctrina, & ad perdiſcendum facilior. Quorum hominum labor & induſtria haudquaquam videtur adſpernanda: nam etſi multa ſæpe inculcant à Philoſophis ſumpta, quæ fortaſſe omittere potuiſſent, nonnulliſque quæſtionibus forte ſupervacaneis hoc ſtudium conſperſerunt, à quibus abſtinere potuiſſent, tamen iis rejectis poſſumus quæ utilia in ipſis ſunt, carpere.

Quid illa? quanta eſt hujus doctrinæ commendatio? quod cum reliqua ſtudia ingenia tantum hominum, vimque intelligendi oblectent, ac teneant, ſacræ Litteræ animi quoque affectum paſcant, & eo quidem pabulo, quo nullum ſit aut ad ſenſum jucundius, aut ad fructum utilius: animos enim hominum terrenis his & caducis bonis incubantes totos immutant, & ad cæleſtium rerum amorem traducunt, ſublimeſque quoſdam ac Divinos ſpiritus paullatim inſtillant, quibus humiles has, fluxaſque res deſpiciant; ac pro nihilo ducant; contra divinas ſuſpiciant; in eaſque omnibus animi motibus tantummodo ferantur. Quare fit, ut ſic affectæ mentes puriſſima ac perpetua tranquillitate fruantur, nullis ægritudinibus lacerentur, nulla inani lætitia titillentur, nullis denique perturbationibus exagitentur, quippe quibus omnia humana contemptui ſint, futuraque beatitudo ab iis ſtudiis etiam in hac vita fere repræſentetur. Illud quoque accedit, quod Theologiæ utilitas non æterna illa, cœleſtique beatitudine tantummodo terminatur, ſed humanarum quoque rerum adminiſtrationem complectitur. Neque enim ab ullis Philoſophorum ſcholis vitæ civilis præcepta aut ſubtilius ſunt, aut elegantius, aut vero etiam uberius tradita, quam à Theologis noſtris. Quare cum tu maxime omnium Reipublicæ Senator creatus ſis: ob eamque rem politicarum rerum cognitio tibi in primis ſit neceſſaria, debes te toto pectore ad illud ſtudium conferre, quod te in illis facere poſſit inſtructiorem.

Neque tamen te ad Theologiam tam vehementer hortor, ut à reliquis bonarum artium ſtudiis plane deterream, ſed ut moneam, tibi in iis ita eſſe verſandum, quaſi ex illis ad Divinam doctrinam tibi gradus quidam fiat: ut enim infectores non ſtatim neque temere quamcumque lanam conchylio tingunt, ne per rudem materiam aliquid de purpuræ ſplendore detrahatur, ſed lanam prius viliori fuco inficiunt; ac molliorem reddunt, ut ſuperinductum oſtrum ſplendidius niteat, ſic adoleſcentium animi, in quos Divina doctrina eſt infundenda, ingenuis prius ſunt artibus informandi, atque imbuendi: quibus perpoliti ſenſa illa Divinarum rerum non quidem præſtantiora efficiant, (neque enim poſſunt ullo modo) ſed & ad ea percipienda inſtructiores fiant, & percepta majore cum dignitate poſſint efferre. Ac quemadmodum non ſi ad fructuum copiam & ſuavitatem nihil folia valent, ſunt tamen frondes plane abjiciendæ, quod arboris decor plurimum illarum ornatu commendetur, ita nec ſi Divina doctrina nullo extrinſecus præſidio ſubnixa ſuis tamen radicibus firmiſſime hæret, ſeſeque viribus ſuis abunde tuetur, ſunt tamen ideo ab illa ceterarum doctrinarum ornamenta repellenda, quæ etſi eam meliorem non faciunt, homines tamen, in quibus ea ſunt, non modo exornant, ſed magna etiam illis ad illam tractandam afferunt adjumenta. Itaque tibi impedimento eſſe non poſſumus, quo minus aliquot etiam ætatis tuæ annos ponas in iis ſtudiis, ſed ita, ut non illa exiſtimes Chriſtiano homini, ſacerdoti præſertim per ſe eſſe quærenda, ſed (ut dixi) ex iis putes expeditiorem viam tibi ad Divinam doctrinam communiri: neque (quod plerique faciunt) utomnem tibi ætatem in iis ſtudiis ponendam cenſeas, ſed ſuſceptam in iis diligentiam eo uſque perducendam, quo ad te ad graviorem doctrinam ſatis ab illis inſtructum ſentias, ad quam cetera omnia ſtudia & conſilia tua tibi ſunt dirigenda, illiuſque utilitate proceſſus in ceteris artibus terminandi.

Hæc fere ſunt, Roberte Ampliſſime, quæ ego & ætati tuæ & honori, quem es aſſecutus, ſingulare meum erga te, ac Parentem tuum, totamque domum veſtram ſtudium debere exiſtimavi: in quibus exponendis cum videam, me Epiſtolæ modum pene tranſgreſſum, finem tandem faciam cum ea clauſula, ut Deum immortalem tibi iſtum honorem velim fortunare, teque orem, ut Parenti, ac Fratribus, meis verbis quamplurimam ſalutem dicas. Vale.

VBERTVS FOLIETA,
PATRICIVS GENVENSIS,
DE RATIONE
SCRIBENDAE HISTORIAE.
AD
OCTAVIANVM PASQVAM,
EPISCOPVM HIERACENSEM.

MVLTORVM studiis & adhortationibus impulsus, Octaviane Pasqua, cum ad universam nostrorum temporum historiam conscribendam animum & cogitationem contulissem, duæ me res ab eo consilio magnopere deterrebant: altera erat rei ipsius magnitudo, cui me haudquaquam parem existimabam: arduum enim in primis est opus ac perdifficile, plurimique ac diuturni laboris, quodque cum excellens ingenium ac singularem eloquentiam postulat, tum acres quosdam & vividos animi motus, qui ad excogitandum sint celeres, & ad inveniendum acuti, atque ad explicandum copiosi: præterea civilium & bellicarum atque omnium fere magnarum rerum haud mediocrem scientiam & usum: quæ omnia aut nulla, aut perexigua in me esse intelligebam: Altera quæ me deterrebat res, erat, invidorum & obtrectatorum, quorum plena sunt omnia, malevolentia & improbitas, insitaque quorundam ingeniis perversitas, ac pravum studium de eorum, quos aliquo numero esse ægre ferunt, laudibus detrahendi: quippe qui alienam gloriam ad suum dedecus revocent: animis enim minutis ac jejunis homines, imbecillitatisque suæ conscii cum sese attollere non posse sperent, quantum alios altius evolantes cernunt, tantundem se infimo loco relictos deprimi putant. Quibus igitur assurgendo sese æquare non valent, eos ad imum, quantum in ipsis est, deprimendo sibi pares facere contendunt. Quæ incommoda eo magis mihi erant formidanda & cavenda, quo ii, qui natura simplici sunt & aperta, qualem me esse, nemo est de iis, quibus notus sum, qui nesciat, gravius iis rebus offenduntur: ego quidem me animo quibusvis injuriis facile irritabili esse sentio. Quare verebar, ne labore ipse meo negotium mihi permolestum struerem, magnamque contentionum molem, à quibus ingenio longe abhorrens semper fui, conflarem. Verum cum nullum instandi & urgendi finem facerent ii viri, quorum complures amicitia & benevolentia, multi etiam auctoritate apud me plurimum valebant, obsequi tandem tantæ hominum voluntati quamvis invitus & retractans sum coactus, cum præsertim illi bono me animo esse juberent, fortiterque agendum dicerent; nam quod ad ingenium & facultatem attinet, plus me aliorum judicio de me, quam meo tribuere debere: neque obtrectationem & invidiam mihi esse pertimescendum: quam si veriti essent graves viri ac docti, neminem omnino animum ad scribendum adjecturum umquam fuisse: nullam enim ætatem ejus vitii expertem, aut ab ea labe sinceram atque integram fuisse: neque livorem & improbitatem cuiquam ex omni sæculorum memoria pepercisse. Ut in communi incommodo me unum eximium esse postulare non debeam, ac ne optare quidem.

Verum non me fefellit opinio mea: in varias enim reprehensiones incurrimus, neque eas genere leves. Quibus faciendum mihi putavi, ut responderem; hominumque importunam temeritatem refellerem: quod non omnino jejune me hoc libro fecisse arbitror; quem ad te, Octaviane Pasqua, multis de caussis mittendum duxi: primum, quod id à me postulare videbatur studium meum ab egregia tua voluntate, tuisque haud levibûs in me meritis & officiis provocatum: quæ merita si pari referenda gratia remunerari haudquaquam possum, at hoc saltem grati memorisque animi testimonio illustranda duxi. Deberi præterea hoc à me putavi veteri nostræ animorum conjunctioni, complurib usque necessitudinis caussis inter nos intercedentibus, in primis vero observantiæ atque adeo pietati, qua Simonem Pasquam patruum tuum Cardinalem amplissimum perpetua prosecutus sum omnibus officiis, omnique benevolentiæ significatione cum in urbe & in Tridentino Concilio, tum multis aliis locis ab illo amplexus. Nihil autem majoris ponderis fuit, quam dignitas tua, ex qua haud parum commendationis huic nostræ disputationi accessurum intelligebam. Illæ sunt enim in omni genere laudes tuæ, quas si stilo paullo diligentius & prolixius persequi velim, nemini, cui illæ notæ sunt, aut nimius fuisse, aut plus æquo gratiæ tribuisse videri debeam; difficileque sit, statuere, utrum in te ingenii, an morum & virtutum gloria magis excellat: nam ingenii præclarum specimen jam inde à primis annis, qui eloquentiæ studiis & politioribus artibus dati sunt, cœpit apparere; & in adolescentia, quæ tota in Jure Civili perdiscendo posita est, maxime enituit. Innocentia vero, integritas, fides, probitas, diligentia, industria, doctrina in forensi opera, qua juventutis tempora per octo annos in Romana Aula in caussis judicandis, atque in utroque munere supplicum libellorum fungendo districta fuerunt, conspectæ sunt. Jam vero morum sanctitas, continentia, religio in omni vita caste & diligenter culta cum omnibus admirationi fuit, tum vero Gregorio Tertio decimo Principi sapientissimo, minimumque gratiæ largienti, ac præmiorum modum meritorum momentis metienti, ita probatæ, ut te dignum judicarit, cui tertium & trigesimum annum ætatis nondum egresso insignem Locrorum Episcopatum, quem Hieracensem vocant, ultro deferret, cunctis approbantibus, & ampliore honore te dignum judicantibus. Ad hæc accedit singularis humanitas, tantaque in quotidiana consuetudine comitas & naturæ suavitas, ut nemo à te tristis umquam disces-

discesserit: Romaque ad mandatum munus profectus ardentissimum omnibus tui desiderium reliqueris.

Quibus rebus fit, ut in te ornando minimum, aut nihil omnino sit de generis commendatione petendum: quod tibi utraque familia nobile & insigne est. Nam paternum Cardinalatus honore praefulget, quo à Pio Quarto Simon Pasqua patruus, ut diximus, cum ob ceteras praestantes virtutes, tum ob multiplicem eximiamque doctrinam donatus est. Ut omittam alios complures, qui ejusdem familiae tuae gloriam laudibus suis amplificarunt; in primis Stephanum Pasquam parentem tuum, virum in omni vita recti exempli, atque in multis partibus Genuensis Reipublicae administrandis, primariisque magistratibus gerendis ita versatum, ut ejus opera, consilium, fides, integritas, pacis & concordiae studium in summo praesertim Magistratu positi difficillimis ac turbulentis temporibus magno usui patriae fuerit. Maternum vero Marchesiorum nomen perpetua Juris Civilis laude floruit, multisque insignibus stemmatibus clarum est, memorabili illo in primis fratrum pari Francisco Jurisconsulto, qui abavus tuus fuit, & Leonardo Ingaunorum Episcopo: quorum ille perpetua Reipublicae in magnis & arduis rebus domi forisque navata opera nobilitatur; hic singulari pietate, religione, doctrina, morum sanctitate praeditus in Episcopatu administrando, cui multos annos praefuit, quae sunt ejus muneris magna & praeclara cumulate implevit. Nec parvo decori familiae fuit Petrus Marchesius Hierosolymitanus Eques bellicis laudibus florens.

Tria igitur viri acutissimi nobis objiciunt. Principio consilium meum magnopere reprehendunt, qui Latine historiam scribendam duxerim, requiruntque, quid ita qui Veterum imitationem tantopere videlicet jactem, illorumque auctoritati in reliquis rebus tantum tribuam, in hac una, in qua minime conveniebat, à perpetuo & communi scribentium more discesserim: illud enim constare affirmant, omnes omnium aetatum, omniumque gentium Scriptores patrio, non alieno sermone historiam scripsisse, idem igitur mihi faciendum fuisse, popularique Itala lingua nostra in rebus gestis nostrorum temporum narrandis, litterarumque monumentis mandandis utendum: quod idem multos claros aetatis nostrae viros, magna cum ipsorum laude atque omnium approbatione videmus fecisse: in qua re eo me, ac ceteros, qui idem consilium non sunt amplexi, gravius affirmant peccare, quod Veteribus libera fuerint consilia, qua lingua scriberent; at nobis libertas haec sit erepta: Italoque populari sermone scribendi necessitas à re ipsa nobis imponatur, tot novis post Latinae Linguae usum exstinctum exortis rebus, quae Latino nomine careant: innumera enim munitionum genera reperta, quae Veteribus plane ignota ne Latino quidem vocabulo notata sint, neque nobis notare liceat in aliena videlicet lingua; infinita praeterea machinarum, tormentorum, bellicorum instrumentorum, telorum, armorum genera: ad hoc innumerabiles magistratuum, ac procurationum, & honorum, tam civilium, quam militarium titulos, quae omnia tot ac tam varia, cum nomen Latinum non habeant, frequentissimaque in historiam incidant, atque adeo maximam partem historiae obtineant, necessarioque in omni rei gestae narratione, in omnique consiliorum explicatione sint exprimenda ac creberrime repetenda, novoque proinde vocabulo popularisque linguae sint appellanda, efficietur ut ex duobus diversis inter se sermonibus historia necessario sit contexenda: quae res praeterquam, quod nullo exemplo fiet, ac non ferendae erit audaciae & temeritatis, quid tandem ea dici poterit absurdius? aut quod magis aures respuant? aut quod tandem id erit monstrum ex dissimilibus, tamque parum inter se congruentibus membris conflatum?

Sequitur altera oppugnatio, in qua sese non minus illorum jactat oratio, quaeque cum reprehensione insignem injuriam, & contumeliam meam habeat conjunctam. Negant enim me non ad universam modo, sed ad historiam omnino scribendam esse aptum, munusque me suscepisse affirmant, cui nullo modo par sim, neque enim cujusvis esse, quamvis excellenti ingenio, atque eximia eloquentia, scribendique arte praediti, ac quamvis ingenuis artibus exculti historiam conscribere, sed opus haud sciunt an dicant omnium maximum & praestantissimum uni tantum hominum generi convenire: quod ut planum fiat, illud disputationi praemuniunt, historiam veram esse oportere: neque enim aliud esse historiam, quam veram rerum narrationem: nam si historia narratio dumtaxat sit, tum vero historia nihil ab Epici Poetae narratione differat: quippe quod utraque res gestas contineat: una igitur veritate duas has narrationes inter se distingui. Denique veritatem ita esse propriam historiae, ut pars ejus essentiae sit, qua veritate carentem narrationem non pravam modo, ac malam historiam esse, sed ne historiam quidem esse, neque historiae nomen omnino posse obtinere. Itaque quamvis apta, ornata, copiosa, elegans sit narratio, quaeque omnia locis, temporibus, personis, convenientia, plane servet, consilia apte & luculenter explicet; egregiis descriptionibus situs locorum, formas urbium, ac munimentorum, instructiones acierum, ordines praeliorum, discrimina, & casus ante oculos ponat, ac veluti in rem praesentem legentium animos inducat, ac pro auditoribus spectatores faciat, omnibus denique eloquentiae & artis numeris expleta sit, si veritas in illa desideretur, decoram quidem & aptam fore narrationem, at historiam non dico falsam & pravam, sed nullam omnino futuram; contra si rudi & incompto scribendi genere litteris sit mandata narratio, neque ullas partes ex iis habeat, quas Rhetorum praecepta praescribunt; omnibusque ornamentis plane sit orbata, ad hoc consilia & caussas inepte explicet, res gestas confusa narratione obscuret, ac pro eo ut lucem afferat, tenebras rebus offundat, veritas tamen adsit, vilem quidem & ineptam, ac despiciendam rem fore, historiae tamen vim & nomen retenturam. Magnopere igitur normae similitudinem à Polybio commentam veluti rei mirifice aptam probant: *Ut enim*, inquit, *norma ex auro, & ex quamvis pretiosa materia facta, si recta non sit, res quidem pretiosa est, at norma nullo modo esse potest, cum enim norma caussa dirigendi operis inventa sit, munus suum praestare non potest, nisi recta ipsa sit, quare ne norma quidem erit; contra si recta sit ex quamvis vili materia fabricata, nullius quidem pretii erit, sed norma tamen erit; ita cum idem sit verum in historia, quod rectum in norma, efficitur id quod diximus, ut falsa narratio neque sit, neque appellanda sit historia, quamvis omnibus verborum & sententiarum luminibus illustrata, ac politissimo genere conscripta; contra vera quamvis sordida, & inops, atque inepta, re & nomine sit historia.* Qua re probe fixa & stabilita ita disputant, ad veritatem rerum, quae explicandae sunt, perveniri nullo modo posse, nisi ab iis viris, qui res ipsas tractarunt; quique rebus gerendis & consiliis interfuerunt, ac veras & certas, non autem commentitias, ac vulgo & forensibus jactatas caussas cognoverunt: ii autem sunt, qui ad interiora Principum consilia adhibiti sunt; qui in liberarum civitatum Senatu fuerunt, qui legationes obierunt, quorum opera in foederibus sanciendis, in conditionibus pacis componendis, in belli consiliis explicandis multum diuque sit versata;

ſata; quique exercitus duxerint, prœliis interfuerint, diſcrimina ſubierint, belli ſubita & improviſa ſubinde exorientia cognoverint: quæ vulgo ignota Duces ſæpe coegerint ſuſcepta rerum gerendarum ratione omiſſa ad novos caſus nova conſilia accommodare. Quærunt igitur, qua ratione me ad abditas rerum cauſſas penetraturum ſomniarim, qui nullam gerendæ Reipublicæ partem umquam attigerim: in quibus enim Principum conſiliis, aut in quo Senatu me tandem fuiſſe? quas legationes obiiſſe? quibus deliberationibus de bello, de pace, deque ceteris publicis ac magnis rebus umquam adhibitum fuiſſe? quibus prœliis interfuiſſe? quæ bella tractaſſe? quam denique Reipublicæ partem mihi umquam commiſſam? & tamen me hominem omnium publicorum negotiorum expertem hiſtoriam, & eam quidem univerſam de rebus geſtis noſtrorum temporum perſcripturum profiteri auſum, illudque munus ſuſcipere non veritum eſſe, quod viri in omnibus iis, quas diximus, rebus diu, multumque verſati, diuturnoque Reipublicæ gerendæ uſu contriti, vix ſe implere poſſe ſperent. Qua oratione in ſpeciem non ſpernenda fidem & auctoritatem hiſtoriæ meæ nituntur derogare.

Extrema eſt reprehenſio, quæ non tam in me, quam in omnium gentium, omniumque ſæculorum auctoritatem invadat, perpetuumque atque ab omnibus ætatibus, omnibuſque Scriptoribus uſurpatum & approbatum morem damnare non dubitet; adeo nullus eſt audaciæ & confidentiæ modus. Negant enim conciones rectas in hiſtoria ullo modo ferendas eſſe: nam cum prima hiſtoriæ profeſſio & commendatio veritas ſit, atque adeo, ut diximus, ipſius hiſtoriæ eſſentiæ pars & forma, qua detracta hiſtoria vim & nomen ſuum retinere non poſſit, quem non pudeat ejuſmodi concionibus, quas res commentitias eſſe, & à ſe confictas, ne ipſi quidem, qui eas confixerunt, inficias eunt, in hiſtoria tam frequentem locum dare? ſeſe igitur priorum ſæculorum, ac tot clarorum virorum omnibus ceteroqui naturæ & induſtriæ præſidiis cumulatorum vicem pudere, quos ambitio & gloriæ cupiditas ita tranſverſos egerit, ut impotenti ingenii & eloquentiæ oſtentandæ cupiditate elati profeſſionis ſuſceptæ plane ſint obliti; legemque hiſtoriæ perſpicue perfregerint, quam dum minime neceſſariis ornamentis illuſtrare nimium ſtudent, ejus naturam corrumpere non ſint veriti. Cum hac igitur una exceptione præclara ingenia eſſe laudanda; neque ullum quamvis diuturnum uſum, ac quamvis magnam & conſentientem auctoritatem tam evidenti rationi debere præponderare.

Non quidem genere levia videntur hæc, Octaviane, quæ nobis objiciuntur, neque prima ſpecie ita parum probabilia, ut non in rem minus acriter intuentibus errorem poſſint objicere: quem tamen errorem nos facile erepturos confidimus, verum iis tantum hominibus, qui ad intimam rationem poſſint penetrare, ingeniique aciem in rem bene penitus defigere, quique veritatem ſubtilitate diſputationis ad tenue ſciant limare, ac ſingula momentis ſuis ponderare; qui denique non ex eo genere ſint hominum, qui ab anticipationibus ita poſſidentur, itaque ſemel comprehenſæ opinionis pertinaciter ſint retinentes, ut ſi eam ratio labefactarit, ſi veritas extorſerit, illam tamen deponere in animum non inducant. Ac negantibus hiſtoriam hoc tempore poſſe Latino ſermone conſcribi, ſatis copioſe, ni fallimur, in Libris noſtris de linguæ Latinæ uſu & præſtantia reſpondimus, remque diligentiſſima, ac ſatis, ut putamus, ſubtili diſputatione perſecuti ſumus; docuimuſque & hiſtoriam, & omnes magnas res noſtra ætate non modo commode & dilucide poſſe, ſed debere quoque litteris Latine mandari; idque longe rectius & præſtabilius eſſe, ac cum legentibus utilius, tum ſcribentibus glorioſius: non igitur neceſſe habeo eundem laborem aut mihi ſcribendi, aut tibi legendi iterare.

Quare quod ſecundo loco objicitur, magiſque rem continet, videamus. In quo, quæ de natura, aut veritate hiſtoriæ præmuniuntur, ea omnia non retractanter concedo, Polybiique ſententiam & comparationem in præſentia accipio: quamquam non ſum neſcius, multa ad ea poſſe reſponderi, eſſeque nonnullos, neque eos indoctos, qui à Polybio magnopere diſſentiant, comparationemque ab illo inductam improbent, remque ad judiciorum ſimilitudinem revocent; affirmentque eandem eſſe veritatis in hiſtoria rationem, quam in judiciis juſtitiæ; ac quemadmodum injuſtus Judex, Judex tamen eſt, & injuſtum judicium, judicium tamen eſt, ita mendacem hiſtoricum, hiſtoricum tamen eſſe, & falſam hiſtoriam, hiſtoriam tamen eſſe: quæ quamquam à nonnullis dicuntur ſubtiliter, neque parum in ſpeciem probabiliter, à nobis tamen in præſentia omittenda ſunt, tamquam quæ nihil ad nos pertineant, nihilque ſit, quod de illis pugnemus: quippe qui à tota hac ratione longe abſimus; Polybioque & iis, qui hiſtoriam, quæ eadem vera non ſit, vere eſſe hiſtoriam, eoque nomine appellandum negant, magnopere aſſentiamur. Neque nos hæc attigimus, quod veritati hiſtoriæ noſtræ diffidamus: neque enim plus diligentiæ aut ſtudii à quoquam omnino noſtra ætate in rebus quærendis & inveſtigandis adhibitum putamus, eaque noſtri documenta in omni vita dediſſe ſperamus, ut minus eſſe in nobis fidei, quam in ceteris ii, quibus noti ſumus, numquam ſint exiſtimaturi, ſed hiſtoriam ſcribentium, patrocinium ſuſcepimus, quos ætate noſtra indigniſſima invidia videmus laborare, in qua homines vitium, quod eſt in re, ad ſcribentes transferunt, inſita in humanis ingeniis importunitate de aliena laude, perinde quaſi in illa vituperatio ipſorum ſit, quantum quiſque poteſt, detrahendi: à quibus illud quæro, cum homines in veritate perquirenda & inveſtiganda, eaque ex altiſſimis tenebris in lucem extrahenda omnia ſumma fecerint, an ſatisfeciſſe officio illos putent? & an quiſquam præter diligentiam & fidem ulla omnino in re præſtare amplius ſit obſtrictus? Quod ſi ea eſt humanarum rerum conditio, ut quamplurimas earum cum ipſas tum illarum cauſſas non modo vulgo, ſed ipſis quoque ſummis viris, quique publicas res, ac bella & paces, negotiaque Principum tractant, ignotas eſſe neceſſe ſit, quæ, malum, tanta eſt iſta in quorundam ingeniis perverſitas, ut Scriptorum tamen laborem & induſtriam lacerare non deſiſtant, quos intelligant omni culpa à re ipſa liberari? Qui homines male de hominum genere mereri ſunt exiſtimandi, qui tam iniquam legem in ſe ipſos & in ceteros ſtatuant, ut neceſſitati culpam aſſignent. Quod ſi dicant, quamvis Scriptores omnes diligentiæ & ſuſcepti muneris partes impleverint, ac proinde ipſi quidem crimine ſint liberandi, non tamen ideo effici, ut perfecta ſit hiſtoria tanto vulnere ſauciata, dicant quæſo, qui ita diſputant, quæ tandem de omnibus artibus, omnibuſque doctrinæ profeſſionibus ad perfectionem ſit adducta? & in qua non multa deſiderentur. Quid igitur in communi vitio unam ſcribendæ hiſtoriæ facultatem ad vituperandum & inſectandum arripiunt? cum ceteras non ferant modo, ſed laudent quoque?

Verum communi defenſione omiſſa tempus eſt, ut ad ea, quæ mihi propiora ſunt, tandem veniam, iiſque reſpondeam, qui à me hiſtoriam præſertim univerſam ſcribi poſſe negant. Odioſus eſt hic locus

& lubricus; neque (quod ajunt) lupo & præcipitiis interpositum video. Concedam illis quod objiciunt? tum vero me non ferendæ temeritatis, & summæ stultitiæ, projectæque impudentiæ ipse condemnaro, qui eam rem tanto conatu, tantaque operæ & studii impensa susceperim, cui me haudquaquam parem confitear: tantique exsudati labores projiciendi fuerint, atque inchoata opera, quæque jam multum processerit, interrumpenda, omnisque industria plane deponenda. Refellam oppugnantes? at quomodo arrogantiæ & levitatis notam effugero, si in caussa mea defendenda aliquid de me sublatius & magnificentius dicere coactus fuero? Sed fortiter agendum est; neque arrogantiæ crimen formidandum, quod necessitas omnibus rebus validior à me deprecatur: cum præsertim auctoritate ipsorum sapientiæ Antistitum sublever: qui licere hominibus tradiderunt, sese sine levitatis nota multis locis laudare: quorum ille maxime celebratur, cum egregiorum hominum virtus detrahentium invidia & maledictis incessitur; recteque facta ac merita calumniis & obtrectatione malevolorum premuntur: quam tamen rem faciam modice, neque quidquam mihi assumam, in quo quisquam repugnet, quodque non omnium consensu mihi tribuatur. Equidem nescio, qualem isti hominem fingant, quem ad historiam scribendam admittunt. Nam si eum, qui hebeti ac tardo sit ingenio, nullaque doctrina, aut eruditione excultus, nullisque Rhetorum præceptis informatus, qui nihil legerit, nihil didicerit, quique præterea in otio & solitudine consenuerit, idem nullum humanarum rerum usum sit consecutus, ab historia scribenda excludunt, me quoque sententiæ suæ adscribant: quod si eum hominem, qui sollerti & vivido sit ingenio, celeribusque quibusdam mentis motibus, & ad inveniendum uberibus, & ad explicandum copiosis sit præditus, qui multorum scripta legerit, qui Philosophorum disputationes, quæ ad vitam civilem pertinent gustarit, qui in Rhetorum scholis sit versatus, qui eorum, qui res scripserunt, quorumque nomen clarius & celebrius est, monumenta diu multumque evolverit, ad eorumque imitationem acri studio & indefessa diligentia sese contulerit; quique diuturna meditatione & exercitatione eam scribendi facultatem sit adeptus, cujus illum haudquaquam pœniteat, qui idem in foro sit versatus, quique vel in magnis civitatibus, vel in Principum Aulis magnam ætatis partem egerit, magnorumque ac præstantium virorum, qui publicas res tractant, consiliis Principum adhibentur, bellis gerendis præsunt, legationes obeunt, diuturna & assidua consuetudine usus sit; cumque illis de bellis, de fœderibus, de conditionibus pacis, de consiliis Principum sermones sæpe contulerit, cœtibus hominum dum de publicis ac magnis rebus, deque novis exorientibus casibus, deque futuris eventibus inter se commentantur, interfuerit, talibus naturæ & industriæ præsidiis instructum hominem cur rejiciant non video.

Verum age, videamus, quamobrem eos dumtaxat, qui res ipsas tractarint, quique in consiliis interioribus Principum fuerint, quique ipsi bella gesserint, exercitibusque præfuerint, ac res bellicas administrarint, ad scribendam historiam admittant, ceteros arceant: *Quod abdita*, inquiunt, *rerum caussæ & consilia Principum illis tantum nota sint, ceteris ignota; neque ullius rei perfecta esse possit cognitio ignoratis caussis, à quibus res manant, ac sine consiliorum cognitione manca quædam & cæca sit rerum gestarum narratio: qua re fit, ut nullus possit aut perexiguus percipi ex historia fructus, sine quo fructu inutilis plane ac supervacanea est historia: neque enim historia, ut poema delectandi caussa in primis conscribitur; neque ut novorum casuum varietate allectos animos hominum pascat & teneat, sed ut hominibus prosit, neque iis modo, qui nunc vivunt, sed posteritati quoque: nam cum duæ sint facultates, quæ commune bonum & utilitatem publicam spectant, quæque hominibus ad beatam vitam iter expediunt, illosque ad civilem societatem tuendam & ornandam instituunt, moralis Philosophia, & historia, ita hæ duæ facultates partitæ sunt inter se munera, ut illa disputationibus & præceptis animos & mores hominum informet, hæc utilibus exemplis salubribusque documentis quid sequendum in vita, quid fugiendum sit, doceat; moneatque ad quorum similitudinem actiones & consilia sua homines dirigant & conforment; casusque atque exitus, qui bona consilia & prava consequi soleant, ante oculos hominum ponat, quorum cognitione illi vel ad virtutem inflammentur, vel à sceleribus revocentur: at ejusmodi utilitates ex simplici nudaque rerum narratione percipi nullo modo possunt: influunt enim caussæ vi sua in res, quæ geruntur, ac veluti anima sunt rerum, à quibus actiones ipsæ formam & naturam accipiunt: fitque, ut eadem actio laudanda, vel vituperanda sit, prout sunt caussæ, à quibus actio illa manat, prout est finis, qui rerum gerendarum auctoribus fuit propositus.*

Speciose differuntur hæc quidem, atque ita probabiliter, ut errorem parum cautis possint objicere: verum falsitas eo periculosior est, quo in insigniore specie latet: quare nobis discutiendæ sunt tenebræ subtilitate disputationis, veritasque eruenda. Duplex erit disputatio; prima de caussis, altera de rebus, quæ geruntur, quæque à caussis manant: quod antequam facio, illud silentio præterire non possum: non adhuc plane exploratum esse, neque omnium consensu approbatum, necessariam esse historiam scribenti caussarum explicationem, sed rem bene longam disputationem habere: sunt enim, neque ii indocti, qui contra disputant; historiamque narrationem esse gestarum rerum & eventuum tantummodo, neque de caussis quærendis, & investigandis, illisque tradendis historiæ Scriptori magnopere esse laborandum, neque enim hoc esse Historiographi munus, neque historiæ nomen caussas vi sua complecti: quæ res confirmari potest sacrarum Litterarum auctoritate, in quibus historiæ nudam & simplicem rei gestæ habent narrationem. Verum ut hæc in præsentia missa faciamus, demusque caussas magnam & necessariam partem in rerum narratione obtinere; sine quibus res ipsæ veluti mancæ ac detruncatæ sint, cum duo sint in rebus gerendis hominumque actionibus genera caussarum; alterum earum, quæ vulgo jactantur, omnibusque notæ sunt; alterum abditarum, quæque à Principibus, iisque qui illis sunt in consilio, fere comprimuntur & occultantur; de primis nulla potest esse controversia, cum omnibus æque sint notæ: quare omnes ad illas exprimendas æque idonei sunt, si modo ingenio & facultate scribendi valeant. De secundis pugna est, sed non difficilis exitus. Nam si nemo idoneus est ad historiam scribendam, nisi qui interioribus Principum consiliis interfuerit, intimasque caussas cognoverit, nemo omnino ad universam historiam scribendam idoneus fuerit: non enim universa historia unius tantum Principis consiliis & actionibus definitur, sed omnes Europæ Principes amplectitur. Bella enim nostra ætate in Europa variis de caussis variisque temporibus excitata, si quis rem vere existimare velit, alia ex aliis annexa fuerunt, singulaque bella ipsa non ad eos tantum Principes pertinuerunt, qui apertas inimicitias, apertaque odia inter se exercebant, quosque apertæ dissidiorum caussæ in aperta bella stimulabant, atque inter se committebant, sed ceteros quoque Europæ Principes varie attingebant: nam alios vetus amicitia veterisque clientelæ jus ac vetera partium studia in apertam consiliorum belli

belli societatem trahebant, alios, quibus libera erant consilia, ad hunc vel ad illum ex iis, qui aperte bella gerebant, occultis studiis sese applicabant, occulteque hunc, aut illum juvabant, prout rebus suis conducere putabant; prout bellorum exitus sibi utiles, aut damnosos fore providebant, prout alterius secunda, vel adversa in se ipsos, atque in Regna sua redundatura existimabant: quare nihil in Europa nostra, aut Patrum nostrorum ætate motum est, quod non omnium Principum animos erexerit, atque in alienos eventus oculos & animum omnium intenderit, exercitaritque ad consilia sibi in omnes casus præparanda, & ad novos, subitosque eventus accommodanda. Quare factum est, ut bella, resque in Europa gestæ non in eorum tantummodo à quibus gerebantur, sed in omnium Principum deliberationem caderent, in omniumque consiliis agitarentur: fieri autem non potest, ut unus idemque homo ad arcana & intima plusquam ab uno Principe uno eodemque tempore adhibeatur, ac plurium Principum consilia & cogitata simul cognoscat: cumque in historia universa scribenda omnium Principum & liberarum civitatum consilia explicanda sint, quomodo is, qui in unius tantum Principis consilio fuerit, magis ad intima ceterorum Principum consilia penetrabit, illave melius explicabit, quam is, qui nulli omnino consilio interfuerit? Æque enim illi, ac mihi consilia ceterorum vel conjectura investiganda, vel ab aliis discenda erunt; & æque ille, atque ego, & conjectura falli, & ab alio decipi potest: quota igitur pars fuerit totius historiæ ea, in qua me superabit? profecto tam exigua, ut vix compareat. Quid? quod ne res quidem unius ejusdemque Principis, cujus ipse administer est, omnes scire ipse per se potest, sed multo maximam earum partem ab aliis cognoscat necesse est? quæ tamen res in historia necessario sunt complectendæ, neque ab iis, quæ ipse per se cognovit, in scribenda historia ullo modo disjungi possunt, id quod mox planius explicabitur. Deinde haud facile concesserim, illum ad res illius ipsius Principis, cui in consilio fuerit, & à quo arcanorum particeps factus sit, scribendas, consiliaque exponenda & explicanda magis idoneum, quam me esse, si modo consilia ipsa æque atque ille cognovero. Nam res ipsum tractasse, atque in deliberationibus ipsum esse versatum, gerendæque Reipublicæ diuturno usu assuefactum esse; hæc atque hujusmodi complura ad prudentiam augendam valent quidem plurimum, instructioresque homines & aptiores ad Rempublicam gerendam faciunt. Quocirca sapientius consilium profecto dabit in deliberationibus de magnis ac publicis rebus, faciliusque res implicatas expediet is, qui res ipsas usu cognitas & pertractatas habet, quam is, qui nullam umquam Reipublicæ partem, aut in consiliis capiendis, aut in rebus gerendis & administrandis attigerit, sed ad eas ipsas res, quas ille ipse tractarit, quibusque etiam præfuerit, scribendas, ampliusque, & distinctius, atque ornatius etiam & nervosius explicandas haudquaquam magis aptum faciet: nam hoc totum ingenii est & eloquentiæ. Neque enim Annibal res, quas ipsemet gessit, melius quam Livius scripsisset, aut majore cum dignitate explicuisset. At enim caussæ & consilia illis, qui rebus in consulendo, vel in agendo non interfuerunt, nota plane esse non possunt: quæ comprimi solent, cumque iis tantummodo communicari, quos Principes ad interiora consilia adhibent. Hic ego tempora distinguo: si occultari caussas & consilia dicunt, tum cum res ipsæ geruntur, assentior, sed historia post res gestas scribitur, tum cum sine periculo consilia & arcana deteguntur, neque enuntiantibus obesse possunt, rebus jam transactis: quare facile est, ea consilia ab iis, qui rebus interfuerunt, quibusque nota sunt, cognoscere, ut in nulla superiore conditione futurus sit is, qui per se ipsa consilia cognoverit, eo qui ab aliis cognoverit. At enim post res quoque gestas arcana consilia nihilominus comprimuntur, neque temere divulgantur. Non pugno, sed nihil contra me hoc facit, nam si ejusmodi sunt consilia, quæ nullo modo divulganda sint, non magis, atque adeo multo minus stilo, quam ore divulgabuntur: quare ne is quidem, qui illis interfuit, litterarum monumentis illa consignare audebit: atque ut res planior fiat, aut consilia, quæ silentio teguntur, turpia & injusta, parumque decora ipsis Principibus, consiliorumque auctoribus sunt; aut honorifica, & cum honestate, atque officio conjuncta. Primi generis consilia numquam enuntiabuntur, multoque minus scriptis ad posteritatem propagabuntur: nihil igitur in iis gnarus ab ignaro differet: à neutro enim scribentur. At secundi generis consilia ultro prædicari solent, percunctantibusque cupide narrari; nemoque tam sui ipsius & Principis sui hostis est, ut quæ ab ipsis egregia & Reipublicæ salutaria profecta sunt, esse velit ignota, meritaque laude se ipsum fraudare; ac non contra magnam habeat gratiam, si quis illa laboribus & industria sua ab oblivione hominum vindicarit. Quod si obstinate adhuc restiteris, eumque, qui consilia abdita enuntiat, percunctantes sæpe decipere contenderis, facile respondeo, ejusmodi esse ea consilia necesse esse, quorum auctores pudeat, in quibus narrandis atque invertendis non minus legentes scribendo, quam percunctantes fallet pronuntiando. Quare fiet, ut legentes, quorum caussa res gestæ scribuntur, nihilo certius ac verius, nullamque meliorem historiam ab iis, qui consiliis & rebus agendis interfuerunt, quam ab iis, qui eadem de aliis cognoverint, habituri sint: eadem est actionum & rerum gestarum ratio, quæque de consiliis disputata sunt, ea hic commode repeti possunt, singulaque in hunc locum apte transferri: aut enim res gestæ à nemine bene narrari possunt, aut non minus ab iis, qui ipsis gerendis non interfuerunt: neque enim actiones à consiliis separari possunt, neque ex iis duæ confici historiæ, sed ita altera res ab altera est annexa, ut disjungi nullo modo possint, necessarioque uno historiæ corpore sint contexendæ. Ex iis vero hominibus, quorum opera, industria, prudentia, fide Princeps in maximis rebus & in summa Republica procuranda utitur, non omnes omnia tractant; sed sua sunt cujusque separatim munera: nam alios domi & apud se retinet Princeps, quos ad deliberationes de bello, ac de pace, deque aliis gravibus negotiis adhibet, omniaque, quæ in deliberationem cadunt, de illorum consilio expedit: alios à se amandat, Provinciisque regendis, atque exercitibus, & rebus bellicis præficit: quo fit, ut si quis illorum ad historiam scribendam animum adjiciat, non omnia, quæ scripturus est, ipse viderit, sed multo maxima eorum pars de aliis sit cognoscenda: neque enim is, qui exercitui præest, interioribus consiliis Principis potest interesse; quæque ibi agitantur & deliberantur ipse audire, & ei quoque, qui apud Principem remanet, casus belli sunt ab alio perdiscendi. Quid? quod iis ipsis, qui in acie steterunt, in parteque laborum ac periculorum fuerunt, multo maxima pars eorum, quæ in ipso prælio, cui ipsi interfuerunt, gesta sunt, ab aliis cognoscenda est: nam cum ingens loci spacium acies obtineat, is, qui in sinistro constitit cornu, quæ in dextro gesta sint, qui casus ibi præliorum fuerint, quæ ibi variaverit fortuna, unde fugæ, unde victoriæ initium factum sit, nisi

ab aliis narrata cognoſcere non poteſt. Vix quæ prope ſe gerantur, quis præ clamoribus, diſcurrentium turba, ſignorum cantu, ſtrepitu armorum, ictuum ſonitu, tormentorum bombis, equorum hinnitu, cadentium gemitu cum omnia oborti fumi ac pulveris nubes tegant, adſpectumque adimant, exaudire, ac videri poſſit, ne dum ſit in longinquas partes circumſpectus, aut in extremam aciem oculi atque aures cujuſquam poſſint intendi. Ut ne ipſe quidem ſummus Dux, quæ in ſua acie geſta ſunt, niſi de aliis maxima ex parte cognita, ſtilo perſequi poſſit. Quid dicam de hoſtili acie? cujus eventus quoque & caſus ipſi prorſus ignoti non minus diſtincte ac dilucide, niſi hiſtoria manca plane futura ſit, ſunt explicandi? Quæ omnia innumerabilia cum de aliis, vel de iis ipſis, qui interfuerunt præliis neceſſario ſint perdiſcenda, qua tandem re, aut quot tandem partibus is, qui à prælio commiſſo abſuerit, eo, qui interfuerit, erit inferior? ſiquidem utrique tanta pars rerum aliorum narratione eſt cognoſcenda? ut præ illis, ea quæ ipſe, qui interfuit, vidit, minimum inſtar ſint?

Dicet aliquis. Nihil igitur ſciens, diuturnoque uſu bellicarum & civilium rerum doctus ignaro, eoque, qui nullum uſum in rebus habeat, nullaque re præſtabit? In agendo innumerabilibus, in ſcribendo nulla, aut perexigua: neque enim rei militaris rudis aciem inſtruere, omnique bellica ratione firmare, tempora pugnæ cognoſcere, hoſtem ad pugnandi neceſſitatem ſuo tempore, hoſti alieno adigere, quæ in rem fuerint, imperare, locum idoneum caſtris capere, per hoſtiles fines tuto ducere, è ſaltuoſis & impeditis locis incolumis evadere, inſidias cavere & ſtruere, commeatus & annonam ſibi expedire, hoſti intercludere, ad ſubita belli conſilio præparatum eſſe, hæc & ſexcenta alia imperatorii muneris magna & præclara egregius belli Dux facile expediet: quemadmodum ſi in conſiliis Principum anceps & ardua incidat deliberatio, is qui diuturnum uſum gerendæ Reipublicæ habet, magnamque prudentiam eſt conſecutus, difficultates ſuborientes conſilio facile expediet, futura providebit, quæque in rem ſunt, conſulet, firmiſque, & ſolidis rationibus contraria & damnoſa ſuadentes refellet, errores aperiet, aliiſque veluti lumen prudentia ſua præferet, ac quid in deliberando ſequendum, quid repudiandum ſit, demonſtrabit, hæc omnia ſplendida & magnifica, quæque bonum & ſalutem publicam continent periti & gnari præſtabunt; illorumque auctoritas & conſilium numinis cujuſdam inſtar ceteris erit; contra imperitus nulloque uſu tractandæ Reipublicæ eruditus æſtuabit & hærebit, ignotoque onere obruetur: idem tamen ſi eloquentia ſcribendique facultate ſuperior ſit, ingenioque polleat, ſi modo diligens in perquirendo & cognoſcendo fuerit, eas ipſas res geſtas longe planius & diſtinctius, quam ii ipſi rerum & conſiliorum auctores, ſcribet, copioſiuſque & ornatius explicabit: quam rem conſiliorum auctores ægre ferre, aut indignari non debent, facileque pati, naturam ita partitam inter homines munera, ut cum ipſi in rebus gerendis excellant, quæ res altiſſimum in humanis rebus locum obtinet, ſcribendique facultatem magno intervallo antecedit, in ſecunda hac laude ſeſe eſſe inferiores.

Extremo loco in conciones invadunt, quas viri ex omni ſæculorum memoria acutiſſimi in hiſtoria rectas ferendas eſſe negant, cum obliquas non rejiciant: rectas vocant Proſopopœias; obliquas, non cum perſona ipſa loquens inducitur, ſed cum quæ dixit aliquis, nos ipſi tamquam noſtris verbis noſtraque perſona narramus. Veritati enim, cui rei ſtudere in primis hiſtoria debet, proſopopœiam perſpicue adverſari affirmant. Ejuſmodi enim Orationes à ſe confictas ne ipſos quidem Scriptores negare: proinde ingens flagitium ab iis fieri, qui ingenii & eloquentiæ oſtentandæ ſtudio à veritate palam deflectant: quæ opinio ſi vera eſt, vanitatis & mendacii omnes omnium ſæculorum, omniumque gentium, ut ſuperius diximus, Scriptores coarguit. Quod novum iſtud tantum veritatis ſtudium noſtram ætatem tenet? quod Veteribus ita ignotum fuit, ut Lucianus, is, cujus aculeos nulla non modo profeſſio ac nemo omnino mortalium, ſed ne Deorum quidem ullus ex commentitiis illis effugit, conciones Hiſtoricorum intactas reliquerit, quin etiam illas laudarit, liecereque in illis ῥητορεύειν affirmarit. Quam vereor, ne ejuſmodi homines, dum in veritate retinenda ſupra ceteras ætates religioſi volunt videri, ad ſuperſtitionem incubuerint: nam cum hiſtoria non res tantum, quæ manu geruntur, narret, ſed conſilia quoque, & cauſſas neceſſario cum illis connectat; neque enim alia res ab alia ſeparari poteſt, conſilia autem & cauſſæ loquendo explicentur, non video quomodo magis à veritate recedat is, qui auctorem conſiliorum ipſum ſua perſona loquentem inducit, proſopopœiamque in hiſtoria inſerit, quam is, qui Senatorem, aut Ducem non loquentem ipſum, ſed hæc illum dixiſſe ipſe ſua perſona refert: quod hoc exemplo planum facio: *Tuum eſt, Servi, ſi vir es, Regnum, non eorum, qui alienis manibus peſſimum facinus fecere. Erige te, Deoſque duces ſequere, qui clarum hoc fore caput divino quondam circumfuſo igne portenderunt. Nunc te illa cæleſtis excitet flamma: nunc expergiſcere vere. Et nos peregrini regnavimus: qui ſis, non unde natus ſis, reputa: ſi tua re ſubita conſilia torpent, at tu mea conſilia ſequere.* Qui magis quæſo à veritate receſſit Livius, hac inducta proſopopœia, quam ſi ipſe, quæ dixit Tanaquil, ſuis verbis ſuaque perſona ita rettuliſſet: *Ipſius eſſe, ſi vir eſſet, Regnum, non eorum, qui alienis manibus peſſimum facinus fecerunt; erigeret ſe, Deoſque duces ſequeretur, qui clarum illud fore caput divino quondam circumfuſo igne portenderunt: nunc ipſum illa caleſtis excitaret flamma, nunc expergiſceretur vere: & ſe peregrinos regnaſſe; qui eſſet, non unde natus eſſet, reputaret; ſi illius re ſubita conſilia torperent, at ſua conſilia ſequeretur.* Doceant igitur religioſi iſti veritatis patroni, quid tandem interſit, hoc an illo modo verba concipiantur, nam ego differentiam excogitare nullam poſſum. Deinde quæro in verbis-ne, an forma verborum, an in re veritas ſit: at omnem dubitationem tollit definitio ipſa, quæ docet, veritatem eſſe rem intelligendi facultati æquatam: quod ſi ita eſt, quid tandem refert, his-ne an illis verbis, hac an illa verborum forma, recta-ne an obliqua concione rem pronuntiemus, modo à ſententia ne diſcedamus? Tum autem illud quæro, quamobrem à rectis concionibus tantopere iſti abhorreant: quod in illis, inquiunt, multa ponantur, quæ ii, qui conciones habuerunt, ne ſomniarunt quidem. Ut hoc verum ſit, idem vitium eſt in obliquis concionibus, quas ſi ipſas quoque tollere volunt, eadem opera & hiſtoriam tollant licet: ſcribi enim ſine illis prorſus non poteſt: ex rebus enim, quæ manu geruntur, & quæ ſermone pronuntiantur, narratio hiſtorica conſtat. Omnino nugatorium eſt, verba aucupari, atque ad ea velle rem & veritatem deflectere: quod ſi ſuſcipitur, jam ne quotidianæ quidem narrationes inter nos cohærebunt: nemo enim eſt tanta memoria præditus, qui quæ de altero audivit, ea ipſe iiſdem totidemque verbis expreſſa reddere memoriter poſſit. Sententia igitur inſpicienda eſt, in qua veritas poſita eſt: nam ſi verba ſequimur, ad incertum fides revocabitur, neque ullus ſermo verus erit. At enim hiſtoriæ Scriptores dum famam ingenii & eloquentiæ nimium captant, non modo verba immutant, variiſque elocutionum formis res exornant, ſed rem dila-

dilatant, multosque ambitus faciunt, ac multa addunt, quamplurimasque sententias de suo inserunt, atque eas interdum è media Philosophia sumptas, gravioresque & sapientiores quam ut illæ ipsis concionum auctoribus umquam in mentem venire potuerint: ut hac in re Historici cum Poetis in fingendo certare videantur. Primum, ut hæc vera sint, idem tamen vitium esse potest, & vero est in concionibus obliquis: neque enim minus à Scriptoribus, minoreve arte elaborantur, quam rectæ: quas tamen obliquas conciones in invidiam ipsi non vocant. Deinde non negabo, Scriptores multa in concionibus sæpe addere de suo, & nunc obtrectatores aliquid dicere concedam. Verum illud monitos omnes volo, me non de quocumque historiæ Scriptore, sed de egregio Scriptore loqui, quique quæ sint Scriptoris partes, & scientia teneat, & facultate valeat explicare: quod opus magnum est, magnique ingenii ac magnæ eloquentiæ. Ut Cicero, is, qui summum oratorem ceteris artibus ac facultatibus anteferre, ac pene cum divina laude conjungere non dubitet, haud se scire dicat, an historia sit omnium oratoris munerum maximum.

Sed nescio, quo humani ingenii vitio fiat, ut cum ceteras artes humiles ac sordidas, quæque in perdiscendo non multi sint laboris ac temporis, quæque sint mediocri ingenio contentæ, nemo tamen ad illas tractandas nisi gnarus accedat; quique illas à Magistro non perdidicerit, is sese illarum inscium ac rudem, neque ad opus artis illius faciendum aptum fateri non erubescat: at eas facultates, quæ in rebus humanis maxime excellunt, quæque non nisi diuturno usu ac labore percipi possunt, & quæ tarda atque hebetia ingenia magnitudine ac difficultate sua à se repellunt, nemo attingere expavescat, nemoque non sese magnum aliquod in illis præstare posse confidat: nemo enim est, qui non sese ad Rempublicam consilio & sapientia regendam in primis idoneum putet, qui non se satis virium ad ejus gravissimas partes sustinendas habere confidat, qui non sese dignum existimet, qui summum auctoritatis locum in consiliis Principum obtineat, atque in deliberationibus de maximis rebus, ac de summa Republica princeps sententiam rogetur; cui non summi magistratus ac gravissimæ procurationes mandentur; qui non moribus regendis ac legibus ferendis præficiatur; quin etiam quosdam novi, quos tanta sui ignoratio teneat, quique eo temeritatis & arrogantiæ provehi se sinant, ut cum numquam aciem viderint, confidant tamen, si exercitibus præficiantur, sese præstantissimos belli Duces illico evasuros. Quod vitii est in rebus civilibus, atque in iis facultatibus, quæ sunt ad actiones & ad Reipublicæ procurationem dispositæ, idem videmus in litterarum & doctrinæ studiis usu venire: in quibus cum à ceteris facultatibus, quibus non studuerunt, homines abstineant, nemo tamen est, qui non se ad poemata conficienda & ad historiam conscribendam aptum putet: quare fit, ut ætate nostra plures fere rerum Scriptores, quam actores habeamus: qui cum infeliciter in multis suscepti muneris partibus versentur, tum in concionibus, quæ gravissima & omnium maxima pars est, quæque veluti oculus totum historiæ corpus illuminat, ac proinde ingenio & eloquentia quam maxime opus habet, in primis peccant, idque dupliciter: nam alii ita jejuni sunt & exiles, ita nulla inventione, nulla amplificandi & exornandi vi, ut imbecillitate sua rem enervent ac deprimant, atque adeo obruant ac jugulent: qui homines recte faciant, si à concionibus abstineant, rectius, si historiam omnino non attingant: alii contrario vitio laborant, qui nimia ostentandi ingenii cupiditate provecti legis historiæ obliviscuntur, easque orationes, easque sententias loquentibus affingunt, quæ neque loquentibus ullo modo conveniant, neque non modo veræ non sint, sed ne verisimiles quidem: qui homines mihi non intelligere videntur quantum inter Philosophum in scholis, atque in cœtu doctorum & ingeniosorum virorum disputantem, præceptaque vivendi tradentem, & civilem virum in concione & in imperitorum turba verba facientem intersit; neque meminisse quantum utriusque munera inter se discrepent. Est enim Philosophi de proposita quæstione prolixe & copiose disserere, eamque omni argumentorum genere tractare, ac rem disputandi subtilitate enucleare, & veritatem ad tenue limare, easque rationes & sententias sæpe afferre, quæ ab imperitorum sensu & intelligentia sint disjunctæ. At longe diversa dicendi via in foro concionanti, aut etiam in Senatu verba facienti ingredienda est: nam neque infinitam illam argumentorum copiam persequi necesse habet, quam multitudinis aures aliis negotiis distentæ ferre non possunt, rationibusque in disserendo iis uti debet, quæ in medio positæ, & in usu, atque in hominum more & sermone versantur, quæque non à vulgari genere orationis, neque à consuetudine communis vitæ abhorreant; in quibus denique nihil sit reconditi, aut longe petiti, ut demum rationes, quas afferat, à re ipsa subjici, non à concionantis ingenio fingi & excogitari videantur, in primis ne scholam redoleant; sed omnis oratio ad aures & sensus audientium accommodetur: aliter enim fidem & auctoritatem amittet, auditoresque ita concionantem non ad suadenda quæ in rem judicat, sed ad ipsos decipiendos processisse existimabunt: à quibus vitiis quemadmodum ii, qui vel ad multitudinem, vel ad exercitum, vel in Senatu, vel in consiliis Regum verba faciunt, solent abstinere, neque oratione nimis in speciem elaborata utuntur, neque sententias ac rationes nimis reconditis è locis erutas, aut nimis longe accersitas consueverunt usurpare, ita bonus quoque historicus in prosopopœia virorum prudentia & ingenio præstantium inducenda ab illis ipse quoque abstinebit, neque quæ dici possint, studiose undique conquisita sine ullo delectu in concionibus inculcabit, sed quæ rationes ac sententiæ hominibus in foro ac curia diu multumque versatis venire in mentem solent, eas illos dicentes inducet: cumque verisimile sit illos ita locutos, quis tandem falsi historicum præsertim diligentem arguere possit? aut pugnare, non ita concionantem locutum? cum præsertim historiæ scriptor neque gregariis militibus, neque de infima plebe hominibus, in quorum oratione propter humilitatem, ac propter rerum inscitiam nulla sit auctoritas ac pondus, neque rursus hominibus, qui in scholis, atque in otio litterarum totam ætatem egerint civilium usuum expertibus conciones assignet, sed eos viros loquentes faciat, quos verum est locutos esse, hoc est, quorum consilium & prudentia multis locis spectata sit, quique magnum usum in rerum administratione, ac proinde magnam auctoritatem consecuti sint, vel aliquam, neque eam infimam, Reipublicæ partem gerant: qui hæc non servant historiæ scriptores, neque hunc hominum & rerum delectum habent, sed quæcumque passim inculcant, atque in exquisitis & abditis rationibus, & à communi usu & sensu remotis, quæque vulgarem captum superent, inveniendis, & excogitandis, ac confingendis ingeniosi videri volunt, ii neque eam, quam nimis avide consectantur, gloriam assequuntur, & mendacii se ipsos arguunt: quod crimen cum omni professioni turpe est, tum vero in historia abominandum. At qui ad clarorum Scriptorum imitationem sese conformant, illorumque insistunt vestigiis, ea dicunt in concionibus, quæ homines communi, & usitata, ac forensi prudentia præditi solent pronuntiare, argumentaque, & ratio-

tiones è ſchola petitas, quæque reconditam illam ſapientiam præ ſe ferunt, ut ab auribus multitudinis & forenſium virorum reſpuuntur, ita ipſi quoque rejiciunt, cumque eadem, quæ quivis è numero prudentium & civilium virorum dicturus fuerat, ipſi dixerint, eo tamen modo dicent, quo nemo dicturus fuerat; miraſque ſui admirationes excitabunt; quippe qui eloquentiæ & ingenii vi, facultateque dicendi, & copia conſecuti ſint, ut res eædem longe diverſæ videantur ab ipſis pronuntiatæ; reſque per ſe humiles & exiles amplæ ac magnæ videantur rhetoricis coloribus illuſtratæ, verborumque ſplendore atque orationis vi auctæ & ornatæ: quam rem duobus Livii locis demonſtrare ſat habeo, cum innumeris poſſim. A conſilio manus cum Annibale conſerendæ Æmilium ad exercitum proficiſcentem revocare aggreditur Fabius, cujus rei flagrantem cupiditatem collega Varro præ ſe ferebat. Quis Fabium in hanc ſententiam abnuat locutum? Non ideo ſe colloquium illius collegæ petiſſe, quod animus pugnandi cupiditate inſaniens, nihil ſani conſilii capere poſſet: quare omnem ſibi cum ipſo uno Æmilio eſſe orationem: monere ſe igitur illum magnopere, ut ſtultiſſimo collegæ & furentis multitudinis prælium depoſcentis inſanis vocibus conſtanter reſiſtat; neque cum Annibale hoſte tot victoriis feroce ullo modo manum conferat, quem cunctando & extrahendo haud dubie Romani ſint ſuperaturi, cum omnia illum deficiant, omniaque inimica & infeſta undique circumſtent in alieno & hoſtili ſolo omnium neceſſariarum rerum inopem & egentem, ut haud dubie onere, quod diu ſuſtinere jam non poſſit, ipſis ſedentibus, ſineque ullo ipſorum, aut Reipublicæ diſcrimine ſit opprimendus: contra ipſis omnia ad ducendum bellum abunde ſuppeditare, qui in ſua terra tot civium & ſociorum auxiliis circumſepti bellum gerant: proinde à fortuna prælii tentanda etiam atque etiam abſtineat, neque Rempublicam temere in tam præcipitem caſum det, ſuumque ipſius Fabii exemplum & proximorum Conſulum ſapientiam, potius quam Flaminii temeritatem ſibi imitandam ducat. Quis igitur Fabium talem virum neget dixiſſe, quæ res ipſa vel mediocriter ſapienti ſuggeſſiſſet, quæque cuivis vel tardo ingenio, modo idem cum Fabio ſentiret, veniſſent in mentem. Age, videamus, quemadmodum illa ipſa à Fabio pronuntiata Livius nihil de ſuo ad ſententiam addens, nullaſque reconditas rationes conquirens admirabili eloquentia ſua explicet, atque exornet, ut cum nihil à Fabii ſententia recedat, eademque dicat, longe tamen plura & præclariora dicere videatur: qua in re neque à veritate deflectitur, & major ingenii & eloquentiæ vis exprimitur, quam innumero exquiſitarum rationum & confictorum argumentorum agmine veritatem obruendo: Oratio à Livio ita compoſita eſt: *Si aut collegam (id quod mallem) tui ſimilem L. Æmili haberes, aut tu collegæ ſimilis eſſes, ſupervacanea eſſet Oratio mea: nam & duo boni Conſules etiam me tacente omnia è Republica fide veſtra faceretis, & mali nec mea verba auribus veſtris, nec conſilia animis acciperetis. Nunc & collegam tuum, & te talem virum intuenti mihi tecum omnis Oratio eſt: quem video nequidquam & virum bonum, & civem fore, ſi altera parte claudicet Reſpublica, malis conſiliis idem, ac bonis juris & poteſtatis erit. Erras enim, Luci Paulle, ſi tibi minus certaminis cum C. Terentio, quam cum Annibale futurum cenſes: neſcio an infeſtior hic adverſarius, quam ille hoſtis maneat: & cum illo in acie tantum, cum hoc omnibus locis ac temporibus certaturus es; adverſus Annibalem, legioneſque ejus, tuis equitibus ac peditibus pugnandum tibi eſt; Varro Dux tuis militibus te eſt oppugnaturus. Ominis etiam tibi cauſſa abſit C. Flaminii memoria: tamen ille Conſul demum, & in Provincia, & ad exercitum cœpit furere, hic priuſquam peteret conſulatum; deinde in petendo conſulatu, nunc quoque Conſul priuſquam caſtra viderit, aut hoſtem inſanit: & qui tantas jam nunc procellas, prælia, atque acies jactando inter togatos ciet, quid inter armatam juventutem cenſes facturum? & ubi extemplo verba res ſequitur? Atqui ſi hic, quod facturum ſe denuntiat, extemplo pugnaverit, aut ego rem militarem, belli hoc genus, hoſtem hunc ignoro, aut nobilior alius Traſymeno locus noſtris cladibus erit. Nec gloriandi tempus adverſus unum eſt, & ego contemnendo potius, quam appetendo gloriam modum exceſſerim: ſed ita res habet. Una ratio belli gerendi adverſus Annibalem eſt, qua ego geſſi: nec eventus modo hoc docet; ſtultorum iſte magiſter eſt, ſed eadem ratio, quæ fuit, futuraque donec res eædem manebunt, immutabilis eſt: in Italia bellum gerimus; in ſede ac ſolo noſtro; omnia circa plena civium ac ſociorum ſunt, armis, viris, equis, commeatibus juvant, juvabuntque, id jam fidei documentum in adverſis noſtris rebus dederunt: meliores, prudentiores, conſtantiores nos tempus, dieſque facit. Annibal contra in aliena, in hoſtili eſt terra: inter omnia inimica, infeſtaque, procul à domo, procul à Patria; neque illi terra, neque mari eſt pax; nullæ eum urbes recipiunt, nulla mœnia, nihil uſquam ſui videt; in diem rapto vivit; partem vix tertiam exercitus ejus habet, quem Iberum amnem trajecit: plures fames, quam ferrum abſumpſit, nec his paucis jam victus ſuppeditat. Dubitas ergo quin eum ſedendo ſuperaturi ſimus, qui ſeneſcat in dies? non commeatus, non ſupplementum, non pecunias habeat? Quandiu pro Geryonis caſtelli Apuliæ inopis tamquam pro Carthaginis mœnibus pugnatum eſt: ſed ne adverſus te quidem gloriabor. Gneus Servilius, atque Attilius proximi Coſſ. vide quemadmodum eum ludificati ſint. Hæc una ſalutis eſt via, L. Paulle, quam difficilem infeſtamque cives tibi magis, quam hoſtes facient: idem enim tui, quod hoſtium milites volent: idem Varro Conſul Romanus, quod Annibal Pœnus Imperator cupiet: duobus Ducibus unus reſiſtas oportet: reſiſtes autem adverſus famam, rumoreſque hominum, ſi ſatis firmus ſteteris; ſi te neque collegæ vana gloria, neque tua falſa infamia moverit. A veritate laborare nimis jus ſæpe ajunt, exſtingui numquam. Gloriam qui ſpreverit, veram habebit: ſine timidum pro cauto, tardum pro conſiderato, imbellem pro perito belli vocent: malo te ſapiens hoſtis metuat, quam ſtulti cives laudent: omnia audentem contemnet Annibal, nil temere agentem metuet. Nec ego ut nihil agatur, ſed ut agentem te ratio ducat, non fortuna moneo; tuæ poteſtatis ſemper, tuaque omnia ſint: armatus intentuſque ſis: neque occaſioni tuæ deſis, neque ſuam occaſionem hoſti des: omnia non properanti certa, claraque erunt: feſtinatio improvida eſt & cæca.* Hæc Livius. Age, alterum locum ſubjungamus, non minore verborum ſplendore illuſtratum, neque minoribus ornamentis variatum & amplificatum, ne verbo quidem ad ſententiam addito. Cum Legati captivorum, qui è Cannenſi clade ſuperfuerant, & in poteſtatem hoſtium venerant, permiſſu Annibalis Romam veniſſent, jurejurando dato, ſeſe legatione obita reverſuros, miſerabilique oratione calamitates ſuas Senatui expoſuiſſent, petiſſentque, ut tot civium ſuorum miſericordia Patres caperet, eoſque è duriſſima ſervitute redimere in animum inducerent; ac multi ex Senatoribus lugentium fletu, & ſupplicium imagine flecterentur. L. Manlius Torquatus, vir priſcæ ſeveritatis ac gentilitiæ duritatis, acerba & vehementi oratione in eorum ignaviam invectus illos nullo modo redimendos cenſuit: qui cum ſilentio noctis, omnibuſque apud hoſtem ſolutis & neglectis acri eruptione in tutum evadere potuerint, id tentare auſi non ſint, neque præ timore fortiſſimam illam ſexcentorum manum, quæ Duce Sempronio per ſummam virtutem & audaciam per medios hoſtes incolumis erupit, ſecuti, ſed ſubita ac turpi deditione ſeſe & caſtra hoſti prodiderint. Oratio Livii talis eſt: *Si tantummodo poſtulaſſent Legati pro iis, qui in hoſtium*

stium potestate sunt, ut redimerentur, sine ullius insectatione eorum brevi sententiam peregissem: quid enim aliud, quam admonendi essetis, ut morem traditum à Patribus necessario ad rem militarem exemplo servaretis? nunc autem cum prope gloriati sint, quod se hostibus dederint, præferrique non captis modo in acie ab hostibus, sed etiam iis, qui Venusiam, Canusiumque pervenerunt, atque ipsi C. Terentio Consuli æquum censuerint, nihil vos eorum, P. C. quæ illic acta sunt, ignorare patiar. Atque utinam hæc quæ apud vos acturus sum, Canusi apud ipsum exercitum agerem optimum testem ignaviæ cujusque, & virtutis, aut unus saltem adesset P. Sempronius, quem si isti Ducem secuti essent, milites hodie in castris Romanis, non captivi in hostium potestate essent; & cum fessis pugnando hostibus, tum victoria lætis, & ipsis plerisque regressis in castra sua noctem ad erumpendum liberam habuissent, neque per se ipsi id facere conati sunt, neque alium sequi voluerunt. Nocte prope tota P. Sempronius Tuditanus non destitit admonere adhortarique eos, dum paucitas hostium circa castra, dum quies ac silentium esset, dum nox incœptum tegeret, se Ducem sequerentur: ante lucem pervenire in tuta loca in sociorum urbes posse. Sicut avorum memoria P. Decius Trib. mil. in Samnio: sicut nobis adolescentibus priori Punico bello Calpurnius Flamma trecentis voluntariis, cum ad tumulum eos capiendum situm inter medios hostes duceret, dixit: Moriamur milites, & morte nostra eripiamus ex obsidione circumventas legiones: Si hoc P. Sempronius diceret: nec viros quidem, nec Romanos vos duceret, si nemo tantæ virtutis existeret comes. Viam non ad gloriam magis, quam ad salutem ferentem demonstrat: ducem se in Patriam ad parentes, ad conjuges, ac liberos facit: ut servemini deest vobis animus; quid si moriendum pro Patria esset, faceretis? Quinquaginta millia civium sociorumque circa vos eo ipso die cæsa jacent: si tot exempla virtutis non moverunt, nihil umquam movebit: si tanta clades vobis vilem vitam non fecit, nulla faciet: liberi atque incolumes desiderate Patriam, imo desiderate, dum Patria est, dum cives ejus estis. Sero nunc desideratis, diminuti capite, abalienati jure Civium, servi Carthaginensium facti. Pretio redituri estis eo, unde ignavia ac nequitia abestis. P. Sempronium civem vestrum non audistis arma capere, ac se jubentem sequi: Annibalem paulo post audistis castra prodi & arma tradi jubentem? Quam ego ignaviam istorum accuso, cum scelus possim accusare? non enim modo sequi recusarunt bene monentem, sed obsistere ac retinere conati sunt, ni strictis gladiis viri fortissimi inertes summovissent: prius, inquam, P. Sempronio per civium agmen, quam per hostium, fuit erumpendum. Hos cives Patria desideret, quorum si ceteri similes fuissent, neminem hodie ex iis, qui ad Cannas pugnaverunt, civem haberet? E millibus septem armatorum sexcenti exstiterunt, qui erumpere auderent, qui in Patriam liberi atque armati redirent: neque iis quadraginta millia hostium obstitere: quam tutum iter duarum prope legionum agmini futurum censetis fuisse? haberetis hodie viginti millia armatorum Canusii fortia, fidelia, P. C. Nunc autem quemadmodum hi boni fidelesque (nam fortes ne ipsi quidem dixerint) cives esse possunt? nisi quis credere potest fuisse, qui erumpentibus, quin erumperent, obsistere conati sunt: aut non invidere eos cum incolumitati, tum gloriæ illorum per virtutem partæ, cum sibi timorem, ignaviamque servitutis ignominiosæ caussam sciant. Maluerunt in tentoriis latentes simul lucem atque hostem exspectare: cum silentio noctis erumpendi occasio esset. At enim ad erumpendum è castris defuit animus, ad tutanda fortiter castra animum habuerunt: dies, noctesque aliquot obsessi, armati se ipsi tutati vallo sunt; tandem ultima ausi, passique cum omnia subsidia vitæ deessent, affectisque fame viribus arma jam sustinere nequirent, necessitatibus magis humanis quam armis victi sunt. Orto sole hostis ad vallum accessit, ante secundam horam nullam fortunam certaminis experti tradiderunt arma ac se ipsos. Hæc vobis ipsorum per biduum militia fuit, cum in acie stare ac pugnare decuerat, tum in castra refugerunt, cum pro vallo pugnandum erat, castra tradiderunt, neque in acie, neque in castris utiles. Vos redimam? cum erumpere castris oportet, cunctamini, ac manetis; cum manere, & castra tutari necesse est, & castra, & arma, & vos ipsos traditis hosti. Ego non magis istos redimendos, P. C. censeo, quam illos dedendos Annibali, qui per medios hostes è castris eruperunt, ac per summam virtutem se Patriæ restituerunt. Hactenus Livius.

Nihil amplius sententia complectitur, quam ea quæ superius proposui, quæque minus decima verborum parte perstrinxi: nec quidquam præterea rationum, aut conquisitorum argumentorum inculcat Oratio à Livio composita, si quis singula verba acri attentione perpendat. Qui autem paucioribus quivis quamvis infans, qui non redimendos captivos censeret, agere potuisset? Ut nemo inficiari possit, omnia hæc non modo verisimiliter, sed necessario à Manlio pronuntiata, nihilque propterea à veritate declinare Livium, neque quidquam de suo affingere nisi ornamenta & Rhetorum pompam, quæ dictionem illustrant, veritatem non corrumpunt. Quid est igitur, quod isti vociferentur? Cælum ac terras misceant? clament pro historiis poemata nos habere? Ecquid intelligunt, quam magno conatu, magnas nugas dicant? At enim non omnes Livii similes sunt, sed sæpe historiam scribentes Senatorem ac civilem virum in omni litterarum & studiorum genere rudem; aut virum militarem omnis elegantis eruditionis plane expertem, quique scholas vix umquam nominari audierit, in re improvisa ac subita Orationem habentem inducunt, ita omnibus coloribus artis pictam, ut Rhetorum officinas omnes pene compilasse videantur, eamque acutissimorum argumentorum & conquisitissimarum rationum vim infarciunt, quæ otiosus Philosophus annua meditatione, perfectumque civilem virum informare intendens vix inveniat. Ut hoc illis dem: quid tum postea? an unius error omnibus invidiosus esse debet, paucorumque inscienter facultate scribendi abutentium invidia omnem Historicorum cœtum premi æquum est? pravum usum concionum damnent; conciones ipsas ne tollant: nam eadem opera omnia artificia tollant licebit, si nonnullorum artificum inscitiam, qui opus imperitia sua corrumpunt, ad artificia ipsa transferant. Dicet aliquis, quid? non hæc saltem Rhetorum ornamenta, quæ passim in Orationibus inculcantur, atque adeo multo maximam partem illarum occupant, ficta esse concedis, atque à concionantibus ne cogitata quidem? quæque hominum videlicet nulla eleganti eruditione perpolitorum facultatem & captum superantia ne somniari quidem ab illis potuerint? quomodo igitur non fallant, qui ea homines loquentes faciant, quæcumque tandem, & cujuscumque generis sint, quæ numquam illi locuti sint? quomodo igitur ex hoc laqueo te evolves? nullus est facilior exitus. Plurimum inter se differre dico, alia dicere, atque alio modo dicere: is enim qui alia dicit, mentitur profecto, at non is, qui alio modo dicit. Ut recte Diogenes Dialecticam & Rhetoricam eandem facultatem esse dixerit; nec quidquam referre, quod alio modo res explicet, Dialectica nimirum arcte & compresse, Rhetorica ample ac diffuse: ut non alia est manus pugno compresso, ac palma extenta: quam rem perspicuo exemplo planam facio. Si quis dixerit Regem Hispaniarum omnium opulentissimum decem eximios equos, nec quidquam præterea Pontifici Max. dono misisse, vel decem psitacos humanam vocem mirifice imitantes, nec quidquam præterea, mentitus is profecto fuerit, qui nihil præterea dixerit, si Rex una cum equis decem quoque mulos miserit, aut una cum psitacis decem Indicas simias. At si Rex equos tantum-

tummodo, verum illos textili aureo aut purpura egregio aureo opere picta instratos, ad hoc aureis frenis aureisque ephippiis ornatos; vel psitacos tantummodo, verum aureis caveis inclusos miserit, si quis hunc mentitum dicat, quod nihil præterea misisse dixerit Regem, ineptam scilicet superstitionem ita disputantis ridebimus: atqui longe majoris pretii sunt stragula & ephippia, aureæ item caveæ, quam mulæ aut simiæ: quid ita igitur virum stolide cautum ridebimus? quia mulæ & simiæ aliæ prorsus sunt res, suumque proprium usum habent; at stragula & caveæ quamvis pretiosiores multo, non tamen res sunt, quæ per se comparentur, aut ullum habeant per se usum, sed quæ veluti partes sint rerum, quibus adduntur, ac tamquam illarum appendices & ornamenta, ut conspectius & magnificentius, ac tanto Rege munus dignum faciant: ita Rhetorum flores, ac pigmenta, verborumque insignia non tamquam res concionibus adduntur, sed quæ lumine suo splendore concionibus addant, ut historiæ majestas postulat.

Atque ego nescio cur tantopere isti à prosopopœia abhorreant, cum iidem obliquas conciones non tollant, quasi vero minus sint hæ, quam illæ elaboratæ, minoribusque verborum & sententiarum luminibus, hæ quam illæ soleant insigniri? ac quasi non eadem in his, quæ in illis valeat veritatis consideratio: quam si addita ornamenta vitiant, utrumque concionis genus æque explodendum est: æque enim utrumque iisdem figuris & oratorum pigmentis illustrari, hoc unum Livii exemplum, quod subjiciam, liquido demonstrabit: *Audiebantur itaque propalam voces exprobrantium multitudini, quod defensores suos in præcipitem semper locum favore tollat, deinde in ipso discrimine periculi destituat: sic Sp. Cassium in agros plebem vocantem, sic Sp. Melium ab ore civium famem suis impensis propulsantem oppressos, sic M. Manlium mersam & obrutam fœnore partem civitatis in libertatem ac lucem extrahentem proditum inimicis. Saginare plebem populares suos, ut jugulentur. Hoccine patiendum fuisse, si ad nutum Dictatoris non responderit vir Consularis? fingerent mentitum ante, atque adeo non habuisse, quod tum responderet: cui servo umquam mendacii pœnam vincula fuisse? Non obversatam esse memoriam noctis illius, quæ pene ultima atque æterna nomini Romano fuerit? non speciem agminis Gallorum per Tarpejam rupem scandentis? non ipsius M. Manlii: qualem eum armatum, plenum sudoris ac sanguinis, ipso pene Jove erepto ex hostium manibus vidissent? selibris ne farris gratiam servatori Patriæ relatam? & quem prope cælestem, cognomine certe Capitolino Jovi parem fecerint, eum pati vinctum in carcere, in tenebris obnoxiam carnificis arbitrio ducere animam? adeo in uno omnibus satis auxilii fuisse; nullam opem in tam multis uni esse?* Quod tandem exornationis genus, quod quidem subjecta res capere possit, hoc in loco omissum est? Atque ego non intelligo qualem isti historicam narrationem esse oportere existiment. Equidem eam optimam esse statuo, quæ naturam ducem sequatur, ad quam bonus historicus scriptionem suam dirigere debet: quotidianus autem loquendi usus docet, ita naturam ferre, ut in referendis hominum sermonibus, quos aut privatim, aut publice habuerint, eos modo in prima persona, modo in tertia referamus, idque re non cogitata, sed natura ipsa rei ita monente: neque quenquam discrimen hoc animadvertere, aut reprehendere; quin etiamsi aliter fiat, absurdam & ineptam videri narrationem, ac naturæ repugnantem, illaque aures audientium vehementer offendi, quæ nonnullis in locis personam ipsam loquentem requirunt, in nonnullis omissa prosopopœia sermonem à narrante in tertia persona pronuntiatum: ita in historia alia sunt loca, quæ prosopopœiam, alia quæ obliquam orationem postulant: quæ loca facilius eruditorum auribus diuturnaque bonorum Scriptorum lectione à peritis possunt discerni, quam oratione cujusquam indicari.

VBERTVS FOLIETA,
PATRICIVS GENVENSIS,
DE
CAVSSIS MAGNITVDINIS TVRCARVM IMPERII.
AD
M. ANTONIVM COLVMNAM,
DVCEM CLARISSIMVM.

MAGNO te dolore affectum scribis, Columna, ex pace cum Turca à Venetis facta, Christianorumque vicem pudere, quod Navalis Victoria tuo magna ex parte ductu & consilio, qui celsissimi Principis Joannis Austrii socius in imperio fueris à Fœderatis Principibus parta, qua nulla post exstinctum Romanum Imperium major aut memorabilior fuit, ingensque lætitia ex ea concepta tam cito nobis luxuriaverit, ac spes, ad quam felicia initia piorum animos erexerant, tam brevi evanuerit, tantorumque consiliorum apparatus ad nihilum reciderint. Ego vero, M. Ant. clarissime, dolorem & pudorem hunc puto omnibus bonis tecum esse communem. Venetorum vero consilium quale fuerit, nec satis mihi exploratum est, nec si maxime sit, pronuntiare necesse habeo. Sunt enim, ut tibi notum est, qui illud vehementer improbent, graviterque ferant, illos nimis celeri rerum desperatione defecisse, ac sese bello illorum in primis caussa suscepto subtraxisse: in quam sententiam te quoque, Columna, audio propendere. Sunt contra qui illos excusandos ducant, si dimicationem cum Turca non suarum esse virium cernentes, ceterasque Christianas Provincias, ac Principes nihil felici eventu, ac tam præclare positis initiis excitatos viden-

dentes ad partem laborum & impendiorum capessendam, egregiamque occasionem arripiendam, atque arma cum Fœderatis conjungenda, societatemque Turcarum maritimis viribus, ut tum putabatur, nudatorum pro tot acceptis omnium temporum injuriis ulciscendorum, atque Europa expellendorum ineundam; Germaniamque in primis sæpe à Turcis bello petitam, illorumque armis continenter vexatam, atque ingentibus detrimentis affectam, tum autem ob propinquitatem periculo proximam. Qua re ea spe destitutos Venetos, ac proinde haudquaquam par sibi vel Fœderatorum societate subnixis cum Turcis certamen esse intelligentes salutaria speciosis anteferre fuisse coactos, rebusque suis privatim consulere, neque in suam perniciem pertinaces esse voluisse. Disputantur hæc in utramque partem à multis pro suo cujusque ingenio, atque adeo pro suo cujusque studio. Nos rem incertæ existimationis in medio relinquentes, ac suo quemque judicio nostro non interposito uti sinemus. Cum præsertim supervacanea hæc sint, factumque infectum fieri non possit, inanisque omnis sit, quæ sine ullo fructu est, expostulatio. Illud potius quod fructum aliquem habere potest, ut tecum communicem, litteræ tuæ occasionem mihi dederunt, cogitationemque, quæ tacite animum meum diu multumque versavit, tibi aperiam, ac sententiam de ea re meam exponam: quam rem sine ullo operæ pretio fore omnino non puto: sive enim tibi tali sapientia & usu magnarum rerum prædito viro probabitur opinio mea, tutum me putabo ab obtrectatorum calumniis, sive minus probabitur, at occasionem scriptis meis tibi dedero errorem jam diu animo insidentem mihi eripiendi.

Ego enim cum res Turcarum Christianis Provinciis formidolosas semper existimavi, tum vero hoc tempore in maximam illarum admirationem versus sum, qui ingenti classe deleta, immanique rostratarum navium numero partim depresso, partim à nostris capto, ad hoc magna armamentorum & bellicorum apparatuum & navalium instrumentorum vi undis hausta, præterea haud exigua fortium bellatorum ac non obscuri nominis Ducum Virorumque navalis rei peritorum, quorum ubique magna penuria est, prælio absumpta, quibus rebus amissis haud facile multorumque annorum spatio vires recuperaturi viderentur, tantas tamen Turcarum esse facultates, ut nihil illi tanta clade animis infracti continuo alteram non minorem fere classem compararint, omnibusque rebus instructam & ornatam insequentis æstatis initio è portu emiserint, quæ in conspectum victricis nostræ venire ausa sit, speciemque certamen non detrectantis præbuerit. Sæpe igitur mecum quæsivi, quæ caussa tantæ Imperii magnitudinis fuerit, quibusque artibus Turcæ in tantas opes venerint, tantique illorum sint in bellicis rebus progressus. Simul qua re fiat, ut tot de nostris hominibus ad illos continenter transfugiant; Christianaque religione ejurata Mahumetanæ sectæ nomina dent, cum contra nulla, aut perrara illorum ad nos fiant transfugia. Quæ mihi in hac re veniebant in mentem hæc sunt.

Principio utramque rem dolendam potius nobis esse, quam miram videri debere: nam tot populos ejusdem religionis charitate & necessitudine nobis conjunctos cum tanta nostra ac multorum ex Principibus nostris ignominia durissimo servitutis jugo premi; neque ulla nos illorum cura attingi, nihilque de ope ferenda cogitare, ingemiscendum vehementer est; ac lugendum, tantam mentibus nostris oblatam cæcitatem, cum non magis fratrum nostrorum oppressorum miseriæ nos commovere debeant, quam earundem rerum nobis imminens periculum sollicitos habere: latius enim hoc incendium in dies serpere videmus, ac proxima quæque amplectendo ad ulteriora pervenire; neque immanem Turcarum & hiantem cupiditatem ullis opibus impleri, aut amplissimis & opulentissimis partis Regnis quiescere, sed ex rebus captis ad alia sibi gradum deinceps facere: quæ res eo est ad timorem horribilior, quod cum omnis servitus tetra per se sit res ac morte ipsa durior, tum quæ à Turcis impendet, omnium, quæ umquam fuerunt, atrocissimam esse, & maxime exsecrandam constat. Neque enim Turcæ satis habent partas Provincias Imperio suo subjungere, sed omnibus quicumque ingenio, fortuna, opibus, dignitate excellunt, exstinctis, tum omni nobilitate vel trucidata, vel in remotissimas terras procul amandata, ad hoc omnibus præclaris artibus, omnibusque ornamentis detractis illas in omni genere deformatas, exsangues, enectas; ad summum squalorem horridamque intuentibus speciem redigunt. Et tot fratrum nostrorum (quod alterum ad dolorem proponebatur) plorandamne vicem, an nefarium scelus detestandum dicam? qui exigui, caducique boni specie decepti sempiterna ac cælestia bona relinquant; Christianamque religionem de cælo demissam, & ab ipso Dei immortalis Filio hominibus traditam, quæ una ad sempiternam beatitudinem, cælestiaque Regna nobis iter patefaciat & communiat, ceteris omnibus viis obstructis deserant? Dolenda hæc quidem, ut initio dixi, nobis sunt, M. Antoni, omnique ope contendendum, ne eadem quoque nobis accidant, neve in eundem statum ac locum, quo nullus est in miseriis inferior, perveniamus.

Verum tanta Turcarum gloria, totque annorum felices successus nemini in rem acute intuenti miri videri possunt: neque enim aut insitata est res, aut caussæ sunt obscuræ: eæ planiores fient, si nostros & illorum mores, instituta, consilia, disciplinam inter se conferendo sigillatim persequemur. Principio illud inter omnes constat in ceteris caussis, quæ Regna ac Respublicas ad magnas opes, magnamque potentiam extollunt, atque imperium augent, religionem primas obtinere. Religionis autem duplex est munus; alterum præstantissimum illud ac divinum, cujus caussà religio ipsa hominum mentibus divinitus insinuata est, quod sese illa nobis ad cælestem & immortalem beatitudinem, ut dixi, unam & certissimam Ducem præbet, quo dono nullum à Divino Numine ad homines majus pervenire potest, quodque ejusmodi est, ut omnes opes, & voluptates, omniaque Regna, & Imperia, & cetera humana omnia præ illo sordida, & nullius pretii sint. *Quid enim*, inquit Dominus, *mortalibus profuerit orbis imperio potiri; atque interea animæ suæ damnum facere?* Alterum illud est religionis munus, quod ad Remp. gerendam, populosque in officio & legum observatione continendos pertinet, ad quam rem sapientes viros, quique civitates condiderunt, & Respublicas instituerunt, religione usos esse, omnium seculorum monumenta testantur: quæ res non modo de religionis majestate nihil detrahit, sed eam suspiciendam magis facit, quod multiplex sit ejus usus; seseque illa in humanas quoque res gerendas, & moderandas, ac civitates conservandas utilitate sua fundat. De primo illo nobilissimo munere nullus nobis in præsentia erit sermo: neque enim ad institutam nostram disputationem quidquam pertinet. Illud tantum obiter attigisse sufficiat, omnem Christianis hominibus ætatem esse debere in gratiis Divino Numini agendis, cujus beneficio eximii fuerimus, qui cæleste hoc veræ religionis mentibus hominum prælatum lumen soli agnosceremus altissimis errorum

tenebris discussis, quibus religionis nostræ expertium mentes cæcatæ sunt; infinitoque intervallo Christianam conditionem Mahumetanis præstare, qui nefarii Impostoris commentis decepti, impiaque dogmata sequentes à cælesti itinere aversi ad infima tartara, sempiternosque cruciatus præcipites rapiuntur.

Verum hæc, ut diximus, alterius sermonis sunt: quare veniamus ad eam partem, quæ institutæ quæstionis propria est: in qua nihil refert, utrum vera, an falsa sit religio: nam hoc, ut diximus, ad animarum salutem tantum valet, sed omnia in eo posita sunt, ut religio, quæcumque tandem illa sit, caste & integre observetur. Hujus autem religionis in primis præsidio Regna & Populos ad amplissimas opes pervenire, atque ad altissimum dignitatis & potentiæ locum adscendere cum firmissima ratione demonstratur, tum clarissimis exemplis comprobatur. Nam cum præcipua sit augendi Imperii rei militaris ac bellicæ virtutis via; res porro militaris duabus in primis rebus contineatur obedientia & disciplina, utriusque rei fundamentum est religio: quo factum est, ut omnes populi, quicumque ad magnam potentiam & gloriam pervenerunt, iidem religionis diligentissimi cultores fuerint. Verum, ut ceteros omittam, Romanorum exemplo contentus ero, qui omnibus populis non minus humana sapientia, quam opibus & gloria, præstiterunt. Intelligentes igitur viri sapientissimi ad Rempublicam amplificandam, imperiumque propagandum, maxima ac præcipua esse religionis momenta, de nulla re tantopere laborarunt, quam de ejus cultu tuendo; Divinique Numinis metu & opinione populo insinuanda. Quare religioni tantum semper tribuerunt, ut nihil neque publicæ, neque privatæ rei nisi Diis auctoribus gererent. Nihil igitur inchoabant, nullum negotium ingrediebantur, nullam expeditionem suscipiebant, nullum prælium inibant nisi auspicato. Nihilque aliud agebant votis nuncupandis & persolvendis, templis dicandis, prodigiis, quæ nuntiabantur, quibus numquam à sapientibus illorum sæculorum viris abrogata est fides, procurandis, pace Deorum sacrificiis & supplicationibus exposcenda, quam ut populo persuaderent, omnia Deorum nutu fieri & regi; eosque omnia humana animadvertere: ac cum omnium scelerum, tum sui in primis Numinis spreti ac violati acerrimos esse vindices: quo fiebat, ut Romanus Populus nullum crimen atrocius duceret, quam jusjurandum violare: cujus quanta fuerit religio, vel illo exemplo clarissime patet, cum Consul, ut populum à legum cura, quas Tribuni plebis promulgarant, & à concionibus averteret, sese legiones in expeditionem ducturum pronuntiavit. Cujus militiæ detrectandæ cum nulla esset via, neque in Tribunitia intercessione quidquam præsidii, quod in verba Consulis jam antea jurassent; nullaque ostenderetur sese religione exsolvendi ratio, quam Consule de medio tollendo, consilium cœperunt Consulis interficiendi: & habuisset res effectum, nisi edocti fuissent, nullam scelere religionem exsolvi: levius videlicet cædis, quam violati jurisjurandi crimen putantes: quæ res milites dicto Imperatorum audientes faciebat, in cujus verba juraverant: ut is populus, qui in pace togatus tam contumax esse soleret, tamque ad seditiones promptus, idem in bello, & armatus, quæ res hominibus animos & spiritus facere solet, tam mitis ac continens esset, jurisjurandi religione in bello videlicet obstrictus, qua in pace erat solutus: cujus tanta vis erat, ut ejus observationem suæ ipsorum animæ anteferrent; cervicesque securi haud retractantes subjicerent, si quando male gesta re Consul more militari in decimum quemque capitali supplicio animadvertere constituisset. Qua re fiebat, ut ancipiti mortis timore, & ab hoste, & ab Imperatore proposito milites strenuam & audacem operam in prælio navarent; ac potius quam aciem desererent, fortiter pugnantes occumberent: ne incertæ mortis metu, cujus periculum virtute & audacia discutere poterant, in certam, cujusque effugiendæ omnis à religione præcideretur spes, inciderent. Nemo igitur sanus negaverit religionem cum totius publicæ, tum in primis bellicæ rei firmissimum esse fundamentum. Ab utris porro sanctius & castius, à Turcis-ne, an à nobis hæc ipsa religio colatur, malo in aliena existimatione relinquere, quam ipse sententia mea statuere: nonnulla tantum persequar, quæ mihi veniebant in mentem.

Principio cum illæ religionis præcipuæ sint partes, ut omnia ad Divinum Numen referantur, ejusque voluntate omnia humana regi & gubernari putemus; mirum est quantum Turcæ ea in re nos antecellant, quamque hanc opinionem mentibus penitus insitam habeant, qui Divinæ Providentiæ tantum tribuunt, ut ea in re nimii sint, quippe qui omnia ad fati necessitatem revocent nullis humanis consiliis evitabilem: quare unicuique terminum vitæ fato statutum putant, qui neque proferri, neque contrahi possit: proinde cum præstituta mortis hora venerit, eam omnino esse obeundam; ac nihilominus esse moriendum, si in cubiculo tuo clausus procul ab omni discrimine fueris, quam si in medio pugnæ ardore inter mille in te unum intenta tela verseris; si non venerit, te ab eisdem telis jugulum tuum petentibus nihilo minus quam in cubiculo tutum fore: quæ opinio, etsi quod ad fati necessitatem attinet, improbanda est, tamen ad id, quod nunc agimus, illud habet boni, quod Turcas in præliis ineundis ac discriminibus adeundis audaciores ac minime retractantes facit mortis metu dempto, cujus periculum non à discriminibus, sed à fato pendere putent. Verum omnia humana in Divina moderatione versari, omniaque à Divino Numine pendere, pia in primis ac vera est opinio, cujus retinentissimi esse debemus, omnesque caussas illam labefactare solitas diligenter vitare; in primisque cavere, ne ullis Philosophorum disputationibus contraria suadentium ab illa abducamur, eorum præsertim, quorum secta maxime viget, & in flore est, hoc est, Peripateticorum: quorum magna pars de Divina natura ita disputant, ut illam nulla humanarum rerum cura attingi contendant; neque ullam illarum procurationem habere, aut vero habere posse, quæ etiam sordidissima res sit, tantique Numinis majestate indigna: quæ impia opinio religionem prorsus tollit: frustra enim Divinum Numen precibus, votis, sacrificiis, omnique religionis cultu nobis propitium facere contendimus, ejusque pacem frustra exposcimus & opem imploramus, siquidem omnia hæc ab illo non animadvertuntur: quo impedimento plane carent Turcæ, quibus Philosophiæ studium legibus est interdictum. Quod quamquam alia de caussa improbum Veteratorem fecisse non sum nescius, nimirum ne legum suarum vanitas appareret, utile tamen Turcis commentum est, ad religionis opinionem tuendam. Omnino Philosophiæ hoc studium utile-ne, an damnosum mortalibus sit, neque hujus loci, ac magnæ & longæ disputationis est; nosque in eo insectando in tribus illis libris, quos adolescentes edidimus, nimium fortasse acres & vehementes fuimus ardore ætatis incitati, ingenioque, ac se efferenti copiæ indulgentes: qui libri multis in locis corrigendi sunt; resque alio scribendi genere tractanda fuit; neque acri illo & vehementi agitanda, sed æquabili & sedato quærenda.

Hæc igitur Turcarum animis penitus insita opinio

nio illos Divini Numinis metuentes facit, illorumque ſtudia ad religionem excitat & incendit. Qua re fit, ut erga erroris illum plenum cultum omnia illorum falſæ pietatis & diligentiæ officia in omnes partes plane conſtent: nam templa ſumma cum veneratione frequentant; Divini Numinis pacem atque opem demiſſiſſime atque humi proſtrati expoſcunt; res ſacras venerantur; ſacerdotes non modo legis ſuæ, ſed noſtros quoque in tanto honore habent, ut illos quoquomodo violare nefas putent: quæ res innumerabilibus Piratarum exemplis, quod mirandum ſit, patet: quorum plerique cum aliquem ſacerdotem de noſtris cepiſſent, eum è veſtigio dimittere ſolebant, ne ſe graviſſimo crimine ſacerdotis & miniſtri ejus retenti Deo immortali obſtringerent: caventque diligenter, ne quid contra legem aperte admittant, eamque maximam offenſionem in primis vitant; ac ſi quis ejus criminis convincatur, in eum ſeveriſſime animadvertunt: nulla igitur in Deum immortalem convicia apud illos audiuntur, nulla ſunt adulteria, nihil denique in quo legis violatæ aut negligenter adſervatæ ſit offenſio. Quamquam non ſum neſcius atrociora flagitia ab impia & exſecrabili illorum lege illis permitti: cujus obſervationis illuſtre exemplum noſtra ætate à ſummo Imperatore Solimano editum non pigebit referre. Nam cum una ex puellarum gregibus, quas ſummi Imperatores intra ſepta in concubinatu habent, (licet enim per Mahumetis leges concubinas habere, quot plurimas alere homines poſſunt) frequentius quam ceteræ cubitum accerſita ſummum Imperatorem ſui amore captum ſenſiſſet, vafro commento aſſecuta eſt, ut ab Imperatore manumitteretur, (in ſervitute enim Imperatoris ſunt pueri & puellæ, qui ſeptis illis includuntur) cumque poſtea lectica, ut aſſolet, miſſa accerſeretur, mirari ſe illa ſummi Imperatoris rationem vehementer reſpondit, qui tantæ majeſtatis Princeps ſacram Mahumetis legem, qua liberarum concubinatus diſertis verbis prohibeantur, aperte violare non vereretur, eaque in re apud populos, quorum oculi in illum eſſent conjecti, tam graviter offendere. Qua reſponſione commotus Imperator libidinis impetu in præſentia inhibito, poſtero die quæſivit ex legis peritis, an per legem liceret, liberas mulieres in concubinatu habere: quod cum illi negaſſent, Imperatorque puellæ, quam perdite amabat, conſuetudine carere non poſſet, illam uxorem duxit. Non neceſſe habeo nunc contra referre, ut ſeſe hac in re habeant Chriſtiani, ne vulnera, quæ ſanare non poſſum, attrectando refricem.

Proximum à religione locum in Republica gerenda, atque in Imperio amplificando obtinet diſciplina: in qua nihil eſt quod ulla inter nos & Turcas ſuſcipiatur comparatio, cum apud illos ſumma, apud nos nulla prorſus ſit. Illud enim conſtat, ſummum Imperatorem ſtatis temporibus conquiſitores omnibus Imperii Provinciis circummittere ad puerorum delectum habendum: qui omnibus primæ ætatis pueris civitatis in conſpectum adductis, quorum indoles ex forma, habitu membrorum, totaque corporis ſpecie, & adſpectu probatur, eos deligunt, eorumque greges in Regiam adducti in diſciplinam traduntur, in qua jaculandi, equitandi, arma tractandi, omnes denique militiæ artes docentur; animique, ac corporis vires longa exercitatione corroborantur, neque quiſquam ad militiam admittitur, aut ad bellica munera aſſumitur, niſi longa hac diſciplina & uſu aſſuefactus. At noſtri contra exercitus hominibus militarium rerum rudibus, omniſque diſciplinæ expertibus conſtant. Hujus autem diſciplinæ triplex eſt uſus & utilitas: prima eſt hæc ipſa rerum bellicarum peritia, ac firmius corporis robur: quæ in Turcis tanta ſunt, quanta aſſidua & diuturna exercitatio efficere potuit: cujus roboris argumento ſit illud ſæpe editum ſpecimen, ſagitta ex arcu Turcico tanta contentione emiſſa, ut ſummam remi partem, atque à ſcalmo interiore craſſitudinis fere dodrantalis transfigat, ita ut cuſpis ſpiculi ex altera parte appareat. At noſtri contra milites ad militares ordines temere ac ſine delectu adſcripti, omniumque rerum ignari, tum uſus militares atque artes diſcunt, cum illas multo ante perceptas explicandi tempus venit: altera eſt illa vel ſumma utilitas, laborum inopiæque tolerantia, animuſque adverſus omnia mala, rerumque penuriam invictus: aſſidua enim exercitatione aſſuefactus animus nullo labore vinci poteſt: tenuiſque victus, ac cultus, ſummaque parſimonia, in qua educati ſunt, pauciſſimis ac neceſſariis rebus contenta eſt; maximæque copiæ minimis commeatibus aluntur: quo fit, ut in bello expeditiores ſint illorum exercitus, ac claſſes haud magna ſarcinarum atque impedimentorum vi agmen tardantibus. At noſtri exercitus & claſſes ingenti vaſorum & ſupellectilis mole gravantur; militeſque ad laborem inſuetum ſubito deficiunt; neque, niſi omnium rerum copia circumfluant, poſſunt durare: neque neceſſario victu contenti delicatum quoque quærunt; eoque jam turpitudinis res proceſſit, ut major pene ſit conviviorum & omnium apparatuum in bello & expeditionibus, quam in pace & in urbano otio luxus: pudet referre, jam nivem ad potum refrigerandum claſſibus circumvehi.

Tertia eſt obedientiæ utilitas, qua virtute res bellica in primis continetur: at hæc apud Turcas tanta eſt, ut neque noſtra, neque ullis ſæculorum ætatibus apud ullas gentes major fuerit, cum contra nos contrario vitio flagitioſe laboremus, contumaces enim ſunt milites noſtri; neque imperiis obedientes, quippe qui nulla diſciplina manſuefacti ſint, nulloque pœnæ metu in officio contineantur: ut Chriſtianorum caſtra ipſorum militum noſtrorum ſeditionibus, quam hoſtium oppugnationibus, infeſtiora fere ſint. Quo vitio ne Duces quidem ipſi ac Proceres carent: quorum plerique depravatis cupiditatibus, ac privatæ ambitioni, quoque nil fœdius eſt, quæſtui ſervientes, ac bellum cauponantes, Rempublicam produnt; nullamque Principibus ſuis non modo fidelem ac fortem operam navant, ſed alter alterius gloriæ invidia & obtrectatione ad rem bene gerendam ſibi ipſi ſæpe mutuo impedimento ſunt, nulla pœnæ exſpectatione à tanto flagitio deterriti. Ut nullus jam ſit apud nos, quo deſcendamus, inferior dedecoris & infamiæ locus. Jam vero virtutem, quæ in cauſſis imperii amplificandi præcipua eſt, ſi majorem in Turcis, quam in noſtris hominibus eſſe dixero, & injurioſus in gentem noſtram fuerim, & magnam invidiæ molem mihi conflarim. Illud tantum dicam, virtutem majore in honore eſſe apud Turcas, illique uni eſſe in rebus militaribus locum, iiſque tantum hominibus bellica munera mandari, quos conſpecta virtus, atque in Rempublicam merita per omnes deinceps honoris gradus ad ſummos honores extulerit, cum apud nos nobilitas altiſſimum locum teneat; eoſque maximis muneribus præfici videamus, qui cum nullum ſui documentum dederint, ſola nobilitate, familiæque ſplendore eniteant: quæ res indignationem ſtrenuorum ac fortium virorum accendit: quorum multi Chriſtianam militiam deſerentes, in qua nullum virtuti ſuæ locum eſſe videant, omnemque ſibi creſcendi ſpem præciſam intelligant, ad Turcas ſe conferunt: quos virtutis fama ſpectatos Turcæ complectuntur, omnique honorum genere proſequuntur, &

& ad summos militiæ gradus extollunt: quippe qui qualis sit vir, non unde sit, quærendum putent: neque virtutem tamquam fortunæ bona hæreditariam relinqui didicerint. Equidem non nego nobilitatem in magno pretio esse debere; magnamque vim habere ad hominum animos ad virtutem excitandos, magnumque iis hominibus, in quibus virtus sit, addere ornamentum. Verum illam virtuti præferri; eaque de caussa gravissimas Reipublicæ partes, ac bellicarum rerum summam hominibus mandari, quod sola nobilitate commendentur, hoc plane improbandum est, reique publicæ damnosum: filios ac fratres Regum eximios facio, quibus summum Imperium mandari, non modo non damnosum, sed utile in primis Reipublicæ est: nam cum in omnibus humanis rebus plurimum auctoritas valet, tum vero in bello tanta sunt illius momenta, ut maxima rerum pars in illa posita videatur: quippe quæ obedientiam comitem habeat: qua rem militarem in primis contineri diximus. Quare illorum imperiis milites & Duces haud retractanter parent, quippe quorum summa dignitas omnem invidiam & obtrectationem exsuperet: cupideque illis operam navant, quod egregia virtutis facinora in ipsorummet Principum oculis edita neque latere possint, neque obtrectatorum calumniis obscurari, aut elevari, sed debita præmia exspectent.

Postremo pœna & præmio Respublicas in primis contineri constans est Veterum sententia: qua utraque in re mirum est, quanto intervallo Turcis simus inferiores. Verum ego magnam me invidiæ molem nomini meo conflaturum, gravissimeque apud multos offensurum intelligerem, si Turcarum rationem nostræ anteponerem: à qua re tantum absum, ut nostram longe humaniorem & præclariorem esse statuam. Turcarum enim omnia consilia & instituta ad bellum referuntur, contra apud nos pacis & otii studia potiora, ac majore in pretio sunt; majoreque opera & diligentia, ac majore pecuniarum & temporis impensa excoluntur. Principio ingens est apud nos Sacerdotum ac Monachorum numerus, hique amplissimas opes & magnam potentiam possident, ac splendidissimum cultum tuentur, latifundiisque & opulentissimis ac frequentissimis cœnobiis suis omnes Europæ Provincias occuparunt: maximaque fructuum & vectigalium nostrorum pars illis cessit. Qua in re laudanda in primis est Majorum nostrorum pietas & sapientia, qui in Sacerdotum ordinem & in sacras res tam liberales fuerint, quique tantam opum suarum partem in Divinum cultum splendide tuendum, atque in egentium inopiam sublevandam, bonarumque artium & doctrinæ studia fovenda & alenda tam large contulerint. Præterea judicia apud nos majoribus contentionibus, majoreque eloquentia, ac longiore temporis tractu exercentur: quare magnus est apud nos Jurisconsultorum, magnus Judicum, Oratorum, Caussidicorum, Scribarum numerus, quibus amplissima præmia, & magnæ mercedes sunt constitutæ; forensisque opera & industria haud exiguam Christianarum opum partem ad sese trahit. Jam vero litterarum & doctrinæ Gymnasia frequentissima apud nos sunt: quæ magna impensa ipsa quoque tuemur; multique sunt, qui ad illa se conferant; in doctrinæque studiis, quæ in magno honore esse videant, aut omnem, aut magnam ætatis partem ponant. Postremo quanti, Dii immortales, sumptus fiunt in manuum artificia: quam immanes apud nos sunt substructiones, quanta & publicorum, & privatorum ædificiorum copia & magnificentia; quanta signorum, tabularum, stragulæ, cælati argenti, supellectilis vis; quantus domestici ac quotidiani cultus splendor; quanti conviviorum apparatus; quantus in vestitu & in omnibus rebus luxus; quantis mercedibus ejusmodi rerum artifices aluntur. Quæ omnia ut Christianas Provincias mire exornant, atque ut Turcæ rudes & agrestes præ nobis videantur, faciunt, ita bellicis rebus & augendo imperio minime apta sunt: magnam enim opum Christianarum partem in bellum insumendarum auferunt. At contra apud Turcas hæc omnia tenuia, aut nulla sunt: nam Sacerdotum numerus exiguus est, cultusque pertenuis necessariis tantummodo rebus suppeditatis: judicia nullis contentionibus agitantur; brevique ac semel, aut summum iterum caussa dicta sine hac tanta commentariorum congerie forenses caussæ transiguntur; ut nihil necessaria sit tanta Patronorum & Scribarum copia; nulla sunt apud illos Monachorum instituta; nulla ædificiorum moles; nullus in quotidiano cultu splendor, victus tenuis, neque ullo coquorum artificio elaboratus: neque enim Turcæ ista curant aut suspiciunt, sed omnia illorum in bellicos usus insumuntur; omnesque opes ac præmia viris militaribus cedunt. Hi soli apud illos sunt in honore: ut mirari non debeamus, strenuos & bellicosos viros Christiana militia relicta, cui perexigua præmia sunt proposita, quorum etiam paucissimi participes sunt, ad eam sese conferre, quæ ipsos dignitate & opibus augeat.

Cum igitur una tantum sit apud Turcas ex bellicis rebus crescendi via, haud mirum videri debet, omnes illorum curas in eam rem intentas, quæ una ipsos ad honores, opes, potentiam perducat: quo fit, ut illi bellica gloria & rerum gestarum magnitudine ceteris gentibus antecellant; ingensque sit apud illos militum & fortium virorum numerus, magnæque equestres & pedestres copiæ alantur; illorumque nomen omnibus sit terribile, atque in bellis, quæ pro augendo Imperio continenter suscipiunt, victores evadant: at nostrorum hominum studia in varias res distrahuntur; operaque & industria in multis artibus occupatur, ut perexigua pars bellicis studiis possit vacare. Manuum enim infiniti generis artificia, litterarum studia, rerum sacrarum professio maximam Christianorum hominum partem à bellicis cogitationibus avocant: eam enim viam homines libentius insistunt, quæ planior & tutior, minusque laboriosa est, ac discriminibus prorsus caret: ad illudque vitæ genus sese conferunt, quod ad eosdem honores, & ad easdem opes nihilominus eos extollit: quo fit ut urbes nostræ opificum & sellulariorum copia sint refertæ; omniaque Philosophorum & Theologorum disputationibus & forensibus clamoribus personent: quæ res ut Orbem nostrum mire exornant, ita rem bellicam enervant: exiguaque proinde est apud nos bellatorum copia, viresque sunt imbecillæ. Qua in re illud pro certo ac subducta ratione affirmare non dubitabo, ex ea ætate, quæ sit armis ferendis, vix centesimum quemque apud nos militaribus studiis sese dedere, cum contra Turcarum longe maxima pars militarem rem colat. Pœnæ vero, quorum metus ad civilem & militarem disciplinam continendam in primis valet, apud nos quidem æque atque apud Turcas constitutæ sunt. Verum non in legum decreto, sed in observatione sanctitas disciplinæ posita est: at nos legum severitatem, aut eloquentia vafrisque Patronorum & Oratorum commentis vitamus; aut gratia inflectimus; aut potentia perfringimus: contra apud Turcas nulla est aut culpæ deprecandæ via, aut pœnæ subterfugiendæ spes. Quo fit ut omnia apud nos corrupta & soluta sint; summaque sit omnium rerum licentia; atque omnia pro animi libidine administrentur; militesque pœnæ metu liberi omnia solute & negligenter agant; ad hoc omnia seditionibus & rixis misceant, neque dicto audientes sint, verbis tantum feroces, factis ignavi, in aciemque pro-


CIVITATIS TYBVRIS DELINEATIO
ANIO FLUVIUS
ANIO FLUVIUS
Domus A Estensium Familiae
Porta Romana vel del Colle
NOTABILIORA
Quae in hac delineatione Continentur.
1. Turres quatuor ad Custodiam.
2. Civitatis maenia.
3. Ecclesia S. Mariae Angelorum.
4. Ecclesia S. Ioannis et Hospitale.
5. Ecclesia S. Leonardi.
6. Ecclesia S. Andreae.
7. Domus Cæsium Familiae.
8. Fontes ex aqua Revellesia.
9. Ecclesia Nominis Iesu et S. Symphorosae.
10. Ecclesia S. Blasii.
11. Ecclesia S. Francisci.
12. Monasterium S. Elisabethae.
13. Palatium Magistratus.
14. Ecclesia S. Mariae.
15. Aquae ductus ex Anienis aqua.
16. Baratrum os Inferi vocatum.
17. Ecclesia S. Mariae de Ponte et Hospitale.
18. Domus Sybillae Tyburtinae.
19. Ecclesia S. Georgii.
20. Monasterium S. Clarae.
21. Pons S. Mariae.
22. Ecclesia S. Valerii.
23. Ecclesia S. Pauli.
24. Ecclesia S. Annuntiatae et Hospitale.
25. Ecclesia S. Petri.
26. Ecclesia Cathedralis S. Laurentii.
27. Ecclesia S. Mariae de Carmine.
28. Ecclesia S. Silvestri.

producti prælium vix initum turpiter omittant; ac primis ordinibus leviter impulsis omnes sese ne tentata quidem pugna in fœdam & effusam fugam conjiciant. Duces vero apud nos multi quidem præstantes sunt; ab omnique sorde liberi, atque omni infamia intacti. Sed quid tandem faciant viri quamvis egregii in tam corruptis moribus? impar illorum virtus adultis sæculi vitiis est. Quamquam ex summis quoque Ducibus nonnullos scimus privata consilia, privatasque cupiditates bono publico anteferre. Inferiorum vero ordinum Ductorum haud minora, quam militum sunt flagitia: quorum maxima pars bellum ad quæstum convertunt, militiamque nundinantur: stipendiis enim interversis numerum militum mentiuntur, aliis in locum eorum, cum exercitus lustratur, subornatis. Quo fit, ut copiæ nostræ stipendiis frequentes, raræ sub signis sint. Omnibus ejusmodi vitiis castra Turcarum carent: quietissimi enim sunt milites; atque imperiis obedientissimi; militariaque munera impigre obeunt, atque omnem ferociam prælio reservant: quod ingentibus animis ineunt & sustinent; neque primis adversis rebus secundaque hostium fortuna franguntur, aut aciem deserunt, sed majore legum & pœnæ, quam hostis metu continente fortissime dimicantes, locumque assignatum tuentes, fortunam se vertentem exspectant, omniaque ultima experiuntur: quippe quibus atrocissimi supplicii horribili ac fœda specie animo obversante fixum ac statutum est, aut victores discedere, aut si virtuti fortuna inviderit, honesta morte, atque ab hoste oblata in acie potius cadere, quam domi collum securi subjicere; aut jugulum carnifici præbere. Cum militum obedientia Ducum virtus certat, qui nulla privata consilia à publicis separata habent; omniaque ab illis, & fortium virorum officia, & egregiorum Ducum munera in Remp. & in summum Imperatorem exstant.

Habes, Columna clarissime, quæ mihi de Imperio Turcarum in mentem venerunt: ea si probabis, lætabor, si minus, comprimes, ne ea in manus hominum veniant, quæ de judicii mei existimatione sint detractura.

VBERTI FOLIETAE,
PATRICII GENVENSIS,
TYBVRTINVM HIPPOLYTI ESTII,
CARDINALIS FERRARIENSIS.
AD
FLAVIVM VRSINVM,
CARD. AMPLISSIMVM.

COMPLVRIBVS & eximiis tuis omnium temporum in me meritis, quibus perpetuam grati animi memoriam, singulariaque studia me debere intelligo, magnum cumulum, Flavi amplissime, addidisti hoc postremo beneficio, quod opera tua in viri clarissimi Hippolyti Estii Cardinalis Ferrariensis familiaritatem ac domesticum usum veni. Cujus rei percupidus semper fui: neque id iis sane de caussis, quibus homines in Principum familiaritate & patrocinio appetendo duci solent, ut & opibus ac dignitate augeantur, & sibi ac rebus suis in illorum potentia & auctoritate præsidium parent: hæc enim homines in clarorum virorum clientelam sese tradentes spectare fere solent. Sed alia quædam sunt longe majora, quæ mea studia ac voluntatem semper ad Ferrariensem attraxerunt, quæque liberalia ingenia sibi devincire solent; præstantes nimirum ac singulares hominis virtutes; fides in primis & integritas, ingeniumque simplex & verax ac minime fucatum, aut fallax, nullove simulationis artificio eruditum: quo vitio ætas nostra ita laborat, ut ad ingenii pene laudem fallax astutia revocetur. Deinde prudentia, ac civilium magnarumque rerum intelligentia, quam ille non in scholarum umbra Philosophorumve disputationibus, (quamquam ne hujus quidem eruditionis est expers) sed assiduo jam inde à prima adolescentia usu, publicarumque rerum tractatione est assecutus, dum interioribus maximorum Regum consiliis adhibetur, vel de maximis rebus legationes obit. Verum hæc omnibus nota sunt. Illa est in Estio eximia & singularis virtus, quæ ut magnæ celsæque fortunæ perraro comes est, ita si adsit, illam in primis commendat & invidiam mitigat. Ea est summa humanitas, morumque facilitas & comitas; clemensque ac mitis natura, & ab omni asperitate atque iracundia longe remota, non quidem vulgo ignota, sed nobis in intima familiaritate, quotidianisque colloquiis, & postmeridianis consessibus, atque in cetera consuetudine experta ac plane perspecta. Ut non minus in domestico usu alienæ libertatis, quam suæ dignitatis memor esse videatur. Comitatur egregias virtutes clarissimi ac vetustissimi generis nobilitas, qua ille (absit verbo invidia) inter Italos longe antecellit. Sed de ceteris virtutibus Ferrariensis aliàs: ad illud venio, cujus caussa hæc ad te scribere institui, id est, ad regium splendorem ac summam, & insignem liberalitatem, & magnificentiam, quam ille cum in quotidiano cultu ceterisque rebus, in quibus hujus virtutis splendor potest elucere, tum vero in amplissimis substructionibus in primis declarat: quam rem nonnullis miror non valde probari: quippe quod nulla res

 sit,

ſit, in qua vel magis magnorum virorum apparere poſſit benignitas, magnificuſque animus, vel (quod Chriſtianæ pietatis primum eſt munus) quæ magis egentium inopiam ſublevet: quorum greges aſſidue aluntur in variis miniſteriis occupati. Hoc igitur laudabile in primis ſtudium ſemper fuit in Ferrarienſi: quam rem cum quamplurima ædificia multis in locis magno ſumptu ædificata teſtantur, tum vero hæ Tyburtinæ immanes ſubſtructiones in primis declarant: quas quoniam viſendi numquam tibi commoda facultas data eſt, diligenterque tu in meo ab urbe diſceſſu, cum me Ferrarienſis in hunc æſtivum ſeceſſum ſecum duceret, mecum egiſti, ut illarum formam & rationem tibi perſcriberem; morem tibi geſſi, ac quam commodiſſime & minutiſſime potui magnam rerum inſigniorum partem ſtilo diligenter ſum amplexus, non quidem munus plane implendi ſpe, ſed obſequendi voluntate.

Principio ſacram Ædem in ſummo oppido belli caſibus dirutam vir non minus pius quam magnificus præclaro Tyburtis marmoris opere in longe auguſtiorem formam reſtituere eſt aggreſſus, quam ædificationem aſſidue urgendo propediem ad finem perducet. Deinde campeſtris loci tria circiter paſſuum millia muro amplexus vivarium venaticum prope oppidum fecit, in quod omnis generis feras incluſit. Præterea viam, quæ ad oppidum fert, prius arduam, aſperam, confragoſam, ut per eam vix ingredi jumentum poſſet, ſtravit, immanibuſque ac perincommode prominentibus ſaxis revulſis, ita clivum mollivit, ut nunc faſtigio leniter ſubvexo perfacilis ſit vehiculis, ac pene planus adſcenſus. Parvum quoque alterum vivarium prope arcem muro ſepſit. Ad hoc vineta extra oppidum inſtituit; in quibus multis ex orbis regionibus, in primis ex Galliis vites comportatas ſevit, generoſa pretioſioriſque notæ vina ferentes. Verum ejuſmodi res alibi quoque viſuntur: ad illud veniamus, quod toto orbe terrarum eximium, ac neſcio an unicum opus appellem. Is eſt fundus, quo cave putes, Flavi ampliſſime, vel exſtructionum magnitudine, vel rerum varietate & amœnitate, Veterum magnificentiam quidquam facere potuiſſe præſtantius. Eum tibi aliqua ex parte ſtilo adumbrare quidem poſſum, exprimendi vero ac plane demonſtrandi inanis omnis conatus fuerit. Ea eſt enim cum univerſi operis ſpecies, tum ſingularum partium dignitas, quæ non modo omnem Scriptoris facultatem, ſed cogitationis quoque vim longe ſuperet. Vix adſpectus rem, qualis ſit, perfecte indicat, neque id ſubito, quod ſingularum partium diuturna contemplatio admirationem paullatim augeat. Equidem cum multa ad me de hoc ſuburbano multorum ſermone perferrentur, eam amplitudinem cogitationi meæ tacitus ſubjiciebam, quam maximam animus capere poſſet. Verum quanto in errore verſarer, ſubjecta oculis res ſtatim declaravit: nam primus adſpectus animum & oculos ſubito ſtupore defixit, & velut mentem à ſenſibus abduxit. Deinde, ut me collegi, & ad ſingulas partes oculos circumferens, eas cœpi paullo diligentius contemplari, tum vero eum eſſe locum ſtatui, quem vix æquet admiratio.

Inferior fundi pars (inde enim initium faciam, unde eſt aditus) planities eſt medio decumano, ac duabus utrimque ſemitis, quæ ad dimidium clivum perveniunt, ſecata, tranſverſiſque aliis ſemitis in hortulos pomiferis arboribus conſitos diſtincta. Hanc planitiem, cum prius perangusta eſſet, amplificare, Dii immortales, quantæ molis fuit? Nam cum læva collis incurrens urgeret oppidanorum ædificiis frequens, dextra vallis in haud exiguam altitudinem deprimeretur, collis ædificiis directis, ac pretio Dominis ſoluto, complanatus eſt, humuſque egeſta: qui collis, cum non omnis terrenus eſſet, ſaxa ſæpe occurrentia fuerunt excidenda. Et vallis craſſo muro excitato, eoque validis anteridibus firmato, qui incumbenti ac prægravanti oneri reluctaretur, neque ſuccumberet, congeſta humo impleta eſt. Ita planities ad hanc, qua nunc eſt, amplitudinem eſt perlibrata. Quæ res immenſi operis, immaniſque atque adeo regii ſumptus fuit. Decumanum binas utrimque piſcinas, eaſque peramplas habet, ſeniſdenis pilis ſingulas ambientibus; plumbeis fiſtulis ſuper exſtantibus paullum à ſummo introrſum inflexis, per quas aqua magno impetu procurrens earum anguſtiis comprimentibus incitata in ſublime emicat curvata forma, paullatimque ſeſe dilatans in tenuiſſimas guttas diſſipatur; imbriſque inſtar in piſcinam decidit gratiſſimo murmure, decoroque procul & ſubtus intuenti adſpectu, veluti aquæ fornicibus ex omnibus circum partibus orientibus piſcinam teſtudineato tecto concamerantibus. Neque hæc una eſt aquæ gratia, nam quocumque oculos converteris, ſcaturigines emergunt, tanta cum varietate, tum operis magnificentia, ut nullus toto terrarum orbe ſit locus in eo genere non multis partibus inferior. Neque vero neceſſe habeo ſingula perſequi, longum enim ac pene infinitum eſſet, illa tantum attingam, quorum dignitas & amœnitas eminet.

A planitie igitur clivus aſſurgere incipit, in quo medio tria aquæ immiſſaria in perpetuam longitudinem porrecta, quanta patet clivi latitudo, ſcandentibus adverſa in conſpectu ſunt, per quæ gradatim inter ſe exſtantia, ut natura clivi fert, tres euripi profluunt. In ſummi immiſſarii muro columellæ bipedales viginti quattuor per totam longitudinem poſitæ ſunt, forma candelabrorum affabre factorum paribus intervallis inter ſe diſtantes: è quarum cacuminibus ſalientes aquæ ſimilitudinem aquæ vehementiſſimo fervore tumentis exprimunt; candelabraque decidentes circumfundunt: ad hoc præclari operis fictilia vaſa in intercolumniis poſita loci dignitatem mire augent: ac ne frons quidem muri ſuo caret ornatu. In qua perpetuus ordo larvarum eſt affixus, quas ſingulas ſerta ambiunt interpendentibus fimbriis. At medii immiſſarii pons egregio opere lithoſtroto ornatur, quo variæ avium, piſcium, ſerpentum prominentes ſpecies exprimuntur, ex eoque in infimum immiſſarium per ſiphones aqua effunditur; hujuſque infimi immiſſarii frons triglyphis veluti Zophorus Doricus diſtinguitur. Univerſa hujus operis ſpecies, & ſpectantium oculos varietate ac venuſtate ſua in primis tenet, & aures gratiſſimo, varioque murmure permulcet. Ac ne ſcalæ quidem, per quas ad dimidium clivum rectus eſt adſcenſus, ſua aquæ commendatione carent, alveolis utrimque gradatim communitæ, per quos ingens aquæ copia profluit, quæ per ſiphones à ſuperioribus tranſmiſſa ab inferioribus deinceps excipitur. Superpoſita ſunt alveolis vaſcula haud abſimili alabaſtrorum forma, ex quorum cacuminibns aquæ emergunt, ipſæ quoque tumorem præfervidæ aquæ ſalebroſa mobilitate imitantes: omnino nihil hoc clivo amœnius, qui præter aquarum multiplicem commendationem multis in partibus grata umbra contegitur, quam facit frequens conſita ſylva. Adſcenſus leniter faſtigiatus, idque haud mediocri pecuniæ impenſa, cum loci natura ſua ſponte perarduus eſſet à dimidio clivo, ubi ſcalæ terminantur, multis obliquarum ſemitarum anfractibus mollitur. Dignitatem loci in primis augent quattuor xyſta, quæ recta & plana totam latitudinem clivi tranſverſam ſecantia gratiſſimas ac ſalubres deambulationes, arborumque umbra in margine conſitarum

rum opacatas præbent. Sed nullum opus toto hoc fundo tam conspiciendum est, quam fontium complures ac miræ exstructiones: quarum tres in medio clivo in ordinem gradatim positi decumano venientibus frontem adversam habent, reliqui latera fundi utrimque exornant. Horum alii vastissima mole sua horrore quodam contemplantes perfundunt; alii præclaro artificio admirationes faciunt, magna signorum vi antiqui operis, & impenso pretio paratorum, tectoriisque vermiculatis, & marmorato fere ornati. Neque ego singularum formam explicare in animo habeo, non quod scribendi laborem fugiam, sed ne earum rerum longior narratio tibi satietatem faciat, quam adspectus facere numquam potest: formam tantum unius exponam, qui perfectus est, cum reliqui nondum omni opere sint absoluti.

Mons est non perpetuo jugo continuatus, sed multiplici cacumine inæqualis altitudinis distinctus, in eam formam, quam vulgo ovatam dicunt, curvatus è vastis prominentibus saxis ejus generis, quæ assiduus aquæ defluxus ex clivo præcipitatæ facit, haud absimilia subgrundiorum stillicidiis colore pumicibus proximo, tanto artificio factus, saxorumque ingentium eminentibus molibus ita scite collocatis, ut rudem quandam speciem & subhorridam naturalis montis, adspicientibus tamen gratam, reddat. Hujus montis infima pars tribus speluncis excavatur, quarum in media signum est mulieris in sella sedentis, dextra & læva signa fluminum in cubitum recubantium, omnia colossea. Ex antris magna vis aquæ in tria subjecta vasa effunditur, ex quibus illa assidue deffluens partim structili canali ac recto, partim duobus tenuibus euripis excipitur, qui totum Faleris hemicyclum flexuosis recursibus ambientes, aquam in craterem pervastum firmissimæ columnæ impositum deferunt. Falere ipsum pluteo è columellis munitur. Ex cratere aquæ magna copia per totum circuitum assidue redundans veluti cataracta emissa in inferiorem peramplam piscinam ovatæ & ipsam formæ præcipitatur, tanto cum strepitu, ut proximorum voces vix exaudiantur. In medio cratere marmoreus globus exstat, quattuor plumbeas fistulas sursum spectantes in triangularem formam, cum una media sit, defixas habens. E quibus quattuor aquæ immissiones in sublime emicantes, atque inde deorsum curvatæ, venustam speciem haud absimilem lilii floris exprimunt. In inferiore parte fontis, quæ superiore Falere decempedali altitudine depressior est, porticus ab interiore parte piscinam dimidiam curvato flexu, ut est natura loci, amplectitur, per quam deambulantes piscinam, atque assidue dejectum imbrem per fenestras, quibus exterior paries aperitur, prospectant. Nec minimam loco addit commendationem ejusdem parietis pars exterior inter fenestrarum intervalla alterno ordine decem cubilibus excisa, in quibus Nereidum sigilla antiqui operis egregiæque artis posita sunt, suppositis vasis cubito innixa, quæ vasa ore in piscinam verso ingentem aquæ copiam magno impetu emittunt: neque modica additur venustas è platanis in area, quæ est ante fontem, consitis grata umbra locum opacantibus. Jam vero Antrum ad lævam areæ positum loci dignitatem cumprimis auget magna signorum vi egregii operis, ac maximi pretii in parietum nidis in ordinem apte dispositis collocatorum exornatum, ad hoc picturis & coronariis ex marmorato, ac varii generis vermiculato conspiciendum, quod in æstivis caloribus hexedræ usum præbet: quæ à loci natura refrigerata, (magna enim pars in dorso clivi partim humo egesta, partim saxo exciso est excavata) ac proximæ exterioris perstrepentis aquæ sonitu, interiorisque fontis in fronte hexedræ intrantibus adversa murmure aures permulcente gratissimas præbet postmeridianas sessiones. Hic fons ac triplex euripus clivum transversum secans, per quem aquæ à fonte manantes in alterum fontem, qui est è regione, nomine ac signis Urbis Romæ & Tyberis amnis insignem feruntur; atque ab eo in inferiorem late restagnantem lacum, cui maris est inditum nomen, devolvuntur, non solum belle positi sunt ad loci ornatum & ad oculorum oblectationem, sed subest quædam recondita haud inelegans ratio ad agri Tyburtis naturam exprimendam accommodata, quam commentus est celeberrimi nominis nostræ ætatis architectus mihique amicissimus Pyrrhus Lygorius, vir cum multiplici eruditione perpolitus, tum admirabili omnis antiquitatis cognitione præcellens: hanc explicare operæ pretium duxi.

Tres sunt in agro Tyburte fontes, ex quibus tres manant amnes, qui fines Tyburtes irrigant, ac deinde in unum confusi tandem in Tyberim confluunt. Anio celebris nominis, Herculanius, Albunea ab albis aquis ita appellatus, seu, ut quidam putarunt, alia est ejus nominis non ita vulgata ratio: quam non pigebit referre. Cum Ino Athamantis viri sævitiam fugiens sese cum Melicerta filio in mare præcipitasset, à Libero patre misericordia nutricis commoto servata cum filio est, amboque Dii facti, Ino Leucothea, Melicerta Palæmon sunt appellati. Hoc ideo Poetæ fabulati sunt, quod Ino cum filio navigio conscenso salutem fuga expedivit, quam, quia in Græcia nusquam postea apparuit, undis haustam dixerunt. At Ino post longam navigationem cum in Italiam venisset, Latinum agrum tenuit, & in finibus Tyburtibus consedit; Latinoque nomine Græci vim exprimente Albunea est vocata, quæ cum divinæ mentis afflatu adeuntibus ex oraculo daret responsa, Sibylla Tyburs appellata est, à qua & lucus, in quo consedit, & templum illi dicatum, & fons, ac rivus emanans nomen acceperunt. Duo igitur in hoc fonte recubantium fluminum signa Anienis & Herculanii imagines sunt, media sedens mulier Dea ipsa est Albunea; tres euripi profluentes manantes fluvios à fontibus declarant; fons è regione positus nomine & signis urbis Romæ & Tyberis insignis euripos excipiens Tyberim ipsum significat, stagnum inferius maris locum tenet, in quod & tres amnes, & Tyberis ipse evolvitur. Duo alii sunt à dextra & læva clivi fontes non illi quidem tam vastæ molis, sed operis dignitate, multisque egregiæ artis signis, in primis vero Hydraulicorum organorum artificio non minus suspiciendi: in minore enim, qui omni opere est absolutus, aquæ emergentes varios avium cantus imitantur: quos aviculæ, ex ære effictæ ramulis æreis insidentes, emittere videantur per intervalla modo ad recessum noctuæ ex ære quoque effictæ canentes, modo ad accessum cantum intermittentes. Fons major nondum ad finem perductus horribili classico, omnisque generis tibiarum vario cantu resonabit. Adeo excellentium artificum industria in naturæ operibus exprimendis nihil non tentatum relinquit.

Quæ de fundo dicenda fuerunt, iis quam commodissime potuimus explicatis, sequitur, ut ad ædes tandem veniamus, quæ amplæ, & excelsæ, magnificeque exstructæ, ejusmodi sunt, ut nihil in iis desideretur, vel ad habitationis commoditatem, vel ad domestici ministerii usum & explicationem, vel ad ornatus dignitatem. Triclinia enim, œcos, conclavia, cubicula perampla habet, omnia levi tectorio expolita, egregiisque picturis conspicienda; cameras etiam coronariis ex marmorato atque auro ornatas. Verum hæc communia cum nonnullis ædificiis sunt. Illud est eximium & maxime insigne, tres fontes, unus in ipso triclinio, duo reliqui in crypta porticu triclinii & conclavium lateribus

ribus prætenta, qui per feneſtras è triclinio & cubiculis adſpiciuntur: ex quibus aquarum ſcaturigines varii formis emergentes ac perſtrepentes cœnantium aures gratiſſimo murmure, oculoſque jucundiſſima ſpecie perfundunt. Affabre facti ſunt, ſummoque & politiſſimo, ac magni pretii artificio perfecti. Unum, qui eſt in triclinio, deſcribere ſatis habeo: opus eſt hyaloſtrotum è minutiſſimis teſſerulis; neque illud plana ſuperficie ac levi, qualis eſſe vermiculatorum ſolet, ſed novo quodam ac venuſtiſſimo genere lapillis paullum eminentibus aſperata. Antepagmenta, hyperthyrum, ſupercilium, corona variis florum ſertis, variiſque arborum prominentibus ſpeciebus diſtinguuntur. Cydoniorum rami variis flexibus inter ſe implicati ſupra coronam veluti in tympanum faſtigiantur, amplis ac prolixis fimbriis à corona utrimque pendentibus. Duo utrimque Telamones, quos etiam Atlantas vocari video, Nympharum effigie ancones ab extremis coronidis crepidinibus pendentes capitibus ſuſtinent: fons Fauni à ſigno hujus Dei fiſtulis canentis vocatur. Frons ædium eſt in ſeptentrionem verſa triplicem tredecim feneſtrarum ordinem habens juſtis paribuſque intervallis inter ſe diſtantium. Ædificium enim in trium cœnaculorum altitudinem extollitur. Sed frons perpetuam æqualitatem haudquaquam ſervat: extremæ enim partes utrimque eminent veluti turres ædium latera claudentes & munientes.

Ex iis, quæ diximus, facile unuſquiſque altitudinis & latitudinis modum poteſt conjicere. Aditus omnino duo ſunt, alter ſuperior per periſtylium, quod & ipſum fonte Veneris egregii operis ornatur à ſigno recubantis, & ad ſtrepitum decidentis aquæ dormientis Deæ ita appellato, alter ab ipſo fundo, qui plurimum dignitatis habet. Duplex enim podium à media ædium fronte eminens altiſſimis columnis uſque ad medium tabulatum exaltatur egregio opere è marmore Tyburti perfectum. Scalæ utrique ædium parieti junctæ infimum mœnianum capitibus pertingentes geminum aditum ab utroque mœniani latere præbent. Jam vero quæ magnificorum ædificiorum duæ ſolent eſſe præcipuæ commendationes, ut & proſpectum habeant, & ipſa in proſpectu ſint, eæ in his ædibus inſignes in primis & eximiæ ſunt: ſummo enim & editiſſimo jugo clivi undique conſpecto poſitæ latiſſime patentem ipſæ proſpectum habent in ſubjectos Latii campos, quibus imperio quodam videntur imminere, Romaque ipſa ſereno tempore ſub oculis eſt ita aperta, ut nonnulla publica ædificia editioribus locis poſita liquido perſpicua ſint. Extremum illud eſt, quod nullo modo à nobis prætereundum fuit, hortus ædibus dextra conjunctus ſeptus muro, in quem ex interioribus cubiculis eſt aditus peramplis viis totum locum ambientibus, mediumque interſecantibus, ac gratas deambulationes præbentibus, quadripartito diſtinctus egregiis, variiſque generis topiariis ornatus, præcelſa in primis media craticia teſtudine anguloſo ambitu rotunda, quattuor oſtiis pervia, qua viæ hortum diſtinguentes in decuſſim committuntur: quaterni fontes parietes oſtiis interjectos exornant in collium ſpeciem conſurgentes minutis innumerabilium colorum lapillis, omniſque generis conchyliis opus ſcite variantibus. Alterum caput viæ lateri ædium prætentæ fontem habet rudi opere, quod ruſticum vulgo appellari diximus, quo nullum eſt contemplantibus jucundius, prægrandibus eminentibus ſaxis pumicis perſimili ſpecie muſco contectis herbiſque internatis naturalem umbroſi antri ſpeciem reddens. Unda guttatim undique manans, ac ſtillantia ſaxa numquam intermiſſo fluxu irrigans à ſubjecto labro gratiſſimo murmure excipitur. Eadem via per totam longitudinem marmoreo ſuggeſtu tripedalis altitudinis parieti juncto ornatur perpetuo canali exciſo, caviſque à latere perforato, per quæ topiaria fluenti aqua irrigantur. Exigui quoque crateres toto ſuggeſtu in ordinem diſpoſiti ſcaturigines emittunt ſalientem mobilitatem aquæ fervore turgentis imitantes. Nec vero ſiniſtrum ædium latus ſuo ornamento & commoditate caret, ex quo duplex porticus ſuperiorum & inferiorum conclavium ſolum altitudine æquans longitudinis pedum ducentorum, quæ uſque ad montis crepidinem porrectæ ſalubres & gratas deambulationes ex ipſis conclavibus præbent. Subjectum eſt porticibus ſtadium ad luſum pilæ, ut nullum hoc in loco exercitationis genus deſideretur.

Formam Tyburtini Ferrarienſis univerſam, & earum partium, quarum dignitas & pulchritudo inſigniores ſunt, tibi, Flavi ampliſſime, ſummatim expoſui, non quod ſperarem, ut initio dixi, te ex meis, aut vero ex cujuſquam ſcriptis qualis is fundus ſit, poſſe animo plane comprehendere, ſed ut juſſa tua facerem, cui imperanti non parere nefas duxiſſem. Deinde ut cupiditatem tibi, vel commoverem, vel jam ſua ſponte commotam incitarem locum invisendi amœnitate, operumque, ac ſubſtructionum magnificentia in primis conſpiciendum: qua re nihil te putem hero meo hoc tempore gratius facere poſſe. Cui neſcio, an hoc meum conſilium fundi deſcribendi, ſi rem umquam reſcierit, ſim probaturus. Vir enim eſt ut factis magnificus, ita ab omni inani oſtentatione ingenio longe remotus. Tu quidquid decreveris, me, ut facis, ama: ſicque tibi perſuade, eam me tibi pietatem, quam debeo, perpetuo præſtaturum, nulliuſque hominis in te ſtudia umquam fore, quam mea ardentiora. Vale. Dat. Tybur. Tertio Non. Auguſti MDLXIX.

VBERTI FOLIETAE,
PATRICII GENVENSIS,
BRVMANVS,
SIVE
DE LAVDIBVS VRBIS NEAPOLIS.
AD ANTONIVM CASELLAM,
PATRICIVM GENVENSEM.

VBERTVS FOLIETA ANTONIO CASELLAE
S. P. D.

EA est virtus tua, eaque tua in me ſunt merita, Antoni, quæ mihi grata recordatione perpetuoque ſtudio colenda eſſe intelligam: quæque non modo prædicatione apud homines, qui nunc vivunt, illuſtranda, id quod continenter ac ſedulo facio, ſed apud ipſam quoque poſteritatem ſcriptis meis teſtata eſſe velim: neque enim obſcuræ eſſe debent eximiæ laudes tuæ in utraque fortuna conſpectæ. Tu enim ſingularem animi magnitudinem non minus adverſis, quam ſecundis rebus ſemper declaraſti: neque minus te hæ omnibus clarum & ſuſpiciendum fecerunt, quam illæ, quod ſolidæ & raræ admodum virtutis ſemper fuit, admirabilem oſtenderunt: nam quemadmodum tum cum peramplas opes poſſidebas, nemo omnino de noſtris hominibus erat, cujus regia liberalitas ac ſplendor latius, aut in plures partes pateret, ita cum illis miniſtrorum tuorum culpa ac parum ſincera fide decidiſti, animi æquitas tui & conſtantia in tanta fortunæ injuria ferenda in primis eluxit, cum tantum rebus tuis inflictum vulnus amicis tuis dolorem attulerit, tibi gloriam adjecerit: quippe qui te oſtenderis tantis detrimentis nihil tua, ſed amicorum duntaxat cauſſa commotum, quod facultatem tibi illis benefaciendi ereptam videres, docuerisque, nullum eſſe in ſapientium compoſitos animos fortunæ dominatum, quæ ſua quidem tibi adimere potuit, tua adimere non potuit: in qua re me nihil mentiri, nihilque non credibile dicere, haud dubitabunt ii, quibus notus es, quique in rebus ſuis de te ac de bonitate tua periculum ſæpe fecerunt. Tibi igitur homini mihi amiciſſimo, quemque ego pro haud levibus tuis in me meritis, expertaque liberalitate unice diligo & obſervo, tum autem in omni fortuna egregio libellum hunc, quem *Brumani* nomine nuncupatum *de laudibus Urbis Neapolis* amantiſſime ſcripſi, tantæ Civitatis pulchritudine & magnitudine captus, dicandum exiſtimavi, cum iis de cauſſis, quas commemoravi, tum ut tibi & omnibus declararem, me non fortunæ tuæ, ſed tui amantem ſemper fuiſſe. Simul quod argumentum pro ſingulari tua in præclariſſimam Urbem voluntate, in qua ſedes & domicilium tibi conſtituiſti, pergratum fore putavi. Ac me dubitatio quædam nutantem fecit, qua ſcriptionis forma mihi utendum eſſet. Genus illud exile & familiare, quo epiſtolas ſcribimus, minime aptum materiæ videbatur; contra amplum illud ac ſublime & ornatum, longique illi ac pleni verborum ambitus Panegyricum conficere in animo non habenti haudquaquam idonei viſi ſunt: nudam enim rem ſine ullo fuco ullove amplificationis & exornationis genere exponere decrevi: quæ tamen ea eſt, ut ſua ipſa pulchritudine ac naturali varietate nullis extrinſecus adjuta ornamentis delectet. Moderatio igitur quædam à nobis adhibebitur, medioque quodam genere inter tenue & amplum illud utemur: atque ita temperabitur ſtilus, ut neque humilitate ſua rem deprimat, neque nimia ubertate redundans ſegetes ſtrangulet: neque ſi nos ſupra æquabile illud & mediocre attollere noluimus, idcirco nimium demittamus.

ANTONII VACCAE,
JVRISCONSVLTI.

Condita quin fuerit, quin inſtaurata jubente
Qualicumque quidem Numine Parthenope,
Ne modo præcipua Europæ videatur habenda,
Verum Aſiæ, & quotquot Sol videt omnivagus;
Vix dubitet, tantæ molem qui viderit Urbis,
Qui cœli & terræ proxima, quique maris.
Argumenta tui ſi quis FOLIETA *libelli*
Legerit, id certo certius eſſe putet.
Forſitan & cupiet laribus patriaque relicta
Non alia extremum claudere ſede diem.
Rebus in humanis permagna eloquentia vis eſt:
Major ubi veri nititur aucta fide.

VBERTI FOLIETAE,

PATRICII GENVENSIS,

BRVMANVS,

SIVE

DE LAVDIBVS VRBIS NEAPOLIS.

CAESARIS Brumani ingenium cum natura excellens, & ad maxima quæque natum, tum assiduo labore, diligentia, industria ita excultum est, ut omnibus iis rebus, quæ magnum ac clarum virum decent, illo instructiorem cognoverim neminem. Nam cum in omnibus liberalibus artibus primos ætatis annos contrivit, itaque in illis versatus est, ut nihil in ulla earum sit, quod illius scientiam effugiat, tum in Philosophiæ & Juris Civilis studiis eos progressus fecit, ut nihil magnum aut arduum ab illis facultatibus tractetur, de quo is non commode & copiose disputet. Jus quidem Civile illi adolescentiam nondum plane egresso, quod ætatis tempus ceteris ad discendum datur, interpretandum publice mandatum est. Quo munere magna cum ingenii & industriæ laude complures annos perfunctus est. Idem posteaquam relicto Gymnasio ad Rempublicam gerendam animum adjecit, seque Romam contulit, mirum est, quam subito omnium oculos in se converterit; quæ de se documenta statim dederit: quibus factum est, ut sapientissimus Pontifex oculos subito in illum conjecerit, illique in ipso ætatis flore haud levem Reipublicæ partem sustinendam mandarit. Durissimo enim ac difficillimo tempore illum Nuntium Neapolim misit, tum cum omnia inter ipsum & Vicarium illius Regni essent exulcerata; controversiaque de sacrosancta jurisdictione maxime arderet, quod Pontifex acerrimus Majestatis & juris Pontificii vindex & assertor nulla in re illud imminui pateretur, auctoritatemque sanctæ hujus Sedis illo in Regno superiorum temporum vitiis & hominum negligentia multis in partibus lapsam restitui vellet; Vicarius vero juris, quod multorum annorum usurpatione veluti præscriptum contenderet, retinentissimus esset; quibusque ante Brumanum hoc negotium datum est; ii in eo tractando parum commode versati essent; ac pro eo, ut inveterato morbo mederentur, ipsi nova vulnera addidissent, resque ad apertum dissidium & ad turbas spectaret, Brumanus omnia sanavit, atque irritatos utrimque animos & contentione ipsa exacerbatos mitigavit; Vicariumque leniter animum ejus tractando, tandem adduxit, ut in sacrosancta potestate esse vellet, seque ad Pontificis jussa & auctoritatem conformaret, atque amborum voluntates mira conjunctione conglutinavit. Ita controversia tot contentionibus tam diu jactata Brumani opera, diligentia, consilio finem tandem invenit; resque in tranquillum statum redactæ sunt. In quibus rebus

C tractandis eam moderationem adhibuit Brumanus, ea cum lenitate omnia duxit, ut utriusque gratiam & benevolentiam teneret. Neque vero ea, quæ deinde consecuta sunt, non præclaris initiis congruerunt. Quippe omnes mandati muneris gradus tanta cum ingenii, industriæ, diligentiæ, consilii, prudentiæ, innocentiæ laude ab illo servati sunt, ut quod arduum in primis est, & illi, qui ipsum legavit Principi, & illi, ad quem legatus est, plane satisfaceret; atque utrique æque carus esset. Quæ res illi ad splendidiorem fortunam, & ad altiores honorum gradus haud dubie viam muniunt; hominumque benevolentiam & observantiam vulgo conciliant. D Meum vero studium præter eximias has & præstantes virtutes alia sunt, quæ ad illum trahant, illius nimirum in me haud exigua merita, singularisque humanitas, ac morum suavitas, quam cum in quotidiana consuetudine, assiduoque usu Romæ perpetuo sensi, tum vero Neapoli in primis expertus sum, cum ad eam Urbem inveterati pedis ac cruris morbi vaporario ac Bajanis fontibus curandi caussa accessissem, hospitio ab illo peramanter ac comiter acceptus, honorificeque tractatus ac commodis omnibus cultus.

Cum igitur is Romam reversus esset; Hippolytumque E Estium Cardinalem Ferrariensem officii & salutandi caussa invisisset, in longoque sermone, ut fit, mentio de Urbe Neapoli sæpe incidisset, quæsivit ex Brumano Ferrariensis, quæ sibi ea Urbs visa esset, multos enim qui Neapoli fuerint, sese idem percunctatum esse; interque omnes magnam quidem ac præclaram esse Urbem Neapolim constare, verum nonnullos in ejus laudibus immodicos ac nimios sibi visos: qui eam Urbem ceteris omnibus Europæ anteferre, & quidem magno intervallo non dubitent; quin etiam complures audivisse, cum dicerent, sese specie ac magnitudine & pulchritudine illius Urbis captos relicta patria, in F qua nati sint, sedes sibi ac domicilium in ea Urbe ac posteritati suæ collocare in animo habere. Cui Brumanus, horum, inquit, numero præter Patriæ commutandæ consilium, me adscribe, Ferrariensis; ac si illius Urbis laudes Oratione persequi possem, non dubito, quin me magis quam ceteros miraturus esses: effusior enim quam illi, tibi viderer. Sed res est majoris otii ac longi sermonis; neque nunc vacare puto: cum me audire cupies, accersito: numquam enim me improvisum deprehendes: meditata enim mihi res est, multumque animo agitata, & de qua sæpe cum multis disserui; compluresque quamvis retractantes in meam sententiam traxi. Hic Ferrariensis, vacat vero, inquit, Brumane, pergratumque mihi feceris, nisi molestum est, ac nisi quid negotii tibi est,

est, cui nihil præverti possit, si rem ingressus fueris: cupidissimus enim sum tui audiendi, tuumque de re parum mihi comperta judicium cognoscendi: neque sermo tam gratus longus videri potest: quin id mihi te loquente usu veniet, quod de Demosthenis Orationibus dici olim solebat, *eam esse pulcherrimam, quæ longissima sit.* Hic Brumanus sese in potestate esse dixit: neque enim illi imperanti non obtemperare fas esse, atque ita orsus est.

Ego igitur sic, Ferrariensis, statuo, Urbem Neapolim si vel illam universam spectemus, vel singulas partes, quibus urbes commendari solent, animo & cogitatione circumspiciamus, illarumque momenta perpendamus, eam esse, quæ ceteris omnibus Europæ urbibus, quarum excellens sit præstantia, immensa, ac prope infinita laude sit anteponenda. Quippe in qua ornanda & augenda fortuna cum natura certasse videatur, adeo utrisque bonis instructa & cumulata est. Equidem non negaverim nonnullas esse civitates, quæ una aut altera commendatione præstent. Qua re tamen non fit, ut Neapolis, quæ tot partibus sit superior, non illi anteferatur, cum ipsa ne ejus quidem laudis, qua paullum alteri concedit, omnino expers sit. Verbi gratia, Lutetia populi frequentia ac fori celebritate, caussarumque, ac judiciorum multitudine vincit, at Neapolis, quamvis duabus iis rebus aliquanto inferior ceteris omnibus, quæ quamplurimæ sunt, quæque partim non minorem, partim etiam majorem dignitatem urbibus conciliant, longe antecellit. Opificum & sellulariorum copia & opulentia Mediolani major est: at ceteris rebus, quæ præstantiores sunt, superior est Neapolitanæ Urbis conditio: cum tabernis & officinis ipsa quoque frequens admodum sit; celebrius est & opulentius Antwerpiæ emporium, at ceteris in rebus Urbi Neapoli, quæ commerciis terrestribus & maritimis ipsa quoque abundat, multum concedit. Salubriore cælo utitur Genua, verum præter hanc unam gratiam, qua ne ipsa quidem Neapolis caret, qua tandem ex parte Genuam cum Neapoli conferemus? Ac ne longum faciam, si quis in ceteras Europæ urbes, quæ paullo conspectiores sunt, intuebitur, nullam inveniet, præter Neapolim omnibus naturæ & fortunæ bonis cumulatam, & in qua non multa desiderentur. Quod ut planum fiat, age, singulas ejus partes persequamur. Utque res dilucidior sit, illas ad duo genera referamus, hoc est, ad Urbem inanimam, ac Civitatem animatam. Ferenda hæc sunt vocabula, quod nulla in præsentia occurrant, quibus subjectas notiones commodius explicemus. Inanimam Urbem voco solum ipsum, situm, mœnia, portum, ædificia, plateas, totamque Urbis descriptionem. Ad animatam Civitatem pertinent cives, atque incolæ; ac negotia, quæ tractant, muniaque, quæ multa ac varia in hac Civitate coluntur.

Ab inanima igitur Urbe initium facientes, prima erit regionis consideratio; quæ res ad urbium dignitatem commendandam haud dubie plurimum valet. Est autem posita Urbs Neapolis in agro Campano, quem omnium Scriptorum cum veterum, tum recentiorum consensus, ceteris omnibus agris totius orbis terrarum longe anteponit. Verba L. Flori huc transferre non pigebit: *Omnium,* inquit, *non modo Italia, sed toto orbe terrarum pulcherrima Campaniæ plaga est. Nihil mollius cælo; denique bis floribus vernat. Nihil uberius solo; ideo Liberi Cererisque certamen dicitur. Nihil hospitalius mari; hic illi nobiles portus Cajeta, Misenus, & tepentes fontibus Bajæ, Lucrinus, & Avernus quædam maris otia. Hic amicti vitibus montes Gaurus, Falernus, Massicus, & pulcherrimus omnium Vesuvius Ætnæi ignis imitator.* Quæ Florus perstringit & coarctat, nobis sunt explicanda & dilatanda. Prima cæli est commendatio: in qua re multus esse nolo. Illud tantum dicam, perpetuum ibi esse ver; neque floribus tantum vernare Neapolitana littora, sed nullam partem anni florum ac fructuum expertem esse; numquam regionem aut frigore rigere, aut nivibus horrere, aut gelu torpere. Ad solum venio. Eas fere esse regionum naturas constat, ut quod solum pingue ac ferax sit, necessariisque fructibus abundans, id minime amœnum esse soleat; contra quod amœnum est, ab ubertate destituatur. Ejusmodi esse Circumpadanos campos & Liguticam oram cernimus: quorum illi frumenti ac lactis, necessariarumque rerum feracissimi amœnitate Ligusticorum littorum carent. Contra maritimæ Liguriæ omnibus amœnitatibus referta ora solo macro & exili utitur. Usque adeo utraque laus eandem regionem raro commendat. At ea est agri Campani gloria, ut in illo fœcunditas cum amœnitate certet; omnesque regiones, quæ alterutra tantum laude præstent, utraque vi superet. Nam ubertas tanta est, ut merito *Bacchi & Cereris certamen* hoc solum vocet Florus; utrorumque enim usum, neque mutuo se impedientem idem solum præbet. Cujus gratiæ nescio an ulla alia regio particeps sit. Arva enim ipsa arbustis, iisque frequentissimis consita passim sunt; eæ populi sunt patentissimis ramis diffusæ, & in vastam proceritatem consurgentes vitibus amictæ, quæ geniculato procursu ad cacumina scandentes, atque inde præcipitatæ ad solum usque pervenientes ea sunt feracitate, ut una arbor eam vini ferat vim quod quinque clitellariorum mulorum justum onus sit. At quæ vina? omnium toto orbe generosissima, quæque Veteribus in summo pretio fuerint, Massica, Cæcuba, Falerna olim appellabantur, nos omnia uno vocabulo Græca appellamus; quorum præstans laus proverbio ab omnibus accepto declaratur. Tres enim Græcas res esse prædicant, quæ in suo quæque genere principem locum obtineant: hoc est, *Græcum ventum, Græcam puellam, Græcum vinum;* denique id vinum est, quod ex hoc Regno exportatum impenso pretio paretur, atque in Principum mensis palmam obtineat. Idem solum frumenti ita ferax est, ut à nullo, quod ea laude excellat, vincatur; quodque multis in locis si biennium quieverit, quattuor continuos annos restibile fiat. Hujus agri pars ea, quæ Neapoli & Capuæ interjecta est, fertilitate ceteras vincens, *Laboriæ* à Veteribus vocata est, quo nomine nunc tota Campania appellatur, sive, ut nonnullis placet, quod in eo agro colendo plurimus exsudetur labor; quod pingue solum vi sua molientium manibus reluctetur, sive quod vero propius puto, quod hoc in primis solum dignum sit, in quod hominum industria & labor insumatur, neque umquam à cultu cesset.

Amœnitati vero & pulchritudini Neapolitanorum littorum quæ ulla non dico ora, sed oratio par esse possit? Est enim posita Urbs Neapolis in sinu, qui inter duo promontoria Misenum & Minervæ in septuaginta circiter millium passuum ambitum introrsum recurvatur; cum ostium quindecim passuum millia pateat; quod ipsum Insulis Prochyta, Pitecusa, Capreis ab utroque cornu objectis coarctatur, alteroque portu inter oppidum Puteolos & Misenum promontorium excavatur. Cingitur hic sinus mollibus undique & placide acclivibus collibus; qui neque nudi sunt soli, neque sylvestribus arboribus vestiti, sed vitibus, arboribusque pomiferis omnis generis amicti; tantaque est pomorum copia, & varietas, ac suavitas, ut in hac plaga non modo Bacchus & Ceres, sed Pomona quoque sedes ac domicilium collocasse videantur. Frequentantur in primis nobilissima illa omnium arbore Medica, quam cum paullo intentius contemplarer, ejusque bona mecum reputarem

ac mirarer, sic statuebam, rudem plane fuisse Veterum ætatem, cui tam felix arbor fuerit ignota. De cujus ac pomorum, quæ fert, laudibus, ac natura subiit animum cupido nonnulla attingere, atque hic inserere. Unum genus est, sed variæ ac plurimæ sunt species, pomaque forma, colore, magnitudine, sapore, succo inter se differunt. Nam alia ut citrorum & limonis colore albo sunt, & in longitudinem producta; alia ut citriorum lutea & orbiculata; aliis cortex crassior est, ut iis ipsis limonibus & citris, cum ipsum citrum totum fere cortex sit, perexiguosque nucleos habeat, ceterorumque omnium generum magnitudinem exsuperet, suaviorque gustu cortex sit, quam ipsa nucleorum caro, cum contra in citrio tenuior cortex amaritudine sua à gustu respuatur; neque nisi conditus sapiat. Sed naturam omnium persequi infiniti operis fuerit. Terminabitur igitur discriptio nostra citrio, cujus pomi major ubique est copia, & prima commendatio. Pomum rotundum, cortice crasso & carnoso, colore auro persimili; unde nonnulli malum aureum esse putaverunt, exterius levi, interius lanuginoso & albo, octonos, aut plures nucleos continet in orbicularem formam compactos, molli membrana contectos, & inter se distinctos; striato ambitu; nucleorum torulis eminentibus, quorum caro granosa est; succusque natura acidus; nonnullorum etiam dulcis, verum id ab artificio originem habere putatur, quod tamen in naturam abiit: humectiora cibis condiendis magis apta sunt; sicciora esu suaviora: omni anni tempore à ramis recentia decerpuntur: sero enim annuoque curriculo ad maturitatem perveniunt, ac tam diu in arbore matura perennant, dum succrescentia maturescere ac subrubere incipiant; nec prius desinant, quam succedentia sint ad perfectam maturitatem adducta; jamque tertii anni flores cœperint vernare. Quo fit, ut nisi quis in illis legendis præproperus fuerit, geminati in eadem arbore duorum annorum semper conspiciantur fructus, alii perfecte maturi, alii vel subnascentes, vel acerbi, vel maturescere incipientes, vel ad maturitatem jam spectantes, prout plus minusve tempus anni jam processerit. Neque nobilissimi pomi recentis tantummodo usus est, sed etiam conditi & longum tempus asservati, totque ac tam varias condituras recipit hoc pomum, ut ex illis vel solis salgamorum cella possit repleri. Neque vero felicissimæ arboris gratia solo pomo terminatur; sed cum floribus quoque & foliis communis est. Nam folia ita mollia sunt tactu, ut reliqua omnium arborum folia præ illis scabra & aspera sint, contrectantiumque, ac prementium manus suavissimo odore veluti unguento pretiosæ notæ delibutas perfundant. Flores vero candidissimi non modo suavitate odoris ceteros vincunt, sed tanto etiam virtute, ut cum reliqui non nisi naribus admoti fere sentiantur, ii odorem tam late fundant, ut non modo circumjectum aer perfundant, sed quibusdam spirantibus ventis ad eos, qui felicem oram navigiis prætervehuntur, longissimo maris intervallo perveniant. Cujus odoris suavitas non simul cum floribus decidua est, sed humor ab illis distillans ab igne expressus ac lagenis vitreis asservatus suavissimi odoris usum perpetuum præbet. Jam vero arbor ipsa perpetuo virens orbiculari forma ac densissimis frondibus conspicienda ea est, ut si quis illam verno tempore pomis & floribus onustam contempletur, tribus diversis coloribus eam variantibus, ac veluti acu pingentibus, eam miratus esse dicat arboris pulchritudinem & varietatem, quæ auri fulgorem pomis, margaritarum candorem floribus, smaragdorum viriditatem frondibus exprimat. Eædem laudes in ceteras species conveniunt, quæ forma tantummodo, ac magnitudine, & colore pomorum diversæ sunt, id quod in ceterorum malorum genere usu venire scimus. Hæ arbores, simulque mollissima myrteta, quibus solum vestitur cum perpetuo virore & odore, tum topiariorum textu, quibus ea arbor apta in primis est, totam oram conspiciendam faciunt, quam etiam mire exornant quamplurima oppida & ædificia, quæ passim cernuntur. Eximia illa additur gratia tepentium fontium, qui non modo delicatum usum balneorum præbent, sed ad complura morborum genera sananda & levanda miras habent virtutes: sulfureæ etiam sunt venæ, ex quibus exhalans vapor per subterraneos specus ad corruptos humores exsiccandos, debilitataque membra corroboranda, doloresque tollendos mirum in modum valent.

Sed nihil ad locorum amœnitatem & pulchritudinem commendandam majorem vim habet, ut mihi quidem videtur, quam prospectuum jucunditas. Cujus rei sine controversia huic oræ palma tribuitur. Nam cum prospectus dupliciter commendentur: vel ex ipsa adspectus ratione, justaque dimensione, vel ex rerum, quæ adspectui subjiciuntur, specie ac varietate, mirum est quantum utraque re Neapolitani prospectus ceteris omnibus antecellant. Etenim cum nimis propinqua loca cursum radiorum ab oculis exeuntium cohibentia aciem visus perstringant ac veluti carcere constringant, quæ offensio jucunditatem adspectus debilitat ac plane tollit, contra infinitus prospectus nullis locorum terminis circumscriptus per immensam vastitatem excurrens; nulloque loco consistens, aut quiescens, veluti lassetur & hebetetur, nullaque objectæ speciei jucunditate perfusus, aut recreatus languescat ac plane jaceat, utroque incommodo caret Neapolitana ora. Peramplum enim Theatrum, circumjectæque Insulæ satis laxamenti oculorum aciei ad excurrendum præbent; eandemque objectu suo terminant ac circumcludunt, ne latius diffusa dissipetur & evanescat. Hic prospectus cum ex omnibus sinus partibus pulcherrimus & jucundissimus petitur, tum vero si quis tranquillo mari ex ipsa Urbe Neapoli, quæ in medio sinu posita toti oræ veluti dominatur, atque exstantibus in illa locis ac collibus, quos mœnia complectuntur ipsam subjectam tantæ magnitudinis Urbem, portum omnis generis navigiis refertum; superbam molem pulcherrimæ arci conjunctam, velificantes naves ultro citroque commeantes contemplatus fuerit, circumferensque oculos universum in circuitu sinum in crateris formam curvatum, amœnissimas Insulas; frequentia ac magnifica suburbana ædificia; egregia per totum sinus ambitum oppida; nitidissimos colles, lætissimas arbores; perpetuum hortorum & topiariorum virorem, quibus omnia circumvestiuntur, maritimaque antra & opacos scopulorum secessus circumspexerit; clementissimique cæli teporem senserit, non jucunditate modo, sed admiratione & horrore quodam perfusus dicat, naturam cetera orbis loca alia alio favore amplexam; majoreque beneficiorum copia alia aliis impartitam; at in felicissimam hanc oram universam benignitatis suæ vim ac cumulum effudisse; cumque multis in orbis locis majore gloria, quam alibi consederit, in hac regione sedem ipsam Imperii ac Regiam sibi constituisse. Jam Urbis mœnia ingressi præcipuas laudes attigimus, Portum, Molem, Arcem, colles, prospectus; nunc reliqua explicemus.

Non satis hæc Urbs in latitudinem patet; minusque quam pro magnitudine & immensis opibus ampla est, quamvis novissime Petrus Toletus Vicarius Cæsaris pomœrium protulerit; Urbisque longitudinem produxerit, receptusque intra mœnium septa collis ambitum Urbis auxerit. Urgentibus enim à tergo collibus coarctatur: quo fit ut præter eam par-

partem, quam Toletus addidit, quæ pulcherrima omnium est, quæque dignitatem hujus Urbis mire auxit, ac præter amplum decumanum hæc Urbs angustioribus semitis & angiportis utatur; neque multæ in ea sint perpetuæ viæ, sed omnia sint anfractibus & flexibus implicata: quin etiam præter forum mercati, quod peramplum est, nullas satis laxas areas, aut campos habet. Sed hæ angustiæ altitudine ædificiorum compensantur excelsis cœnaculis sublatorum. Illudque est in hac Urbe eximium, quod cum in ceteris urbibus tenuiorum & plebejorum tecta humilia fere sint, in hac infimorum ædes altitudinem nobilium domorum æquent, omnesque fere in quintam contignationem, nonnulla etiam in sextam consurgant, quæ totidem familiis sedes præbeant: frontiumque specie & pulchritudine Nobilium domibus pares sint: nam ostia, & fenestras affabre factas habent, antisque & epistyliis, ac zophoris & coronis ornatas. Quæ laus, haud scio, an ulli alii urbi contingat. Ipsis porro Nobilium domibus nihil ad magnificentiam deest. Nam maxima pars è lapide quadrato sunt, peristyliaque habent, atque ornatissimas & laxas porticus, quæque unica hujus Urbis commendatio est, maxima illarum pars pensiles hortos habent felicium arborum sylvis consitos ad secundam contignationem sublatos, in qua herilis habitatio est, cum reliqua familia in inferioribus & superioribus locis cubet, ut ex ipso triclinio, ac cubiculis, quibus herus utitur, sit in hortos ex æquo loco transitus. Quare ut nihil esse potest in privatis ædibus aut ad usum commodius, aut ad hilaritatem & amœnitatem jucundius, ita illud ad Urbis gratiam cumulandam in primis est insigne, quod bis in anno vernantibus floribus omnes Urbis partes, omnesque plateæ suavissimo odore se fundente fragrantes imaginem quandam felicium Insularum, quas Poetæ fabulantur, peregrinis insolita re obstupefactis præbeant. Jam vero ut nullum absit bonum saluberrimæ & liquidissimæ aquæ tanta est, ac tam exuberans copia, ut amplissimo aquæductu in Urbem inducta non modo per Urbem passim in castella ingentem vim aquæ ad publicum usum fundentia distribuatur, sed in omnes fere privatas Nobilium domos, quæ quidem in inferiore Urbis parte positæ sunt, per plumbeas fistulas illata non modo necessariis usibus, sed amœnitatibus etiam fontium & hortorum irrigationibus sufficiat. Hæc fere de Urbe inanima, circumjectaque regione paucis perstringenda visa sunt; in quibus nimius fuisse videri non possum, quod quæ voluptas contemplantis oculos tenet, eadem loquentis cogitationem comitetur, ac quemadmodum videndi vis lætissimo adspectu, ita animus jucundissima recordatione numquam satietur.

Sequitur ut ad Civitatem animatam considerandam accedamus, quæ pars longe major & gravior est; in qua Civitate omni bonorum genere cumulanda non minores fortuna exercuit vires, quam natura in regione ornanda, ut non Cereris modo & Bacchi, ut Veteres dixerunt, sed quod longe præstabilius est, naturæ & fortunæ certamen, ut initio dixi, Civitas hæc esse videatur. Quæ res perspicua erit, si quis res, quibus magnarum urbium dignitas maxime illustratur animo & cogitatione complexus fuerit. Eas ego quattuor inprimis esse statuo. Primum Incolarum frequentiam; deinde civium opes & sortem; tum negotia & commercia; postremo Imperii magnitudinem. Hæ res tantam vim habent ad civitatum dignitatem extollendam, ut quæ civitas una ex iis laudibus præcellat, ea in prima commendatione ponatur. In quam alto igitur fastigio Urbem Neapolim locabimus, quæ omnibus iis bonis ita floreat, ut ceteras civitates ea ipsa laude, qua singulæ commendantur, longe superet? Singula membra persequamur. Atque in Incolarum multitudine brevis ero, quod ea res explicatione longa non egeat. Ducenta circiter millia civium capita (omnem ætatem & sexum utrumque complector) esse pro comperto affirmant; idque ducta tritici & annonæ ratione, aliisque certissimis argumentis perhibent constare; qui numerus à nulla Europæ civitate, præter Lutetiam, superatur; à quampaucissimis æquatur. Verum non tanta est in multitudine, quanta in genere hominum commendatio. Natura enim acutissimi sunt ingenioque præstantes, & ad omnes magnas res apti; linguaque ita prompti, ut eloquentia naturæ beneficio ejus regionis propria esse videatur; plurimique omnibus ætatibus in hac Urbe, ac toto Regno, omni doctrinarum laude, omnique litterarum gloria floruerint. Aptique in primis militiæ sunt, quod ingens sit & in corporibus robur, & in animis vigor, manuque strenui sint, & animo audaces, contumeliarumque & injuriarum minime patientes; suique ipsimet acerrimi vindices; quique pro dignitate tuenda nullum recusent discrimen. Equestris præterea rei usu peritissimi, in qua exercenda maximam operæ & ætatis partem Nobilitas positam habet.

Jam vero, quæ altera erat laus, ea est Neapolitanæ Nobilitatis conditio, atque is fortunæ status; eæque sunt civium Neapolitanorum opes, quæ non fidem modo, sed admirationem pene exsuperent. Cujus enim animum stupor quidam non defigat, cum secum reputaverit, Neapoli plus septingentos cives esse Vicorum, Castellorum, Urbium etiam dominatu conspiciendos, in quibus plus centum sint Principum, Ducum, Marchionum, Comitum titulis insignes; magnusque eorum numerus sit, quorum annua vectigalia dena aureorum millia excedant, nonnullorum etiam ad quinquaginta millia, aut eo etiam amplius perveniant. Ut vere dici possit majorem prope esse in hac Urbe fiduciarias Ditiones obtinentium, ac populis dominantium, quam in multis aliis opificum & sellulariorum numerum. Paullo plus quam æquum sit, sibi assumere Neapolitani, tumidioraque esse hominum ingenia, ac de se & de Civitate sua paullo jactantius & inflatius loqui existimantur: quod si quis secum reputaverit, fortunam hominibus animos ac spiritus facere, fortasse illis ignoscat, si nimia rerum copia, affluentesque opes illorum orationem paullo longius interdum provehant.

Negotia vero, quod tertium ad commendationem proponebatur, Dii immortales, quam multa, quam magna, quam multiplicia sunt, sive opificiorum copiam & varietatem spectes, totamque Urbem tabernis refertam adspicias, sive in maritima & terrestria commercia, mercatorumque frequentiam intueare; sive ad jurisdictionem & forenses caussas animum convertas. Maritimorum quidem commerciorum testis est portus onerariis & omnis generis navigiis perpetuo refertus; nullaque urbs est tota Italia, in quam major mercatorum copia commigret: quæque illos cum majore quæstu, majoribusque compendiis dimittat. Amplissimæ sunt societates in vectigalibus publicis exercendis, & in ceteris omnibus rebus, in quibus mercatorum elaborat industria, occupatæ. Caussarum vero forensium multitudo tanta est, quantam unam in civitatem inducere potest tanti Regni amplitudo. Quæ res immanem pecuniæ vim, immensasque opes huic Urbi accumulat: argumento est Jurisconsultorum & Scribarum infinitus numerus, qui ex tenui re ad amplissimas opes perveniunt; quique magnificentissimas passim comparant & ædificant ædes: latifundiaque & amplissima patrimonia successoribus relinquunt.

Postrema laus fuerat Imperium, quod omnibus iis Provinciis definitur, quæ inter superum & inferum mare à Latio & Piceno totam Italiæ longitudi-

tudinem usque ad Rhegium promontorium terminant. Quæ omnes uno vocabulo nostra ætate Regnum Neapolitanum appellantur: quo Regno etsi nonnulla ampliora sunt, latioribusque finibus patent, tamen cum plures sint in illis jurisdictionis sedes, nescio an ulla urbs vastis in illis Regnis sit, in quam major populorum frequentia confluat; à quave plures Provinciæ petant jura. Sed quantum huic Regno de magnitudine decedit, tantundem de nobilitate & felicitate accedit. Nullus est enim toto orbe terrarum ad commercia opportunior situs, quippe qui mare Mediterraneum medium secans, ac veluti nota discriminans, & in omnes cæli plagas vergens commodissimos ac brevissimos in Africæ, Asiæ, Græciæ, Illyrici oras habeat trajectus, atque utraque ejus littora omnibus amœnitatibus arborum consita frequentissimis, & tutissimis, peramplisque portubus, ac quamvis magnarum classium capacibus sint excavata. Sed de hujus Regni laudibus agere in præsentia non necesse habeo: nam & res bene longum Panegyricum magnitudine sua postulat; & mihi Urbem tantummodo Neapolim describere propositum est. Illud tantum omittere non possum, eam esse hujus Regni felicitatem, ut fructuum copia, varietate, præstantia ceteras omnes orbis regiones vincat: nam nulla omnino re ad humanum victum & cultum tam necessarium, quam delicatum eget importata, & ipsum tantam fructuum copiam ex se effert, quæ cum necessariis incolarum usibus affatim suffecerint, quæ superant exportata tricies centum aureorum millium nummûm pretium conficiant. Ingens enim vis tritici, generosi vini, olei, saccari, serici, lanæ, carnium, cumini, croci, mannæ quoque, & reobarbari, ac ceterarum denique omnium fere rerum, quæ usuum necessitas & amœnitas postulat, ex hoc Regno in omnes orbis partes exportantur. Sed nulla re æque commendatur hoc Regnum atque generosissimorum equorum gregibus, qui erecta & præcelsa forma; eoque vigore & virium robore, ut omnia adversa impetu prosternant, bello supra omnes quos natura fert, apti existimantur; quique impensissimo pretio, ac quincuplo fere pluris, quam reliqui multarum regionum equi comparantur, quibusque potissimum, si illorum facultas est, Reges, ac magni Duces, & Proceres prælium inituri salutem suam committant.

Quam igitur urbem cum Neapoli conferemus? quam cum illa in pari laude ponemus? quæ civitas ad illius gloriam adspirabit? atque adeo quæ non illi plurimum de dignitate concedet? De cujus laudibus hæc adumbrasse satis sit; quæ pro dignitate explicare majoris otii & ingenii fuerit. Ego enim me, Ferrariensis, imperio tuo satis obsecutum puto in locis notandis, reque nuda tibi ante oculos ponenda: quam qui otio abundant & dicendi vi præstant, qua ego utraque re careo, orationis copia dilatandam & illustrandam suscipere possint. Uberrima enim materia est, & amplissimus campus, in quo eloquentia excurrere possit. Multos, ut omnia sunt humana, fore non dubito, qui sententiam meam improbent, meque reprehendant, quin etiam nonnulli indignentur & stomachentur, me multarum urbium gloriam, quarum dignitas multis & eximiis naturæ & industriæ bonis in primis commendetur, obscurasse; ac tantis & tam multis Civitatis Neapolitanæ laudibus pene obruisse.

Hic Ferrariensis, quid (inquit) alii existimaturi sint, ipsi viderint. Illud ex te quæro, Brumane, etiam-ne Romæ, & Venetiis Neapolim anteponas? Cui Brumanus, Ego (inquit) sic statuo, Ferrariensis, urbem Romam, si veterem illam spectes, nullam jam esse; reliquias tantum priscorum ædificiorum & ornamentorum exstare: quæ res cum verius cælestes, quam humanæ sint; ac si ita loqui fas est, prope Divinæ, ipsa cælestium rerum, ut ita dixerim, fragmenta omnibus humanis rebus quamvis integris longe præstare; ejusmodique esse eas reliquias, ut non Neapolim modo, sed omnes orbis terrarum urbes præ illis minimi faciam. Ea est enim illarum majestas, ut intuentium animos veneratione perfundant; stuporeque quodam mentes contemplantium defigant, ac non modo orbis terrarum Imperii memoriam renovent, sed ipsum adhuc imperium spirare videantur. Novam autem Romam quod Religionis arx & domicilium sit, quodque Christianæ Ecclesiæ caput in ea sedes habeat collocatas, quodque ab illa sacra jura cunctus Christianus orbis petat, eximiam iis de caussis esse confiteor, nullamque omnino urbem cum sacrosancta hac conferri fas esse. Venetias vero, cujus urbis majestatis plena imago mihi semper animo obversatur; quæque Patriæ charitatem apud me obtinet; cujusque urbis gloria & opibus Italiæ dignitas & salus in primis nititur, non in terra, sed in mari sitas esse dico. Quare urbem illam veluti extra orbem positam, extra certamen quoque esse debere. Habes, Ferrariensis, meam de Urbe Neapoli sententiam: quam si tibi verbis parum probavi, haud dubito, quin ipsius Urbis adspectus, si ad illam te umquam accedere contingat, sit probaturus.

VBER-

VBERTVS FOLIETA,

PATRICIVS GENVENSIS,

DE NONNVLLIS, IN QVIBVS PLATO AB ARISTOTELE REPREHENDITVR.

AD ANTONIVM VACCAM, *JVRISCONSVLTVM EXIMIVM.*

MVLTVM solet, Antoni, Respublica Platonis sermonem dare, resque in conviviis & in litteratorum cœtibus, ac quotidianis congressibus ingentibus contentionibus & disputationibus jactatur, ac sententiis certatur: nam maxima pars, quæ civitas inter mortales numquam fuerit, eam omnino constitui posse negant; totamque hanc opinionem commentitiam plane & nugatoriam esse affirmant, quæ ad mentis quidem cogitationem speciosa sit, ad usum vero, & ad hominum vitam numquam accommodanda. Contra alii iique pauciores ejusmodi civitatem inter homines numquam fore sperant, verum facultatem prorsus non tollunt; quin etiam affirmant, si tanta sit alicujus populi felicitas, ut talis Reip. forma apud illum constituatur, illisque institutis assuefiant homines, sempiternam civitatem illam, aut longe pluribus sæculorum ætatibus, quam ceteras omnes, quæ diuturnioris ævi fuerint, duraturam. Multa ii, qui à Platone dissentiunt, reprehendere in illo solent rerum communitates; promiscua connubia, virilia, ac bellica munera cum mulieribus communicata: contra Platonis propugnatores multa respondent. Atque ut promiscua conjugia in præsentia omittamus, quæ Divina lege interdicta sunt, vituperationem munerum bellicorum historia Amazonum, quæ certissimis & gravissimis auctoribus constat, plane refellit: rerum vero communitas cur tandem facultatem non habeat, quam nostra ætate à plerisque hominum institutis & sectis coli videamus? Neque vero Platonem, inquiunt, ab Aristotele recte reprehendi, eo quod negat rebus communicandis id assequi Platonem, quod contendit, ut scilicet caussæ discordiarum inter homines tollantur, cum contra manifeste appareat, hanc ipsam rerum communitatem, vel præcipuam esse caussam litium, communemque hanc rerum possessionem innumeras controversias inter possidentes gignere, quæ possessio si dirimatur, dirimi etiam lites. Ut in hoc meo, & tuo de hominum vita tollendo lites & discordiæ non tollantur, sed inducantur. In qua re Aristotelem ajunt perpetuo studio Platoni adversandi eo errore lapsum, quod non animadverterit, rationem suam in hoc vitæ genere, quo nunc utimur, suscipi posse, in quo homines res possidere separatim possunt: verum eam non valere in ea civitate, cujus legibus & institutis separata rerum possessio civibus sit interdicta: quid enim de illa re inter se ambigant homines, quam ad se privatim trahere, ac separatim possidere non possint? Usu sæculi nostri, ut diximus, coargui Aristotelem, in quo tot sint opulentissima cœnobia, quæ latifundia & amplissima vectigalia possideant; de quibus tamen dividendis nullæ sint inter Monachos lites, quippe quibus communiter frui illis necesse sit, neque suam quisque partem sibi privatim possit adsciscere, nullæque proinde discordiæ, ac rixæ, nullæque odiorum caussæ inter illos oriantur.

Sed facere hoc non novum Aristotelem, ajunt, ut de Platone quantum possit, detrahat, ac quæcumque ejus viri possit ad reprehensionem carpat, qua in re sæpe ipsum, pace illius dixerint, turpiter labi; Platonisque vicem sese ipsum ulcisci: veluti cum honestatem ab utilitate sejungit, aliquaque honesta esse affirmat, quæ utilia non sint, utiliaque esse multa, quæ honesta non sint, contendit: qua re quid pugnantius inter se loqui potuisse tantum ceteroqui Philosophum? honestum enim esse quidquid cum virtute conjunctum est; contra inhonestum quidquid vitiosum: hoc igitur posito, nihil cuiquam aut homini, aut arti, aut instituto utile esse posse, quod à fine, qui arti illi propositus est, abducat; contra omnia utilia esse, quæ ad finem illum ferant, siquidem finem in omnia, quæ ad finem illum assequendum comparata sunt, sua se vi fundi, resque omnes speciem ab illo accipere; recteque dici à fine omnia pendere. Igitur cum ultimus hominum finis, summumque bonum, ac beatitudo ipsa teste Aristotele ipso nihil aliud sit, quam virtutis promptus & expeditus usus; ad hunc autem altissimum gradum facilis usus virtutis, ut ipsemet Aristoteles docet, virtute ipsa duce, assiduoque illius usu & crebra usurpatione perveniamus, contrariis vero actionibus ab illo procul arceamur, fieri, ut omnes actiones honestæ, quæ eædem cum virtute conjunctæ sunt, necessario utiles sint, quippe quæ ad summum illud bonum, summamque illam utilitatem, in qua omnia homini sunt, viam expediant. Contra inhonestæ ac cum vitio conjunctæ, inutiles plane sint, quæ ad hunc ipsum finem, summamque illam utilitatem iter intercludant: quo fieri, ut si quis jus violet, & ab honestate discedat, ut magnas opes & potentiam pariat, inutilem in primis sibi rem faciat, quippe quæ ad veram & summam illam utilitatem iter moretur, atque adeo obsepiat.

Ac ne illud quidem leve esse erratum; nec minus secum ipsum pugnare Aristotelem, qui in *Politicis* diserte affirmet, posse aliquem bonum civem esse, qui idem bonus vir non sit; contra malum aliquem civem sæpe bonum virum esse. Ut si quis in corrupto aliquo Reipublicæ statu leges ferat injustas, atque alia injusta quidem faciat, verum quæ ad statum illum tuendum sint accommodata, is malus quidem & improbus vir erit, verum bonus illius civitatis civis, quippe qui statum illum tueatur: quam orationem ut in usu loquendi forensi suscipi posse, ita Philosopho turpem in primis esse, cui non ad vulgi opinionem, sed ad veritatem res sunt exquirendæ & nominandæ; ipsius quidem Aristotelis principiis adversari: bonum enim civem eum tantummodo esse, qui quæ veri sunt civis munera colit, munus autem & officium boni civis esse, & se ipsum, & ceteros cives ad finem, cujus caussa civitates institutæ sunt, dirigere & conformare. Cum igitur Aristoteles civitatem definiat, congregationem hominum esse bene, beateque vivendi caussa constitutam, beata porro vita sit, ut paullo ante diximus, virtus ipsa, atque illius expeditus usus, eum profecto fore non modo bonum virum, sed bonum quoque civem, qui legibus & institutis suis cives suos virtutum usu assuefacere contendet; eosque sanctis legibus & institutis ad finem & beatitudinem, quam civitatum institutio spectat, perducere studebit; contra qui flagitiosis legibus & institutis, ut tyrannicum & corruptum Reipublicæ statum tueatur, animos civium depravabit, malum hunc & sceleratum virum, bonum fortasse corrupti status illius assertorem vocari, boni vero civis nomine in Philosophorum schola carere debere, quippe qui à boni civis officio & ipse recedat, & alios abducat. Verum ad incœptam de Rep. Platonis disputationem redeo.

Equidem cum multa audio utrimque probabiliter dici, sententiæ varietate distrahor; ac modo in hanc, modo in illam partem feror, nusquam tamen stabili assensu. Verum longe alia res est, quæ mihi animum magis dubium facit, quam eorum, qui de iis rebus disputant, quæstione omitti miror: hoc est, honorum & munerum publicorum distributio. Non negaverim rerum possessionem, atque opum inæqualitatem magnorum motuum ac malorum civitatibus caussas esse solere, multasque Respublicas, ex ea re labefactatas, ac funditus eversas, dum plebs & tenuiores sese vel intolerandis oneribus & tributis confectos, vel æris alieni magnitudine oppressos, vel agrum & totam regionem in paucorum possessionem cessisse queruntur, quibus ipsos extorres inopem & miseram ætatem agere: quæ res Solonem atque alios sapientissimos viros ad necessitatem tabularum novarum adegit, Lycurgumque atque ejus virtutis & sapientiæ multo post tempore æmulos Agidem & Cleomenem coegit, agros inter Laconas æqualiter partiri: atque utramque rem legimus Romæ magnis contentionibus, atque interdum etiam seditionibus, quæ quandoque ad ferrum & sanguinem exarserunt, sæpe tentatam. Verum nulli ad animos hominum incitandos atque inter se rixis, tumultibus, seditionibus, cædibus committendos acriores sunt stimuli, quam honorum & munerum publicorum partitio, qua peste omnes fere liberæ civitates semper laborarunt, quamplurimæ interierunt. In qua re Plato magnopere lapsus videtur, (disputandi hæc caussâ, non quod tantum virum reprehendere audeam, pronuntio) qui si hoc meum & tuum de civitate sua sustulit, ut caussam contentionum & discordiarum præcideret, cur eam legem induxit, quæ fons discordiarum sit? Duo enim corpora civium facit, quorum alterum ab honoribus, & publicis, ac bellicis muneribus prorsus excludit, atque agro colendo, opificiis faciendis, sellulariæ operæ, cæterisque servilibus ministeriis mancipat, alterum Reipublicæ gerendæ præficit, muneraque illi publica ac bellica decernit; quæ lex multiplicem reprehensionem habere videtur: nam si plebem & servilem ordinem à Magistratibus, & honoribus tam pacis, quam belli exclusisset, paucosque ad illos vocasset, minus hoc esset in inferiorem ordinem contumeliosum, minusque ægre ferrent secundæ sortis homines, earum se rerum expertes esse, quæ consilium & virtutem postulant, quas res in se esse non intelligerent. Verum Plato nullam quamvis minimam aut infimam Reip. partem illos attingere permittit; ab ipsisque privatis militiæ ministeriis, & à gregaria opera Reipublicæ navanda arcet: quæ res neque magni ingenii præstantisve indolis, neque eximii consilii est, ut quivis ad illam videatur idoneus, modo corporis robore præditus sit. Cum militis officium sit strenuam tantummodo corporis operam, atque obedientiam Imperatori præstare; resque Ducum consilio regendas permittere, in quibus vis ingenii necessaria est: quæ animi indoles cum in paucissimis esse possit, exercitusque ex magno hominum numero constare necesse sit, quid ita Plato superiorem ordinem totum ad bellica munera obeunda vocat, cujus maxima pars non magnopere virtute & ingenio inferiori præstet; neque præstare necesse sit, cum etiam militibus vitio detur, consilia Ducum sciscitari, qui fideles tantummodo ac dicto audientes esse debeant, ac promptam operam illorum imperiis bene obedientes præstare. Deinde humani ingenii vitio fit, ut unusquisque de se magnifice, ac longe supra quam ipse sit, existimet; quæ opinio omnibus natura penitus insita ex animis hominum evelli non potest: quo fieri necesse est, ut se ab armis tractandis, atque ab omni munere publico attingendo, ad quas res se aliqua ex parte aptos putant, exclusos ægre ferant: qui acerrimus doloris & indignationis stimulus illos ad rerum novandarum cupiditatem possit incitare: nullum porro est tam infimum hominum genus numerosum præsertim à quo periculum non immineat. Siquidem Romanum ipsum Imperium tum cum maxime in flore virium esset, sæpe in extremum discrimen à seditionibus & bellis servilibus est adductum. Equidem scio, multa ad hæc à Platonis defensoribus responderi posse; remque longam habere disputationem: verum illud semper vincet, si quis rem vere existimare velit, atque omnium civitatum annales memoria repetere, nullam vehementiorem caussam, aut uberiorem fontem discordiarum civilium esse, quam hanc inter nobiles & plebejos de honoribus contentionem.

Habes, Antoni, meridiationem hujus Tyburtini secessus: quam ad te ideo potissimum misi, cum quod nemo est omnium amicorum, cum quo omnia mea communia esse malim, tum quod neminem de ejusmodi gravibus rebus melius, quam te judicare posse existimo: exspecto igitur quamprimum judicium tuum.

VBER-

VBERTVS FOLIETA,

PATRICIVS GENVENSIS,

DE

SIMILITVDINE NORMAE POLYBIANAE.

AD

RAINALDVM CORSVM,

JVRISCONSVLTVM EXIMIVM.

LIBRVM meum *De ratione ſcribendæ Hiſtoriæ*, quem amantiſſime ſcriptum ad Octavianum Paſquam Epiſcopum Hieracenſem miſi, te legiſſe ſcribis, eoque mirifice delectatum. In quo cetera omnia tibi probari adſcribis, præter id quod affirmavi, rationem illorum mihi non plane improbabilem videri, qui nihilominus ut hiſtoria vera non ſit, hiſtoriam tamen eam eſſe contendunt: à Polybioque ea in re diſſentiunt, ac ſimilitudinem normæ ab eo inductam hiſtoriæ negant convenire: quam rationem paucis à me perſtrictam, ac veluti per tranſennam oſtenſam tibi planius explanari poſtulas. Geram tibi morem: quid enim facere poſſum, aut umquam feci libentius, quam ut quacumque re poſſem, voluntati tuæ obſequerer? quæque mihi occaſio tibi gratificandi daretur, eam ne prætermitterem? poſtulat id cum vetus amicitia noſtra ſanctiſſime inter nos culta, ſingulariaque tua in me merita & officia, tum ſumma dignitas tua, quam tibi adjungit acutiſſimum & præſtans ingenium, tum autem eximia & elegans doctrina cum haud vulgari eloquentia ſcribendique facultate conjuncta, idque tam ſoluta, quam numeris adſtricta oratione, ad hoc magna rerum civilium ſcientia atque uſus. Verum illud prius teſtatum volo, me rem in utramque partem in præſentia diſputare in animo non habere, neque judicium meum interponere velle, ſed rationem tantummodo à Polybio diſſidentium tibi exponere: quibus ego tantum abeſt, ut aſſentiar, ut potius in contrariam partem, atque in Polybii ſententiam propendeam: cum tamen contra diſſerentium, atque ab eo diſſentientium opinionem non ita ab omni veriſimilitudine abhorrentem exiſtimem: transferenda hunc in locum ſunt pauca ea, quæ pro ſententia Polybii in libro poſui. Qui igitur ejus opinionem defendunt, atque auctoritatem ſequuntur, quo in numero me quoque eſſe ſemper præ me tuli, ita diſputant.

Hiſtoriam veram eſſe oportere: neque enim aliud eſſe hiſtoriam, quam rerum veram narrationem: nam ſi hiſtoria narratio dumtaxat ſit, tum vero hiſtoria nihil ab Epici Poetæ narratione differat: quippe quod utraque res geſtas contineat. Una igitur veritate duas has narrationes inter ſe diſtingui. Denique veritatem ita eſſe propriam hiſtoriæ, ut pars ejus eſſentiæ ſit: qua veritate carentem narrationem, non pravam modo, ac malam hiſtoriam eſſe, ſed ne hiſtoriam quidem eſſe, neque hiſtoriæ nomen omnino poſſe obtinere. Itaque quamvis apta, ornata, copioſa, elegans ſit narratio: quæque omnia locis, temporibus, perſonis, convenientia plane ſervet, conſilia apte & luculenter explicet; egregiis deſcriptionibus ſitus locorum, formas urbium, ac munimentorum, inſtructiones acierum, ordines præliorum, diſcrimina, caſus ante oculos ponat, ac veluti in rem præſentem legentium animos inducat, ac pro auditoribus ſpectatores faciat, omnibus denique eloquentiæ & artis numeris expleta ſit, ſi veritas in illa deſideretur, decoram quidem & aptam fore narrationem, at hiſtoriam non dico falſam & pravam, ſed nullam omnino futuram. Contra ſi rudi & incompto ſcribendi genere litteris ſit mandata narratio; neque ullas partes ex iis habeat, quas Rhetorum præcepta præſcribunt; omnibuſque ornamentis plane ſit orbata; ad hoc conſilia & cauſſas inepte explicet; res geſtas confuſa narratione obſcuret, ac pro eo ut lucem afferat, tenebras rebus offundat, veritas tamen adſit, vilem quidem, & ineptam, ac deſpiciendam rem fore, hiſtoriæ tamen vim & nomen retenturam. Magnopere igitur normæ ſimilitudinem à Polybio commentam veluti rei mirifice aptam probant. Ut enim (inquit) norma ex auro, & ex quamvis pretioſa materia facta, ſi recta non ſit, res quidem pretioſa eſt, at norma nullo modo eſſe poteſt: cum enim norma cauſſa dirigendi operis inventa ſit, fit ut munus ſuum præſtare non poſſit, niſi ipſa recta ſit, quare ne norma quidem erit. Contra ſi recta ſit ex quamvis vili materia fabricata nullius quidem pretii erit, ſed norma tamen erit: ita cum idem ſit verum in hiſtoria, quod rectum in norma, efficitur, ac cogitur id quod diximus, ut falſa narratio neque ſit, neque appellanda ſit hiſtoria, quamvis omnibus verborum & ſententiarum luminibus illuſtrata ac politiſſimo genere conſcripta: contra vera quamvis ſordida & inops atque inepta re & nomine ſit hiſtoria. At qui contra ſentiunt, diſtinctionem afferunt, contenduntque aliud eſſe hiſtoricum, & hiſtoriam veracem eſſe, aliud hiſtoricum verum, & hiſtoriam veram eſſe, eumque, qui in re geſta narranda veritatem non retinet, non vere rem narrare, eundem tamen vere narrare; hiſtoriamque in rebus narrandis à veritate diſcedentem, aut veritatem quovis modo corrumpentem veram eſſe hiſtoriam, eandem tamen veracem non eſſe hiſtoriam; neque iſta inter ſe pugnare, ſi diſtinguere ſcimus, acriterque in rem intueri: utrumque enim verum eſt, ſi ad diverſas res referatur: nam ſi verum ipſum ad rem geſtam adjungimus, ac rem, quæ numquam geſta ſit, tamquam geſtam referamus, vel ſi geſta quidem ſit, non tamen eam, ut geſta eſt, explicemus, non quidem rem veram narramus, neque proinde

verax est narratio, aut historia nostra verax, neque historici veraces sumus: res enim, quæ numquam fuerit omnino, aut quæ aliter fuerit, vera esse non potest: quod si veritatem ad narrationem ipsam referamus, & vere is narrat, & vera est narratio, & verus ἱςορικὸς, hoc est, verus narrator est is, qui narrat: quamvis enim rem veram non narret, neque narratio rei veræ sit, vera tamen est narratio, hoc est, verum est, illum narrare: quare perspicuum esse id, quod proposui, aliud esse historicum veracem esse, aliud historicum verum esse: aliudque historiam veracem esse, aliud veram esse: qui enim res veras ac veritatem narrat, historicus est verus & verax, ejusque historia vera & verax est: qui vero rem veram non narrat, aut eam non vere, ut gesta est, narrat, is verax quidem historicus non est, sed tamen verus historicus, & ejus historia non verax quidem est, sed tamen vera historia, hoc est, vera narratio, quæ rem sive veram, sive falsam, & quocumque modo narrat. Verum est enim illum narrare.

Regulæ vero similitudinem, quæ tantopere nonnullis arridet, futilem plane rem esse ajunt, disputationique susceptæ parum aptam: non enim quemadmodum is qui narrat, æque narrat, cum verum, & cum falsum narrat, ita regula, cujus munus est opus dirigere, æque dirigit distorta ac recta: nam opus dirigere quæ ipsa recta non sit, nullo modo potest, quin contra si materiæ per se rectæ adhibeatur, illam distorquet: quare regula non recta non male dirigit; sed non dirigit omnino: fit igitur ut regulæ neque vim, neque nomen obtinere possit: at quæ falsum narrat historia, male quidem & improbe narrat, narrat tamen, quod ad nomen & vim historiæ tuendum sufficit. Elegantiore igitur comparatione sese uti affirmant: institutæque disputationi ita conveniente, ut non similius sit ovum ovo, ac lac lacti. Ea autem est ejusmodi. Quod in historia est veritas, idem est in judiciis justitia: æque enim debet Judex in caussis cognoscendis, judiciisque tam privatis, quam publicis exercendis, & ambigentium controversiis dijudicandis, ad Justitiæ normam, legumque præscriptum sententiam, & judicium suum dirigere: atque historiæ scriptor veritatem in scribendo spectare: atque æque utrumque ad utriusque fidem, & officium pertinet; atque æque uterque puniendus est, si ille à justitia, legumque præscripto discedit, ac si is à veritatis lege declinat, hoc etiam gravius Judex, quo majore publico detrimento peccat. Quare fit, ut quemadmodum si Judex juste non judicat, vel legum & juris ignorantia lapsus, vel gratia inflexus, vel pretio emptus, vel animi in alteram partem propensione depravatus, vel etiam probabili aliquo errore objecto, qui gravem & religiosum Judicem à veritate deducere possit, vere tamen Judex est, latumque judicium non minus injustum, quam justum, vere judicium est, vimque & nomen, atque auctoritatem judicii obtinet, eoque non stare modo necesse est, sed etiam oportet, si Socrati credimus, ita historicus, si vel ignorantia, vel negligentia, vel ambitione, vel gratia & assentatione, vel odio & invidia, vel quavis alia de caussa à veritate discedat, historicus tamen est, non quidem verax, sed verus, neque historicorum numero excludi potest; neque illius scriptis historiæ nomen est abrogandum. Perspicuum igitur esse putant, historiam falsam æque vere historiam esse, atque judicium injustum, vere judicium esse.

Nam quod de Epico Poeta opponitur, ejusmodi esse ajunt, ut nihil sit responsu facilius. Neque enim veritate ac falsitate historicum ab Epico Poeta distingui: in qua re versari magnum errorem: esse enim qui putent, ea in primis re historicum ab Epico Poeta differre, quod ille in narrando verax sit, hic mendax; illiusque narrationem veram, hujus falsam ac fictam esse oporteat: quorum errorem aperiendum esse: neque enim historicam Epici Poetæ narrationem, quæ vera est, ex quattuor partibus Epico Poetæ necessariis, falsam & mendacem esse necesse est: nihilominus enim erit poetica narratio, Poetæque conveniens, si vera, ac si falsa sit; quin etiam qui in Epicis Poetis fastigium tenent, Homerus & Vergilius, veras narrationes amplexi sunt. Vere enim Troja decem annis à Græcis circumsessa narratur; item vera est Æneæ navigatio, versusque in Italiam adventus, verumque prælium cum Turno de Laviniæ nuptiis secum ambigente commissum. Vera, inquam, hæc sunt omnia, nihilque ab historicorum narrationibus, à quibus sumpta sunt, discrepant. In quo ergo Epicus ab Historiographo differt? quod historiæ scriptor rem simpliciter narrat, nihilque à proposito aberrat, nihilque à se confictum, aut extrinsecus delectandi caussa petitum, quodque à narratione alienum sit, illiusque seriem interrumpat, narrationi institutæ interponit. At Epicus Poeta, quot & quanta, Dii immortales, inchoatæ narrationi inserit, quas fabulas à se confictas, quot jucunda mendacia, quæ Deorum consilia, quas eorundem rixas, orationes, studia etiam partium, vaticinia, oracula, monita, spectra passim inculcat: ut minimam operis partem susceptа narratio obtineat, omnisque ingenii & industriæ vis contenditur in re variis ambitibus ornanda & illuminanda, amœnisque, ac frequentissimis fabularum diverticulis, quæ Græci ἐπεισόδια vocant, distinguenda, ac veluti varii generis floribus & coloribus pingenda. Neque vero fabulas tantummodo extrinsecus accersitas, quæque nihil ad institutam historiæ narrationem pertinent poesi suæ inserit Poeta, sed ipsam historicam narrationem fabulose contexit, cum tamen veritatem historiæ non pervertat: nihil enim prohibet verum fuisse, & ex historia petitum, Æneæ classem sæva tempestate jactatam, ac procellis pene obrutam, totamque disjectam esse: quæ res cum paucis expediri potuisset, quot ambitus, Dii immortales, circa eam facit Poeta, quotque fabulosis commentis illam dilatat, ac variat, cum Junonem exsecrabili odio Trojanis infensam facit, indignabundamque, & expostulantem adeo numen suum sperni, ut gens capitaliter invisa tam diu incolumis naviget; ipsaque invita optato Italiæ solo potitura sit; Æolum pacta nuptiarum mercede ab illa exoratum claustra evertisse; ventos carceribus emissos; Neptunum imis sedibus excitum audaciam ventorum graviter increpuisse, quin etiam in ipsum illorum Regem aspere invectum, qui in aliena ditione imperium exercere veritus non esset; neque suis se finibus continuisset; ventisque nutu Dei fugatis tempestates sedatas mareque tranquillum factum. Ejusmodi sunt Poetarum narrationes. Neque enim id studet Poeta, ut quemadmodum Historicus narrando homines doceat, sed ut animos legentium afficiat, in illisque in quam partem velit permovendis prima est Poetæ commendatio: quare mentes hominum modo incitat, modo reflectit, animorumque sensus modo inflammat, modo inflammatos restinguit; modo ad iram, modo ad misericordiam impellit; modo amoris flammas, modo odii stimulos suscitat; modo gestienti lætitia animos titillat, modo ardentissimas doloris faces admovet, modo gaudium & risum excitat, modo fletum & misericordiam commovet, modo animos exacerbat, modo sensu quodam suavitatis perfundit. Denique quantum sit munus Poetæ per animos hominum sensu quodam & permotione peragrare, quanta operæ pars sit insumenda in illis afficiendis, quemadmodum ipsos affici velit, declaravit Horatius, qui ei rei palmam dedisse videtur illis versibus:

Ille

Ille per extentum funem mihi posse videtur
Ire poeta, meum qui pectus inaniter angit;
Irritat, mulcet, falsis terroribus implet:
Vt magus & modo me Thebis, modo ponit Athenis.

Non igitur id spectat Poeta, ut audientes gestarum rerum participes & gnaros faciat, sed aurium voluptati omni verborum lenocinio, omnibusque figmentorum illecebris influit, audientiumque delectationem, quæ res est illi in primis proposita, omni ratione captat, tantoque præstantior est Poeta, quanto ad inveniendum & fingendum natura est habilior, atque uberioribus & celerioribus utitur ingenii motibus: quam rem in Poeta dominari recte affirmat Plutarchus quantus qualisque Philosophus, quam acri judicio præditus: nam neque numeri, inquit, neque verborum immutationes, neque dictionis majestas, neque translationis opportunitas, neque concinnitas, & compositio tantum habet blanditiæ, atque gratiæ, quantum fabulæ apte connexa dispositio: non igitur id quod nomen ipsum declarat, simplex narrator est Epicus Poeta, ut historiæ scriptor, sed fictor & creator: quod nomen non tam à carminibus faciendis & creandis impositum habet, quam à fabulis à se fictis & creatis deductum: quod Græcorum auctoritate firmatur. Veteres enim eos, qui rem simpliciter carminibus narrabant, carminaque faciebant nullis fabularum figmentis admixtis, non divino hoc Poetæ nomine dignabantur, sed ἐποποιὸς, hoc est, *carminum factores*, appellabant. Tradit enim idem Plutarchus sacrificia nonnulla choris & tibiis carere posse; Poesim fabularum & figmentorum expertem esse non posse: quare Parmenidis & Empedoclis investigationes & disputationes *de rerum natura*, quibus addere possumus Lucretium nostrum, item Nicandri *Theriaca*, ac Theognidis *Sententiæ*, quamvis carminibus conscriptæ, poemata tamen non sunt, neque illarum auctores in Poetarum numero umquam habiti sunt, aut Poetæ nuncupati. Jam vero ipsemet Poeta Epicus in initio Poematis sui sese non narrare, aut scribere, sed canere profitetur: Musasque proinde invocat, quæ sibi canenti adsint, canendaque inspirent: quæ preces supervacaneæ plane essent, si ipse, id quod facit Historicus, narraret tantummodo, neque fingeret, ac res crearet: quod nisi Divino quodam instinctu ac furore mentes Poetarum tactæ efficere non possunt: at historiæ scriptori nihil necesse est internum hoc lumen præferri, neque ejusmodi furore illius mentem calescere, neque rem ab ipso non inveniendam, aut fingendam, sed palam in oculis hominum gestam tamquam ignotam illi divinitus subjici: non igitur Musas, aut divinum ullum numen invocare cogitur. Nimius in re perspicua sum: cum præsertim Vergilii & Homeri Poemata, quæ omnibus patent, laborem hunc mihi adimant. Patet igitur, quam Poeta Epicus objectus nihil contra nos faciat.

Jam vero si nulla est historia, nisi quæ verax est, nulla jam erit historia. Ut enim verax dici non potest is, qui in multo majore parte vitæ veritatem retinet, aliquando tamen, & aliquibus in rebus ab illa discedit, ita verax historia non est, quæ tota vera non sit, quæque nonnumquam, & aliquibus in rebus mentiatur: at nemo umquam historiæ scriptor (historias in sacris Libris scriptas semper excipio) non aliqua in re lapsus ac falsus est, non modo in caussis & consiliis exponendis, in quibus tamquam abditis & abstrusis major est errori veniæ locus, sed in ipsarum rerum, quæ palam geruntur, narratione: nullam enim rem à pluribus Scriptoribus, vel ejusdem ætatis, qua res gesta est, æqualibus traditam legimus, quæ non aut tempore, aut ordine, aut modo gerendi, aut vero aliqua ex sui parte variet; in eaque narranda Scriptores inter se discrepent; quamvis de re ipsa inter omnes constet. Verbi gratia, Annibalem in Italiam cum Punicis copiis descendisse, inter omnes convenit: at quantæ fuerint copiæ, Scriptores haud parvo numero inter se dissentiunt: idem est dissensus de copiarum numero in Africam à Scipione trajectarum. Jam vero in Tib. Gracchi ejus, qui bello secundo Punico clarissimas res gessit, cæde tradenda, quomodoque is in insidias præcipitarit, mira est Scriptorum varietas, cum tamen inter omnes constet, perfidia circumventum cecidisse. Ejusmodi varietatum plenæ sunt omnes historiæ. Ut T. Livius, qui omnes res gestas P. R. ab ipsis Urbis initiis à compluribus Scriptoribus traditas ac dispersas in unum corpus redigendas, unamque & continuatam historiæ seriem contexendam suscepit, in tanta scribentium varietate plurimum negotii habeat in veritate conjicienda; judiciumque suum sæpenumero interponere cogatur, quæ narratio ad veritatem propius accedat: quod judicium, & ipsum sæpe potest labi. Qua in re alterum fieri non potest, ut plus una ejusdem rei narratio vera sit, alterum fieri potest, ut omnes falsæ & errantes sint; cum una tantummodo sit veritas, unaque dumtaxat ad illam perveniendi, illamque tradendi ratio & via; ac plurimæ, atque adeo infinitæ, sint ab illa aberrationes. Quocirca alterutrum necesse esse contendunt, ut aut historiam esse ullam omnino negemus, quod ne ipsi quidem, qui normæ similitudinem excogitarunt, dicere ausi fuerint; aut quæ vera non sit, historiam tamen esse.

VBERTI FOLIETAE,
PATRICII GENVENSIS,
IN FESTO DIE
OMNIVM SANCTORVM ORATIO.
AD
JVLIVM III.
PONTIFICEM MAXIMVM.

VETEREM Ecclesiæ morem, Juli Pontifex Maxime, sanctorum virorum, quos eximiæ, præstantesque virtutes ad beatas Divorum sedes extulerunt, commemorationem anniversariis festis diebus celebrandi hodierno die colentes, quanam tanta amentiæ vi teneri, quove tanto sceleris furore agitari nostrorum temporum hæreticos dicemus, ut præ nimio de sanctæ hujus sedis dignitate quibuscumque rebus possunt detrahendi studio, pium in primis usum reprehendere & vituperare non dubitent? Neque animadvertunt viri amentissimi in sancta hac sede ejusque institutis insectandis, quam impietatis invidiam illi student conflare, eam in ipsos redundare. Etenim cum morem hunc jam inde ab ipsis Christianæ religionis initiis, atque primordiis manantem, omniumque deinceps sæculorum usurpatione in Ecclesia retentum ad nostram usque ætatem perductum constet, tanta tamen isti nos, nostraque oppugnandi cupiditate feruntur, tanto, tamque capitali odio à nobis dissident, ut dum Romanos ritus omni ratione evertere, illosque vel impietatis, vel superstitionis arguere contendunt, ne sanctissimis illis quidem temporibus parcant. Quorum singularem audaciam & temeritatem nihil est, quod nos longa oratione retundere aggrediamur, cum brevis interrogatio illos elingues reddere possit; eumque illis laqueum injiciat, quo si expedire se velint, magis induant. Aut enim hunc morem priscis Ecclesiæ temporibus fuisse negent necesse est, aut si maxime fuisse fateantur, illum tamen ad imitationem non satis valere contendant. Utrum horum dixerint, in eo vel non ferendæ impudentiæ, vel intolerabilis arrogantiæ & impietatis crimen hærebit. Nam si negent fuisse, cum innumerabilibus & apertissimis sanctorum Patrum testimoniis, concionibusque ab illis in anniversariis ac sollemnibus harum commemorationum diebus habitis, tum omnis generis monumentis impudentissimi mendacii convincuntur; quod si priscæ Ecclesiæ auctoritate standum negent, hoc vero omnis impietatis caput est, fundamentum videlicet illud firmissimum, quo Christiana veritas in primis innititur, labefactare, atque adeo evertere conari. Ac mihi quidem istorum amentiam miranti, caussamque tantæ insaniæ quærenti, nulla alia in mentem venire solet, quam Deo immortali lumine suo illos deserente sacrilegos homines à mente consilioque deduci, Divinumque Numen immanium scelerum pœnas, quæ maxime sunt, ab illis repetere. An illi, Patres amplissimi, tot sacrilegia, tot piacula impune ferrent? Quique tam multa in Deum immortalem impie, nefarieque commiserint; ejus templa sanctissima violarint, spoliarint, everterint, sacras aras demoliti sint; Crucem ipsam, salutis nostræ augustissimum signum atque arcem, de suis sedibus deturbatam, afflictamque conculcarint; Religionis nostræ sacrosancta Mysteria polluerint; in Christianum sacrificium, in ipsum Christi corpus sanctissimum omnia sacrilegæ mentis, impurique oris maledicta congesserint, eos putemus tam immanium, tamque atrocium criminum impunitatem diutius fuisse habituros? Illi vero eas pœnas dant, quæ sunt eorum sceleri maximæ debitæ, hoc est, furoris atque amentiæ: quibus sacrilegos homines præcipites agi, & ad justa debitaque supplicia rapi sinamus; nosque ad ea, quæ sunt hodiernæ lætitiæ ac celebritatis, hoc est, ad majorum nostrorum beatissimorum hominum, quorum tam eximia in Christianam Rempublicam exstant merita, memoriam grato animo, ac debitis laudibus recolendam accedamus. Quorum maxima pars pro Christiana religione acerbissima supplicia fortissime subiit, pars Christianam veritatem hæreticorum oppugnationibus omnibus fere temporibus tentatam, numquam tamen eversam aut labefactatam, præclarissimis ingenii doctrinæque monumentis stabilivit, pars vero singularis justitiæ eximiæque continentiæ, ac ceterarum virtutum laudibus supra hominum captum floruit. Quos ego, Juli Maxime, si verbis meis pro dignitate non satis ornaro, nihil est, quod meam aut ingenii tenuitatem, aut orationis inopiam excusem, cum clarissimorum, beatorumque hominum Divina virtus humani ingenii vim magnitudine sua tantum exsuperet, ut nemo sit tantis naturæ atque industriæ præsidiis instructus, qui tantarum rerum gestarum gloriam, tanta, tamque innumerabilia, ac supra humanam facultatem & consuetudinem omnium virtutum edita exempla non modo oratione se consequi speret, sed admiratione omnino valeat æquare. Illud igitur in hoc mihi apud te, Juli Maxime, atque in augustissimo hoc totius orbis terrarum sanctissimoque loco dicendi imposito munere jure lætandum esse video,

video, quod de eorum virorum laudibus mihi est dicendum, in quibus si defecero, non tam copiam mihi, aut ingenium defuisse, quam rei magnitudine oratoriam facultatem superari sit existimandum; neque tam imbecillitas mea sit vituperanda, quam communis humani ingenii exiguitas agnoscenda.

Sed antequam de sanctissimis viris dicere incipio, pauca mihi de Christianæ Reipublicæ dignitate necessario sunt dicenda: quam rem in Veterum more positam fuisse animadvertimus: neque enim laudes clarorum virorum, quorum in Republica gerenda virtus & industria excelluissent, umquam fere orationibus suis persequi aggrediebantur, quin dignitatem quoque Reipublicæ, in qua illi essent cum laude versati, simul complecterentur; magnum inde videlicet cumulum hominum gloriæ, quos laudandos susceperant, accessurum arbitrantes, si docuissent, eam illos gessisse Rempublicam, à cujus eximia dignitate non minorem ipsorum memoria acciperet splendorem, quam quanta ipsi præclaris virtutibus suis atque egregiis facinoribus illi tribuissent ornamenta. Qui mos eo magis nobis servandus est, quod Rempublicam omnium, quæ umquam fuerunt, optimam & præstantissimam habemus. Quæ res facile apparebit in singulas res, quibus hominum communitates commendantur intuenti. Ego enim sic statuo in Rerumpublicarum, atque in omni humanæ societatis dignitate ponderanda, quattuor in primis spectari oportere; primum finem, quem propositum habet, tum initia & conditorem, tertio loco leges & instituta, quibus temperata est, ad extremum incrementa, rerumque gestarum gloriam & magnitudinem. Quas res si quis secum singulas reputare voluerit, facile intelliget, Christianam Ecclesiam ceteris omnibus civitatibus, atque hominum communitatibus, quæcumque omnibus ætatibus fuerint, dignitate infinito quodam intervallo anteire.

Atque ut finem primum consideremus, qui in rebus gerendis principium est; cujusque vis in omnia quæcumque in hominum actionem cadunt, ita fluit, ut ab eo res speciem accipiant, planeque conformentur; quis negaverit Christianam Rempublicam altissimum dignitatis gradum obtinere? Nam cum ceteræ omnes Respublicæ & societates ad humanum aliquod bonum referantur, hujusque vitæ angustissimis spatiis terminentur, longe altiora spectat Christiana professio. Cælestem enim Patriam, vitamque illam immortalem & æternam cum Deo ipso degendam propositam habet: ut quantum cælum terris, cumulatissimaque illa bonorum detractis malis omnibus complexio, perfectaque beatitudo humilibus his & terrestribus rebus præstat, tantum Christianæ religioni, ex qua una ad tam beatæ vitæ statum hominibus gradus fit, reliquæ humanæ societates fluxi & caduci boni caussa constitutæ concedant: quod beneficium cum per se illud est, quo nullum à Deo immortali aut habere, aut expetere homines possint majus, tum alio prope non minore cumulatur. Neque enim ad summam & sempiternam beatitudinem iter tantummodo nobis communivit Christiana religio, sed ex horribilibus mortis atque orci faucibus nos extraxit, atque eo ex loco, quo nullus in miseriis esse possit inferior: ut in eadem religione & beatitudinis & salutis firmissima sint collocata præsidia: quæ res nobis silentio nullo modo est prætereunda, dabisque veniam, Juli, si in salutis humanæ ratione explicanda paullo longior fortasse videbor, atque in hoc loco, quo nullus tota in Theologia uberior est aut ornatior, paullo diutius immorabor: ex eo enim Christianæ Ecclesiæ dignitas in primis elucebit, quæ tam infinita beneficia tamque immensa bona mortalibus attulerit.

Premebatur igitur teterrimo servitutis jugo humanum genus, cælestique Patria extorre in luctu & in squalore jacebat primorum Parentum inconsulta temeritate in tam miserabilem statum præceps datum. Nam Dei immortalis similis homo creatus, Divinaque imagine in illius forma expressa, ac justitia in naturam insita, omnium præterea creatarum rerum moderator ac dominus; ad hoc æternæ beatitudinis particeps factus placidum ac tranquillum, beatissimumque vitæ cursum initio agebat, nullis aut animi perturbationibus agitatus, aut corporis morbis obnoxius, aut externis molestiis infestus; sed contra omni voluptatum ac jucunditatum genere circumfluens, admirabili rerum scientia & cognitione præditus; omnium denique bonorum complexione cumulatus; ad extremum interitus quoque expers. Ceterum cum illecebræ consortis mulieris astu insidiatoris serpentis circumventæ Adamum in tam irrevocabilem casum præcipitem egissent, ut Divini imperii præscriptum negligeret, interdictæque arboris pomis vesci non dubitaret, continuo justitiæ ordine perturbato, ac vinculo, quo omnia inter se apta erant, perfracto, miserabilis omnium rerum conversio facta est; homoque ex altissimo dignitatis gradu ad infima præcipitatus. Obedientia enim, quam Creatori Deo debebat perrupta usu ipse imperii in ceteras sibi subjunctas res jure privatus est. Ac primum cælestis Patriæ aditu (quod miseriarum caput est) perpetuo est exclusus. Deinde sensuum vires animique permotiones rationis imperio natura subjunctæ rebelles ac contumaces factæ omnia vincula perfregerunt, bellumque intestinum excitantes rationem contra constrictam tenere cœperunt. Indomitis igitur cupiditatibus mortalium genus rapiendum ac lacerandum, innumerisque angorum morsibus perpetuo conficiendum relictum erat. Ad hoc cæli injuriis, & multiplici morborum ac contagionum generi, immaniumque belluarum sævitiæ expositum manebat. Nec à cælestibus modo sedibus homines procul amandati sunt, sed ex loco omnibus amœnitatibus refertissimo, in quo illos collocaverat Deus, exturbati, omnibus ornamentis spoliati; omni ope nudati; omni præsidio deserti; omni solatio destituti; quin etiam terra & ipsa rebelli facta alimenta subtrahente, omnium rerum inopia laborantes inter omnia inimica atque infesta sempiternæ morti ac perpetuorum hostium servituti obnoxiam ætatem agebant; nullumque erat à tantis calamitatibus in ulla condita re perfugium, cum præsertim ad labem humanæ naturæ totique posteritati conceptam delendam nihil esse præsidii in veteribus sacrificiis, aut in Mosaicæ Legis observatione usu compertum esset. Quare fiebat, ut in comparatione cum ceteris animantibus maxime omnium miserabilis esset humana conditio. Quid enim proderat animam præ ceteris rationis & intelligentiæ participem accepisse, cum à Dei immortalis conditoris sui cognitione, quæ res est huic ipsi intelligentiæ in primis proposita, altissimis ignorantiæ tenebris prohiberetur? Cum præsertim Philosophorum somnia ad hanc explicatam Dei notitiam assequendam majores potius tenebras in dies offunderent, quam quidquam lucis afferrent. Aut quid humanam miseriam levabat, tanto studio ad tam varias artes, quibus orbis terrarum distinguitur & ornatur, manus & ingenium excoluisse, cum omnia tantorum laborum, tantæque industriæ opera brevissimo ævi spatio essent fruenda? aut quid imperio in belluas, ceterasque conditas res (quæ res præcipuam hominis dignitatem, dum mortalem vitam agit, continere videtur)

detur) subnixi ambularent homines, cum ipsi durissimam servitutem hostibus suis servirent? Animorum vero immortalitas, cælestisque natura, quo beneficio nullum majus à Deo esse potuit, an non in malum humano generi vertebat, quippe quod beatis sedibus ejectum æternis tenebris ac suppliciis esset mancipatum? Quem statutum Deus O. M. tandem miseratus opem ferre decrevit, humanumque genus tantis malis oppressum atque afflictum aliquando sublevare. Neque enim pati diutius potuit paternus illius in homines amor, infinitaque bonitas, ut quos cælestibus spiritibus prope pares, atque ad Divinam imaginem formarat, eos sempiterno carceri cum sceleratis spiritibus, quos ob exsecrabilem superbiam è cælestium cœtu exterminarat, & ad æternas tenebras cruciatusque præcipitarat, esse mancipatos. Hoc consilium haud plane cælatos esse homines voluit; sed illius notitiam quandam jam inde ab initio humanis mentibus insinuavit, non illam quidem satis explicatam aut perspicuam, sed adumbratam & obscuram, atque usque eo dumtaxat, quo homines ne plane animum desponderent. Quid enim pateretur Divina clementia homines quamvis paternæ culpæ offensione graviter invisos omni spe orbatos vivere? Quorum potius fiduciam ut confirmaret, non lumine tantummodo mentibus præferendo illorum spem alebat, sed sacrificiis quoque, circumcisione, reliquisque veterum institutorum sacris & ceremoniis, tamquam certioribus pignoribus, signisque aptioribus, hanc illorum exspectationem voluit esse consignatam. Qua exspectatione & spe ne homines diutius frustrarentur, cum dies æterno consilio præstituta tandem venisset, quod se facturum tot sanctorum hominum vaticinationibus prædicarat, tamque multis mysteriis significarat, tandem edidit. Nam Filium suum, in Divino Numine secundam ordine Personam, atque ex omnibus partibus parem sibi, in terras misit: qui Divinam Naturam nulla ex parte deponens, humanam carnem, humana anima præditam, sibi assumpsit; verusque Deus remanens verum hominem est indutus. Neque vero paterni criminis delendi ullum fuit aliud expeditius iter. Tantam enim vim, tantamque necessitatem ea culpa habebat, ut cum ad totam posteritatem, ut dictum est, permanasset, in eaque penitus insedisset, nullius hominis polluto sanguine posset expiari. Neque rursus justitiæ ratio ferebat, cum homo crimen illud ipse admisisset, pœnas illius temeritati debitas alieno supplicio lui. Deus igitur cum homine conjungendus fuit, admirabilique Divino consilio factum est, ut duæ hæ Naturæ in unam Personam convenirent, cujus duplex vis, & quod humanæ imbecillitati deerat, Divina virtute supplendo, & quod ab homine ipso justitia repetebat, humano ministerio persolvendo, munus hoc perfecte, cumulateque sustineret: quæ conjunctio Spiritus Sancti tertiæ in Divino Numine Personæ virtute facta est. Cujus influens vis in virginali Mariæ alvo Divinam Personam humanæ Naturæ ex ejus sanguine nulla humani seminis admistione conceptæ copulavit, veraque unitate utramque inter se conjunxit. Deus igitur homo factus supplicio, quod gravissimum pertulit, pœnas humano generi debitas persolvit; tetra servitute homines liberavit; aditum ad cælestem Patriam ad illum diem obstructum patefecit; iter ad beatitudinem communivit; Christianamque Ecclesiam fundavit.

Igitur (quæ altera fuerat Rerumpublicarum commendatio) Dei ipsius Filius Patri Numine, potestate, æternitate, reliquisque ex omnibus partibus par, Christianæ Ecclesiæ auctor & institutor fuit. Quod si in dignitate Rerumpublicarum æstimanda tantum in auctore ponebat antiquitas, ut originem suam atque primordia ad commentitium aliquem Deum unaquæque fere paullo illustrior civitas referret, quod ex auctoris dignitate aliquid in posteros commendationis permanare arbitraretur, quæ gens in pari hujus rei cum Christianæ Ecclesiæ commendatione versetur, quæ Christi hominis verique Dei sanguine sit fundata? Sed (quod deinceps in rerum dignitate perpendenda sequebatur) non minorem splendorem Christianæ Ecclesiæ conciliavit legum & institutorum præstantia. In qua re tantum ceteris gentibus antecellimus, quantum ceteris Legumlatoribus præferendus est Legislator noster Deus. Ceteræ enim leges id fere vitii omnes habent, ut in exterioribus hominum actionibus regendis & moderandis totæ fere sint occupatæ; de interioribus vero partibus formandis (quod Legumlatorum præcipuum munus est) non valde sane laborent. Ita fit, ut appetendi, irascendique vires nullis præceptis aut institutis assuefactæ liberæ suique arbitrii relinquantur: quæ cum natura vehementissimos impetus habeant, actiones ab illis extra manantes nullo possunt legum præscripto coerceri, nullisque præceptorum frenis constringi, sed libidinum & cupiditatum ardentissimis æstibus inflammatæ omnia vincula perrumpunt: qua re fit, ut talibus legibus ducibus homines neque justitiam aut ullam omnino virtutem colere, neque pacem & concordiam (quam rem leges in primis spectare videntur) inter se possint tueri. At Christianæ legis vis in interiore homine formando in primis exprimitur. Quo fit, ut piis moribus mens imbuta sanctisque habitibus plane conformata nullis interioribus permotionibus extra officii fines provehatur. Talibus institutis Christiani homines ad omne virtutis genus formati ii extitere, ut illorum fortitudo, continentia, justitia, innocentia, mansuetudo, animi magnitudo, rerum humanarum contemptus, illis ipsis acerrimis Ecclesiæ oppugnatoribus admirationi fuerint: quippe qui Majoribus nostris vitæ ab omni cupiditate disjunctæ, ab omnique vitiorum labe puræ atque integræ, ac cum omni officii religione conjunctæ amplissima sæpe ac clarissima dederint testimonia, clarissimisque verbis confessi sint futurum fuisse, ut optime cum humano genere ageretur, si omnes homines instituto Christianorum viverent: qua laude, quam ab ipsis hostibus nostris veritas sæpe expressit, nihil esse potest firmius ad morum & institutorum Christianorum sanctitatem comprobandam, omnibusque gentibus præferendam. Atque ego nunc, Juli Maxime, de Christiana lege, ut certa præcepta habet, quemadmodum ceteræ leges, quibus homines ad justitiam, fidem, pacem, concordiam, ceterasque virtutes diriguntur, ita adhuc loquor: illa quæ in ea longe sunt præstantiora, quæque nullam cum ceteris legibus similitudinem, aut comparationem habent, & quæ neque ullis præceptis continentur, neque ullis sunt tabulis, aut scriptis consignata, in præsentia omitto. Vera enim ac præcipua Christiana lex est Divini Spiritus gratia, quæ fidei virtute in hominum mentes influit, cujus beneficio cum Deo arctissimo necessitudinis vinculo conjungimur, Divinitatisque participes plane efficimur. Verum ego hæc, ut dixi, tamquam ceteris gentibus ad percipiendum obscuriora in præsentia omitto.

Extrema fuerat rerum gestarum magnitudo & gloria. In qua re qui populus, quæ civitas, quod Regnum, quod denique Imperium Christianæ Ecclesiæ non longe primas tribuet, quæ totum fere orbem terrarum, cunctos Reges, ac populos, ipsum denique Romanum Imperium circiter trecentorum annorum spatio Ditioni suæ subjunxerit; finesque Romanos supergressa in longe remotissimas

tissimas regiones se superfuderit; atque in extremam Indiam, Æthiopiam, septentrionalem plagam penetrarit, ac non modo ceteri Reges ac populi, sed Romani ipsi rerum Domini Imperatores humi abjecti Christianorum Pontificum pedes demississime sint osculati? Qua victoria ut nihil est ad gloriam insignius, ita majorem prope, quam ipsa victoria, admirationem habet vincendi ratio. Quod facile apparebit, si quis ad ea, quæ dicturus sum, mentem & cogitationem converterit. Nam cum multæ sint viæ homines in nostram sententiam traducendi, vel etiamsi verbis nostris fidem non habeant, neque iis assentiantur, ad nostram tamen voluntatem adjungendi, ut etiam quæ minus probent, sequantur tamen, non modo nullam earum prisci illi Heroes, quos Christus ad cælestem hanc legem toto orbe terrarum disseminandam legavit, instituerunt, sed contrarias plane rationes, ab hominumque sensu & natura abhorrentes, ab omnique intelligentiæ vi remotas ingressi sunt, iisque rebus omnes gentes & nationes, quas adierunt, ad nomina in Christianam religionem & militiam danda adduxerunt, quæ eas deberant ab illa longe deterrere.

Principio cum ad assensum verbis nostris præbendum homines aut ratione compellantur, aut auctoritate moveantur, Deus immortalis, quam absurda, quam rationi repugnantia auctores nostri docere videbantur. Quid enim absurdius, quid ab omni sensu intelligentiæque vi magis abhorrens videri poterat, quam Deum hominem factum? eumque unum esse humano generi salutis auctorem & largitorem; præterea neminem, qui ipse se à cruciatibus, suppliciis, interitu servare non potuisset? Beatitudinis spem in egestate, miseriis, ærumnis, vexationibus, turpissimo mortis genere positam esse? cum tamen nihil horum ratione planum facerent. Auctoritas vero, quæ esse poterat in iis viris, qui obscuro loco orti, nullis opibus fulti, nulla doctrina commendati, nulla eloquentia instructi, quosque nemo tectis recipiebat, sed omnes respuebant, adspernabantur, oderant, quique summis infimis invisi & despecti, à Magistratibus tamquam malefici exagitati & suppliciis affecti, errantes & profugi in luctu & squalore totum orbem terrarum pervagabantur? iisne hominibus, ac tam absurda prædicantibus homines assentirentur? aut eorum orationem non modo animis, sed auribus admitterent? Jam vero ea circumspiciamus, quæ etsi assensum ab intelligentiæ vi non exprimunt, homines tamen, ut ea, quæ minus probent, sequantur, inducunt: hoc autem pluribus de caussis faciunt, vel vi adacti, vel metu mali subacti, vel ingentium præmiorum spe inducti, vel opum, aut honorum, aut imperii ostentatione impulsi, vel voluptatum illecebris attracti. Hæc fere sunt, quæ homines inducere solent, ut ea, à quibus ratio illos revocat, sequantur tamen, alicuique disciplinæ, quam minus probent, sese applicent. At in Christiana lege suscipienda totum contra fuit. Nam quam tandem vim afferre, quamve sui formidinem injicere cunctis gentibus, ac nationibus, ipsi denique Romano Imperio possent homines nullis opibus muniti, nulla potentia subnixi, nullis cognationibus circumsepti, nullis nervis firmi, nullis præsidiis fulti, sed contra omnium hominum contumeliis & injuriis expositi & obnoxii? aut quas opes, quos honores, quæ Regna ceteris largirentur homines in summa rerum inopia versantes? quin contra clarissimis verbis vulgo prædicantes, si quis Christianam legem, ac perfectam & absolutam pietatem profiteri vellet, ei iis ceterisque omnibus rebus, quæ animum jucunditate & sensuum voluptate perfundunt, esse carendum; omnesque res illis contrarias amplectendas; ac pro opibus egestatem, pro honore contumelias, ignominiam, hominum contemptum, pro Regno summam animi demissionem, atque humilem & infimum fortunæ gradum; pro voluptatibus labores, jejunia, ærumnas, verbera, cruciatus ultro appetendos, mortem denique ipsam alacri animo oppetendam. Quæ res cum ex omni sæculorum memoria numquam sint auditæ; cum ab intelligentiæ vi tam longe sint remotæ; cum à communi sensu tam vehementer abhorreant, necessariam confessionem vel ab invitis exprimunt, Divinam hanc esse legem, Divinamque occultam vim illi inesse, qua mentes hominum tactæ ad demissam cælo religionem accipiendam, palamque profitendam, seseque pro illa devovendos impellerentur. Paucis his de Ecclesiæ dignitate breviter perstrictis superest, Patres, ut ad clarorum virorum, qui in ea floruerint, laudes, quod est institutæ Orationi in primis propositum, accedamus, ab iis initium facientes, quibus dignitatis primæ omnium consensu merito tribuuntur.

Nego igitur aut cum hoste valentiore ullum umquam populum contendisse, quam Christianum cum omnium florentissimo Romano Imperio, aut Romanos ipsos in ullam umquam gentem atrociores exstitisse, quam in Christianum nomen: ceteros enim populos satis habebant, si victos bello imperio suo subjungerent, ac leges accipere retractantes cogerent. Idque summopere laborasse videntur, ut non minora in victos mansuetudinis suæ, quam bellicæ virtutis, exprom erent monumenta. At Christiani nominis numquam victoriam, sed semper internecionem per acerbissima supplicia quæsiverunt. Age, mentem nunc & cogitationem ad Christianos homines convertamus, ac cum animis ipsi nostris contra reputemus; quibus illi armis tantis opibus restiterint, easque ad extremum superaverint: quo & victoria appareat mirabilior, & virorum, quorum memoriam celebramus, virtus sit insignior. Cruciatibus, quos maximos crudelitas edere potuit, perferendis, morti sese sponte offerendo egregiam hanc victoriam Majores nostri pepererunt. Quorum cruciatuum ac suppliciorum ingens multitudo atque acerbitas adeo fortissimorum hominum animos atroci, horribilique adspectu atque perpessu numquam fregit, ut non modo incitatum religionis ardorem non reprimeret, sed contra studia excitaret: cum sæpenumero ipsi tortores in crudelissimo ipso munere lacerandorum hominum ac necandorum administrando Divino Numine repente correpti sese quoque Christianos esse clamarent, quæque alteri offerebant supplicia, ea ipsi sponte subirent. Qua in re id assequebantur hostes nostri, ut pro uno Christiano, quem excruciatum necabant, complures subito excitarentur, ut in Christianorum cruore vis seminis inesse videretur, quod terræ mandatum uberrimos hominum Christo nascentium fructus ferret. Itaque tam diversa à reliquis hominibus vincendi ratio, cum ceteri hostibus interficiendis aut capiendis victoriam pariant, Christianis suis sibi suppliciis victoria constet, apertissimo est testimonio, neque victoriam ullam admirabiliorem umquam fuisse, neque in fortitudinis laude ullam gentem posse ad Majorum nostrorum gloriam adspirare. Nam qui in acie discrimen vitæ subierint, multos quidem de suis hominibus complures populi proferre possunt. Sed non magnam fortitudinis laudem ea videtur res habere. Nam prælio commisso hominum mens pugnæ ardore veluti à se abducta non satis habet ad sese colligendum spatii: ut periculi magnitudine animo agitata, ac metu in consilium adhibito, deliberare secum possit, adeundum-

dum-ne illud periculum sit, sed impetu quodam præceps fertur, neque fere quisquam est, qui non potius mortem se hosti oblaturum, quam se ipsum in acie casurum speret. Tot præterea hominum millium, quibus exercitus constat, discriminis societas veluti periculi partitio quædam magnam habet timoris allevationem: mutua namque ope sese tutos confidentes adversum à se casum unusquisque spe propulsat, & ad socium delegat: cumque certe in tanta multitudine è cæde complures elabi necesse sit, nemo fere est, qui non ex iis sese fore confidat. Quo fit, ut ex ea re, quæ certam mortem non ostendat, mortis contemptus in hominibus colligi non possit: siquidem multos videmus nullum in acie timoris signum dedisse, quos si ad tribunal constituas, illisque haud dubiam mortem denunties, abjecto animo repente concidere. Qui vero ad tormenta, & ad certam mortem constanti, intrepidoque animo rapitur, quem nullæ tortoris, aut carnificis formidines labefactant; qui cum nulla vitandi supplicii spes ostenditur, propositi tamen retinens est, hunc dicere possis veram fortitudinis laudem assecutum. At ejusmodi homines tres, aut quattuor, apud singulos populos vix possis nominare; cum de Christianis plus decies centena millia proferantur, quos tormentorum horribilis adspectus, atque perpessio nihil commoveret; qui extremi supplicii certissima atque ante oculos posita exspectatione non deficerent, qui aculei, qui serræ, qui candentium laminarum atrocissima specie non debilitarentur, sed omnes terrores, omnes acerbitates, omnes cruciatuum faces, omnes dolorum morsus virtute prosternerent. Neque vero tantæ virtutis admiratio solis viris, iisque confirmatæ jam ætatis terminatur, quibus ad tormenta perferenda quamquam humanæ fortitudinis vim acerbitate sua longe superabant, aliquid tamen opis in ætatis & sexus robore fuisse suspicemur, sed fœminæ quoque & imbecilli pueri in præclaro hoc agone sancta æmulatione parique fortitudinis laude cum viris certarunt; cum non modo eadem omnia tormenta, quæ viros subiisse rettulimus, teneræ virgines in corporibus suis constantissime sint perpessæ, verum etiam (quod pene fidem habere non videtur) matres ipsæ natos suos acrocissimis cruciatibus lacerari non modo intrepido animo inspectarent, sed eos etiam ultro hortarentur, ne animo deficerent, neve tormentorum stimulis victi Christi fidem negarent, sed cruciatuum faces patienter ferrent. Quin etiam de nonnullis memoriæ proditum est, cum audissent in alia civitatis parte in ceteros Christianos sæviri, ipsæque latendo ac dissimulando immanissimam Tyrannorum rabiem effugere possent, lætas accurrisse, parvulosque natos suos ad easdem acerbitates subeundas secum duxisse; neque aut materna indulgentia, aut miserentium ministrorum monitis ab inflammato studio abduci, aut retardari potuisse. O eximiam ac supra hominum captum Majorum nostrorum virtutem, ô nullis cum gentibus conferendam fortitudinem, verberibus ad necem cædi, interiorem virtutem non conteri; tormentorum vi ac magnitudine vires corporis torqueri, virtutem animi non debilitari; ardentissimo igne corpus cremari, charitatis ardorem non consumi; à fera bestia corpus laniari, virtutem non distrahi; intestina avelli, à constantia, propositoque non abduci; toto corpore lacerari, animo non frangi; natorum ejulatus audire, cruciatus inspectare, maternum animum non inflecti. Ut ego mihi optarem, tantarum rerum, tantæque fortitudinis gloria parem orationis copiam ac facultatem dari. Profecto illis commemorandis atque extollendis nullo umquam labore aut satietate defatigarer: si modo laus hæc tota fortitudinis est existimanda, ac non majorem in ea partem obtinet charitas: nam etsi tam multa illa admirandæ virtutis exempla à fortitudine edebantur, eadem tamen à charitate imperabantur. Neque enim fortitudo ipsa suis satis viribus constare potuisset charitatis opibus destituta. Quæ virtus Veteribus plane ignota, ac Christianorum hominum propria, cum in ceteras virtutes ita influat, easque conformet, ut sine ea ne virtutis quidem perfectæ nomen ulla earum possit obtinere, apparet tantarum laudum societatem non modo cum charitate esse communicandam, sed majorem partem charitati esse tribuendam.

Sed fortium virorum in Christianam Rempublicam merita, quamquam infinita sunt, nullaque vel longissima Oratione satis umquam laudata, non tamen nos hoc solo studio ita convenit efferri, ut silentio prætereamus immortalia beneficia, quæ Christiana Ecclesia ab iis viris non minora prope accepit, qui in ea omni litterarum & ingenii gloria floruerunt. Nam ut externis vexationibus Christiana Ecclesia in primis exercita fuit atque infesta, ita domesticæ illius res non magis quietæ ac tranquillæ fuerunt. Neque enim ulla umquam gens magis ex intestinis discordiis laboravit, quam Christiana veritas hæreticorum seditionibus omnibus ætatibus jactata fuit & exagitata. Verum ut adversus exteros hostes Divinus Spiritus Christianam caussam ingentibus fortium virorum animis armavit, qui tormentis constantissime perferendis, qui morte fortiter oppetenda, qui sanguine profundendo, Christianæ Ecclesiæ veræ religionis testimonium dederunt, unde est illis Martyrum ductum nomen, ita adversus hæreticorum diffidia & oppugnationes non imbecillioribus opibus Christianam veritatem communivit. Quamplurimos enim doctos homines excitavit, qui impia dogmata firmissimis rationibus refellerent, qui in Divinarum, ceterarumque magnarum rerum scientia & doctrina tantos progressus habuerunt, ut in eorum gloria Philosophorum nomen à Christiano splendore sit obscuratum. Nam cum sapientiæ studio summæ illius veritatis, hoc est, Dei immortalis cognitio sit proposita, quousque tandem tantis disputationibus, tam multis quæstionibus & controversiis, tanta denique contentione in hac investigatione processit Philosophorum labor, ac studium? aut ad quem scientiæ gradum in Divinarum rerum notitia tandem pervenit? Ut enim omittam vetustiores illos, qui de Deo ac primo rerum principio tam varia, tamque absurda locuti sunt, tamque in iis rebus errantes & vagas opiniones habuerunt, ut de suo unusquisque capite Deum fingere videatur, ac cum Poetis certare, plures-ne illi de Diis fabulas attulerint, an plura ipsi de Divina Natura somnia commenti sint, cum alius Divinum Numen rerumque primordia ad ignem aut elementorum aliquod referat, alius in casu fortuitoque atomorum concursu principia rerum ponat, alius etiam (si Deo placet) discordiam Deum faciat, alius alia deliramenta loquatur, quæ singula persequi haud sane est operæ pretium, tum quod ejusmodi somniis ac nugis risum potius hominibus commovere, quam ullam voluisse doctrinam tradere videri possint, tum quod tribus iis libris, quos adversus Philosophos scripsimus, satis est à nobis Philosophiæ studium exagitatum atque reprehensum. Ut igitur eos omnes omittam. Quid Paripatetici ipsi, qui Aristotele Duce ac Magistro de naturalibus Divinisque rebus paullo ad veritatem propensius disputarunt, quidquam magnum aut amplum de Deo ac prima rerum caussa nobis attulerunt? aut quidquam in iis rebus stabili certave scientia comprehenderunt? Quantis

in

in æstuationibus, Deus immortalis, quantis in angustiis, quantis in controversiis atque inter se varietatibus cum ad sublimia hæc investigationem adjiciunt, versantur, quam pauca, quam parva, quam exilia de rebus Divinis assequuntur: eaque quam incerta, quam parum explicata, quam eversu facilia tradunt. At Christianorum hominum splendida ingenia, Divino spiritu lumen præferente, quam multa, quam magnifica de Divino Numine, de ejus essentia, de sapientia, de libera voluntate, de Personarum manatione ac distinctione, de rerum creatione atque primordiis, de æterna providentia, de animorum natura & immortalitate, de summa beatitudine, deque aliis innumeris ac præclaris rebus sunt assecuti, earumque rerum quam stabilem, quam constantem, quam perspicuam doctrinam tradiderunt; quantis denique ex errationum tenebris Divinarum rerum cognitionem eduxerunt, atque in apertissima veritatis luce collocarunt; ut pueri & aniculæ nostræ majorem & perfectiorem de Divinis rebus, eamque minus errantem, magisque explicatam notitiam habeant, quam ulli Veterum doctissimi habuerint. Neque vero tantarum rerum sola cognitione & scientia, aut nuda simplicique traditione contenti fuerunt Majores nostri, sed easdem litterarum monumentis ita commendarunt, ut nullum doctrinæ studium, aut majore rerum copia & varietate, aut subtiliore disputandi ratione, aut pluribus orationis ornamentis, majoreque verborum & sententiarum splendore, fuerit umquam tractatum. Neque enim (ut ceteros innumerabiles omittam) in Nazianzeni oratione Demosthenis sonitus aut fulgura desideramus, neque Chrysostomus non beatissima illa copia & ubertate, omnique exornationum & amplificationum genere Ciceronem nobis expressit; Romani vero Leonis divinæ summæque dignitatis plenæ brevitati verborum numerum sententiarum multitudine & pondere prope superanti, quem tandem de externis æquabimus? in Augustini vero, & Thomæ cælesti ingeniorum acie, acerrimaque in disputando vi, an non Aristotelis nomini Christiana gloria respondit? Atque in Doctorum hominum laudibus quamquam infinitæ sunt, tamen longiores esse non debemus, tum quod Divinis litterarum monumentis sine cujusquam oratione nomen ipsi suum immortalitati satis commendant, tum quod temporis angustiæ nos cogunt aliquem tandem orationis modum facere.

Cum præsertim eorum virorum memoria silentio non sit prætereunda, quos video instare, quorumque infinita turba me jam dudum sentio urgeri: ii sunt beatissimi illi viri, qui tantis continentiæ atque justitiæ laudibus floruerunt, ut in eorum virtute Christianorum gloria ceteras omnes nationes, quarumque in iis laudibus nomen paullo clarius exstat, infinito intervallo superarit. Nam cum continentiæ vis in duas sese partes fundat, ut & à voluptatum illecebris & ab opum cupiditate corpus & mentem integram serves, quæ gens Christianis hominibus erit æquanda, si cogitare voluerimus pro tribus, aut quattuor, quos unusquisque populus proferre possit, quorum fuerit excellens in ea laude præstantia, innumera apud nos hominum millia exstitisse omnibus continentiæ partibus cumulatorum? cum illud satis constet, eum morem pluribus sæculis viguisse, ut multo maxima hominum pars omni re sua in commune collata, ejusque distributione sacerdotibus, qui Ecclesiis præerant, permissa in solitudinem ipsi concederent, ibique tenui victu contenti non modo omnem ætatem ab omni cupiditate disjunctam, atque ab omni avaritiæ & voluptatum contagione puram atque integram agerent, sed lege quoque sibi ipsi, & voto earum rerum libertatem præciderent. Cumque justitiæ laus & vis in eo versetur, ut sua unicuique tribuamus, neque quemquam per injuriam lædamus, quis utraque in re huic virtuti propior fuit, quam ii viri, qui rebus ipsi suis sese sponte privarint, ne dum illi aliena auferrent, quique ab inferendis injuriis tantum semper abfuerint, ut in illis potius perferendis præcipuam Christianæ professionis laudem constituerent. Ac de beatorum hominum virtutibus quamvis non satis pro dignitate dictum sit, neque vero dici possit, tamen brevitate temporis cogimur paucis his esse contenti.

Sequitur ut de præmiis nonnihil attingamus, ac quam brevissime videamus satis-ne tantis laboribus & vexationibus, tantisque cruciatibus ac suppliciis digna merces sit reddita. Illa vero tanta est, ut non modo nulla oratione possit demonstrari, sed omnem humanæ cogitationis vim effugiat: ut prope nihil mirum sit, Majores nostros in laboribus exantlandis, in periculis adeundis, in terroribus non formidandis, in minis despiciendis, in vexationibus non recusandis, in ærumnis non expavescendis, in suppliciis perferendis, in morte denique contemnenda, ceterorum hominum virtutem tam multis gradibus superasse, cum ex iisdem acerbitatibus sibi ad ea præmia gradum fieri intelligerent, quæ omnem comparationem infinito intervallo antecedant. Quid enim opes, quid potentia, quid gloria, quid Regna, quæ omnia tantis laboribus ac sudoribus, tam multis discriminibus atque periculis homines consectantur, veri ac solidi boni habent? aut quid ad mentis tranquillitatem, atque ad hominem beatum faciendum omnino eæ res valent? ad quas si quis tandem pervenerit, tantas in illis tamque turbulentas molestiarum tempestates, tantosque solicitudinum æstus offendit, ut nihil aliud se tam multis curis ac vigiliis, tantaque animi contentione quæsisse intelligat, quam ut negotii vim sibi pararet, & quidem longe molestiorem, quam illa ipsa incommoda, quæ pro iis rebus assequendis susceperit. De nominis vero post mortem memoria laborare, est ejusmodi, ut non satis queam ea in re admirari mortalium levitatis plenam stultitiam, quos ejus rei cura torqueat, qua nulla fingi possit inanior: quid enim ad hominem hujus vitæ sensu omnino carentem pertinere potest, omnium sermone celebrari? aut quem omnino ex ea re sensum percipere potest is, qui de vivorum numero penitus sit sublatus? A tam fluxis, tam caducis, tam inanibus, tam falsis bonorum imaginibus longe non solum magnitudine, sed etiam genere differunt Christianorum præmia. Nam nullo ætatis spatio terminantur, sed sunt cum virtute infinita, tum duratione æterna. In infiniti enim illius boni, hoc est, in Dei ipsius fruitione posita sunt, quæ res perpetuum humanæ mentis ac voluntatis motum & agitationem infinita virtute sua tandem sistit. Nam cum in Deo Optimo Maximo perfecta sit omnium bonorum detractis malis omnibus, & infinita complexio, omniumque beatitudinum plenissimus & infinitus cumulus, fit, ut in ejus cognitione & amore humana intelligentia ac voluntas plane acquiescant. Neque enim Divinam essentiam per effecta, aut conjecturas, aut vero per fidem cernunt, sed apertissima visione intuentur, in qua cum bonitas infinita sit, infinitas sui in contemplatione voluntatis excitat cupiditates, mutuaque charitate homines complectens facit, ut totum ipsum Deum homines possideant, arctissimoque amoris vinculo cum illo conjungantur, atque in Deum ipsum commutentur, Divinæque naturæ participes fiant. Sed quid ago? eam-ne rem verbis demonstrare aggredior, quæ ne cogitatione quidem possit adumbrari? Quare illius declarandæ, quod fieri non potest, cogitationem omittamus, atque ad eam assequen-

quendam, quæ res facultatem habet, totum animum convertamus. Una autem est ad eam perveniendi via, si Majorum nostrorum fortitudinem, continentiam, virtutem imitabimur. Cujus rei utinam nobis, cunctisque hominibus natura nobis & Christiana lege conjunctis, aliquando mens detur. Quam quoniam nostris viribus suscipere non possumus, quippe quæ divinitus sit mittenda, quibus eam rebus à Deo O. M. impetrabimus? iis scilicet, quas ille pro sua benignitate apud se voluit valere, precibus nimirum partim nostris, partim vero Beatorum hominum, quos apud eum summum gloriæ locum obtinere non est dubitandum. Itaque sanctissimæ Animæ, à quibus me nunc usque è cælo, quod beatissimæ incolitis, exaudiri confido, eam nobis virtutem à Deo immortali impetrate, ut immortalem vitam, æternamque beatitudinem cunctis rebus anteponentes, nullo hostium nostrorum impetu à divinarum rerum amore adducamur; quamque vos quondam in Tyrannorum vexationibus, & crudelitate contemnenda, atque in carnis & peccati impressionibus repellendis ac prosternendis fortitudinem & continentiam præstitistis, eandem nos, cum iisdem oppugnationibus tentamur, adhibeamus; ut omnibus in rebus vestigia vestra persequentes, cum hujus carceris vincula, quibus nunc constringimur, solventur, perpetua in cælesti Patria vobiscum summæ beatitudinis societate conjungamur.

FINIS.

JACOBI BRACELLII,

GENVENSIVM A SECRETIS,

DE BELLO,

QVOD INTER

HISPANOS ET GENVENSES

SECVLO SVO GESTVM,

LIBRI V.

ADDITVM EST

Diploma mirae antiquitatis Tabellae in agro Genuensi repertae.

Ll ll 2

AVGVSTINVS JVSTINIANVS,

DOMINICAE OBSERVATIONIS PROFESSOR GENVENSIS,
EPISCOPVS NEBIENSIVM,

RENATO DE SABAVDIA,

MAGNO FRANCIAE MAGISTRO,

S. P. D.

QVI divitias ſummum bonum, & aulicos honores felicitatem eſſe putant, humaniſſime Princeps, non ſolum mirabuntur, ſed & damnabunt (ſcio) conſilium meum: quod tibi ad præfecturam Regii prætorii evecto, hoc eſt, ad totius Gallorum Regni adminiſtrationem, obtulerim aliquid legendum. Verum quantum hi meum reprehendent inſtitutum, tantundem, quin & longe magis, laudabunt (ni me fallat opinio) illi, quibus perſuaſum eſt, eruditionem unam & ſolam eſſe, cui humanis in rebus jure immortalitas debetur, & divinitas, uti apud Plutarchum legimus, παιδεία τῶν ἐν ἡμῖν μόνον ἀθάνατον καὶ θεῖον, *Noſtris enim in rebus ſola immortalis & divina eſt eruditio.* Cum enim humana omnia ætate minuantur, ſenectute vero tabeſcant & eſſe deſinant, μόνος γὰρ ὁ νοῦς παλαιούμενος ἀνηβᾷ, *ſolus intellectus eſt qui vetuſtate pubeſcat*, καὶ ὁ χρόνος τὰ ἄλλα πάντα ἀφαιρῶν, τῷ γήρᾳ προστίθησιν τὴν ἐπιστήμην, *Et cum tempus omnia alia auferat, ſcientia ſenectute augeſcit.* Donato igitur tibi quamquam nolenti, & ſupra æſtimatum hominum & opinionem renitenti principe hoc magiſtratu, inter labores & curas maximas, quibus neceſſe eſt te non detineri modo & implicari, ſed pene obrui, cogitabam pro mea in te obſervantia aliquid offerre, ad quod divertere poſſes veluti ad animi relaxationem, ac laborum & curarum remiſſionem. Et cum multa ſuccurrerent, ante omnia placuerunt *de Bello inter Hiſpanienſes & Genuenſes geſto* libri quinque Jacobi Bracellii civis mei, qui (ut uno dicam verbo) digni ſunt ut à te & tui ſimilibus legantur. Nam præterquam quod in eis viſitur ſumma eloquentia, grata facilitas, ac faſtidii expultrix jocunda varietas, referti ſunt exemplis, quæ mire conducunt ad populos recte regendos, atque Rempublicam ſine invidia adminiſtrandam. In quibus comperies fuiſſe & ex Regibus & ex ſummis Pontificibus, qui etſi maximis diſtraherentur occupationibus, ſingulis tamen diebus lectioni operam darent. Sed & ex Imperatoribus exercituum, qui ea ipſa die qua æquo Marte cum hoſte dimicarunt, & lectitarunt, & ſcripſerunt. Tantam dubio procul συζυγίαν & connexionem ſemper habuiſſe rerum gerendarum adminiſtrationem, & auctorum lectionem cenſuere ſapientes. Nequaquam vero pergam aut laudibus extollere, aut magnifacere civis mei vigilias. Primum ne videar patriæ affectione trahi, deinde quod ſuam ſecum laudem, & quidem egregiam, ferant: utpote de quibus Philippus ille Beroaldus aliquando ad me ſcripſerit, viſam ſibi Bracellii orationem Cæſaris perſimilem: in qua nimirum & verba rebus, & res verbis mirifice reſponderent: addiditque ſeculo hoc noſtro naſutiore (utar enim ejuſdem verbis) paucos reperiri municipi meo anteponendos. Quod reliquum eſt, obſecro te, mi Renate Princeps clementiſſime, accipe munuſculum

iſtud

istud ceu monumentum & pignus amoris erga te mei. Et si dabitur (quod Deus faciat) vel tibi vel liberis tuis Claudio & Honorato, præclaræ adolescentibus indolis, quandoque ex amœnissimo Bracellii viridario flores vel fructus aliquos legere, Deo Servatori nostro, à quo cuncta bona procedunt, referendum cense. Vale. Parisiis Idibus Aprilis MDXX.

JACOBI BRACELLII,
GENVENSIS,
PRAEFATIO.

INTER maxima plurimaque literarum beneficia, quarum indulgentissimus generis humani parens Deus inventionem & usum ideo mortalibus contulit, ut pluribus ac validioribus auxiliis animos nostros ad amorem virtutis erigeret, Historia profecto in postremis habenda non est. Nam ut omittam voluptatem, cujus expers esse nulla certe potest, quis est qui sine aliquo tandem fructu Historiam legat? Hæc docet non modo rerum ac temporum ordinem, sed quod longe pluris habendum est, quibus artibus, quibusque consiliis imperia creverint, quibus contra vitiis infracta corruerint. Quæ hominem virtutes in nomen ac famam evexerint. Et ne nunc id agere videar; & cognitionem rerum gestarum, quæ & à multis & accumulate laudata est, novis laudibus persequi velim: nihil est denique quod homini vel appetendum vel vitandum sit, cujus non invenias apud Historicos vera documenta. Verum cum hæc ex omnibus prope Scriptoribus consequare, illa sane præ omnibus historiis uberiores cuique fructus affert: ex qua Majorum nostrorum virtutes ac laudes, & quæ illi præclare gesserint, legentes intuemur. Habent, fateor, externorum quoque Regum ac populorum egregia facinora, & sua ad virtutem incitamenta: nosque, haud negaverim, potest Assyrius, Persa, Græcus ad honesti amorem allicere. At dum nostrorum prudentiam, fortitudinem, justitiam, moderationem, animi magnitudinem, mandata literis admiramur, subit animum æmulatio, & quædam veluti necessitas, ne degeneres, neve illorum absimiles videamur. Hæc me itaque ratio commovit, ut id Bellum, quod cum Alphonso maximo Citerioris Hispaniæ Rege, multos per annos gestum est, posteris proderem. Non quod inter plurima bella, quæ Genuensis populus adversus Pisanos, Venetos, Reges Cyprios, aliasque gentes suscepit, hoc unum vel maximum fuerit, vel memoria dignissimum, sed illa suorum temporum Scriptores nacta sunt: qui qualicunque oratione rerum exitus simplici ac nuda veritate tradiderunt. Hoc vero, quod seculo nostro gestum est, nemo hactenus tractasse dicitur. Res sane indigna & merito ætati nostræ objectanda, si memorabilis sane Belli cognitione, vel nostrorum temporum negligentia, vel Scriptoris inopia posteritatem defraudaret.

JACOBI BRACELLII,

GENVENSIVM A SECRETIS,

DE BELLO,

QVOD INTER

HISPANOS ET GENVENSES

SECVLO SVO GESTVM,

LIBER I.

IOANNI Ulterioris Hispaniæ Regi, qui currentis equi lapsu exanimatus est, duo filii superstites fuere Henricus, & Ferdinandus; quorum natu major Henricus patri succedens, cum difficilem in morbum incidisset, in ipso juventæ flore præreptus est; relicto unico filio Joanne admodum puero: cujus tutelam, simulque & regni curam, fratri moriens commisit. Ferdinandus vir fide ac sanctitate memorabilis, neque regni administrationem segniter gessit, neque puerum secus quam filium habuit; susceptoque bello adversus Maurum Granatæ regnantem, pluribus illum præliis attrivit; expugnatisque plerisque haud ignobilibus oppidis ejus, ad petendam suppliciter pacem trepidum coegit. Inter hæc Martinus Junior Siciliæ Rex, perdomita maxima ex parte Sardinia, moritur: nec multo post Martinus quoque pater ejus Citerioris Hispaniæ Rex & ipse vitæ finem fecit, nullo regnorum hærede relicto. Atque ita duo nobilissima regna multis ambientibus, nulli tamen certo successori destinata, magnis motibus jactari cœperunt. Jura regnorum sibi deberi præ se ferebat Ludovicus Andegaviæ Dux, quem & Regem Apuliæ nominabant. Petebat autem quod illi ex Aragoneorum (ut nunc loquimur) Regum genere, Jolanthis uxor erat. Usu enim effectum est, ut quos vel Citerioris Hispaniæ, vel Tarraconensis Provinciæ Reges appellare rectius licuisset, eos jamdudum Aragoneos nominemus. Petebat & Jacobus Urgelli Comes inter Proceres Regni longe nobilissimus. Petebat ipse quoque Ferdinandus: in quem cum propter alia, tum ob vires opulentissimi regni, cujus administrationem fratris filio eidemque genero nondum tradiderat, pars magna Principum proclivior erat. Nec deerant qui Federicum Junioris Martini filium, quem ex pellice genuerat, inter competitores annumerarent: quod Rege natum nec materno genere obscurum, egregia indoles egregium Principem promittere videbatur. Cum interim civitates Regum metu solutæ majore licentia grassari, diripere, occidere, & in mutuas injurias sine modo ruere, adeo ut his malis excitati Hispaniensis Regni Principes, consilia deligendi Regis inire adacti sint. Placuit igitur ex toto Regno Judices constituere, quibus & competitorum jura disquirere cura esset, & designandi Regis arbitrium. Et quoniam in tres ordines universum Regnum tripertitum est, procerum, sacerdotum, & plebis, ex tribus his membris summæ auctoritatis magistratus assumptus est. Fuit in Judicum numero Vincentius Ferrarius disciplinæ Prædicatoriæ; vir non modo vitæ sanctitate ac doctrina, qua maxime pollebat, admirabilis, sed multorum quoque miraculorum fama orbe toto celebratus: adeo ut non deessent, qui affirmarent etiam mortuos quosdam precibus ejus ad vitam revocatos fuisse. Iisdem fere temporibus, dum Judices conveniendo, consulendo, disceptando, dies terunt, Valentinis Principibus veteres exercere discordias liberum fuit. Itaque cum Villaracuta Centellianaque Factio dudum odiis inter sese, postremo armis certassent, superior Villaracuta, urbe, agroque adversarios deturbavit. Tum demum Bernardus Centellus, quem omnis exsulum manus sequebatur, ad implorandam Ferdinandi opem conversus, cum ab eo aliquot ex Ulteriore Hispania turmas equitum accepisset, novarum virium accessione ferox, in Valentinos fines impetum facit, ibi diripere, cædere, populari, atque omnia, ut in hostili solo, hostiliter agere. Quibus injuriis irritato populo, correptis statim armis obviam Centellianis itum est. Præstabant Villaracutæ partes numero militis, sed urbani, jam longam ob pacem militarium laborum insueti. Bernardus contra numero inferior, duratas exsilio copias & armis exercitum equitem secum trahebat. Vix quinque passuum millia Valentini processerant, cum hostes armatos instructosque ac plaustris aliisque impedimentis circumseptos adspiciunt: nec subsistere tamen, sed munitiones argumenta pavoris rati, velut adversus territos accelerato gradu ferebantur. Irritabat Villaracutis animos injuriarum indignitas, nec difficilem victoriam arbitrabantur adversus eos, quos paulo ante superatos, finibus suis ejecerant. Cum hostium præterea paucitatem, suorum multitudinem oculis metiebantur, non in fiduciam solum victoriæ, sed in contemptum quoque exsulum adducebantur, subibantque indignatio & ira, quod non statim pluribus cessissent. Exsules accendebat præter desiderium Patriæ, ultionis cupiditas, ingentesque animos dabat externus eques Granatinis bellis assuetus: sed nihil æque augebat fiducia, quam quod huic eidem equiti adversus urbanum peditem non sylvestribus aut impeditis locis, sed patentibus campis dimicandum erat. Nondum ad teli jactum perventum erat, cum auxiliaris eques munitionibus egressus, subditis equo calcaribus in confertos hostes illatus, turbavit ordines, magnoque terrore perculsum peditem late fudit, paucisque admodum obsistere ausis, cæteri ad suos passim refugere. Nec Bernardus exsulesque segnius rem gerebant: quippe trepidantes à fronte adorti, ut minus formidinis intulerant, ita inexplebilibus odiis infensi majore cæde grassabantur. Igitur cum instantes multitudo con-

condita non sustineret, terga Villaracutæ vertunt, equitatuque Centelliano pertinaciter insequente, vix unquam à vulgi strage cessatum est, donec superveniens nox victores cohibuit. Ea clades cum nunciata esset, matres, omnisque plebs promiscue portis effusa, suorum quisque fortunam sciscitantes, cuncta planctu, vociferationibusque complebant, donec postridie victores intra muros accepti sunt.

Ibi rebus compositis, recentis fama victoriæ multorum populorum animos Bernardo conciliavit: adeo ut non modo civitatem omnemque agrum Valentinum, sed quicquid insuper oppidorum circa erat, opibus suis junxerit. Nec ipse sane accepti à Ferdinando auxilii dissimulator, res omnes feliciter gestas in laudem ejus vertebat, animosque hominum in studia illius omni arte traducebat: hunc unum esse dictitans, qui præter summas admirabilesque virtutes, nobilissimis Regibus natus, ab ipsis usque Ducibus Gothorum genus trahentibus, Regis filius, Regis frater, Regis patruus ac socer, Ulterioris Hispaniæ viribus succinctus, dignus videatur Imperio orbis terrarum. Cæteros competitores si ei conferantur, aut degeneres videri, aut admodum peregrinos, & regno tuendo parum validos. Itaque cum à multis populis Regnum Ferdinando palam destinaretur, non multo post, hoc est, anno à nativitate Dei ac Domini nostri Jesu Christi XII. supra millesimum & quadringentesimum, ab ipsis quoque Judicibus Rex declaratus est. Inter hæc cum ad gratulandum novo Regi totus Occidens legationes decrevisset, Genuenses quoque Legatos suos misere, Baptistam Cicadam, & Petrum Persium, qui apud Regem aliquandiu morati, in quinquennium cum eo inducias pepigere. Belli causæ cum Rege novo nullæ erant, cum populis vero regni prope assiduæ. Nam quamdiu Aragoneis Regibus Pallantia, Cæsaraugusta, parsque illa Hispaniæ, quam Tarraconensem dixere priores, satis fuere, quæ poterant esse discordiarum causæ inter Reges mediterraneis finibus inclusos, & Genuenses maritimis rebus intentos. At posteaquam connubio effectum est, ut Barchino cum omni ditione, regnoque accesserit, tum demum jam mari patefacto, latius extendendi imperii cupiditas crevit, interrupta sunt finitimorum otia, bella populis ac civitatibus indicta, & Balearium insularum Rege devicto, regnum regno adjectum est. Et hactenus quidem tantum abfuit, ut ulla in Genuenses odia in Regibus essent, ut in expugnatione Dertosæ, aliarumque urbium, frequenter hi Reges Genuensium classibus adjuti sint. Ubi vero Pisano ac Genuensi pro Sardinia contendentibus, regia signa in insula juris alieni & ab Hispania procul amota, primum conspecta sunt, statim bellorum initia cum amicissimis quondam Regibus indignatio ac metus genuere.

Paucis post hæc annis intercedentibus, cum facilis è Sardinia in Corsicam transitus esset, intestinæ Corsorum discordiæ, quorum Principes quidam ad auxilia regia confugerunt, renovandis bellis materiam præbuere. Verum ejusmodi contentiones aut pace finitæ, aut plerunque induciarum conditionibus dilatæ sunt. At crebræ maris rapinæ, cum nullo fœdere cohiberi possent, novas semper injurias & injuriæ armorum causas subministrabant. Nam posteaquam cæsis Gallis Siciliam Carolo Petrus eripuit, & ab Ebuso Messanam usque tot insularum portus commeatusque prædonibus paruere, raro admodum pacata maria, Hispanique piratæ cum aliorum quidem populorum, tum Genuensium præcipue præda alebantur. Ferdinandus cum pactas inducias sancte religioseque servasset, intra pauculos annos emoritur, relictis filiis Alphonso, Joanne, Henrico, & Petro omnium juniore. Ex his cum ad Alphonsum ætate primum Regius honor delatus esset; is necdum adolescentiam egressus, bellicarum rerum gloriam, pacis laudibus præferens, ingentem classem magno studio comparavit: quartoque fere postquam regnare cœperat anno, vixdum compositis regni negotiis, in Sardiniam, ac deinde Corsicam trajecit. Adventu regiæ classis erecti Corsorum animi, gentis novarum rerum præ cæteris cupidæ ac semper dominantibus parum fidæ. Nec mora, Rex Calvum celebre oppidum statim occupat; eoque successu elatus ad Bonifacii oppugnationem accingitur. Est autem Bonifacium, quem Syracusanum portum Veteres appellavere, Genuensis populi fidissima Colonia. Nam dum Genuenses Pisanique inter se quondam armis contenderent, capto Bonifacio, ejectisque inde veteribus incolis, novæ in id oppidum familiæ ab Genua usque deductæ sunt, utque oppidanorum fides beneficiis obstringeretur, immunitate populus donatus, permissumque ut pro arbitrio ipsi sibi leges conderent. Rex loci naturam contemplatus, parum in oppugnatione spei, plurimum in obsidione ponebat: neque enim ignorabat jejuni ac sterilis agri Coloniæ, non id annonæ repositum esse, quo circumsessi victoriam diu remorari possent. Mari igitur terraque oppidum cingit: & ne nihil moliri videretur, ingentibus tormentis, & eo præcipue quod jam usus *Bombardam* à sonitu nominat, urbis muros quatit. Interdum ut clausi constantiam populi experiretur, repentino ad ipsa mœnia impetu armatus miles admovebatur. Terrebat vulgi animos vis magna tormentorum, juventutem à mari terraque metuentem labor ac vigiliæ conficiebant, quod dies noctesque nulla ab armis quies erat. Sed nihil adeo consilium omne prudentibus quoque eripiebat, quam alimentorum egestas, & ægre in paucos menses annona sufficiens. Itaque priusquam extrema ingruerent, placuit dedendæ urbis conditiones agitare: quod eo quidem animo tentatum est, ut sic liceret Genuam mittere qui obsidionem & suprema discrimina fessi jam populi nunciaret. Missis ad Regem Legatis pepigere tandem, nisi ab Genuensibus auxilia commeatusque interim supervenissent, Kalendis Januariis oppidum dedere. Ea de re obsides dati quot Rex poposcit Optimatum liberi, permissumque, ut Genuam ad implorandam opem Legatus accederet: qui parata ad id biremi, secunda usus navigatione Genuam delatus, cum in Senatum adductus fuisset, in hanc ferme sententiam locutus est: *Eo loci, Dux illustris, vosque magnifici Patres, Bonifaciani populi res posita est, ut nisi vobis ocius succurrentibus salvi esse nequeamus: quippe qui auxilia vestra, si etiam maturentur, ne sera sint magnopere veremur: Alphonsus enim & Corsorum copiis & prævalida classe formidabilis, cum vestram Coloniam terra marique cinxisset, ad id miseriarum adegit, ut etiam dedendæ urbis fœdus percussum sit. Traditi sunt ea lege obsides liberi nostri, ut nisi ante Kalendas Januarias præsidia commeatusque vestri intra oppidum penetrarint, portas hosti patefaciamus. Bene tamen nobiscum agi arbitraremur, si quemadmodum conventum est, eam diem Rex opperiretur: verum dum multiplices hinc artes ejus, illinc parentum charitatem in filios cogito, videre mihi videor, & Regem callidissimum potiundæ urbis percupidum, cui maximarum rerum gerendarum occasionem brevis etiam cunctatio eripere potest, & patres recipiendorum liberorum avidos, alios quam patentium portarum aditus esse quæsituros. Ita fit ut omnis etiam celeritas parum tuta sit. Ego & squalidus & intonsus, qualis in terram expositus e navi sum, ad conspectum vestrum festinus properavi, ut pauculas quoque horas lucrifacerem. Opem oro fidissimo populo, nec, si dixero filiis vestris, mentitus videar: sed eam opem pro qua dies noctesque vigilandum, agendumque sit: in quam segnius eniti, nihil aliud sit quam sobolem vestram iratis hostibus prodere. Neque enim nunc rese-*

referam nos non aliunde quam ab hac ſacroſancta urbe genus trahere: deductos quondam a vobis in extremas Corſicæ oras, qua freto exiguo ab Sardinia dirimitur. Ibi ſupra centum & ſeptuaginta annos, aut bella, aut bellorum ſuſpiciones, aut pernicioſiores bellis inſidias paſſos, fidem tamen, quam vobis debuimus, impollutam præſtitiſſe, ſignaque veſtra adverſus hoſtium minas, omni contempto capitis diſcrimine, fuiſſe tutatos. Horruimus quondam Piſanorum arma, horruimus & eorum vires, qui Sardiniæ regnum aliquando tenuerunt. Aragoneos & Venetos in perniciem veſtram conjuratos mœnibus noſtris obſtrepentes adſpeximus, tunc cum Joannes Valentis Genuenſi populo ſanctius quam felicius imperitabat. Multis poſt ea tempora minis terroribuſque perculſi, non tamen fidem mutavimus. Deſciverunt aliquando à vobis Savona, Albumingaunum, Albumintemilium, omnis prope ora veſtra in vos arma convertit: Bonifacianus populus neque pollicitationibus, neque periculis, à fide, quam vobis debet, dimoveri didicit. Etſi nunc quoque quæratur, cur Rex adeo nobis infenſus ſit, hæc eadem fides iræ ac belli nobis cauſa eſt. Ferte igitur opem, oramus, infelici Coloniæ propter vos ipſos pereunti: ferte opem adverſus eum Regem, qui cum fidem noſtram laudare debuiſſet, eam velut ſcelus ulciſcitur. Cogitate hujus dimicationis eventum eum fore, qui apud exteras gentes de vobis judicium ferat. Nam ſi nos Coloniam ac ſobolem veſtram deſertos, infeſtis hoſtibus dilacerandos, & in ipſis prope oculis veſtris excruciandos proditis, quam in vobis quæſo ſpem repoſituræ ſint nobiliſſimæ urbes, quibus trans maria imperatis? An ſcilicet credendum eſt, Famaguſtam, Peram, Samaſtram, Capham, Scythis, Armeniis, Græcis habitatas, tam longo hinc maris ac terrarum intervallo diſtantes, fidem dubiis in rebus ſervaturas eſſe; cum nos viderint progeniem veſtram in conſpectu veſtro poſitos, propter hanc ipſam fidem miſerabiliter interiiſſe? Quod ſi nos ex potentiſſimi Regis faucibus ereptos conſervaveritis, non fortitudinis modo laudem, ſed & pietatis quoque immortalem gloriam conſequemini. Ut enim eam vobis debemus fidem, quam parentibus liberi, ita opem, quam jure naturæ liberis parentes debent, à nobis impetrari æquum eſt.

Legato bonum animum habere juſſo, reſponſum eſt, ea eſſe Bonifacianorum merita, ut pro eorum magnitudine digne ſatis laudari nequeant. Curæ ſibi fore, ut extemplo obſidione ſolvantur, & fidei ſuæ fructum capiant. Annixuros præterea ſe, ut Regem alieni cupidum, inique ſuſcepti belli cito pœniteat. Senatu poſt hæc habito, ſeptem onerarias eaſque prægrandes parari placuit. Addita eſt & octava longe minor, in qua tela, arma, toſtus panis, triticum reponerentur. Is numerus adverſus hoſtem ſatis viſus. Sed nihil æque feſtinantes quam inopia pecuniæ fatigabat. Vexaverat urbem agroſque ingens peſtilentia, quæ cives pavidos paſſim diſpulerat; & quamquam ingruens autumnus vim morbi levabat, perpauci tamen in urbem redibant. Itaque cum ærarium publicum exhauſtum eſſet, & à quibus tributum exigeretur longe abeſſent, dimiſſis ad primarios cives epiſtolis, quibus admonerentur impendenti diſcrimini ſuccurrere, & ſi quem peſtilentiæ metus retineret, is ſaltem pecuniis adjuvaret, compertum eſt perpaucos admodum fuiſſe, quos, ut par fuerat, magnitudo ejus periculi commoviſſet. Erat tunc rerum ſumma penes Thomam Campofulgoſum, virum cum ſingulari prudentia, tum promptitudine conſilii admirabilem. Is ſe ut vidit ſcribendo, adhortando, monendo, nihil proficere, gemmas, aurea argenteaque vaſa contraxit, quibus Lucam perlatis & fœnori oppoſitis, tantum æris mutuo ſumpſit, quantum ſatis eſſe in ſumptum claſſis putabatur. Interea ſummo ſtudio cuncta parari, æs navium magiſtris numeratum, viri partim voluntarii mercede conducti, partim delecti, & ne Reip. deeſſent rogati. Nec ſegnius apud naves omnia gerebantur, mali, antennæ, vela, rudentes, ancoræ, funes, aut ut erat opus reficiebantur, aut ſi qua deerant aliunde comportabantur. Frequens quoque futuræ pugnæ meditatio pleraque moliebatur. Excitabantur in navium puppibus editiora ſolito caſtella, ab utroque navis latere craſſioribus columnis fultæ quædam velut vineæ ita ſuperne contegebantur, ut impune ac ſine metu vulnerum inde etiam ab inermi pugnaretur. Alia quoque ſublimior via validis aſſeribus undique clauſa, & firmis ſuſtentaculis impoſita à puppi ducebat ad proram, ut his, aut illis laborantibus, tuta commeatio ac facile ſubſidium foret. Ipſe Dux Thomas, quamquam & aliæ animum curæ diſtrahebant, frequens naves inviſere, raro à mari portuque diſcedere, quid actum foret, quid agendum ſupereſſet, crebro percunctari, verbaque jactare, ſe ipſum claſſe Regi occurſurum. Neque enim quempiam dignius maximo Regi opponendum, quam qui in patria ſupremum dignitatis locum teneat. Studio igitur ac labore difficultates ſuperante, brevi effectum eſt, ut omnibus rebus exornata claſſis ancoris ſtaret. Jam claſſi præfectus fuerat Joannes omnium Thomæ fratrum minimus, additis ei conſiliariis Thoma Savignono, Paulo Italico, Chriſtophoro Calvo, ac Joanne Andreæ.

Jam omnibus recte paratis, ſoli profectionem venti morabantur. Incubuerat mari pertinax Auſter, idque ſibi regnum ita vendicaſſe videbatur, ut venti reliqui interiiſſe putarentur; cum Eurus tandem parumper flare & ſpei aliquid promittere viſus eſt. Dux itaque claſſis divi Laurentii templum petens, & Præcurſoris Joannis limina veneratus, ſtatim navem conſcendit, nec multo poſt univerſa claſſis ſoluta eſt. At Eurus brevi elangueſcens, ac ſtatim ad Auſtrum revolutus, maxima cunctorum ægritudine cum naves moraretur, jam majore Decembris parte circumacta, vix ſpei quicquam relinquebat poſſe jam extremis populi laborantis rebus ſuccurri. Magna tota urbe mœſtitia, eoque major, quod neque vis, neque opes, neque humana conſilia, quicquam opis afferebant, apparebatque neceſſario rem totam divino arbitrio eſſe permittendam. Sed Thomas angebatur præ omnibus, quod memorabile Reip. vulnus in notam ſuorum temporum haud dubie vertendum cernebat. Ad opem igitur divinam converſus, necdum illuceſcente, templum divæ Mariæ, ut vocant, Coronatæ, quod tribus ferme millibus paſſuum urbe abeſt, triſtis petit, profundo gemitu cœleſte Numen ſupplex orans. Garriant quantum libet, noſque irrideant, qui negant Deum res humanas curare. Nocte, quæ prima inſecuta eſt, repentino ecce impetu Boreas furere, tanta quidem vehementia, ut domorum culmina convelli putarentur, eaque fuit, quamvis ſecundi, violentia venti, ut è navibus quorundam vela lacerarit, aliarum latera rudentibus nudaverit, atque ita citatiſſimo curſu in conſpectum prope Bonifacii delatæ ſunt.

Rex cum Genuæ claſſem parari jam pridem cognoviſſet, Bonifaciani fauces portus ante obſtruxerat, immanes in unum trabes colligans; quibus præter validos funes ferream etiam catenam adjecerat, ratus his clauſtris facile naves hoſtium portu arceri. Tum vero conſpecta Genuenſi claſſe, naves quinque prææltas hac ratione collocat, ut proras in hoſtes verterent, inter ſe autem cohærerent; ut conſuto lateri latere ex alia in alias facilis decurſus eſſet. Quæ ex his terræ propior erat, ponte in eam injecto terreſtre ſubſidium nullo labore accipiebat: ita è terra in primam, & ex ea in reliquas per commode tranſiliebatur. Pone has, minores naves ſiſtit, diſtributis laborum muneribus, ut quæque ſciret quid à ſe in bello curandum foret. Interea qua commodius viſum eſt, majora minoraque tormenta

menta adversus venturos hostes disponit, ut si perrumpere claustra tentassent, uno tempore adversus multas simul vixque superabiles difficultates iis eluctandum esset. Præterea delectos quoque milites monet, ut cum ad navale prælium omnium animi oculique conversi fuerint, muros repente aggrediantur. Idque eo consilio jusserat, ut si populus temere suppetias venienti classi accurrisset, neglecta mœnia miles irrumperet. Sin tuendis muris attineretur, nihil auxilii pugnantibus suis suppeditaret.

At Bonifaciani adventu classis cognito, clam noctu nuncium ad naves nantem mittunt, neque enim per obsessum ab hostibus mare alia fallendi spes erat. Is quo in statu res essent cum edocuisset, laudata fide & constantia Bonifacianorum, hæc referre mandata jussus est: *Mœnia à fraude & insidiis summa cura tuerentur; quod superesset juventutis securibus armarent; monerentque, ut cum perrumpere claustra naves molirentur, ipsi ad mare decurrerent, funesque & reliqua catenarum vincula, cautibus religata, præciderent: id satis ad victoriam putari.* Etjam supra millesimum & quadringentesimum primus ac vigesimus annus initium sui aperuerat: sexto enim Kalendas Januarias advenisse classem obsessores obsessique juxta didicerant: nec si postera die fuissent venti, dilatum prælium fuisset: naves tamen qualicunque vento delatæ ad conspectum urbis, haud procul in ancoris stetere: quarum una, cui Babilanus Nigri præerat, dum terræ propinquat, ingenti saxo tormentis excusso alveum icta cum irrumpentibus aquis vix obsisti posset, qua jugum urbi subjectum, præruptis cautibus impervium est, cursum deflexit: ut illic acceptum vulnus utcunque reficeret. Ibi ab oppidanis edocti, posse, si anniti velint, per arduas rupes in jugum, atque inde in urbem evadere: tantus tamque pertinax fuit ardor animi, ut quo vix quispiam expeditus aditum tentasset, illuc per invia saxa miles armatus pervenerit. Atque ita aliis alios erigentibus, Bartholomæus Pinellus ad hoc ipsum delectus, cum præsidio & portiuncula exigua commeatus intra oppidum acceptus est.

Nocte insequenti cum Zephyri flare cœpissent, luce prima Joannes cuncta expediri ad pugnam jubet, suosque militariter allocutus, hortatur: *Ut se ac Genuensi nomine dignos animos induant; advenisse diem precibus ac votis expetitam, qua fidissimam Coloniam obsidione liberent, violenti Regis injurias ulciscantur, quæque præclaram ac prioribus parem victoriam allatura sit. Ipsum Deum (se exercituum Deum nominare voluisse, ut sciant homines bellorum exitus non aliunde esse quam à Deo) hunc humanarum actionum æquissimum judicem: qui classem intra perpaucas horas præcipiti cursu eousque incolumem detulerit: qui Zephyros optantibus, Zephyros emiserit: hunc, inquam, Deum & justiori causæ cunctis videntibus favisse, & pro ea adversus hostium confidentiam esse pugnaturum.* His & ejusmodi cohortationibus accensis suorum animis, pugnæ signum proposuit, quæ cuique navium agenda essent ante constitutis.

Nec minus apud regias naves omnia summa cura gerebantur. Quæ cum essent tredecim numero, verum tamen & inexpugnabile robur navis erat, quam *Capitis rotundi* vocabant, quæ omnium ætatis suæ maxima delectis militibus referta, duabusque ab utroque latere navibus septa, ipsa inter quinque media, sublimi prora, admiranda mali proceritate, arx verius quam navis videbatur. Prima omnium plenis velis in hostes fertur navis, cui præerat Jacobus Benissia, vastoque impetu obstantia quæque perrumpit, trabes, funes, catenæ, omnia demum comminuta sunt, reliquisque sequentibus patefacta via est. Hæc in Capitis rotundi proram invecta, cum sub ictu ejus posita, hinc à navibus, illinc à terra saxis ingentibus peteretur, sagittisque ac jaculis more imbris obrueretur, ægre hostes sustinebat. Proxima secuta est Othoboni Nigri & ipsa ingens navis: quæ illic quoque monstruose occurrens cum latus lateri conseruisset, haud sane parum decrescere visa est. Nec tertia Babilani segnius prælio sese inferens cum Ducem lectissimosque milites veheret, magnos suis animos addidit. Quarta Nigroni Nigri dum improvide regitur in Benissiam temere illata, dejecto castello, quod puppi supereminebat, haud parum suis, nihil hostibus nocuit: mox introrsum elapsa prælio subtracta est. Hujus vel errorem vel consilium secutæ sunt naves Benedicti Equitis, Juliani Catanei, Jacobi Leccaudi, (Leccaveli) & omnium minima Leonini Grafioni: quam arma ferre cum maxima commeatus parte supra docuimus. Pugnabatur utrinque obstinatissimis animis; & quemadmodum apud regios integri fessis succedebant, ita tribus his, quæ omne dimicationis pondus sustinebant, quinque reliquæ tela virosque suggerebant. Aderat illinc Rex bellicosissimus virtutis cujusque spectator ac testis. Hinc Bonifacianus populus editiora loca tectaque domorum compleverat, conjuges parvosque liberos ostentans, & ne infestis hostibus proderentur, supplices manus tendens. Erat in Genuensi classe vir Andreas nomine; quem à frequentatione aquarum *Mergum* nominabant: huic profundum maris petere, & si quid pessum cecidisset, sursum referre, ludus ac jocus erat. Quin, quod longe admirabilius fuit, tam diu sub aquis versabatur, ut eum ibi sæpe respirare necessarium foret. Hic in medio pugnæ sævientis ardore, galea tectus & brevi cultro accinctus, clam se in mare præcipitem dedit, & ima petens, illius maximæ regiarum navium funes ancorarios nullo negotio præcidit. At vasta illa moles, quam duæ hostiles, ut diximus, naves ita urgebant, ut vix sisti ancoris posset, ubi omni retinaculo soluta est, fluitare primum, deinde alio proram vertere, postremo semel mota alias quoque naves secum trahere. Injecerat admirationem simul ac trepidationem, ut assolet, causa incognita. Neque enim absurde dictum est, *Natura homines ignota horrere.* Tum regia classe sensim cedente, creverunt Genuensibus animi: & velut ex integro renovatum prælium: cum præter paucos egregii facinoris gnaros, cæteri metu hostes cessisse haud dubitarent. Pugnatum est, & quidem acerrime, ab hora diei tertia usque ad vesperam, multi utrinque cæsi, plures vulnerati. Genuensibus gravem intulerunt stragem tormenta, quæ in terra arte disposita, & naves frequenter quassabant, &, si quandoque in pugnantium globos immania saxa inciderant, multos simul exanimabant, omnes formidine afficiebant. Regios maxime stravit majorum scorpionum multitudo, quibus ea die Genuenses præclare usi sunt. Rex neque consilio neque fortitudine suis defuit: sublimi equo vectus, omnia fortissimi Ducis munia exsecutus est, adeo ut etiam aliquando sagittis appeteretur. Neque Joannem aut hostilium navium multitudo, aut suarum pars major pugnæ subtracta, aut tormenta undique circumtonantia, unquam exterruerunt: animo elatus, corpore ingens ubique affuit, omnes adhortationibus fovit, solus omnium sibi ea die requiem negavit. Tandem nullo contra nitente, tutus Genuensibus in urbem aditus patuit. Qui paucülos dies apud Bonifacium morati, ibique præsidio & commeatu relicto, vixque dum portu egrediuntur, incendiis hostium devitatis, in patriam re admodum memorabili gesta læti rediere. Rex componendis Corsicanis rebus aliquanto temporis absumpto, universam classem Siciliam trajecit, Bonifacianos obsides secum abducens, objectans populo, quod percussum fœdus non satis sincera fide custodissent. Siciliam cum pervenisset, multos, qui acceptis vulneribus graves, mari tamen

men se commiserant, hiberna jactatione exanimatos sepulturæ dedit: in quibus Odo * Luscinianus, Jacobi quondam Cyprii Regis filius, & Jani frater, ampli funeris honore non caruit.

Adventus Alphonsi cognitus varia consilia, magnosque in Regno Apuliæ motus excitavit. Tenebat opulentissimum Regnum Joanna Caroli quondam Regis filia, & Ladislai soror: cui sine liberis decedenti septimo jam anno successerat. Hæc fœdis amoribus diffamata, ut vidit regiæ dignitatis molem à fœmina sustineri non posse, denupsit Jacobo Marchiæ Comiti, inter Galliarum Principes cum splendore natalium, tum virtute haudquaquam postremo: quem ubi & maritum & Regem agere indignata cognovit, inconstantia muliebri mox repudiavit: atque ita regnum suopte ingenio discordiis obnoxium, Reginæ insuper flagitiis occasionem præbentibus convulsum, & in veteres factiones divisum est. Erant quibus fœmineus dominatus neque incommodus, neque injocundus esset: quod dignitatem & nomen Joanna retinente, summa rerum ipsi potiebantur. Erant contra quibus Ludovicum Andegaviæ Ducem, Ludovici, quem superius nominavimus, & Jolanthis filium, adoptari placebat. In certantium factionum discordia tutissimum visum est iis, qui ne Ludovicus adoptaretur obstiterant, Alphonsum Reginæ filium destinari, ut Neapolim accersitum, Regem haberent, mari terraque potentem, quem opibus Gallorum opponerent. Ita Alphonsus contentione Principum in Regnum adscitus tantarum virium accessione non modo illustrior factus, sed plerisque etiam formidabilis, Catalanum quoque nomen, quod præterquam maritimis in Italia populis si non obscurum, at certe parum admodum celebre fuerat, attolli ac prædicari cœptum.

At quoniam in Catalani nominis mentionem incidimus, non absurdum fuerit ex multis, quæ de origine ac eorum rebus gestis Scriptores tradiderunt, pauca perstringere: ut cum hos populos nominari continget, id saltem, quod ad hujus historiæ cognitionem pertinebit, in aperto sit. Anno Urbis conditæ MCLXIV. imperante Honorio, Alaricum, inter Gotthorum Reges potentissimum, primum post Senones Gallos Romam irrupisse, atque eam direptionibus, incendiisque fœdasse, memoriæ proditum est: abducta etiam Placidia Arcadii & Honorii Imperatorum sorore, quam Athaulfo postea connubio junxit. Eodem fere tempore Alani, Suevi, Vandali, aliique immanes populi, trajecto Rheno per Gallias debacchati, ad Pyrenæum usque perveniunt. Nec multo post, cum eis custodum perfidia claustra montis reserasset, more inundantis diluvii Hispanias irrupere: ibi post direptiones & cædes, perdomitis verius quam fugatis veteribus colonis, consedere. Circumacto deinde exiguo tempore, hoc est, anno MCLXVIII. Constantius Comes, cui summa militiæ ab Honorio commissa erat, Narbona nobili Galliarum urbe Gotthos expulit, & in Hispanias migrare coegit, imperante Gotthis hoc eodem Athaulfo, qui Alarico in regno successerat. Atque ita cum miseras Hispanias truces populi aliquandiu lacerassent, posita tandem sævitia, ad cultum agrorum conversi arma gladiosque abjecere. Exque duobus, qui præcellebant, populis, Gotthis Alanisque, in nomen unum coeuntibus, Catalanum nomen exortum est: fuitque iis, ut nunc quoque est, præcipua sedes & caput Barchino, parva quondam urbs, nunc magnitudine populi, divitiis, moribus, legibus inclyta. Idque arguit Athaulfi principatus, qui cum Barchinone regnaret, dolo suorum cæsus, ibi sepultus est. Inter hæc dum Alphonsum Neapoli acceptum novi regni curæ distrahunt, Calvum oppidum, quod Rex primo ejus adventu in Corsicam (ut diximus) occupaverat, receptum est. Nam cum Hispanorum militum injurias oppidani jam ultra ferre nequirent, conjuratione habita, regium præsidium ejecerunt, & in veterem Genuensis populi ditionem mox rediere.

* Legendum videtur, *Lusignianus*.

JACOBI BRACELLII,
GENVENSIS SECRETARII,
DE BELLO,
QVOD INTER
HISPANOS ET GENVENSES
SECVLO SVO GESTVM,
LIBER II.

GENVENSIBVS quemadmodum Calvum receptum & Bonifacium adversus vim regiam strenue defensum, animos non immerito dare poterant, ita Philippus-Maria Dux Mediolanensis, nunc aperto bello Genuensem agrum infestans, nunc simulata quiete suspicionibus involvens, suspensam omni tempore civitatem inquietamque reddebat. De quo quandoquidem ordo historiæ admonet sermonem haberi, altius mihi initium petendum est. Joannes Galeatius, qui omnium primus Dux Mediolanensis appellatus est, duos moriens filios reliquit, Joannem, & Philippum, & utrumque Mariam: primum Ducem Mediolani, Philippum Ticini, vel, ut nunc loquimur, Papiæ Comitem instituit. Joannes-Maria, cum à juvenili quadam stoliditate non procul abesset, sævumque & sanguinarium vel domestici quoque formidarent, suorum insidiis obtruncatus est. Eo sublato, Brixia, Crema, Cremona, Laudes * Pompeji, Pla-

* Reponendum, *Lau.*

Placentia, & pleræque aliæ Cispadanæ Transpadanæque nobiles civitates à Tyrannis occupatæ, maximis calamitatibus involutæ sunt: donec anno à nativitate Jesu Christi MCCCCXII. à parentis vero obitu x. Philippus Mediolanum accersitus est. Hic ne universos simul Tyrannos in se provocaret, aliis blandiens, alios territans, icto cum aliis fœdere, alios palam oppugnans, brevi effecit, ut occisis aut perdomitis, qui ei adversabantur, cunctos prope paterni imperii fines in ditionem suam redigeret. Confirmato jam principatu cum ingentes aleret exercitus, crescente cum ipsis successibus ambitione latius regnandi, cœpit cogitationes suas longius extendere. Ac primum Genuenses exsules ad se confugientes clam fovit, deinde velut principatum Thomæ, non Genuenses, odisset, palam ei bellum indixit: bisque validis exercitibus missis in eam vallem, qua amnis Porcifera mari tenuis illabitur, paucis oppidis vel vi, vel sponte ad eum desciscentibus, copias inde revocavit. Experientia post hæc doctior factus, cum tandem cognovisset non esse satis terra urbem premere, si paterent Genuensibus maria, missis Oratoribus impetravit ab Alphonso, ut sibi liceret octo ex regia classe triremes mercede conducere, quibus eo in bello uteretur. Præter quas apud Finarium duas quoque armari curavit. Anno igitur MCCCCXXI. jam propinquo æstatis exitu delectas equitum ac peditum copias, Duce Guidone Taurello, per Ferionis vallem emisit. Est autem Ferio haud magnus, sed rapidus admodum, amnis, quem Bisamnem vulgo nominamus; qui ex montibus Bargaliæ præcipitatus, orientale urbis latus pene verberat. Genuenses cum terrestre bellum haud multi facerent, sed si mari clauderentur, incommoda famis metuentes, aliquot onerarias naves ad commeatus subvehendos Massiliam mittunt: triremes octo raptim parant, quæ Duce Baptista Thomæ fratre, viro impigro nec armorum inexperto, regiæ classi occurrerent. Is cum audisset hostes Ligusticum sinum tenuisse, insecutus vestigia, in conspectum eorum haud longe à littore Finarii delatus est: quippe qui eo illuc consilio venerant, ut duas triremes, quæ jussu Philippi illic armabantur, sibi adjungerent. Hispana classis cum parem numero classem in se tendentem prospexisset, in fuga statim salutem ponere, velo remoque altum petere: è quibus una seu rimosa & longa navigatione quassata, seu ex paucitate remigum fuga desperata, in littus impegit. Eam cum Galeotus Finarianus (ut vocant) Marchio subducere contenderet, Genuenses contra indignum ducerent, hostem sibi è manibus eripi, acre prælium, & quam pro magnitudine præmii majus, in ipsa contentione exortum est. Post tandem vulnera & cædes, cum classis onerariam navem & quidem prægrandem, quæ forte haud longe aberat, eo traxisset, & illa alte supereminens defensores à littore fugasset, triremis incensa est. Septem reliquæ cum Occidentem petere simulassent, ubi è conspectu abiere, iter Pisas versus intenderunt. Baptista dum eo successu elatus occidentalem oram legit, ut hostes assequatur, Finarianis navibus facultatem dedit, qua se Hispanis adjungerent: atque ita haud procul ab Arni fluminis ostio in unum omnes coiere. Magna sane fuit trepidæ classi duarum accessio. Nam remige, sociisque navalibus, telisque & armis egregie instructæ advenerant. Advexerant etiam plerosque Genuensium exsulum & manu & lingua promptos: qui Genuensis classis famam elevantes, torpentes Catalanorum animos erexerunt. Nec multo post Baptista dolo hostium detecto, iter in Orientem convertit. Præerat classi Regiæ Raimundus Corvarianus Montesianæ militiæ Magister, multarum rerum experientia clarus: qui quamquam numero navium superior erat, quantum tamen ars in bello valeat, non oblitus, vada brevia & incerta scrutatus, ibi

A naves suas sistit, nequaquam adoriturus hostem, sed si irruat, excepturus. Baptista hostili classe conspecta Hispanos exterritos ratus intra quasdam velut munitiones sese continere, magna ut in pavidos fiducia invehitur. Quatuor suarum naves egregie pugnam capessunt, in duas hostiles mox transiliunt. Perterritos & aut delitescentes, aut in proram fugientes nautas cædunt. Quinta cum vado hæsisset, dum inde se avellere nititur, pugnæ subtracta est. At Raimundus, ubi quatuor tantum pugnam ciere vidit, tres velut exitum prælii spectarent, procul se tenere, reliquam cum difficultate loci certare, tota classe quatuor priores cingit. Illæ, quamdiu B spes subsidii mansit, fortiter impetum hostium quamvis in orbem pugnantes sustinuerunt. At posteaquam tres illæ, quarum duas Monichi Joannes Grimaldus, tertiam Genuæ Ludovicus Carmadinus armaverat, desperatis rebus fugam petiere, deditio facta est. Ita quinque naves & in eis Dux ipse in hostium potestatem venere.

Ea clade cognita, Thomas afflictis rebus diffisus, dedendæ civitatis consilium capit. Nam & egestas pecuniarum angebat, & post vulnus acceptum facile hominum studia in adversam factionem inclinabant. Igitur deditionis legibus præscriptis, dum reliqua omnia cum Taurello componit, C Philippus, incertum quonam consilio, propere Francisco Carmaneolæ ad exercitum misso rerum omnium summam committit: ita quæ cum Guidone inchoata fuerant, cum Carmaneola transegit. Convenit ut Genua cum omni agro & ditione, iis fere legibus, Philippo-Mariæ ejusque liberis vero ex connubio genitis dederetur, quibus Antoniotus Adurnus eam quondam in Regem Francorum Carolum transtulerat. Anno igitur MCCCCXXI. quarto Nonas Novembres præsidium Philippi intra urbem acceptum est. Philippus opulentissima civitate potitus, cum immodicas opes Alphonsi jamdudum suspectas habuisset, quod dis-D simulaverat diu non ultra tegendum ratus, nova adversus Regem consilia inire cœpit. Multa erant quæ ad id animum ejus commovebant. Primum omnium, quod nimio Regis fulgore obumbrari fastigium suum arbitrabatur, & qui post Pontificem maximum, caput esse Italiæ consueverat, se jam inter posteriores rejici haud mediocriter dolebat. Alphonsum quoque, quem ut inter Italos peregrinum, moderate se gerere æquum fuerat, elatum insolentemque videbat, quasi domitor Italiæ haberi ac prædicari vellet. His accedebat, quod pleraque inter se conventa Rex non satis religiose servasse putabatur: quamquam inter duos maximos E terrarum Dominos vicinitate propinquos, quorum uter majore imperandi cupiditate flagraret, difficile judicium erat, quæ potuit esse concordia? Stimulabat præterea Ducem Joanna levitate fœminea jam tunc quoque Regi infensa: quæ præter hoc, quod se contemni videbat, non se jam Reginam, nec ejus quem adoptasset matrem, sed captivam potius esse dictitabat. Nec Romanus Pontifex Martinus, nimiam Regis felicitatem perosus, adjiciendis clam stimulis deerat. His accedebant maximum in re tanta momentum Genuenses, qui enixius à Philippo petierant, ut Ludovici Andegavensis mitissimi Ducis amicitiam, Regiæ superbiæ F anteferret. Et Ludovicus quidem pro virili sua pollicebatur auxilium, & connubio sororem Philippo jungere non abnuebat. Ipse vero suas vires circumspectans, pulcherrimum dicebat, si cujus Alphonsus domitor haberi volebat, ipse assertor Italiæ diceretur. His igitur tot rationibus motus, classem instruere Genuensibus mandat. Præerat tunc Genuæ Carmaneola, vir rerum gestarum gloria quam genere insignior: qui militarium artium apprime doctus cum probe calleret quid tantus

apparatus exigeret, omnia summo studio administrabat: eoque majore, quod jam à Philippo Dux classis designatus erat. Igitur XII. onerarias naves, & quidem prægrandes, contrahit, triremes veteres subducit ac reficit; quod destinato numero deerat, ædificatur. Neque Philippus augendis viribus classis parcus, lectos ex omni peditatu milites supra mille, & equites præterea trecentos onerariis imponit. Ii fræna, sellas, hastas & reliqua equitatus instrumenta ferre jussi, ut ubicumque equos nancisceremtur, cætera omnia in promptu forent.

Jam anni MCCCCXX. tertii majore parte circumacta, autumnus advenerat, & quæ classis erant, summa vi maturabantur. Quîs cognitis, Alphonsus obsidionem veritus, regno migrare statuit. Itaque validis præsidiis urbibus impositis, civitatibus ac populis publice jurejurando promittit, se quidem brevi affore, majore classe, majoribusque copiis instructum: collectisque quatuordecim longis navibus, quibus domum paternaque Regna repeteret, secunda navigatione usus, in conspectum Massiliæ delatus est. Ibi cum animadvertisset urbis custodiam negligi, raros in turribus murisque defensores, omnia demum per socordiam geri, paucitate contempta, impetus in urbem faciendi consilium capit. Re quantum licuit dissimulata, paucis suorum quid conaretur, aperit. Comparatis dein strenue quæ usui fuere, clara luce urbem aggreditur, ac nullis prope obsistentibus Massiliam irrumpit, & per ocium diripit, ac postremo injecto igni exhaustam incendit, ablatis sacris ossibus divi Ludovici Præsulis quondam Tholosani. Hanc cladem passa Massilia est urbs Galliarum nobilissima, Phocensibus auctoribus condita, & mari quondam admodum pollens, non dolis, non viribus hostis expugnata, sed civium socordia salutem publicam negligentium. Rex classem præda gravem trahens Valentiam, unde primum profectus fuerat, triumphanti similis post paucos annos reversus est.

Jam naves longæ duæ supra viginti, è quibus Ludovicus Andegavensis quatuor paraverat, & onerariæ duodecim præter equites externosque pedites Mediolano missos egregie navalibus sociis & Genuensi milite instructæ in ipsum portum convenerant, nec quicquam præter adversos ventos remorari classem credebatur, cum ecce repente Genuam Taurellus à Philippo mittitur; qui posthabito Carmancola classi præsit, veluti nihil tanto studio Philippus moliretur, quam ut inter duos & quidem egregios Duces implacabile odium subministratis æmulationum causis acueret: cum paulo ante Genua potitus, contempto Guidone Carmaneolam prætulisset, mox postea Taurellum spreto Francisco potiorem habere visus esset. Septimo Idus Decembres classe soluta, Guido triremibus vectus, quamquam aspera hyeme, cum littora legeret, Formianum (is est enim quem Cajetanum dicimus) sinum tenuit: cum onerariæ reflantibus Aquilonibus mari jactarentur. Et primo quidem longarum navium adventu Regium præsidium Cajetam securum tuebatur. Irridebant quin etiam Genuenses, ubinam essent percunctantes tot millia peditum equitumque, tot onerariæ, ingensque ille belli terror, quem tamdiu impudenter jactassent. At posteaquam cedentibus Aquilonibus onerarias armatis plenas portum subire conspexerunt, exterriti cives legationem mittunt, pactique, ut Hispano præsidio incolumi abire liceret, urbem dedunt. Id exemplum omnes ferme maritimæ civitates imitatæ, Hispanos milites ejecere, quæcumque juberentur facturæ.

Supererat una Neapolis, quam Jacobus Candola, inter Duces Italiæ admodum celebratus, valido equitatu tenebat. Ejus civitatis ea erat auctoritas, ut etiam opulenti populi exitum ejus secuturi putarentur. Nam & caput Campaniæ & sedes Regni multis seculis fuerat, nobilitateque & gloria cæteras facile anteibat. Igitur quemadmodum oppugnationem ejus nulla ratio suadebat, ita si in fide Regis perstitisset, parum admodum actum videbatur, cum vel sola satis esset populis regni in sua consilia traducendis. Obsidio vero longum ac difficile opus, odiosa omnibus; eoque gravior, quod jam finito classis stipendio, qui rursum æs numeraret nemo usquam erat. Ita quid statuendum, quid agendum incertis omnibus, colloquia cum Neapolitanis haberi cœpta, paucorumque dierum contractis induciis: monitus est Jacobus Regem procul abesse; nullas in Italia classes, nullos exercitus, quorum subsidiis fideret; posse eum aliquamdiu deditionem differre, effugere sane non posse. Quanto satius esse prudenti necessitatem in gratiam vertere. Posse, si sapiat, Reginam, posse Philippum haud levi beneficio sibi conciliare. Neapolitanis deditionem nequaquam displicere. Non tantum sibi ex pervicacia laudis, quantum ex lenitate accessurum. His hujusmodique sermonibus Præfectus haudquaquam aures obstruere. Illud frequenter causari, magna sibi militiæ stipendia deberi, si urbe excedat, neminem usquam inveniri qui æs depromat; quamdiu urbem obtineat, esse sibi amplum ac certum solutionis pignus. Cum his colloquiis pertentati sæpius animi fuissent, conventum est, ut si stipendiorum pecunias Philippus dissolvat, urbs dedatur. Re Mediolanum perlata, conquisitum aurum Genuam mittitur, idque navi delatum, Jacobo numeratur; atque ita civitas in potestatem redacta. Cum omne igitur Hispanorum præsidium jam regno demigrasset; nam & maritimas urbes classis receperat, & mediterraneas Joanna tenuerat, pacatis ubique populis, omnia Reginæ summa fide reddita sunt.

Nec multo post hortatu Pontificis maximi, Candola undique copias contrahit, Brachio Perusino, qui tunc Aquiloniam, sive (ut nunc loquimur) Aquilam civitatem obsidione premebat, obviam iturus. Erat Brachius omnium Italiæ Ducum ea tempestate longe clarissimus, regiarum partium pervicax fautor; qui ob hoc unum arma Aquilonianis infensus intulerat, quod ab Andegavensium fide is nunquam populus dimoveri potuerat. Jacobus ad solvendam obsidionem magnis itineribus profectus, cum paratus decernere ad hostem pervenisset, nulla pugnæ mora addita est, commissum prælium est atrox quidem, utpote sub duobus acerrimis Ducibus inter sese æmulis, & gloria rerum gestarum pene paribus. Cum aliquandiu pertinacibus animis certatum esset, & Brachianus equitatus haud dubie superior videretur, cohortes aliquot peditum, quas editiore tumulo Brachius locaverat, eo jussas locum tueri, ne hostis adoriri ea parte pugnantes posset, velut jam parta victoria ad prædam decurrerent, desertaque contra imperium Ducis statione sua, Candolanis facultatem dedere, latera tergaque hostium invadendi. Et Aquiloniani patefactis portis eruptione facta terrorem auxerunt: quibus simul periculis perculsus Brachianus exercitus sensim primum cedere, ac mox instantibus hic atque inde hostibus effuse fugam petere. Multis jam cæsis, pluribus captis, Dux ipse dum converso equo fugeret, in Aquilonianorum manus delatus, multis tandem confossus vulneribus occubuit. In cujus memoriam cum postea Rom. Pontifex exsecrationibus sævisset exhumato cadavere ossa solo sparsa sunt: quod infestus insectator Ecclesiæ, inque ea pervicacia exstinctus, sepulcri munere indignus fuerit. At classis quinto postquam soluta fuerat mense, Genuam reversa est.

Liberato Apuliæ regno Philippus quemadmodum ingens nomen consecutus erat, ita multorum animos metu magis quam odio in se concitaverat. Primique omnium Florentini, quibus supra centenos annos, assidua prope cum familia Vicecomitum bella fuerant, quosque Joannes Galeatius Philippi pater, Pisis,

sis, Senis, Perusia, & postremo Bononia potitus, ad extrema compulerat, immodicas Ducis opes, velut in se haud dubie comparatas horrebant. Quid enim sibi futurum, quos parens ejus, cui ne lembus quidem unquam in mari fuit, velut quodam circumpositarum urbium vallo, ita clauserit, ut pedem portis efferre non auderent, si filius validis exercitibus subnixus, adeo quoque mari polleat, ut regna pro sua libidine aliis adimat, aliis largiatur? Et præbuerat sane Florentino Philippus populo causas belli maturandi. Namque ut sublatum Brachium vidit, cui maxime Duci is populus innitebatur, præmissis in Flaminiam copiis, Imolam urbem & pleraque haud ignobilia oppida raptim occupat; videbaturque hoc ipsum eo consilio moliri, ut per eam regionem viam sibi in Hetruriam aperiret. Alphonsus vero indignabundus, quod eo regno, in quod filius & hæres vocatus fuerat, à Philippo exturbatus esset, omnia consilia cogitationesque in perniciem Ducis convertebat. Veneti quamquam nimiam ejus felicitatem oderant, quia neque Philippi odio, neque metu exagitabantur, facile quiescebant; apparebatque belli eos eventum exspectare, fortunam in consilio habituros. At minoribus Italiæ tyrannis, paucis admodum exceptis, quibus Philippus blandiebatur, cum omnia Duci cernerent mari terraque ex sententia fluere, propinquum exitium ante oculos obversabatur, nisi adversus eum motis alicunde armis, intra suos fines coerceretur.

Cum hic igitur in Philippum status esset animorum, facilis fuit multorum in pari voto consensus. Florentini etenim, quos propiora gravius pericula terrebant, triremes regias mercede conducunt, additisque paucis, quas paraverant Pisis, trium & viginti longarum navium classem contrahunt. Cohortatique Thomam Campofulgosum, qui tunc Serasane agebat, ut Philippi jugo patriam liberet, seque ac suos fœde exsulantes domi restituat, ingentibus promissis perpulchre Genuensium animos ad libertatem sollicitare. Erat is annus à Christi nativitate quintus & vicesimus supra millesimum & quadringentesimum, quartus autem ex quo Genua potitus erat Philippus. Novusque dominatus ut multorum animos offenderat, ita gratiam auctoritatemque Thomæ comparaverat. Favebant rebus ejus multi, quos, dum civitati præerat, beneficiis devinxerat, favebant & plerique, qui se sub Philippo injuriis indigne affectos ducebant: sed præ omnibus infensa Philippo credebatur factio Guelpha, quæ parum fidei apud Principem sibi haberi rata, Gibellinam sibi præferri impatienter ferebat.

Verum quoniam duas maximas Italiæ pestes ordo nobis historiæ nominandas obtulit, haud inutile putaverim posteris tradere, unde, & quo tempore barbara hæc nomina, quæ tantum furoris, cædis, incendiorum, vastitatis infelicibus populis intulere, in Italiam primum defluxerint; ut cum placato jam Deo feliciora secula remearint, non magis rideant homines amentiam nostram, quam insaniæ miserentur. Cum anno à nativitate Redemptoris nostri MCXXXVIII. Conradus quartus*, Hermanni Ducis Suevorum frater, regnare cœpisset; contendenti ad Imperium obstitit ei summa vi Romanus Pontifex, qui omnia molitus, ne is voti compos fieret, postremo armis agendum ratus, Henricum Bavariæ Ducem, cognomento *Superbum*, junioremque fratrem ejus Guelphonem nomine, adversus Conradum magna mercede conducit; longe satius eum arbitratus in Germania vicino bello distineri, quam si collectis ab eo per otium viribus, descendenti in Italiam occurrendum foret. Et erat ingens Henrici auctoritas; eoque major quod Lotharius Cæsar, Saxoniæ Dux, socer ejus, Principum animos ac populorum studia multis artibus genero conciliaverat, veluti neminem alium successorem Imperio destinaret. Juvabat strenue partes Ecclesiæ & Rogerius, qui ex Galliis Italiam paulo ante ingressus, Regnum Apuliæ Siciliamque armis subegerat: & Innocentium tertium † Pontificem maximum fusis ejus copiis ceperat; quem postea honorificentissime habitum, ita in sua vota traduxit, ut Rogerio ac hæredibus ejus, Pontifex Apuliam, Siciliamque, etiam Lothario assentiente, habendam permiserit. Ita Rogerius veritus ne si Conradus Italiam armatus intraret, regnis recens partis exueretur, magna, contractis undique viribus, Henrico & Guelphoni Italicorum auxilia mittit. At Federicus Conradi filius * delectos exercitus trahens, quoniam Henricum admodum senem, militiæ munera obire ætas prohibebat, cum Guelphone congressus, fortiter feliciterque pugnavit, fusis fugatisque hostibus, vix Guelphone per fugam elapso. Nec multo post, id bellum, ut quod non modo Italiæ, sed summis quoque Germaniæ studiis gerebatur, maximis rursum copiis utrinque reparatur; commissoque iterum prælio haud longe à *Vinsperg* urbe Saxoniæ, ante villam, quam *Helenefon* nominant, victus iterum Guelpho, ac cæsus est. Hæ autem erant & in castris & in pugna de more adhortationes, ut hinc *Guelpho*, *Guelpho*, illinc *Guibelling* conclamaretur, nomen sane non viri, sed vallis seu regionis ‡, in qua Federicum educatum ferebant. Hæc feralia nomina cum redeuntes Rogeriani milites in Italiam advexissent, eas postea populis clades intulere, quarum quotidie vestigia oculis cernimus, nec ætas quoque nostra omnino expers fuit.

At Thomas classe instructa in conspectu civitatis haud longe ab ipso portu aliquamdiu constitit, exspectans, quemadmodum videbatur, ut motus aliquis intra urbem orietur. Posteaquam firma cuncta & quieta vidit, & suis locis præsidia disposita, in orientalem oram conversus, arcem portui, quem Delphini nominant, imminentem, subito adventu cepit; sollicitatisque vicinorum animis, aliquot in partes suas populos traxit. Inter quæ cum ad eum Segesta & Monilia descivissent, omnis prope orientalis ora velut contactu quodam in suspicionem adducta est. Est autem Segesta, quam quidam, Ptolemæi dimensiones secuti, Tiguliam opinantur, vicus incolis frequens; cui objicitur insula præruptis undique rupibus in similitudinem muri cincta, tenui rivulo à continente avulsa. Ea, quoniam gemino portu dextra lævaque insignis, tutam navibus stationem præbet, Thomas loci opportunitatem secutus, hanc velut arcem bellique sedem delegit, peditesque & equites Florentinorum haud contemnendam manum ibi locavit.

Per idem fere tempus præmissi à Philippo in Flaminiam Duces, cum adversus Florentinorum copias res aliquando feliciter gessissent; contractis postremo utrinque viribus, magno discrimine pugnatum est; isque fuit tandem exitus, qui victoris exercitus adversus sæpe fusos fugatosque esse solet. Nam pars maxima equitatus hostilis capta & armis exuta est, cum ipso etiam Duce Carolo Malatesta, viro sane memorabili, ut qui neque generis claritudine, neque rerum gestarum gloria, ulli tyrannorum Italiæ cederet. Huic cum Mediolanum captivus duceretur, Philippus honoris gratia obvius prodiit, neque secus ac parentem omni tempore coluit. Cum igitur & fraterno restituta regno Joanna, & præclare adversus Florentinos victoriæ ingentes Philippo spiritus facerent, ad res Genuenses conversus, parari classem imperat. Quæ quo majore studio maturaretur, ipse accolas Padi flumine exercitos in supplementum remigum mittit,

* *Tertius* is est accuratioribus Chronologis.

† Aliis dicitur *secundus*.
* Vel potius Conradi ex fratre nepos.
‡ Aut pagi, Sueviæ scil. in quo natus vel educatus fuerit Fredericus II. sub quo cumprimis audita sunt nomina illa Factionum Gibellinæ & Guelphæ.

ac tertiam prope totius ſumptus portionem depromit; præpoſitoque claſſi Antonio Aurio Philippi filio, ſumma vi cuncta molitur. Magno præterea delectu ubique habito, ad quinque peditum millia & trecentos equites per fines Placentinos adverſus Thomam ejuſque fratres deſcendere Segeſtam jubet, Duce Nicolao Tertio, cognomento *Bellatore*. Nondum exornata claſſis erat, neque tamen duodeviginti triremes (tot enim parari placuerat) multum temporis exigebant. Verum exortis ſuſpicionibus, quales in civilibus odiis hominum mentes occupare ſolent, videbatur jam id bellum ex Hiſpanienſi aut Florentino in civile verſum. Itaque delectu ac judicio opus eſſe credebatur, ne arma omnibus promiſcue committerentur. Et jam Tertius cum copiis adventabat, occupatiſque vicinis montibus, Segeſtæ imminebat. Itaque Antonius correptis aliquot onerariis, & pro anguſtia temporis raptim inſtructis, Segeſtam proficiſcitur, ut terra Tertius, ipſe mari hoſtes urgerent. Præerat claſſi regiæ Petrus Junior Alphonſi frater, quamquam rerum omnium Genuenſium ad Thomam arbitrium deferebatur. Præerat equitatui Baptiſta Campofulgoſus quartus à Thoma frater. Namque Petro, qui Cyprum domuit, felix admodum fuit conjugum in prole fœcunditas. Octo enim moriens liberos reliquit, quorum nemo non virilis ætatis annos attigit. Horum natu maximus Rolandus fuit, deinde Thomas, poſt eum Bartholomæus, hunc ſequebatur Spineta, poſt Abraham, Baptiſta, Proſper, & omnium noviſſimus Joannes. Ex his priorum quatuor Theodora Spinula, reliquorum totidem Benedicta Auria mater fuerat. Cum patenti campo Tertius copias inſtruxiſſet, non detrectavere hoſtes certamen. Nam mercenarius miles bellis aſſuetus quamquam numero longe impar, ſubitarium & diverſis collectum regionibus militem, cui neque Dux erat notus, neque ipſe Duci, facile contemnebat. Commiſſum eſt prælium equeſtre primum, & egregie utriſque pugnantibus, incerta victoria diſceſſum eſt. Cum poſtera die ſuas Tertius copias in aciem educeret, manifeſta pavoris ſigna edidere, vixque, nondum conſpecto hoſte, moveri loco poterant. Ubi vero vulgatum eſt Joannem Ludovicum Fliſcum à Pontremulo Taroque cum lecta juventute deſcendere, tum demum ante teli jactum in fugam verſi, per invia quæque præcipites ferebantur, adeo ut hoſtes immodicam ſine ulla ratione trepidationem inſidias ſuſpicati, aliquamdiu preſſo gradu ſubſtiterint. Poſtquam vero longe abeſſe inſidias patuit, non equitatus modo, ſed pedites quoque, ſociique navales fugientes inſecuti, tela, ſcuta, magnamque armorum vim paſſim abjectorum calcantes, haud multis cæſis plurimos hoſtium cepere; in quibus etiam Jacobus Iſſeus Brixianus & plerique alii principes viri capti ſunt: quos niſi Clavarum oppidum fugientes excepiſſet, vix eorum quiſquam hoſtium manus effugiſſet.

Iiſdem fere diebus feſſi bello Florentini, deletis ſæpe exercitibus, capto ad poſtremum Carolo Duce, aliquot ad Philippum populis deſciſcentibus, diffiſi rebus ſuis, legationem ad Venetos decernunt, opem adverſus Philippum petituri. Legati cum belli ſocietatem oraſſent, nec quicquam Venetum Senatum moviſſent, miſſa ſecunda legatio eſt; quæ cum res adverſas ac pericula ſua ordine memoraſſet, negata rurſum ſibi ſocietate: poſtremo Nicolaus Uſanus gratia, prudentia, auctoritate in populo ſuo facile princeps, ultro ſe Venetias profecturum, ſi Senatui placuiſſet, pollicitus eſt. Cum charitatis in patriam collaudatus fuiſſet, in conſpectum Ducis ac Senatus Veneti introductus, enumeratis cladibus Florentini populi, cum egeſtatem ærarii, alienatos ab ſe vicinorum animos, quantoque in periculo ſalus civitatis verſaretur, omnes edocuiſſet, noviſſime addidit: *Nos quandoquidem à vobis repellimur, Philippum Regem faciemus, vos poſtea Cæſarem.* Ea verba cum indignantis & præceps conſilium capientis eſſe viderentur, inflexerunt tandem Venetorum animos, fœduſque contra Philippum cum Florentino populo ictum eſt.

Interea duodeviginti triremibus Genuæ raptim exornatis, onerariæ duæ adjiciuntur, velut arx & perfugium ad caſus incertos. Placuitque claſſem in ipſis faucibus portus paratam teneri, ne intra urbem, in qua diverſa jam ſtudia exarſerant, hoſtiles naves quicquam motus excitarent. Et claſſis Hiſpana parata decernere, aliquando pugnandi poteſtatem fecit: ſed temeritas (temeritatis) videbatur rem ſummi diſcriminis aleæ committere, cum etiam non deeſſent qui vererentur, ne in ipſo certamine dubia adhuc victoria, populus diſcors arma corriperet. Itaque tormentis quandoque ſagittiſque ſine ullo memorabili facinore eminus certatum eſt. At Florentini, poſteaquam experimento cognoverunt triremes regias nihil aliud eſſe quam inexplebilem quandam pecuniarum voraginem, rumoribus & oſtentationi plurimum, utilitati parum admodum inſervientem, rem populari auræ præferentes, claſſem dimiſere, & ad alia conſilia verſi, mari ceſſerunt.

Hæc dum ita geruntur, Franciſcus Carmancola impatienter ferens Taurellum in præfectura claſſis prælatum ſibi à Philippo fuiſſe, nec multo poſt revocato ſibi à præſidatu Genuæ, Jacobum Iſolanum Bononienſem divi Euſtachii Cardinalem, juſſu Philippi ſucceſſiſſe, ad hæc ſimul cernens, adverſarios ſuos apud Philippum gratia prævalere, metu indignationeque commotus, clam Mediolano exceſſit, pauciſque menſibus, dum Regum populorumque animos explorat, abſumptis, à Venetis tandem mercede conductus, rei militari præficitur. Commiſſa igitur ei adverſus Philippum belli ſumma, cum copias omnes magna cura percenſuiſſet, impetu in Brixiam facto, multis civium adjuvantibus intra mœnia ſtatim acceptus eſt; adjunctoque ſibi populo, ad arcium expugnationem accingitur. Inerat autem Franciſco non modo vigor animi & admirabilis quædam conſilii promptitudo, ſed militarium quoque artium ſumma peritia, ut qui non claritate generis aut ullis opibus, ſed ſola rei bellicæ laude ex infimo loco ad id faſtigii evectus eſſet. Præter quæ ingens inſuper illi ſtudium fuit ita eniti, ut maximarum rerum, quas pro Philippo geſſerat, gloriam omnem in ſe verteret; adeo ut Duce mutato, mutata quoque Philippi fortuna videretur. Flagrabat præterea cupiditate non tam Philippum quam proprios æmulos ulciſcendi; quorum detractionibus ac dolis expugnatus Ducis animus, à ſingulari viri benivolentia in odium ejus traductus fuiſſet. Brixianis igitur arcibus foſſa ingentique vallo cinctis, tormentis muros quatit. Neque ignarus præſidium ad deditionem earum cogi non poſſe, niſi aut ſublata ſubſidii ſpe, aut rerum omnium inopia fractum, ita omnes ſepſit aditus, ut neque Philippi copiæ ſuccurrere obſeſſis poſſent, neque clam quiſquam in eas penetrare. Exitu ejus æſtatis cum Abraham Campofulgoſus collecta agreſtium manu, è Saviniono Montobioque profectus, ſilentio noctis aditum in urbem habuiſſet, re cognita multis locis in urbe pugnatum eſt, præſidioque, quod ut portæ Vaccarum præeſſet, turribus ejus impoſuerat, levi prælio inde mox ejecto, paucis cæſis, pluribus captis, Abraham cum reliquis in fugam verſus urbe ſe proripuit.

Philippus, qui mari terraque Italiam modo totam quatiebat, amiſſa Brixia, Genua prope erepta, ingruentibus undique periculis territus, conſilia pacis cum Alphonſo jungendæ agitare cœpit. Neque Regis animus experti tandem quantum rebus ſuis momenti eſſet in Philippo, à pace abhorrebat. Legationibus igitur citro ultroque miſſis, inter Regem Du-

Ducemque pax renovata; in qua promisit Philippus Calvum & Bonifacium, oppida Corsicæ, Regi tradere. Id quoniam invitis Genuensibus, invitis oppidanis præstare non poterat, arces interim portus Lunensis & Ilicis, ea conditione Alphonso deduntur, ut donec promissa Philippus impleret, hæ sumptu Ducis Regio præsidio tenerentur. His aliisque conditionibus cum anno MCCCCXXVI. redintegrata inter eos amicitia fuisset, nullo tamen Genuensium assensu, pacata maria & tuta navigatio fuit; præterquam à Florentinis, qui pauculis aliquando biremibus triremibusque prædonum non belligerantium more minoribus navibus insidiabantur. Nec ante mari abstinuerunt, quam captis Andrea Marino, Juliano Turpiano, & Petrucio Verro Trierarchis, totidemque eorum triremibus, his cladibus edoctos incepti pœnituit. Eodem anno cum Brixianarum arcium præsidia, longo tempore obsessa, frustra Philippi auxilium exspectassent, pacti tandem ut salvis abire liceret, arcium deditionem fecere. Ita nobilissima civitas, Cenomanorum quondam Gallorum caput, in Venetorum ditionem redacta.

Biennio quoque, quod postea secutum est, cum Philippo non tam exercitus quam Dux deesset, magnis cladibus prope obrutus est. Nam cum Præfectorum suorum nemo unus adeo excelleret, ut non imperio ejus parere reliquos puderet, eo Philippum necessitas adegit, ut Carolum Malatestam hostium quondam Ducem, & quidem absentem exercitibus præficeret; dein vicarium ei substitueret alium item Carolum Malatestam, quem juniorem vulgo nominabant. Ita cum castra ejus, velut ipsum Ducis nomen per se in bello satis esset, à nemine uno regerentur, multisque ex æquo imperantibus contentio æmulatioque tempora consiliorum eriperent, ingens calamitas accepta est. Nanquam Carmaneola, quem nihil horum latebat, cum irritatis hostibus eos tandem ad pugnam elicuisset, jussis equitibus ut delectorum ad id peditum unum equo quisque acciperet, paludem, quæ media interjacebat, ingressus est: quod ubi hostes conspexere, citatis & ipsi equis obviam venientibus perrexere. Commissum in ipsa palude prælium est: cum ab utroque latere patentes vias objecto pedite Franciscus ita præclusisset, ut non alibi quam in palustri solo pugnari ab equitibus posset. Ibi cum in molli ac lubrico vix moverentur equi, quidam etiam haurirentur aut caderent, desilientes equo expediti pedites, omne dimicationis discrimen parvo labore sustulerunt. Cum enim nullus esset usus hastarum, ipsoque armorum pondere viri equique pene obruerentur, semiermi & agili militi facile cessere. Captus omnis prope equitatus, partaque eo die victoria quæ bello finem imponeret, si fortuna Franciscus uti voluisset. Verum dum vel clementiæ famam quærit, vel beneficiorum Philippi non immemor, veteri aliquid amori tribuendum putat, paucis Præfectorum exceptis, captivos omnes dimisit. Quæ res ei postea suspicionem perfidiæ & exitium tandem comparavit. Nam Veneti posthac quam minimum ei credentes, omnemque sermonem actionesque illius observantes, quasi in Philippi gratiam redire cuperet, dissimulato odio, veluti eum de summa belli audire vellent, Venetias evocatum indefensumque ac nullius certi criminis damnatum securi percusserunt, publicatis etiam bonis ejus, quæ in sumptus belli haud parum temporis satis fuisse dicuntur. Hic fuit vitæ exitus Francisci Carmaneolæ viri non obscuro modo, sed etiam sordido loco nati, adeo ut etiam porcorum greges puer paverit; literarum ita prorsus ignari, ut primas figuras non cognosceret; verum forma ac viribus corporis, fide, aliisque virtutibus digne memorabilis; rei vero militaris peritia usque adeo præcellentis, ut bellorum arbiter videri posset. Nam ad utroslibet ille transisset, migrasse cum eo fortuna credebatur.

At Philippus rebus adversis & magnitudine periculi territus, ad repetendum Apuliæ Regnum Alphonsum sollicitat, ratus fore, ut si Alphonsus opera sua reciperetur, is postea magno sibi adversus Venetos usui futurus esset. Rex cum amicitiam Philippi sine Genuensibus non multi faceret, Legatos ad pacem societatemque jungendam Genuam mittit Bernardum Corvarianum & Andream Bibrium illustres Equites, & cum eis Belengarium Clavellum Juris Civilis peritia clarum. Qui cum legationis causas exposuissent, & Senatus in concilium reliquos magistratus vocasset, ex omnium sententia quatuor viri creati sunt, quibus renovandæ cum Rege pacis arbitrium committeretur, Barnabas Godaneus præclarus Juris interpres, Clemens Squarciaficus, Thomas Judex, & Gaspar Lercarius. Hi cum Regiis Legatis pacem nomine populi Genuensis, nulla habita Philippi mentione junxerunt anno MCCCCXXVIII. tertio Nonas Majas Regis societatem adspernati, ne videlicet pronus in arma & inquieti consilii vir novis Genuenses bellis involveret.

Æstate insequenti ingens & insolita Italiæ siccitas inter prodigiosa profecto haberi posset, ab iis præcipue, qui assiduitatem imbrium, inundationes fluminum, & quicquid modum excessit, inter prodigia numerant. Nam cum ab exitu Junii usque ad septimum Idus Decembres, nullus ne minimus quidem imber terras perfudisset, non torrentes modo, sed uberrimi quoque fontes prorsus exaruerunt. Intra urbem certe fonte Amatorio, fonte Rivi turbidi, & quem Puterellum vulgo nominant, sponte exsiccatis, dantibus operam Præfectis portus ac molis, purgati omnes sunt; quod viventium nemini antea vidisse contigerat. Plus tamen metus quam calamitatis ea res attulit. Nam neque agrorum sterilitas ulla, neque annonæ caritas, ob id secuta est.

Eodem quoque anno Philippus Venetici ac Florentini belli mole defessus, Mariam Amedei Sabaudiani Ducis filiam sibi matrimonio jungit, traditis socero Vercellis inter Transpadanas urbes haud postrema, confisus fore, ut ab eo adversus Venetos in bello juvaretur. Neque multo post cum super renovandæ pacis conditionibus ad Nicolaum Bononiensem sanctæ Crucis Cardinalem, delatum fuisset arbitrium, judicio ejus pace composita ab armis cessatum est: verum ita cessatum, ut appareret certamina non tam sublata esse quam dilata. Erant enim conditiones in pace, cujusmodi esse solent, cum perduellium alter in rebus adversis, non ut mansuram pacem, sed ut effugium periculi, pacem quærit. Nam & oppidis, quæcunque tempore belli ex hoste occupasset, & Bergomo præterea celebri urbe Cenomanorum, cedere Philippus ex pace jubebatur. Itaque neque exercitus dimittebantur, & pecuniarum conquisitio nullo tempore remittebatur. Vixdum circumacto biennio cum Florentini Paulo Guinigio Lucensi Tyranno infensi, eo quod Philippi partibus favisse putabatur, exercitus vastando Lucensi agro immisissent, populus, ut creditur, suasu Philippi correptis armis, & capto Tyranno, libertati civitatem restituit. Ac missis Genuam Legatis, qui adversum Florentinos auxilium peterent, fœdus cum Genuensibus pepigere. Numerata sunt Lucensibus aureorum quindecim millia, quæ in usum belli erogarentur, pro quibus statuto tempore reddendis, traditæ pignori Genuensibus sunt arces Motronii & Petræsanctæ. Promissa Carraria, promissa Aventia, ut hæc sumptu Lucensium, præsidiis Genuensium tenerentur.

At Florentini magnis exercitibus comparatis, Philippum quieturum rati, Lucæ obsidionem moliuntur, præclusoque omni aditu magno in discrimine civitatis salus versabatur. Et jam Philippo aliquantum ab armis otii fuerat, resque suas ita composuerat, ut palam esset eum in paucis conditionibus non diu man-

mansurum. Inter quæ Nicolaum Perusinum, cognomine Parvulum, copiis suis Ducem præfecerat, virum cum ingentis animi, tum militarium rerum peritia cum perpetua quadam felicitate admirabilem. Is cum obsidionem soluturus in agrum Lucensem descenderet, rem tantam sine sagittariis perfici non posse obtestatus, sagittariorum duo millia poposcit; quorum opera montuosis & asperis locis uteretur. Scripti extemplo sunt in agro Genuensi supra mille & quingentos. Hique haud procul oppido Spedia in villa, quam Miliarinam vocant, in unum contracti, mox in Parvuli castra pervenere. Nicolaus locis editioribus castellis exstructis, ibique Genuensibus in præsidio locatis, cum reliquo exercitu hostes adortus, memorabili victoria Florentinorum copias fudit, captis supra mille & quingentos equitibus, castris hostium prædaque haud levi potitus. Ita exeunte anno MCCCCXXX. sæva hyeme, mense Decembri, magna cum hostium clade Lucensis populus, in extremis jam rebus positus, virtute Parvuli liberatus est. Cum jam pace utrinque concussa omnis ejus reverentia contemptui esset, summa vi bellum ab utrisque, sed à Philippo enixius, terra marique parabatur. Nam posteaquam Lucensis soluta obsidio est, Philippus, ut eum populum partibus suis adjungeret, præter arces Motronii & Petræsanctæ Genuensium præsidiis servandas, convenerat, ut Lucenses Prætorem sibi quotannis ex Genua legerent, isque semper Senatui interesset, sineque ejus auctoritate neque audiri ullam ullius populi legationem liceret, neque item Legatos mitti. Jacobus quoque Apianus Plombini Regulus se suaque fidei Genuensium commisit, eosdem & hostes & amicos habiturus, quos Genuensis populus habuisset. Est autem Plombinum non idem, ut quidam opinantur, oppidum, quod Veteres quondam Populoniam dixere, sed illa potius excisa, hoc ex reliquiis ejus conditum, octo fere millibus passuum versus Orientem à sede veteri recedens.

His quoque belli conatibus accessere Senenses, qui Florentinis infensi, postque subactas Pisas opes eorum magis magisque formidantes, bellum in Hetruriam transferri cupiebant. Contractum igitur inter Genuenses ac Senenses fœdus est, ea quidem lege, ut quingentos equites & mille pedites ad bellum in Hetruriam gerendum Genuensis populus mitteret. Horum omnium qui memorati sunt viribus, attinendi erant intra Hetruriam Florentinorum exercitus, Philippus trans Abduam flumen arma Venetis illaturus, qui ne maximis eorum opibus solus objiceretur, placuit, ut palam à Genuensibus bellum eis indiceretur. Nec mora, classis quoque decernitur, parantur una & viginti triremes, Plombinensi Regulo duarum ex his armandarum curam suscipiente. Nunquam eo seculo intra Italiam tanto conatu bellum instructum est, cum tota Cisalpina Gallia omnisque Hetruria armorum studiis incensa esset, duas quoque prævalidas classes duo populi, maritimarum rerum gloria maxime illustres, summa vi molirentur. Verum omnium primus rerum bene compositarum ordinem Philippus turbavit. Nam cum ante exspectatum Venetorum Duces movissent, nec ipse inopia pecuniæ omnes adhuc copias ex hibernis eduxisset, paucitati suorum diffisus, equitatum, qui ex composito Hetruriam petiturus erat, hosti in Abduæ ripis opposuit. Ita in Hetruria nihil ea æstate memorabile geri potuit. Accessit & clades mari accepta, quæ pleraque bene constituta mutare coegit. Franciscus etiam Spinula Genuensis classis Præfectus, cum allatum esset classem Venetam Pisanum portum tenuisse, nondum satis paratas naves raptim solvit, occursurus hostibus ubicumque obvios fors obtulisset. Nullisque rebus satis pro navali disciplina compositis, biduo postquam solverat hostili classe conspecta in eam invectus est, majore sane animo quam consilio. Pugnatum est ita anno MCCCCXXXI. septimo Kalendas Septembres ante templum Divi Fructuosi, quod in promontorio positum est quindecim passuum millia ab urbe distans, pari aliquamdiu fortuna. At posteaquam triremis una Florentinorum ex iis majoribus, quas in usum ferendi oneris exstrui videmus, quæ præter remiges ac navales socios, trecentos quoque milites vehebat, passis velis in medios hostes illata est, quascunque obvias habuit naves disjecit, & vasto impetu prætoriam feriens, ita inclinavit in latus, ut nemo non pronus caderet, navemque obrui trepidus putaret. In eam hostes nullo prohibente transilientes, cum signa dejecta in mare præcipitassent, reliquæ omnes in fugam versæ sunt. Ex iis undecim portum Delphini propinquum admodum petiere. Una Genuam rediit. Plombinensium quoque una alto se committens Plombinum tenuit. Octo in hostium potestate cum ipso Præfecto venere. Classis victricis Dux Petrus Lauredanus victoria modeste admodum usus est. Nam Franciscum reliquosque captivos humane ac perhonorifice habuit, turmasque nauticas sine precio dimisit omnes. Neque Venetis incruenta victoria fuit, multis in prælio cæsis, pluribus vulneratis, adeo ut cum Pisanum portum Labronamque repetissent, exarmatæ naves fugaque desertæ viderentur. Clade cognita Genuenses ne hostibus audacia cresceret, naves, quæ pugnæ superfuerant, cum loco cæsorum sauciorumque integros substituissent, redarmant. Paucu lisque additis, XII. navium classem portu educunt, præposito illis Nicolao Justiniano Francisci filio; satis esse arbitrati eo numero semiermibus hostibus occurrere. Ita quod supererat æstatis totumque autumnum ea classe fines suos tutati sunt; cum Veneti reficiendis animis curandisque vulneribus intenti, nunquam postea hostes lacessierint.

Eodem anno cum Venetias perlatum fuisset, transmarinas Genuensium urbes nullis præsidiis teneri, contractis raptim navibus onerariis XIII. & majoribus ad onera ferenda triremibus numero duodecim, tribusque minoribus, quas *Graciles* vulgo vocamus, re dissimulata Chium petere statuerunt. Classe igitur exornata, septingentorumque militum cohorte, cui præerat Scaramucia Ticinensis, vir acer & bellicis laudibus celebratus, navibus imposita, Chium trajecere Novembri mense sæva admodum hyeme; verum cursu adeo celeri, ut prius è locis editioribus insulæ classis conspecta sit, quam ad urbis defensionem parari quicquam potuerit. Dum Veneti copias exponunt, dum loca explorant figendis castris aptiora, dum majora tormenta instruunt, temporis paululum ad consultandum agendumque clausis ac trepidantibus datum est. Præficitur ante omnia summæ belli Raphael Montaldus Leonardi filius, vir inter arma educatus & multarum rerum experientia clarus, turribus mœnibusque præsidia disponuntur, magna scorpionum vis, magna sagittarum totis muris congesta. Veneti post triduum urbis oppugnationem aggressi, infirmos vetustate muros, nec adversus ingentium bombardarum vim structos, facile decutiebant, lateque dabat id genus tormenti vastas multis locis ruinas. Scorpionibus contra certantes qui clausi erant, ut non horrifico sonitu tantum terroris, ita plus cædis ac vulnerum in hostes edebant. Pugnatum est utrinque summa obstinatione, cum illi pro patria proque conjugibus ac liberis opponerent corpora, hi præter oppidi prædivitis prædam, indignarentur etiam urbem exiguam humili loco positam, nullo externo defensam præsidio, non statim cessisse. Cum nox superveniens prælio finem fecisset, fama est Scaramuciam, dum de belli gerendi ratione consuleretur, Andreæ Mocinico classis Præfecto respondisse, se velut ad Græcorum castellum oppugnandum duceretur eo tractum, invenisse urbem,

urbem, cui neque arma, neque viri, neque animi, neque Italicarum artium quicquam deesset, proinde aut abeundum, aut in obsidione spem omnem reponendam esse. Genuensibus ut primæ dimicationis exitus animos dabat, ita eos strati passim muri solicitos habebant. Nam neque facilis refectio deficiente materia, & majore multitudine opus erat ad tuenda loca muro nudata. Stabant in portu ingentis magnitudinis onerariæ duæ, preciosis mercibus plenæ, ita in angusto portus ore collocatæ, ut Venetis navibus proras objicerent. Ipsum autem portus ostium singulæ utrinque turres ita claudebant, ut intrantes exeuntesque sub ictu naves haberent: hæ & naves & turres validis etiam præsidiis egebant, ne alioquin portu hostis potiretur. Cum igitur pugnantium paucitas tot divisa locis minime sufficeret, invenit fortuna consilium, ad quod humana ratio, obsistente avaritia, vix unquam traduci potuisset. Nam biremes quædam & majorum navium scaphæ, cum inter scopulorum angustias, quibus alicubi clauditur, clam noctu in portum penetrassent, tantum conspectæ pavoris injecere, ut admotis paulo post onerariis, turres navesque præsidium deseruerit, injecto prius ab se propriis navibus igne, quo mox cuncta conflagrarunt. Ita portu in hostium potestate redacto, cum ea manus in urbem confugisset, tanta fuit oppidanis accessio virium, ut qui disjectis mœnibus paucitati suæ modo diffidebant, iis ultro ad lacessendum hostem etiam animi postea superessent. Veneti portu turribusque potiti, cum oppugnandæ rursus urbis consilium cepissent, maximas navium portu acceptas mœnibus applicant, delectaque juventute imposita, reliquis copiis oppidum à terra cinxere. Ei vero murorum parti, quæ ad orientem solem spectat, triremes minoresque onerarias ad objiciendum oculis terrorem opposuerunt. Atque ita undique impetu facto anceps pugna committitur. Erat ea Venetis tormentorum copia, ut supra octingenta saxa una die intra urbem missa fuisse, ii qui interfuerunt affirment.

Male profecto de genere humano merita Ægyptus est, vel, ut alii putant, Germania, quæ omnium prima exigui pulveris commixtione id cladis urbibus ac populis commenta est, ut arietem, ballistam, cæteraque veteris militiæ tormenta, jam inter mitiorum artium inventa numeremus. Cum principio tormentis sagittisque eminus certaretur, dein quassati multis locis muri, pervadendi in urbem spem facerent, magna hominum vis sagittis vulnerabatur, sed erant lethalia potissimum vulnera in mercenarios milites Scaramuciam secutos. Namque in hos aut nullis aut levibus admodum armis tectos, confertim pugnantes, vix ullum sine ictu intercidebat telum. At in medio pugnæ ardore, dum cuncta fragore & clamoribus streperent, juventus, quæ ex majoribus navibus proximos muros oppugnabat, jam eum urbis locum præsidio nudaverat, scalisque ad ipsum paratis mœnia indefensa scandebat. Propugnacula enim, quæ in summitate mali exstructa erant, adeo supereminebant, ut in muris consistere nemini sine exitio liceret. Quod ubi animadversum est, patefieri portam Præfectus imperat, & in latera scandentium impetu facto præcipites provolvunt ac deturbant, paucis cæsis, pluribus ruentibus scalis armorum pondere exanimatis. Constat urbem ea die capi potuisse, nisi adustarum navium copiæ pridem intra oppidum acceptæ fuissent, cum oppidanorum paucitas vix tuendis mœnibus nedum eruptioni sufficeret. At hostes quamquam parum prospere tentata urbis oppugnatio erat, prælium tamen in vesperam usque produxere, quod cum nox diremisset, compertum est magnam hominum vim sagittis maxime aut cecidisse, aut vulneratam ad naves relatam fuisse; adeo ut postea & multo minores copiæ visæ sint, & segnius pugnarint. Veneti magna potiundæ urbis spe dejecti, dum de bello consultant, placuit auctore Scaramucia occultis in oppidum cuniculis aditum quærere. Itaque dum cœptum opus pertinaciter urgent, Scaramucia forte inermis, dum vel fossores, vel loci situm intentius spectat, sagitta ictus intra paucos dies moritur: quo adempto, & spei, & consiliorum pars maxima hostibus intercidit, adeoque obsessis creverunt animi, ut sæpe patefacta porta in obsessores erumperent, sæpe non nisi victores aut æquo Marte prælio excederent.

Libet hoc loco referre id, quod eo bello evenisse nemini eorum qui obsidebantur ignotum est. Et quamquam vereor, ne quis mihi forsitan objiciat historicæ me brevitatis immemorem levia nimium consectari, malo tamen eam culpam, si modo culpa est, subire, quam rem cognitione dignam, & quandam velut animorum nostrorum divinitatem arguentem, vanæ reprehensionis metu reticere. Ambrosius Grimaldus unus erat eorum, qui intra Chium arma ferebant, vir propter generis nobilitatem etiam ex se notus. Is cum in cœtu amicorum narrasset, se nocte proxima per quietem vidisse serpentem terribilis admodum formæ in se tendentem, qui ore ignem efflaret, eique exitium minitaretur, monitus fuerat ab armis quiescere, seque intra mœnia tenere. Eam ob causam cum positis armis otiaretur, forte evenit, ut repente patefacta porta omnis multitudo procurreret, quod hostes propius accessisse allatum erat. Cum nemo prope esset, qui non porta egrederetur, ipse quoque immixtus turbæ inter ultimos tamen erupit; & cum pone parietem quendam lateret, vix caput exerens, ut quid ageretur spectaret, lapis bombarda excussus caput illi statim omne perfregit. Atque ita viribus ignis exanimatus somnii fidem implevit.

Cum fama Venetæ classis & prædivitis oppidi periculum anxios atque ægros multos etiam procul positos in suspenso teneret, pluresque invenirentur, qui cuperent, quam qui auderent obsessis opem ferre, Damianus Grillus apud Peram Genuensium Coloniam tunc agens, cum juventutis animos ad aliquid audendum exstimulasset, paucos, hoc est, LXX. ferme viros, in consilia sua traduxit: quibus cum ex ærario publico merces haud magna numerata fuisset, parvis biremibus usque ad conspectum hostium pervenit. Edoctus deinde quo in statu res essent, & pleraque propriis etiam oculis contemplatus, silentio noctis per hostiles naves totque ubique dispositas custodias in urbem penetravit. Mirum dictu quantum obsessorum fiduciam tam exigua manus auxerit, cum alii ab hoste tam ignavo nihil jam instare periculi; alii non exspectandum ut fuga è manibus elabatur; alii veris falsa miscentes, multa ejusmodi ad concitandos animos in vulgus jactarent. Neque multo post, cum obsessores obsessi crebro lacesserent, Veneti clam noctu copiis in naves impositis, XVI. Kalendas Februarias victis ac fugientibus similes, duabus onerariis naufragio amissis, obsidionem deseruere; Rhodumque delati tantam sauciorum multitudinem in terram exposuere, ut quæsitum sit, quisquam-ne ex tanta classe integer advenisset? quod certe apud utrosque constitit: Scaramuciani milites haud plus dimidio superfuere.

JACOBI BRACELLII,
GENVENSIVM A SECRETIS,
DE BELLO,
QVOD INTER
HISPANOS ET GENVENSES
SECVLO SVO GESTVM,
LIBER III.

At Philippus ubi cladem sub Francisco mari acceptam cognovit, revocato Bartholomæo Capra Mediolani pontifice, qui Jacobo Isolano Cardinali successerat, Oldradum Lampugnaneum Mediolanensem Genuæ præficit, magnoque studio contendit novam parari classem, quæ acceptum vulnus ulcisceretur; virosque, ac pecunias, hastas, sagittas, & pleraque ejusmodi ad exornandam classem pollicitus, non multo labore pervicit. Decretis igitur navibus onerariis XIIII. cum triremibus decem, Præfectus statim designatur Petrus Spinula Cypriani filius. Hæc dum ita agerentur, etsi allatum erat validam Venetiis classem profectam esse, eamque in Jonio mari conspectam, Zacynthum Cephaleniamque versus cursum intendere, perpauci tamen inveniebantur, qui urbibus transmarinis metuendum putarent. At postquam aliis super alios advenientibus nunciis patefactum est hostile consilium, palamque fuit cognovisse Venetos nullis Chium præsidiis teneri, non exploratores circummissos, non vigilias, non custodias auctas, omnia ut in summa pace socordiæ ac securitatis plena, ob easque causas ad occupandam prædivitem insulam arma vertisse: tum demum expenso periculo, cum in festinatione classis spes omnes repositæ essent; omni studio conquiri pecunias; refici naves; conduci viros; pistoribus triticum distribui; omnia apparatu belli ardere. Ut vero desertis turribus & navibus concrematis hostes portu quoque potitos allatum est, quo majores accipiendis stipendiis copiæ confluerent, exsulibus damnatisque, qui in ea expeditione militarent, fides publica data est, & promissa ad id tempus impunitas. Sed obstabat asperitas hyemis, quantumque difficultates reliquas ardor animorum superabat, tantum brevitas lucis, imber, gelu, mare concitatum, ejusmodique inclementia temporum opus omne retardabant. Cum omnium animos ingens metus invasisset, nuncius ecce supervenit biremem haud magnam literas ex Chio Venetias attulisse: quibus lectis magnos tota urbe luctus auditos esse, & quamquam nihil ex eo certius afferebatur, conjectura fiebat tamen res hostibus parum secundas fuisse. Nec multo post læti nuncii advenere, classem obsidione soluta nec levi clade accepta Rhodum abiisse. Eam ob causam studium illud ingens auxilii maturandi, sublato jam metu, paululum remissum est.

Per eadem fere tempora cognitum est duas Venetorum triremes onerarias, quæ negotiationis gratia Tanaim Trapezuntiumque plenæ mercibus petebant, fœda tempestate correptas apud Soltaiam naufragio periisse, Præfectumque ac plerosque primarios cives in littus ejectos Capham missos fuisse, ibique in custodia servari. Iisdem quoque temporibus Joanna Regina Apuliæ ut cognovit Alphonsum repetendo regno intentum classem moliri, Ludovicum Andegavensem Ducem injecta spe successionis accersit, Rhegioque & aliis Brutiis civitatibus præficit; ut si vim atque arma hostis tentasset, paratum haberet, quem conatibus illius opponeret. Circumacta jam Veris parte, cum navibus onerariis delecta veteranorum militum manus imposita esset, rebus omnibus recte paratis classem exeunte Aprili Petrus solvit: videbaturque non minus terra quam mari bellum gesturus. Nam Veneti satis esse rati si sua tuerentur, præsidiis maritimis urbibus additis, quindecim tantum triremes paraverant adversus repentinos incursus subsidium. Citeriora igitur maria pervagatus cum paucas hostium naves cepisset, Jonium ingressus Corcyræ copias exposuit, urbisque oppugnationem adortus, quicquid ædificiorum conjunctum mœnibus fuit, cepit, diripuit, incendit. Verum ut cognitum est valido eam præsidio teneri, abjecta spe inde discessum est. Moxque in Ægæum conversus, Naxum & Andrum nobiles insulas levibus præliis in deditionem accepit. Cumque inopia commeatus fatigaretur classis, Chium trajecit, multosque dies molendi difficultate retentus, paucas navium Cretam versus dimisit, quæ cum onerarias Venetorum è Syria redeuntes habuissent obvias, earum unam preciosis mercibus gravem cepere, reliquæ ventorum ac noctis beneficio è conspectu ablatæ. Hoc modo exacta æstate cum parte autumni, dum classis Genuam redit, atroci tempestate jactatæ naves diversum cursum tenuere, una etiam naufragio amissa; adeoque sæva hyems & intractabile fuit mare, ut ægre Martio Genuam pervenerint onerariæ. Nec multo post cum peculatus accusaretur Petrus, magnaque suorum etiam invidia premeretur, constitutis tamen gravibus ac severis judicibus absolutus est. Videbaturque Philippus ad hoc unum Genuæ præfecisse Franciscum Barbavariam, ne Oldradus, apud quem gratia plurimum poterat Petrus, judicium corrumperet. Nam paulo post revocato Francisco, rursus Genuam Oldradus remittitur.

Æstate, quæ mox secuta est, res in Cisalpina Gallia feliciter gestæ, à Præfectis etiam Philippi aliquot præliis victi hostes, sese intra urbium mœnia continuere. Dein cum pulcherrima Venetorum classis Duce Nicolao Tarvisiano Padum ingressa, cuncta terrore ac tumultu misceret, petente opem Philippo, mille extemplo sagittarii scripti & trans Padum missi sunt.

sunt. Quod ubi Venetias perlatum est, jussus est Petrus Lauredanus, qui instaurata veteri classe Ligusticam oram incursabat, Venetias redire, quod non videbatur iis navibus satis continuisse Genuenses, quin terrestre auxilium Philippo præbuissent. Præerant exercitibus ejus Nicolaus Parvulus, cui liberata Luca ingens jam nomen fecerat, & Franciscus Sfortia, quem Philippi postea generum, nunc Mediolanensium Ducem videmus. Hi cum Ticini refectas naves instruxissent, secundo amne hostibus obviam profecti, se tamen citra eorum conspectum continebant; eratque eis hoc melior quam hosti conditio, quod illis adversus vim fluminis eluctandum erat, ipsi quoties certandi animus fuisset, prono alveo nullo labore ferebantur. Parvulo igitur & Sfortia aliud simulantibus, cum omnia ab exploratoribus crebro nunciarentur, invadendi hostis clam consilium capiunt, raptimque delecto ex omnibus copiis fortissimo quoque, iisque cum Genuensibus sagittariis in naves impositis, magno impetu in hostes invehuntur. Pugnatum est summo ardore non classe tantum, sed in ipsa quoque Padi ripa, usque ad vesperam; victoriamque magis distulit quam abstulit nox. Nam postridie quæ hostium naves fortiter restiterant, non tam expugnatæ quam captæ sunt, & quidem nullo periculo. Cum enim prima die pleræque navium vim invehentis se Ticinensis classis non sustinuissent, multique nautarum inclinata jam victoria silentio noctis elapsi naves deseruissent, prima statim luce hosti ultro concessum est. Parta eo die præclara victoria, & quæ Philippi res haud dubie superiores effecerit. Constat eam classem maximo ac prope incredibili sumptu comparatam fuisse. Nam præter LX. navium alveos exquisitis artificum ingeniis elaboratos, ibi arma, tela, commeatus, tormenta, & quicquid certis incertisque casibus conducere posse putabatur, vincendi cupiditas adeo accumulate congesserat, ut mirum videretur tantam rerum omnium copiam ipsas etiam Venetias suppeditare potuisse. Interjectis deinde diebus, cum pacis jungendæ arbitrium ad Nicolaum Estensem & Ludovicum Salucianum ambos Marchiones delatum fuisset, pax renovata est, & captivi citro ultroque dimissi. Et jam Siciliam nova classe trajecerat Alphonsus, confidens fore, ut vel ab Joanna, vel ab altera factionum rursus accerseretur. Quam Regis spem non modo aluerat Philippus, verum multa pollicitus, literis legationibusque suaserat maturare adventum in Italiam, idque non tam eo animo, ut regias opes auctas cuperet, quam ut ab se evocati amicitia Venetis terrorem incuteret. At posteaquam arbitrorum judicio leges pacis dictæ sunt, tum demum patuere animi, pacemque fuit dolis ac simulationibus plena omnia fuisse. Nam statim elanguescente priore amicitia, aliter uterque aliterque sentire, aliter loqui, contraria agitare consilia, in alternam sæpe perniciem multa moliri.

Anno Domini nostri Jesu Christi MCCCCXXXIIII. Ludovicus Andegavensis, quem supra memoravimus, moritur; paucisque mensibus interjectis, Joanna quoque vitæ finem fecit. Ita regnum Apuliæ brevi duobus orbatum Principibus, velut præda validiori exposita, multorum animos solicitabat. Alphonsus non se modo cæteros omnes jure anteire, sed ad possessum regnum, unde injuria exturbatus esset, debere revocari crebro dictitare. Adversa factio Renatum Lotharingiæ ac Barri Ducem Ludovici fratrem, qui tunc apud Philippum Burgundiæ Ducem captus asservabatur, in regnum vocabat. Philippus Mediolanensis Dux non tam certum aliquem fovebat, quam invalidiori fauturus videbatur; ob eamque causam conatibus Alphonsi ut potentioris palam obstabat: nunciis ac legationibus Regum dominorumque animos Procerum sibi conciliantium, Campania, Apulia, Calabria, omnis demum ejus regni Provincia plenæ erant. Omnium itaque animis in rerum exspectatione suspensis, Cajetanus populus ad Philippum & Genuenses mittit qui præsidium orent, quo à vi & injuria tuti, urbem legitimo Regi servent: ei, qui cum præsidio accedat, liberam se civitatis custodiam permissuros pollicentur. Movit Genuenses Cajetanorum periculum, quod dissentientibus inter se civibus, invaluerat factio in Alphonsi studia pronior. Nec erat Cajeta urbs maritima portu nobilis leve rerum momentum si Alphonsum acciperet. Igitur cum præsidio CCC. militum eo missus est Franciscus Spinula, qui Venetiis post pacem exsolutus redierat, data ei oneraria una admodum magna cum triremi; quibus ea maria tueretur. Cum eo quoque una profectus est Otho Sopus inter Aulicos Philippi haud postremus: ad id ab eo missus, ut Procerum animos in partes Philippi trahens, omni arte ab Alphonso averteret. Cum trepidam civitatem Francisci adventus erexisset, non multo post Rex quoque magnas eo copias mari trajecit, expositoque in terram exercitu, undique urbem cinxit: dein tormentis muros quatiens, assiduis insuper præliis quietem obsessis negabat. Hæc ubi Genuæ cognita sunt, placuit laborantibus subsidium mitti, quo obsidio solveretur. Delectis igitur onerariis quinque ex omnibus, quæ majores paratioresque contrahi potuere, præficitur Blasius Axeretus, ex Scribis Curiæ unus, quos vel Secretarios, vel Cancellarios vulgo nominamus. Comparaverat enim jam tunc sibi famam, & maritimarum rerum peritia quadam, & quod cum Petrucio Verro mari congressus, arte hostem ac virtute superaverat. Armaverat Pisis triremem Petrucius, ut Castelliono Piscariæ, quod haud procul Telamonis portu abest, opem ferret. Nec ignarus triremem unam Genuensium mare illud pervagari, haud secus se suosque instruxerat, ac si necessario cum ea sibi concurrendum foret. Ubi igitur in conspectum mutuum pervenere, tum Petrucius extensis à puppi vestibus, quibus ab ictu contegeret suos, sagittis eminus hostem petere, donec adempta fugiendi facultate proram obvertere, & gladiis rem gerere coactus est. Tum demum paucis vulneratis deditio facta, nomenque Blasio peperit res haud magna, non quod casu congressum, sed scientem & ultro decernere paratum superasset.

Dum magno studio naves parantur, Alphonsus id, quod erat, veritus, ne à Genuensibus obviam conatibus suis iretur priusquam Cajetam petisset, triremes navesque onerarias non tota modo Sicilia, sed à Citerioris quoque Hispaniæ regnis in Formianum sinum exciverat, præterque eam classem, quam veniens advexerat, magna jam navium multitudo ad eum confluxerat, nec minor in dies ventura credebatur. Quod ubi certi Genuam nuncii attulere, aut augeri classem necesse visum est, aut amicum populum prodi. Movebat Genuenses pudor, ne sine armis ullove certamine Regi cessisse viderentur, & eos, qui ad opem eorum confugissent, in supremum discrimen adductos, cum nihil jam spei superesset, deseruisse. Movebat Franciscus præsidiumque paulo ante missi, quibus nisi ocyus succurrissent, objecisse eos iratis hostibus videri poterant. Movebant & magnæ Genuensium opes, quas ex toto regno Cajetam velut in portum ac perfugium mercatores contulerant. Contra difficultas rei, sumptusque, & ingentia negociationis incommoda, haud paucos in contrariam sententiam trahebant. Nam vacuæ naves bello aptæ, nullæ erant in portu. Exonerare eas, quæ preciosis mercibus onustæ Hispaniam, Brittanniam, Gallias petituræ erant,

& ad bellum divertere, sine gravi vectigalium jactura maximoque mercaturæ detrimento nequibant. Cum diversis aliquandiu studiis certatum esset, vicit tandem sententia melior, quæ dignitatem & famam utilitati præferri suadebat. Ita naves quatuor prioribus adjectæ.

Vixdum exoneratione cœpta, supervenere qui nunciarent præter undecim triremes contraxisse Regem duas & viginti onerarias, esse in illis plerasque ingentis magnitudinis. Regiam vero, quam à Navarchi nomine *Magnanam* appellent, inauditæ ac prodigiosæ sublimitatis, adeo reliquas omnes supereminere, ut prora dimidium mali etiam majorum navium exæquet. Imprudentis esse, & Rempublicam præcipitare cupientis, novem tantum onerarias maximæ ac prævalidæ classi objicere. His nunciis anxii Magistratus, quandoquidem pars rerum major non decreta modo, sed perfecta quoque videbatur, tres insuper haud contemnendæ magnitudinis onerarias, quæ sumpto onere Savonensi in portu ventos opperiebantur, exonerari imperant, & bello parari. Revocantur illæ ex incepto cursu, onus exponunt, instruuntur, eoque majore festinatione, ne novem prope paratis, tres cunctationem afferrent. Sed injiciebant haud levem curam non tam juventutis inopia quam ira atque indignatio. Nam qui prioribus classibus sub Petro Spinula & Carolo Lomellino paulo ante meruerant, præter cladem in Taurica Chersoneso temeritate Ducis acceptam, stipendiis suis defraudati, & ob id inutilem militiam perosi nullis à domo pollicitationibus revelli poterant. Delegatum igitur Navarchis negotium, ut præter navales turmas aliam quoque manum, cui arma committerentur, mercede conducerent, ac descriptus cuique pro magnitudine navium, juventutis numerus, quam conduci liceret. Ad Præsides quoque & Magistratus urbium ac populorum literæ datæ, ut habito delectu viros mari assuetos edicta die armatos adesse juberent. Postquam advenientibus qui mittebantur, arma virique recenseri potuere, facile judicium fuit eos, quos ab se conductos Navarchi exhibuere, non tam præstantem ac lectam manum videri, quam promiscuæ ac mediæ sortis; eos vero, qui ex delectu jussi fuerant, magna ex parte desidem turbam armorumque ac navigationis inexpertam. Nam ut cuique sors obvenerat, si laboris ac belli pigebat, vicarium dabat, nec eum quidem qui manu promptior, sed qui potius leviore mercede militiam non adspernaretur: ita plerique à falce & aratro, raptim ad arma transferebantur. Quod ubi animadversum est, questus Blasius decus & æstimationem publicam negligi, & amicissimum populum cum Francisco, qui tum gratia & opibus plurimum in civitate poterat, totque fortibus viris, qui eum secuti erant, hostibus prodi: nobilissimarum navium gloria Genuenses orbari ac mancos reddi, impetravit tandem, ut quadringenti ex urbe omnique agro Genuensi lectissimi viri nominatim evocati, ad eam militiam cogerentur: quod illi facilius ideo permissum est, quoniam horum pars maxima credebatur Philippi dominatum odisse. Hæc juvenum fortissima manus, ut postea exitus docuit, vires ac robur classis, & haud dubie victoriæ causa fuere.

Hæc dum à Genuensibus geruntur, Cajetanos terra ac mari clausos diurni nocturnique labores tædio confecerant. Accedebant & famis mala, quæ non minus futurorum metu quam præsentibus incommodis torquere hominem solent. Computantesque obsidionis tempora, jam seri auxilii spes destituebat. Nam quid Genuæ pararetur clausi ac prope circumvallati nosse non poterant. Primam illis auxilii propinquantis attulit spem, quod præter morem in portu tumultuari viderunt, dum navium aliæ funes ancorarios legunt, aliæ saburra replentur, antennis aliæ vela connectunt. Alphonso enim, dum quid molirentur Genuenses explorat, renunciatum pridem fuerat quinque tantum onerarias parari; qui paucitate contempta, nihil in castris, nihil in mari motus fecerat. At posteaquam triremes duæ Igilium usque speculatum missæ, auctam classem, & quin solvatur haud multum abesse, retulerunt, Rex XIV. onerarias ex duabus & viginti delectas armatis complet. Erant ei florentissimæ copiæ robora virorum, quos vel præmia, vel spes, aut aliæ causæ, ex diversis regionibus ad eum traxerant. Namque Ulterioris Hispaniæ Principes, quos adversa factio domo expulerat, ad eum omnes confugerant, sperantes aliquando fore, ut ab eo in patriam restituerentur. Ex Citeriore vero, exque insulis Balearibus, omnis Nobilitas, omnis prope juventus, jampridem classe Regem Siciliam petentem secuta erat. Regno autem Apuliæ intestinis discordiis laborante non ii modo ad Regem confluebant, quos adversariorum odia patria exegerant, sed plurimi quoque, qui eum sibi Regem ac Dominum præsagientes, gratiam ejus emereri obsequio studebant. Ipse quoque in continentem ex Sicilia trajecturus, juventutem ejus insulæ se Cajetam sequi jusserat. Erant præter has, quas memoravimus, gentes, etiam Regi generosissimarum Provinciarum robora pleræque equitum turmæ mercede conductorum, terra tamen quam mari aptior manus. Ex his igitur tantis tamque florentibus copiis, Rex fortissimum quemque ad eum numerum legit, ut adjuncti navalibus sociis sex millia virorum efficerent. Neve quemquam ejus profectionis pigeret, edicit palam, se omnium primum & navigationis & pugnæ Ducem futurum. Fit statim ad naves omnium concursus, certantque inter primos conspici, desidem & male de Rege meritum arbitrati quisquis inter postremos inveniatur. Aurum, argentum, vestem, preciosamque supellectilem in naves congerunt, tanquam non ad prælium, sed ad certam potius victoriam properetur.

Hæc dum ita ab Rege geruntur, omnibus, quæ agenda supererant, Genuæ paratis, edicta dies fuerat, qua à Magistratibus & primoribus civitatis Præfectus ad naves officii gratia deduceretur. Ea cum illuxisset, atrox repente coorta tempestas omnia miscere ac turbare visa, crebro fulgure & coruscationibus cœlum ardere, tum deinde vehemens imber, ingentiaque tonitrua, & omnia supra modum fœdiora. Inter quæ fastigium templi, quod divo Ambrosio sacratum à palatio publico haud procul abest, ita fulmine ictum est, ut supremum marmor in summitate locatum, inde abraserit, proculque sine ullius læsione transtulerit. Qua deformitate moti Magistratus, miserunt qui Blasium moneret, ne tam fœda die navem conscenderet, exspectandum tempus, quo proficiscenti honores à civitate haberi possint. Cui Præfectus, *I, renunciat*, inquit, *Præsidi ac Magistratibus, cum divi Ambrosii templum fulmine ictum est, tum me primum in navi pedem posuisse, honores à me intempestivos contemni, eos reduci ac victori mihi reservent.* Multam per eos dies sermonum materiam vulgo præbuit non tam quod ejus templi summitas fulmine vexata esset, (id enim prope quotidianum est) quam quod neque reliquo templo, neque homine, neque re ulla violata, ita translatus lapis erat, ut non humana arte suo loco dimoveri, & alia sede reponi aptius potuerit. Erant qui id non casu accidisse putarent, multoque minus quod navem scandente Præfecto veluti profectionis initio id evenisset. Erant qui mortem ejus eo portendi interpretarentur, quod in ea regione habitare solitus, ut marmor illud in templo, ita ipse in ea Expeditione summum locum

cum teneret. Erant item qui non vanum id prodigium faterentur, verum ejusmodi portentorum adeo obtrusam ac reconditam esse interpretationem, ut ad veram eorum significationem vix umquam nisi peractis rebus humanum ingenium attingat.

Paucorum igitur dierum intervallo, exacta jam majore Julii parte, soluta classis est, XII. ut diximus, onerariæ, & navicula insuper admodum parvula, nullius in bello usus. Verum seu ratio ulla suasisset aut flumina intrare, aut præmittere mari nuncios, seu necessitas imperasset è navi in littus desiliri, hæc illa erat quæ plenis velis terram contingere potuerit, adeo nulla non aquæ paucitas tam parvo alveo nimia fuit. Tres præterea triremes classi additæ, quas alios in usus paratas fors obtulerat. Anxiam civitatem, reliquasque omnes adspernantem curas, magnitudo periculi fecerat. Nam quibus numerare pecunias & singulorum nomina annotare mandatum erat, vix duo millia & quadringentos ex omni ordine viros onerarias conscendisse prodiderant; apparebatque in summi discriminis dimicationem cum potentissimo Rege pugnandum esse. Nec defuerunt qui Mathematicos aliosque, quibus ulla prædicendi futura ars inesse crederetur, pavidi consulerent; è quibus Quilicus Saccus è Francorum familia Medicus simul ac Mathesis peritus claram ex hoste victoriam prædixit, vinctumque adducendum fore qui hostili classi imperaret. Idque non verbo tantum, sed præscriptis insuper rationibus, quales ars illa à siderum motu colligere solet, constanter asseveravit. Videri profecto possem non tam negligentiæ quam malignitatis objurgandus, si fortissimorum virorum, per quos amplissima victoria parta est, nomina reticerem, fierem non in eos modo, sed in posteros quoque periniquus, quos habere æquum est unde & Majores suos laudent, & se quod ex eis geniti sint, modo meminerint, eorum quoque virtutes imitari. Additi fuere Blasio consiliarii quatuor, Leonardus Savinionus, Antonius Sylvestris, Lucinus Facius, & Tadeus Zoalius. Navarchos ea classis habuit Eliam Spinulam Nicolai filium, Jacobum Justinianum, Cyprianum de mari, Galeotum Lomellinum, Jacobum Calvum, Carolum Italicum, Lucam Italicum, Joannem Thomam Nigrum, Andreolum Aurium, Hieronymum Fallemonicam, Jacobum Raibaldum, Joannem Perdicem, & in parva navicula Joannem Federicorum. Trierarchos vero Othonembonum Imperialem, Ludovicum Camulianum, & Stephanellum patria Cajetanum. Ubi primum ex oculis civitatis ablata classis est, singulas naves adiens Blasius, navem, viros, arma, collustravit: proræ, puppi, medio navis, propugnaculo mali præfectos constituit. Si cui lorica, cassis, aliave arma non satis apte sedebant, ea statim per fabros coaptabantur. Cohortatus post hæc suos brevi ac militari oratione ostendit, *quam facilis esset viris in mari prope natis atque educatis adversus insuetos ac nauseantes victoria. Regem sui confidentissimum graviter falli, si arbitretur fortes viros ac vincere solitos vultu, & superciliis, & ineptæ multitudinis ostentatione posse terreri: præstare eos magnitudine navium, præstare celeritate, navalium rerum peritia nullis populis cedere. Scorpionem & sagittam, quæ mari dominentur, esse peculiare Genuensium telum. Fulgorem vero regii nominis ita existiment, ut sciant non leonis neque elephanti vires ex eo nomine acquiri, nec Regem quicquam esse alimud quem hominem in delitiis enutritum: multorum ministeriis egentem; cui si servos & obsequia demas, eo infirmior cæteris appareat, quod non pedes, non manus, non reliquum corpus exercere solitus, inque molli otio torpens, imperare non facere didicerit. Illud potius cogitent, hostilem classem multos Reges aut Regibus similes habituram, quos aurum, gemmæ, argentea vasa, preciosa supellex victorum præmia comitentur.* Ita dimissos fortem quemque animum habere jussit.

At Rex certior factus adventare Genuenses, solutis extemplo XIV. onerariis, undecimque triremibus, additis aliquot etiam minoribus actuariis, obvius hosti procedit, elato quidem animo & fiduciæ plenus. Augebant illi spes non ingens modo Procerum turba ac lectissimorum militum adspectus, armaque fulgentia, qualia equitum videmus; sed quod etiam renunciatum ei fuerat, Genuenses inopia navalium sociorum mercenarios terrestris militiæ, quos in urbis præsidio habere soleant, raptim navibus imposuisse, eaque manu quæ vix unquam viderit mare, naves complesse. Pridie Nonas Augusti, cum sese procul classes mutuo conspexissent, Rex prior Legatum ad hostem mittit Franciscum Pandonem Campanum, hominem multa expertum, multa callentem, monitum, ut inter sermones omnia oculis collustrans exploret, quæ navium magnitudo, quantæ copiæ, quæ postremo animorum fiducia. Deductus ad Præfectum, *Mirari Regem*, ait, *quid sibi velit hic tantus apparatus*: responsum Legato est, *Naves Cajetam petere, ut amicum populum indigne oppugnatum obsidione liberent; non esse cur se Rex profectioni suæ opponat.* Tum Legatus, *Cajetam ergo, quam Rex fame perdomitam prope jam habet in potestate, è manibus ejus erepturi estis; & hanc illum injuriam & æternam gloriæ suæ notam laturum putatis?* Cui Præfectus: *Certum sibi consilium esse, inceptum cursum nequaquam interrumpere: cui si Rex non obsistat, vim omnem atque arma procul abesse: quin potius Regi pro una duas esse classes, quibus in rem suam si velit utatur.* Ad ea non sine stomacho Legatus: *Esse Regi vires, quibus hostium minas contemnat, velle ac posse iter eorum retro vertere; & nisi saniore consilio usus ultro cursum deflectat, sensurum mox non sine clade, cujus dementiæ fuerit Regem omnium invictissimum irritasse.* Tum Blasius: *I, renuncia Regi, has quotcumque vides onerarias auro ac preciosis mercibus refertas esse. Si vincat, se suosque omnes ingenti præda ditatum iri.* Hoc cum responso dimissus Legatus, quæ vidit quæque audivit Regi omnia refert. Rex arma expediri, & in posterum diem accingi omnes ad prælium imperat, eo quidem animo ac vultu, ut jam vicisse putares. Par erat Procerum ac terrestrium militum fiducia, qui Regis alacritatem intuentes, omnem ex ea conjecturam faciebant; neque credibile putabant Regem terrestribus navalibusque pugnis juxta assuetum, in ullius discriminis certamen adduci potuisse. At qui maritimas artes callebant, & Bonifacianæ dimicationis meminerant, ratione magis quam vana Regis elatione movebantur. Apud Genuenses omnia cautius quam confidentius gerebantur. Nam dum multitudinem hostium, paucitatem suorum, triremes XI. onerariis intermixtas, Regem bellatorem, ante cujus oculos pugnandum esset, cujusque suorum adhortatorem ac testem futurum, multaque ejusmodi reputabant animo; nec ignorabant quam imparis prælii fortunam subire cogerentur, nec vel minima negligebant, quibus rerum suarum conditione quantulumcunque meliorem facerent. Cum postridie classes propius accessissent, & jam aliquod erat oculorum judicium, Nicolaus Specialis, qui tunc Regis vice præerat Siciliæ, *Mentiuntur*, inquit, *ô Rex, qui dicunt, has naves milite terrestri è præsidio urbis translato refertas esse: Genuenses ego loricas probe novi: & quos vides armatos tanta scandere ac discurrere agilitate, navales socii, non è prætoriis cohortibus milites, sunt.*

Inter hæc cum classes levi vento actæ coissent, atrox pugna coorta, tormentis primum, dein missilibus ac sagittis cœpta, multique transfixis armis utrinque vulnerati. Certabatur ubique ut summa

ma vi, ita varia fortuna. Nam quæ singulis singulæ hostium navibus congressæ erant, haud difficulter in ipso initio impetum sustinebant. At quæ à duabus (nam Rex numero superior erat) oppugnabantur, quippe si terror quoque triremium accessisset, nimiæ molis magnitudine sæpe laborabant. Occurrerat prætoriæ Genuensium Regia navis insolitæ quidem altitudinis, lectissimorum virorum robora ferens, magnoque terrore hostes perculerat, cum ecce alia sinistro lateri invecta, saxis ac missilibus laborantes adoritur, & ancipiti malo trepidantes, novo periculo cogit occurrere. Forte evenerat, ut onerariæ tres è classe Genuensi infra reliquas delapsæ velut pugna subtractæ, nulli jam auxilio suis essent. Hæ dum transverso cursu ventos captare, & suis conjungi nituntur, in altum evectæ, vulgo creditæ sunt fugere. Tum Rex, *Vicimus*, inquit, *ô socii, jam quarta pars hostium fuga salutem petit.* Cui navis magister, *Cito videbis, ô Rex, non hos, ut imperiti jactant, fugere, sed pleno in nos velo statim ferri.* Quemadmodum prætoria navis, & quæ aliæ à pluribus singulæ premebantur, ancipiti loco positæ erant, ita Regiarum quædam velut singulari certamine congressæ, multis jam cæsis ac vulneratis, vix instantem hostium vim tolerabant; in quibus erat secundæ magnitudinis navis, Joanni Navarræ Regi attributa. Igitur quod in eo discrimine præsentissimum auxilium fuit, jubentur Genuenses extemplo triremes deserere, & in onerarias armati transilire. Sensit statim tota classis novum subsidium, non numero tantum aucta, sed quod etiam sauciis ac fessis integri ac recentes in pugna succedebant. Ubi vero tres illæ satis progressæ cursum omnibus velis in hostes reflexerunt, tum demum trepidatio, & metus, & quæcunque victis accidere solent, ante oculos regiis obversabantur. Earum una, cui Justinianus præerat, medio Regiæ navis invecta, qua parte labrum demissius esse solet, sagittis ac saxis latus nudaverat, multisque vulneratis eum terrorem incusserat, ut Alphonsus, qui summa in puppi semper immotus steterat, monitu suorum descendere adactus sub primum tabulatum velut sub tectum haud procul à clavo secesserit. Jam inclinata victoria, pars magna Hispaniensium navium aut expugnatæ hosti cesserant, aut deditione paciscebantur: Regia sola vinci nescia adhuc hostes fatigabat. Supereminens illa sublimitas, lectissimorum virorum invicta manus, ingentis & impavidi Rex animi, nullis terroribus frangebantur, nullis * armis subigi poterant. Inter hæc Joannes, Alphonsi frater, se suosque Lomellino dedidit; cujus exemplum secuti qui eatenus restiterant, in potestatem victoris omnes venere. Cum Rex neque deditionem faceret, neque nolle dicere auderet, ac plerique Genuensium tanquam re jam peracta in navem ejus transilissent, repente ab armatis ad hoc ipsum clam locatis, in vincula conjiciebantur. Id cum post primos secundis quoque & item aliis accidisset, nemine ex omnibus redeunte, deprehensum est fraudem haud abesse: ita metu & comminationibus adacti sunt, qui propugnaculum mali in Regia navi tuebantur, præcisis rudentibus antennas cum ipsis velis deorsum præcipitare; quibus vasto cum fragore ruentibus, sagitta quoque insolitæ crassitudinis majore scorpione excussa cum ante Regis pedes delata, obstantia quæque penetrasset, affusi genibus ejus Proceres, *Orare, ne se caputque suum ultra periculis objiciat, cedendum fortunæ, vita sospite omnia sapienti reparabilia fore, satis multa eum & fortitudinis & invicti animi documenta dedisse. Nunquam diu sævire fortunam, & quos extulerit, deprimere, & depressos rursus extollere, mores illi ac ludum esse. Modo saluti consulat, nihil accidisse, quod non maximus ac sapientissimus Rex in melius brevi commutet.* His tandem monitis cessit Alphonsus. Nec paucis hujus deditionis gloriam sibi deposcentibus, præque omnibus Blasio, Rex singulorum nomina ac fortunas percunctatus, ubi didicit ex iis Justinianum esse, qui Chio præsiderent, hunc cæteris prætulit. Deditione facta, cum ambæ naves coissent, juncto ponte (namque id maris quies patiebatur) Rex ad victores concessit. Una ex omnibus onerariis vento ablata est, reliquæ omnes captæ. Triremes cum hosti victoriam concessam cernerent, navi, quæ Petrum Juniorem Alphonsi fratrem vehebat, latus applicantes, desilire monitum excepere, ac mox Siciliam deportavere.

* Scribendum videtur, *artibus*.

Hoc maxime modo pugnatum est, & quidem acerrime, Nonis Augusti, haud procul à Pontia insula, horas prope decem. Nam cum tertia diei hora classes concurrissent, paulo ante vesperam Regis deditio facta est. Multi eo prælio vulnerati, sagittis præcipue, quas majoribus scorpionibus contortas vix ullum armorum genus repellebat: pauciores pro numero cæsi, ex victrici classe nonaginta haud amplius desideratis. Capti sunt præter duos Reges, Henricus Regum frater, Princeps militiæ, quæ divo Jacobo dicata est; Joannes Antonius Dux Suessæ; Joannes item Antonius Princeps Tarentinus; Josias Ducis Adriæ patruus; Antonius Rogerii Comitis Fundorum filius; Nicolaus Specialis Siciliæ Procurator; Didacus in Ulteriore Hispania Comes Castri; Joannes, quem in hac eadem Hispania magistrum Cantheræ vocabant. Et ne singulorum nomina referam, capti sunt supra centum principes viri, quos nobilibus populis dominantes fama celebrabat; capti supra ducentos auratæ militiæ Equites, quorum pars maxima ex utraque Hispania plerique Siculi, reliqui Campani fuere. Capti & alii plurimi insignes nobilitate atque opibus viri, quos excellentiorum amplitudo effecit, ut in vulgus rejicerentur, quibusque non tam ulla ignobilitas profuit, quam quod clarissimis viris immixti, illorum fulgore obscurabantur. Prædæ vero tantum partum est, quantum nullos unquam victores una navali pugna adeptos esse vel legamus vel audiamus. Victo Augustus Antonio summa rerum potitus est. Si victoriæ fructum cogites, quid erit quod imperio orbis terrarum comparemus? At si solam prædæ prædam conferas, sordescet illa profecto velut paupertas Antonii, si duorum opulentissimorum Regum totque Ducum Reges æquantium divitiis committatur. Superata Carthaginiensium classe Luctatius Sicilia & Sardinia cedere, ac Romano Populo tributa pendere hostes adegit. Sunt hæc amplissima, quis neget? victoriæ præmia, verum si victarum sola classium spolia compares, hic aurum, argentum, gemmas, vestes, & quicquid ad ostentationem potentum ambitio parare solet, congesta invenias, illic tantum ferrum & arma: quamquam & hic quoque tanta armorum vis inventa est, ut non uni modo classi, sed pluribus quoque & classibus & exercitibus affatim suffectura crederentur. Adde precia ingentium navium, adde aurum, quo postea libertas captivorum redempta est. Fateamur necesse erit, vix ullam navalem victoriam, aut claritate & gloria, aut magnitudine prædæ, huic digne æquandam esse. Illud quoque notissimum est, multos in summa ante id tempus egestate vixisse, qui spoliis hostium clam locupletati, ingentia suis patrimonia morientes reliquere. Blasius, captivorum multitudinem contemplatus, veritus ne si quid nocte auderent, paucitas inter plures satis tuta non esset, mitiore consilio usus ad quinque prope millia captivorum obscurioris fortunæ in terram exposuit; in quorum, ut postea compertum est, turba multi celebres viri, cum nullo cultu differrent, facile delituerunt. Rebus deinde pro temporis brevitate compositis, utraque classe Ca-

Cajetam petente, oblatum oculis eſt ingens inſolitumque ſpectaculum, cum quinque & viginti raræ magnitudinis naves, quantas reliquus orbis noſter in unum contrahere vix potuiſſet, anguſto loco confertæ littus tenuere, patuitque etiam oculorum judicio quanti una urbs à victis ſimul atque victoribus haberetur. Jam nuncii adverſæ pugnæ regia caſtra compleverant, neque obſeſſos quoque tanta res latuit. Itaque patefactis repente portis, omne præſidium ſimulque & Cajetanus populus erumpentes caſtra adoriuntur, nec ullo quidem reſiſtente omnia diripiunt. Inventus eſt in eis Barchinonenſis Legatus, qui cum paucis ante diebus in leves febriculas incidiſſet, cognita tunc ſuorum clade immoderato dolore perſtrictus, intra paucas horas exſpiravit.

Ferunt cum in familiari ſermone quidam Regis conſilium, ut fit cum exitus rerum infelix eſt, damnarent, quod ſe, fratreſque omnes, totque Regibus prope pares Principes velut aleæ objecerit, reſpondiſſe Regem, *Rationem ſe, non impetum, ſecutum eſſe, & quiſquis opulentiſſimum regnum victoriæ præmium recte expendat, haud profecto negaturum eum, magnitudinem periculi à præmii magnitudine longe ſuperari. Quippe expugnata Genuenſi claſſe, extemplo Cajetam velut ſpe ſublata deditionem facturam fuiſſe, nec ullos poſt eam maritimos populos inventum iri, qui victori Regi portas obſtruere auſuri fuerint.* Peritiores tamen ſententiam ejus improbaſſe crediti ſunt; idque non tam quod infauſto eventu pugnatum eſt, quam quod affirmabant, ſi paulo concitatius mare fuiſſet, maximam regiarum copiarum partem jacentes ac nauſeantes ſine ullis armis capi potuiſſe, nec quicquam rebus ejus magis faviſſe, quam immotam illam ac vere æſtivam pelagi malaciam.

Nondum tantæ victoriæ nuncius Genuam venerat; quædam tamen Plombino Piſiſque, magnam quandam felicitatem arguentia, incertis adhuc auctoribus afferebantur; quæ adeo ſuſpenſam tenebant civitatem, ut non gerendis rebus curia, non juri dicendo fora, non operibus officinæ vacarent, omnis omnes ordinis ac fortunæ arrectis auribus ſtarent, aucupandis rumoribus intenti. Ubi vero cum univerſa claſſe Regem quoque vinctum adduci allatum eſt, tum demum omnes promiſcue domibus effuſi ſenes, juvenes, matronæ, pueri, liberi, ſervi, ſtrepitu & clamoribus cuncta complere, tanta quidem licentia, ut in penetralia quoque curiæ vulgus irrumperet, ut quæ Præſes ac Magiſtratus comperta haberent, ea populo impertirent. Cumque poſtea in palatina turri, perque omnia templa, in argumentum publicæ lætitiæ, æra perſonaſſent, tanta fuit exſultantis multitudinis vociferatio ac tumultus, ut vix plerumque ingens ille ſonitus exaudiretur. Fuerunt & qui convenerint Quilicum Medicum ſummis eum laudibus attollentes, quod & victoriam polliceri aſtra prædixiſſet, & Ducem hoſtium capiendum. Exſatiata poſt hæc populi lætitia, more à Majoribus accepto, decreta eſt triduana per urbem ſupplicatio, ut ſecundarum rerum auctori in primis Deo honores ac laudes haberentur. Inter quæ ſancitum quoque eſt, ut quandoquidem die, quæ divo Dominico ſacrata eſt, parta ingens victoria ſit, ſupremus quotannis Magiſtratus dona ferens, Nonis Auguſti templum ejus veneretur.

JACOBI BRACELLII,

GENVENSIVM A SECRETIS,

DE BELLO,

QVOD INTER

HISPANOS ET GENVENSES

SECVLO SVO GESTVM,

LIBER IV.

Jam nuncius victoriæ ad Philippum pervenerat. Ille maxima re peracta, omnia jam ſibi prona ac facilia ratus varias agitare animo cogitationes cœpit, ac mox ſuorum duos propere Genuam petere imperat, Ludovicum Crotum, qui moneat claſſem Siciliam diverti, trepidamque & inermem inſulam metu ad deditionem cogi: Marcum Barbamvariam, qui Præfectum protinus conveniat, & clam jubeat Savonam curſum deflectere, ut Rex inde Mediolanum quam tutiſſima via deducatur. Ludovico reſponſum eſt, claſſem ad novum bellum ſine novo ſtipendio mitti non poſſe. Si occupari Siciliam Philippus velit, opus eſſe non tam claſſe navalibuſque ſociis, quandoquidem nullus jam mari hoſtis occurſurus eſt, quam equitatu, peditatuque, & terreſtris militiæ machinis ac tormentis, quæ expugnandarum urbium uſus exigit. Paucis deinde interjectis diebus, ubi civitas, quæ captivorum Regum pompam & pulcherrimi triumphi diem ſibi ſpectandum perſuaſerat, tres vidit onerarias Savonam petentes, ut quid de Rege ſtatuendum foret, omne Genuenſibus arbitrium eriperetur, tum demum Philippi omnes odio exardeſcere. Illum gloriæ Genuenſium invidere, illum maluiſſe Genuenſes vinci; ut videlicet fracti animis, fracti viribus, abjecti ac ſupplices vilium mancipiorum more nullum ſervitium recuſarent. Accedebat his, quod cum Magiſtratus civitatis decreviſſent literas victoriæ nuncias ad amicos Reges dare, à Præſide veti ti ſunt: aſſeverante hæc ipſa jampridem à Philippo Regibus ſignificata, & poſſe animum ejus offendi, ſi quæ gloria ſua ſit, eam alii ſibi vendicare velle viderentur. Cum præterea Joannes Rex Genuam adductus fuiſſet, juſſu ſtatim Philippi Mediolanum tranſlatus eſt. Cunctis igitur frementibus, inita jam tunc inter pleroſque fuere liberandæ civitatis conſilia. Verum cum principum civitatis quidam, Philippo quondam affecti, nondum mutaſſe animos putarentur, horum metus reliquos cohibuit, magiſque optabant homines jugum excutere quam audebant. Neque tanta Philippum res

res latebat: quippe qui à suis, qui Genuæ præerant, crebris epistolis certior in dies fieret, quanta in eum odia concitasset; quod accersitis ad se Regibus cum potiore captivorum parte, contemptis non sine manifesta ignominia Genuensibus, velle videbatur & de iis quoque velut triumphare. His motus Philippus legationem cum arbitrio ad se mitti jubet, velut apud se de captivorum redemptione paciscendum foret. Vixque Legatis Mediolanum ingressis, nunciat non recusare Alphonsum Sardinia cedere, & tanquam præsidium ad eam insulam deportandum esset, magnæ paullatim copiæ Genuam veniebant, nemo tamen omnium erat adeo simplex & rerum ignarus, quem tam puerilis simulatio falleret, & apparebat Philippum, quamquam suis rebus metuentem, obstinato tamen animo statuisse, Genuenses ad quæque digna indignaque invitos ac reluctantes cogere.

Alphonsus Mediolanum deductus, cum perhumane acceptus habitusque fuisset, post paucos tandem dies impetravit, ut sibi alloquendi Philippi copia fieret. Cumque in arce portæ Jovis ambo quamvis divisi locis habitarent, Dux prior obviam Regi profectus, nudatus caput & genu curvatus Alphonsum salutavit. Ille orationem habuisse dicitur, qua virtutes primum Philippi, interque eas præcipue magnitudinem animi ejus, summis laudibus extulit. Postremo se suorumque fortunas mansuetudini illius commendavit, adeoque mollisse animum ejus, ut si quid vel odiorum vel æmulationis gloriæ hæserat, una oratiuncula detersum sit. Namque postea & faciles aditus ad eum Regi patuere, & Philippus sæpe visus est non modo non gravari Regis congressu, sed eo potius oblectari. Fama est Alphonsum jam familiarem Duci factum, unica injectæ formidinis ratione animum illius in sua vota traduxisse, cum se de communi utriusque fortuna cogitantem dixisse ferunt, prævidere Ludovici quondam fratrem Renatum, regno Apuliæ nullo statim labore potiturum, nec postea tamen quieturum, donec Mediolanum inque reliquas Cisalpinæ Galliæ civitates, aut Carolum Regem, aut alios Galliarum Duces sollicitatos evocaverit. Atque ita non sibi Philippum vicisse, sed Gallis; vel quod verius fuerit, Genuensium victoriam, quæ se obruerit, eandem Philippo quoque exitium parituram. Id ne eveniat in manu ejus situm esse, posse eum, si velit, regnum ipsi eripere, posse rursum pro arbitrio suo id ipsum reddere. His colloquiis Ducem ferunt magnopere conterritum, jam tum animum induxisse, ut in regnum Alphonsus reportaretur, quippe qui non ignorabat Joannem Galeatium parentem suum reliquorum regnorum vires non multi facientem, nomen opesque Gallorum semper exhorruisse. Qui igitur in Alphonsum maxima comitate usus erat, non minore in eum munificentia usus est. Missa sunt amplissima Regi dona. Inita Regibus digna convivia, magnifici ludi spectantibus Regibus editi, si quis captivorum Regi acceptior erat, confictis hic statim causis Genua Mediolanum accersebatur. Denique id unum Philippus conari credebatur, ut omnem injuriarum memoriam recentium beneficiorum magnitudo aboleret. Adeoque Alphonsi gratia valuit, ut suadente eo sex prægrandes onerarias parari, quæ se cum exercitu in Campaniam reportarent, missi Genuam sint, qui naves conducerent, & Navarchis stipendia numerarent.

Hæc dum Mediolani Genuæque geruntur, Legati Cajetani advenere quatuor numero, qui cum ad Præsidem Senatumque introducti fuissent, princeps legationis Joannes Manganella in hæc ferme verba locutus est: *Si quot singulis nostrum articulos natura dedit, tot ipsa eadem linguas præbuisset, nec eæ Demosthenis aut Ciceronis eloquentiæ cederent, non possemus tamen, illustris Præses, vosque magnifici Patres, eximiam ac singularem in nos charitatem vestram, ingentiumque beneficiorum cumulum verbis æquare. Nam quid est quod homini hominem debere fas sit, quod non vobis omnes debeamus? Percurram non tam singula quam summatim omnia, ut qui propter numerum magnitudinemque meritorum in nos vestrorum, his digne enumerandis pares non sumus, si summam saltem pro ingenioli nostri mediocritate attigerimus, non ingrati neque immemores videamur. Primum omnium, amplissime Præses ac Patres clarissimi, priusquam Cajetani populi discrimen certum esset, inter ipsas procul absentis Regis minas, litteris nostris commoti, tanta rebus nostris festinatione succurristis, ut vestrum ante subire portus nostros præsidium cerneremus, quam litteras ad vos nostras pervenisse didicerimus. Quale deinde præsidium? lectissimos ante omnia juvenes, quos non stationes in mœnibus assiduæ, non dies noctesque continuatæ vigiliæ, non discursus, non labores, nulla demum pericula, non postremo fames ipsa subigere potuerit, cum fide quoque & constantia non pro aliena salute, sed pro patria potius pugnare viderentur. Præsidii vero Præfectum eum ad nos missum vidimus, quo vir nemo fuit tota civitate præstantior, Franciscum Spinulam lumen quoddam nominis Genuensis, cujus ea fuit apud nos cum innocentia, tum in tuenda urbe diligentia, ut ne ipsi quidem majorem optare potuerimus, qui delitiarum, in quibus ab infantia enutritus fuerat, oblitus, parco & vili cibo, ut res nobis angustas obsidio fecerat, contentus, sæpe etiam mensa abstinuit, ut aliorum famem exemplo solaretur. In laboribus vero & omni militiæ munere adeo impiger & vitæ contemptor, ut à gregario milite præiri prope indignaretur. At ubi supervenisse Regem, nosque terra ac mari circumseptos in discrimine versari accepistis, non secus periculo nostro anxii, ac si hostis mœnibus vestris immineret, pulcherrima classe, gravi sumptu nec minore difficultate comparata, defessos jam & extrema malorum cogitantes, tanta velocitate ex hostium faucibus eripuistis, ut instructam, solutam, adventantem, procul conspectam classem esse, ac mox devicto captoque Rege, secundo prælio conflixisse, uno ferme tempore acceperimus. Opes igitur, conjuges, liberi, templa, patria, nos denique nobis cum beneficio vestro restituti simus, pro his, quibus certe majora nullus unquam populus præstitit, nullus unquam accepit, gratias actum ad vos missi sumus; simulque gratulatum, quod ea vobis victoria contigit, quæ ut immortalem Genuensi nomini gloriam attulit, ita qua fide amicos populos tueri soleatis, æterno documento erit. Reliquum est orare, ut quandoquidem per vos conservati sumus, annuos posthac Præsides ex vobis habeamus, qui Cajetano populo jus dicant, inque secundis & adversis rebus saluti nostræ consulant. Nulli nobis utilius præfuturi sunt, nulli nos ad parendum promptiores habituri, quam qui incolumitatem ac libertatem nostram suis periculis redemerunt. Neque indecorum Genuensibus fuerit, legitimum cum è Galliis advenerit Regem, civitatem ope vestra servatam auctamque, non ab alio quam vobis tradentibus recepisse.* Legatis responsum est, magnum Cajetanos fidei & constantiæ in Regem suum edidisse documentum, quippe qui extrema obsidionis mala perpessi, nunquam animis succubuerint. Genuenses eo minus suscepti adversus Alphonsum belli pœnitere, quo verius sciunt amicissimam civitatem non facile immemorem fore, se propter arma Genuenses induisse. Mittendi Cajetam Præsidis consultatio dilata, ut interim Philippi animus exploraretur.

At Philippus cognita Cajetanorum petitione, haud secus infensus, quam si plurimum dignitati suæ detractum fuisset, corripi statim Legatos jussit, & Mediolanum accersitos ita habuit, ut vix quicquam à captivis differrent; donec à Genua missi sunt, qui jus gentium & sanctam Legatorum auctoritatem Philippo memorarent. Et prædicabant illi quidem, Cajetanum populum mercaturæ deditum, togatos non mili-

militares Præsides optare. Quod si rectorem ab Duce peterent, probe scire cujusmodi moribus futurus esset qui mitteretur; in uno Othone Sopo satis expertos, qua superbia simulque & avaritia cuncta miscerent ii, quibus in civitates & populos jus à Philippo tradi soleret. His & ejusmodi injuriis irritatis Genuensium animis, inita tandem adversus eum consilia sunt, orto à primoribus civitatis initio, qui se liberandæ ultro patriæ auctores offerebant. Fecerat sane odium domini ingens desiderium libertatis; adeo ut quamquam summæ difficultates, manifestaque pericula ante oculos obversabantur, nemo tamen unus inventus sit, qui à conjuratis certior consilii factus, aut facinus improbarit, aut discriminis partem capessere renuerit. Habebat in potestate Philippus Novas, Gavium, Vultabium, Flaconum. Tres præterea ab eo exstructæ arces, Pontis decimi, Montis pulchri, Bulsaneti, Porciferam vallem exercitibus ejus perviam tutamque præstabant. Ita cum ab usque Mediolano ad ipsas urbis portas facilis illi transitus esset, attollebat se insuper intra mœnia arx munitissima quidem, quam *Castelletum* nominant, contumacis populi cervicibus imminens, arduum ac summi laboris opus si expugnanda foret. Hæc cum aliquando conjuratorum audaciam frangerent: tum haud mediocriter exterrebat præsidium ad duo prope millia peditum editioribus locis intra urbem dispositum, cogitantes quam facile si qui suorum vel cessarent vel segnius rem exsequerentur, pauciores in ipso conatu à pluribus opprimi possent. Subibat animum ille quoque interdum metus, ne Savona, quæ duabus arcibus velut vincta tenebatur, non facile Philippo eripi posset. Et Alphonso utramque Lucensis portus arcem & nobilissimam Ilicis turrim obtinente, posse à duobus opulentissimis Dominis urbem mari terraque concludi, atque ita intempestive libertatis amore patriam deletum iri. Ea tamen omnia contempsit injuriarum impatientia, & generosa quædam fœdæ servitutis indignatio.

Dum igitur patrandæ rei occasio quæritur, placuit in primis Opicinum Alsatem, cui urbis custodia commissa erat, ferro obtruncari. Videbantur enim eo sublato Philippi milites arma statim abjecturi. Peropportuna ad id ipsum visa est dies nona Kalendarum Januarii, cum in honorem nativitatis Dei & Salvatoris nostri, vespere, ut mos est, Palatium populus complesset. Verum ea cum advenisset dies, sive quod turbæ promiscuæ & armatorum circumstantium adspectus infregerit animos, ut fit, cum objecta oculis pericula vehementius movent, sive quod conjuratis per diversa subsellia inter multitudinem dispersis non idem audaciæ fuit quod confertis fuisset, pœnituisse consilii visum est, resque in aliud tempus rejecta: quamquam is jam erat consciorum numerus, ut ipse sibi pavori esset, quippe cum unius hominis vel perfidia vel levitas, ne cunctis perniciem, patriæ miserrimam servitutem ac prope exitium pareret, haud sine ratione timerent; itaque maturari omnia priusquam conjuratio proderetur, is quoque metus adegit. Mittitur & Serasanam qui Thomam Campofulgosum ordine cuncta doceret, oraretque, ut liberandæ patriæ conatus & ipse pro sua virili adjuvaret. VI. Kalendas Januarias cum novum Philippus Præsidem Genuam mitteret Erasmum Triurceum, inter Mediolanenses opibus ac rerum gestarum fama insignem, effusaque in obsequium ejus civitas esset, conjurati clam missa nobilium juvenum manu, portam urbis occidentalem, quam divi Thomæ nominant, deturbatis custodibus occupant, moxque ad arma conclamatur. Quæ cum Francisco Spinulæ, ut convenerat, propere nunciata fuissent (is enim auctorem se libertatis professus erat) extemplo se armatus domo proripuit, paucis comitantibus, quos è fidissimis delectos secum domi attinuerat. Is obvios quosque cohortatus, ut memores libertatis in qua geniti essent, memores injuriarum Tyranni pulcherrimo facinori ne deessent, multos trepidantes adhuc, & quidnam moliretur ignaros, arma protinus capere cum pudore tum auctoritate commovit. Jam tota urbe armatorum globi visebantur, jam tumultum populi templis omnibus æra personabant, cum Erasmus & Opicinus portæ Vaccarum propinquantes, diversum capiunt consilium. Ille, ut Genuensium rerum imperitior, cursu in arcem contendit; Opicinus, ut qui probe norat non palatium modo, sed pleraque etiam urbis loca præsidiis teneri, ratus impetum populi, priusquam in unum coirent, subito adventu opprimi posse, citato equo vetera mœnia ingressus, ubi in id pervenit forum, quod in quinque vias scissum, Rivulum, sive, ut vulgo loquimur, *Fossatellum* nominamus, lapidibus primum è fenestris appetitus est; dein paululum progressus ab obviis obtruncatur, multisque vulneribus confossus, ante templum divi Syri haud longe à puteo exanimis ac nudus diu jacuit, ne cui cædes ejus incerta foret. At milites diversis stationibus locati, cum Præsidem arce inclusum, Præfectum cæsum cognovissent, paucis admodum obsistere ausis, armis intra horas tres abjectis, capti prope omnes ac dimissi sunt, nulla cæde, nulla præter armorum direptionem cujusquam injuria. Mirum profecto ac prodigio simile, rem maximam, maximique discriminis, intra pauculas horas esse confectam, & ita quidem confectam, ut cum multa armatorum millia utrinque starent, præter unum Jacobum Carbonem, qui saxo capite ictus statim occubuit, præterque unum è stipatoribus Opicini, alius nemo ceciderit.

Cum jam in urbe tranquilla essent omnia, & arce excepta, recenti cuncta libertati faverent, sex viros creari, Præsidesque Genuensium & libertatis defensores nominari placuit: hi fuere, Matthæus Lomellinus, Petrus Bondenarius, Franciscus Spinula, Andreolus Aurius, Nicolaus Justinianus, & Marcus de Casina; quibus paulo post duos quoque addidere, Andream ex Marinis, & Joannem Navonum. Hos penes summa rerum fuit, ita quidem ut de XII. Senatorum magistratu cæterisque legibus nihil prorsus immutaretur: statimque, tres quas memoravimus, arces Porciferæ deditione receptæ sunt, ac mox solo tenus excisæ. Savonenses quoque exemplum secuti, cum eos item injuriarum tæderet, arcibus suis potiti, haud leve momentum rebus nondum firmatis accessere. Sed nihil æque civitatem exterrebat quam inopia commeatus. Nam præter haud magnum numerum, quem Jacobus Aurius Rhodo adveniens navi advexerat, nihil tota urbe venalis tritici fuit. Itaque Legatus decernitur ad Eugenium Rom. Pontificem, Florentinosque, Jacobus Bracellius, qui oraret, recentem Genuensium libertatem juvarent, edictisque ac literis palam facerent, licere Genuensibus ex eorum urbibus triticum exportare; id enim cum re ipsa, tum spe atque opinione vulgi plurimum rebus conducere. Et Florentini quidem parata mox biremi plerasque minores naves frumentis onustas Genuam raptim misere. Eugenius tametsi Philippo infensus credebatur, non tam quicquam edixit, quam non prohibuit.

At Philippus cum Genuensium motus accepisset, non tanquam re nova perculsus, quippe ut cui post ereptos Genuensibus Reges multi prædixerant indignitatem injuriarum eos nequaquam toleraturos, Nicolaum Parvulum quo in statu res essent doctum facit, imperat ut ad opem arci ferendam copias extemplo contrahat, rem omnem in celeritate positam esse, & si maturetur, posse ipsam quoque civitatem vi aut metu ad deditionem cogi. Ille pedites, equitesque ex hibernis raptim educere, delectum summo studio habere, nihil diligentiæ, nihil

nihil laboris remittere, dies noctesque expeditionem maturare. Iisdem fere temporibus Renatus prioris Ludovici filius, & alterius, quem vita perfunctum diximus, Ludovici frater, Barri, Lotharingiæ & Andegaviæ Dux, ut cognovit Alphonsum captum asservari, cum ipse quoque apud Philippum Burgundionum Ducem obses esset, quinque triremibus raptim paratis, uxorem ejus Mariam Neapolim præmisit, quæ effusa obviam civitate, magna populi lætitia statim accepta, usque in adventum viri postea regno præfuit.

Inter hæc Genuenses cæteris rebus pro tempore compositis, cum multa illis ex sententia fluxissent, arcem oppugnare constituunt, edicta die qua populus armatus conveniret, tantaque potiundæ fuit arcis cupiditas, quo civitas metu tandem levaretur, ut ad quatuor sagittariorum millia eo sponte confluxisse, qui interfuerunt affirment. Cumque à populo ardore summo pugnaretur, præsidium contra saxis, jaculis, sagittis, subeuntes pertinaciter arceret, scorpionum tamen cum peritia tum multitudine, brevi effectum est, ut quisquis se in mœnibus turribusve conspiciendum præbuisset, vulnere mox accepto loco excederet, atque ita defensoribus magna ex parte sauciis, exteriorem arcis murum, qua ad Africum vergit, armati juvenes scandunt, nulloque cominus congredi auso, ingentem obsessis terrorem injiciunt: nox prælium diremit. Et jam fama erat Parvulum contractis undique copiis moturum, apparebatque Philippum non tam quod sibi conduceret cogitare, quam frementem indignabundumque ad ultionem accingi. Itaque Legati Florentiam missi Damianus Palavicinus Juris Civilis interpres, Simon Macia, Joannes Justinianus, & Lucianus Grimaldus, qui cum Florentinis Venetisque belli societatem paciscerentur, auxiliumque adversus Philippum poscerent. Neve Parvulus magnos exercitus trahens penetrare ad arcem posset, fossa extra urbem ducta est, quæ descensuris hostibus objecta, ab accessu loci venientes arceret.

Hæc dum ita geruntur, Nicolaum collectis aliquot equitum turmis & quindecim peditum millibus trajecisse Padum affertur, quo metu cum perculsus populus variis consiliis distraheretur, vicit tandem arcis iterum oppugnandæ sententia, ea enim capta omnes hostium conatus irritos fieri. Cum itaque die constituta senes, juvenes, pueri, omnis ætas aut pugnæ aut spectaculo interesset, fœminæ quoque fenestras & domorum culmina complessent, ut spectantes ad pulcherrimum simul facinus viros cohortarentur, ingens armatorum multitudo oculis offusa, scalæque ac reliquæ machinæ ad id comparatæ, præsidium terruere, & primum quidem inter sese diversis sententiis certabant, deinde, ubi sola erat cuique cura sui, & consilium quisque suum pertinacius tuebatur, res in altercationem versa. Erant qui in arcem cum Erasmo confugerant, quos neque deditæ ignominia, neque defensæ decus aut præmium manebat. Erant item qui irritatum injuriis populum metuebant. Nec deerant qui cogitarent multos adversum se indignitate rerum provocasse. Hi omnesque ejusmodi, liceret modo tuto abire, nihil de Philippo, nihil aut parum admodum de retentione arcis angebantur. Erat contra Præfectus commissæ sibi curæ rationem aliquando redditurus, cujus fama, fortuna, caput, si quid male consultum foret, discrimini objiciebantur. Verum cum pauci à pluribus superarentur, vicit sententia à metu profecta, ut furentis impetum multitudinis declinarent, missisque qui deditionis spem facerent, convenerunt, ut nisi intra præfixam diem succurretur obsessis, arcem traderent; ejus promissi pignus, turrium, quæ arcis erant, unam delecti è populo cives servandam acciperent: ita composita re dies aliquot quies utrinque fuit. At ubi hostiles exercitus haud procul abesse nunciatum est, rati parum admodum momenti in una trium turrium fore, si qua hostis irrumperet, in arcem impetum faciunt, parvoque labore, jam nemine resistere auso, loco potiuntur, exclamante Præfecto, cæterisque contestantibus, non licuisse ante statutam diem adversum se vim experiri. Hoc modo capti, qui in arce erant, in custodiam omnes traditi; quod Philippus conquisitos ubique Genuenses, ne Legatorum quidem jus excipiens, asservari omnes jusserat. Nec mora, admotis extemplo fabris arx excisa, quod publicæ libertati officere putabatur.

Parvulus interea rebus cognitis, Porciferam vallem ingressus, cuncta late populatur, fusisque ac fugatis qui se venienti objecerant, usque ad ipsum littus magno omnium terrore pervagatus est, incensis etiam aliquot ædibus navibusque, quæ semiexstructæ deduci non potuerant. Ea incendia, paucorum-ne ira, an Ducis imperio, excitata sint, incertum: ipse post multos sane annos nihil horum aut suo aut Philippi jussu accidisse sæpe testatus est. Inde Vulturium conversus, pari clade cuncta vastavit, abductaque omnis generis præda, igne tamen grassatus non est. Constat eum, cum rediret, in loca aspera & impedita sine ullo peditatu delatum, cum periculi magnitudinem cognovisset, vehementer exterritum, paucisque admodum comitantibus per avia quæque citato equo deflexisse, neque trepidationem prius exuisse, quam cursu perpetuo suos assecutus est. Illud certe nemo inficiabitur, hac eadem die cum Vulturio rediret, triremium unam littori latus applicuisse, expositisque in terram sagittariis, obviam effuse fugientibus itum esse, neque illos aut unquam in hostes equos vertisse, aut alibi quam in fuga spem ullam habuisse visos. Ex his postea locis in Ligures Ingaunos profectus, palam favente Galeoto Carettino, quem Marchionem Finarii vocabant, terras omnes vicinas ingenti populorum clade affecit. Magna illic vis hominum capta, pecora quoque, ac jumenta, & quicquid in agris relictum erat, quæ omnia Finarium velut ad novum quoddam emporium comportata. Ibi de preciis direptarum rerum, ibi de captivorum redemptione transigebatur.

Nondum fœdus cum Venetis & Florentinis Legati junxerant, & tamen mille pedites cum aliquot equitibus ex Hetruria auxilio venerant. Horum ad trecentos Albumingaunum in præsidium missi, quod rumor erat Parvulum ad ejus oppugnationem urbis accingi. Et ille quidem omnia circum loca pervagatus, quorum quædam etiam ab incolis metu deserta fuerant, post magnam captivorum turbam ingentesque prædas abactas, serius tamen quam pro hominum opinione ante eam urbem consedit. Est autem Albumingaunum plano loco positum, haud plus quadringentos passus à mari recedens, amne alicubi defensum; cæterum inter Ligures Alpinos antiquitate ac fertilitate agri admodum nobile. Nicolaus igitur cum equitatu plurimum valeret, pedite non ita multum abundaret, iis, quos Scevæ & Carretti Marchiones nominant, quam maximos delectus imperat; atque ita contracta sagittariorum multitudine, oppidum oppugnat. Præerat urbi Thomas Aurius Conradi filius, vir fide ac moderatione egregius, præterque cives, qui ad tuendam patriam offirmaverant animos, multi etiam agrestium, qui sese eo contulerant, in mœnibus dispositi, conatibus hostium fortiter obsistebant. Atque ita abundante defensorum turba, quamquam tormentis muri quatiebantur, quamquam scalæ, vineæ, cæteraque ad terrendas civitates excogitata, oculis objiciebantur, contemnebat tamen omnia virtus, & obsessi populi constantia. Reliqua erat Parvulo in obsidione posita spes, quod inclusa multitudo brevi credebatur absumptura quicquid alimentorum intro convectum fuisset. Hac fiducia plenus, remissa paululum oppugnatione, ita omnes aditus sepsit, ut ne nuncius quidem penetrare in oppi-

oppidum posset. Supererat populo mare, sed eam quoque spem eripere hostes aggressi, intra littus & urbem stationes armatorum locaverant.

At Genuæ, excisa jam arce, omnique Philippi metu sublato, cuncta negligentius gerebantur, seu quod octo viris, dum suam quisque factionem fovent, multum ex priore concordia deperierat; seu quod suapte natura multitudo principantium ipsa sibi impedimento est; seu quod paucorum ambitio supremam Ducatus dignitatem sibi despondentium, sana illorum consilia variis artibus eludebat. Cum jam illorum discordia ut exitiosa Reip. palam damnaretur, primates plebis concilio in templum divi Syri contracto, Ducem creant Isnardum Guarcum, cujus patruus Nicolaus difficillimo Reipublicæ tempore summa æquitate ac moderatione quinquennium civitatem rexerat. Novo Duce in palatium deducto, nullo tumultu, nullis armis comitantibus, Præsides re tantum audita, nec quicquam ultra sciscitati, in suas quisque domos dilapsi sunt. Septimo inde die, rebus nondum compositis, Thomas Campofulgosus, qui jampridem omni civitate obviam effusa, maxima celebritate acceptus fuerat, palatium armatus expugnat, deturbatoque præsidio & advocata statim concione, Dux creatur, plerisque Isnardi ætatem causantibus, quod annos duos & septuaginta natus, impar curis ac laboribus esset.

Vixdum statu civitatis composito, mittitur extemplo cum pecunia qui in Hetruria militem conducat, quem Philippi conatibus opponant. Delectis dein sagittariis Angelum Dentatum virum militia clarum præficiunt, qui noctu aut interdiu quacumque licuerit, in Albumingaunum viam inveniat. Hunc cum navi ad littus pervenisse populus obsessus cognovisset, præsidio civibusque eatenus obviam progressis, ut liber illis in urbem regressus foret, è navi armatus desiliit, ac nullo hostium inter duas acies perrumpere auso, suis adjungitur, atque intra mœnia deducitur. Spernebat jam hostiles minas inclusus populus, adeo ut crescente in dies fiducia, sæpius erumperent, sæpe versis in fugam hostibus terga cæderent. Idque ut illis animos dabat, ita absumptis jam magna ex parte alimentis, imminens rerum egestas frangebat. Affuit illis fortuna, & unde minime sperabant, auxilium tulit. Navis Joannis Perdicis, quæ in Provincia Narbonensi haud procul Massilia onerata tritico fuerat, dum Genuam repetit, eum forte scopulum tenuit, quem Alboingauno in mari oppositum, Insulam nominant. Tres quoque onerariæ, quæ sub præfectura Bartholomæi Aurii adversus Catalanos bellum gesturæ, maria pervagatæ fuerant, eo item delatæ sunt. Cognita igitur clausæ civitatis inopia, scaphas aliasque minores naves delecta juventute instructas littori applicant, bombardulisque ac sagittis hostes summovent. Neque obsessi rei suæ desunt, factaque eruptione aliquantum tritici, quod scaphis advectum erat, urbi importatum est. Jam cum Venetis Florentinisque Legati, quos Florentiam missos memoravimus, addito postea illis Matthæo Lomellino, belli societatem adversus Philippum in decennium junxerant. Jam copiæ ad duo ferme peditum millia, ex Hetruria mercede conducta advenerant. Cum itaque ejus obsidionis solvendæ præcipua omnibus cura injecta esset, missi sunt navi Centurionum quidam, missi item & alii, qui militarium artium haud ignari, cuncta oculis lustrarent, littus, urbis situm, stationes hostium, naturam locorum, quibusque adversus hostem viribus opus esset. Nam Parvulus, posteaquam spes famis dilata fuerat, comparatis multiplicibus tormentis, nullum respirandi tempus, ne nocte quidem, circumsessis dabat; sæpe mœnia ictibus quatiens, sæpe missis in auras immanibus saxis, dum in tecta domorum cadunt, ipsos ingenti ruina dominos cum ædibus obruens. Addidit his sævitiam tanto viri certe indignam: Valentem enim quemdam cognomine Focaciam, quod ad obsessos à Genua literas attulisset, ita complicatum ut crura cervici applicarentur, dein tormento in sublime excussum intra mœnia demisit. At Centuriones, quique cum eis profecti erant, cum renunciassent quamquam omnes ad urbem aditus præsidiis septi essent, majoribusque in dies munitionibus stationes militum Parvulus firmaret, posse tamen à mari ad oppidum viam patefieri, si quæ necessaria sint strenue comparentur; ante omnia singulari Magistratuum cura delectus habitus est. Ad sex millia virorum pars maxima sagittariorum scripta; ex quibus plerique nobilitate insignes, eam tamen militiam haud adspernati sunt. Qui ex Hetruria paulo ante advenerant, duorum millium numerum explebant, qui autem obsidebantur, cum hoste congredi assueti, supra mille numerabantur. Ingens scorpionum, sagittarum, bombardularum, panis, tritici vis comparata, navium quoque minorum, quæ admoveri littori possent, multitudo in unum contrahitur; cum ecce in hoc maturandæ expeditionis ardore, citus nuncius affertur, omissa Nicolaum obsidione Finarium versus iter flexisse: ita ipso apparatus rumore solutum obsidium est. Legati post hæc cum Genuam venissent, quædam in calamitatum suarum solatium postulantes, collaudata fide constantiaque, ampla in eum populum munificentia Respublica usa est, quippe quæ à plerisque vectigalibus immunitatem, à terrestribus maritimisque expeditionibus vacationem usque in annum millesimum quadringentesimum * sexagesimum, hoc est, annorum viginti quatuor, ei magno cunctorum assensu indulsit, ut his etiam beneficiis vastationes agrorum & reliquas clades fessæ civitatis solaretur.

Inter hæc gravis Genuenses pestilentia non in urbe modo, sed extra quoque vastare cœperat, dispersisque passim civibus, non erat unde inopiæ publicæ succurreretur. Placuit ut Hispanis captivis, quos ut viliores Philippus Genuæ reliquerat, imposito levi redemptionis precio, sui cuique liberandi potestas fieret. Ii conditionem cum haud inviti accepissent, ea tunc pecunia in usum belli Respublica usa est. Exitu ejus anni, qui trigesimus sextus supra millenum quadringentenumque fuerat, ambæ portus Lunensis arces aliquandiu oppugnatæ, annitentibus maxime incolis receptæ sunt; pauloque post cum Præfectus Ilicensis turris neminem invenisset, qui deditionem ejus emercaretur, nocte in insidias præcipitatus in vincula postea conjectus est. Ita ea quoque arx sine ullis armis in potestatem venit. Namque Alphonsus Rex contractis jamdudum arcanis cum Philippo fœderibus, incredibili quadam in eum munificentia Ducis, non gratuitam modo liberationem, sed quicquid aliud recuperando conducebat regno, ab eo cum impetrasset, Mediolano primum in Lunensem portum concesserat, inde mari avectus Cajetam, quæ pulso Renati præsidio regium acceperat, paucis comitantibus se contulerat, intentusque conciliandis Procerum animis, occasionem præbuerat facilius terras ab se relictas occupandi.

Initio sequentis anni Dux, Senatusque & populus dona ferentes in memoriam partæ libertatis, VI. Kalendas Januarias, quæ dies divo Joanni Apostolo dicata est, ejus altare, quod in Præcursoris Baptistæ templo exstructum videmus, tum primum magna omnis ordinis frequentia venerati sunt. Idque ut quotannis fieret lege sancitum.

Eodem quoque anno Vultabium, quod in alium Philippus transtulerat, data pecunia receptum est. Jam Renatum à Philippo Burgundionum Duce solutum, Neapolitani Principes, ut Italiam peteret, regnumque capesseret, impensius efflagitabant: Alphonsum rebus interesse, ambire Provincias, Procerum populorumque animos sibi conciliare, alios largitionibus, spe alios, quosdam pollicitationibus ad se traducere. Nisi alius ei Rex oppo-

* Quinquagesimum, hoc est, annorum quatuordecim.

opponatur, brevi fore, ut vacuo regno potiatur. His igitur atque ejusmodi rationibus perpulere cunctantem, ut classem, qua trajiceret, in magna ut credebatur egestate positus pararet. Quinque Massiliæ triremes instruuntur. Mittitur & Genuam Legatus Georgius Pulcini Comes, qui petat, licere Regi ibi quoque alias naves armare. Facta Legato potestate, triremes septem reficiuntur atque exornantur. Anno igitur MCCCCXXXVIII. Idibus Aprilis, Rex quinque triremibus duabusque speculatoriis Genuam veniens, summo honore exceptus est. Non enim Dux modo, ac Senatus, cæterique Magistratus obviam effusi, sed universus insuper populus adeo compleverant vias, ut nec lictores summovere turbas possent, & Dux ipse ac Senatus intermixtus plebi, hinc atque inde sæpe conflictarentur, nec ullum majestatis publicæ decus retinerent. Mulieres quoque ad spectaculum egressæ, porticus, templa, fenestras, culminaque domorum adeo confertæ insederant, ut multarum non unius urbis ea multitudo credi posset. Deductus est Rex sub umbraculo purpurei panni auro intertexti. Vixque à portu ad templum divi Laurentii multis horis perventum est. Ibi Joannis Baptistæ sacros cineres veneratus, atque inde Auriorum regionem petens, iis ædibus acceptus est, quæ quondam Jacobi Aurii fuerant, tunc ac liberos ejus Lambam, Bartholomæumque pervenerant. Quindecim eo loco dies moratus, omnibus jam recte paratis classem solvit. Duodecim triremes erant, quibus littora legens in Lunensem portum devectus est. Cumque rumor esset Alphonsum validam, qua ei occurreret, classem in dies contrahere, triremes duas, quas Janus Campofulgosus, quem postea in principatu civitatis mortuum vidimus, apud Corsicam armaverat, accersitas suis adjunxit: ita aucto navium numero, Neapolim nullo obvio trajecit; parvoque post tempore, quod eum sumptum perferre non poterat, classem omnem ab se dimisit, quasi veritus, ne mari non satis mature hosti cederet.

Eo quoque anno pestilentia civitatem invasit, Pisis, ut deprehensum est, advecta. Nam cum miles quidam inde profectus, clam Genuam venisset, ac servam, cui assueverat, contactu infecisset, illa in muliercularum grege obversata, quarum pleræque lactantes, sinu gestabant infantes, morbum in proximas vulgavit, nutrices extemplo infantesque latente malo correpti, eam labem in domesticos præsertim diffuderunt; eoque velocius, quod cum omnis eo tempore suspicio ejusmodi mali procul abesset, ægrotantium curationem refugiebat nemo. Ita cum more repentini incendii domos aliquot ea tabes pervasisset, pluresque vim morbi in dies contraherent, pavor primum, dein fuga fieri cœpta; nec ante in vicina urbi loca reditum est, quam Autumni frigora salubritatem revexere.

Per idem tempus cum armatis aliquot onerariis Catalani prædantium magis quam belligerantium more, cædibus ac rapinis sævirent, quatuor, easque ingentes, parari naves placuit. Legendi Præfecti cura paucos in dies dilata, quod Dux ac Senatus, qui duodenario tantum numero constat, invidiosum sibi fore arbitrati, si soli Præfectum ipsi creassent, jus & arbitrium ejusmodi maluerant cum aliis communicare. Vocatus est igitur is Magistratus, quem, quia transmarinarum urbium curam gerit, *Romaniæ* vulgo nominamus; isque item, qui rem pecuniariam curat; postremo & is quoque, quem *divi Georgii Protectores* dicimus. Additi sunt his & cives quidam primarii, ut sexagenarium numerum omnes implerent. Ibi non manifesto suffragio vocum, sed calculorum occulto, creatus est Peregrus ex Promontorio, & classis intra paucos dies soluta; quæ ad inquirendos hostes Gallicum, Balearicum, ac Sardoum mare circumvecta, cum Neapolim versus iter intenderet, orta seditio est; quod propinquo jam fine stipendii, nulla certa mercede navigare videbantur, si Neapolim usque naves ducerentur. Quam ob rem cum nemo esset cui de nova solutione satis crederetur, ante percepti etiam stipendii exitum, invito & nequicquam clamante Præfecto, Genuam repetunt. Cum res tam fœdi exempli Optimatum præsertim animos offendisset, nec seditionis auctores cautius agentes, sese nisi paucis admodum crederent, dissimulari facinus placuit, donec illi nihil severius contra se statui videntes, securius ac negligentius vagarentur; ita paucos intra dies injectæ sunt in eos manus, & tribus eorum supplicio affectis, reliquos metus ipse coercuit.

JACOBI BRACELLII,
GENVENSIVM A SECRETIS,
DE BELLO,
QVOD INTER
HISPANOS ET GENVENSES
SECVLO SVO GESTVM,
LIBER V.

CIRCVMAGEBATVR tertius novæ libertatis annus, erantque omnia circum pacta tranquilla, ita ut non absurde interpretati viderentur, qui dixerant, Ambrosiani templi summitatem nullius damno fulmine dejectam, dominatum Philippi portendisse à cervicibus populi Genuensis nullius clade excutiendum. Perapte etiam Mediolanenses per divum Ambrosium, cui urbs illa dicata est, & per fastigium, dominatus sublimitatem designari. Verum ea temporum otia interrupit Renatus Rex, qui magnis primum populorum studiis in regno acceptus, sensim minui & cadere haud cunctanter visus est; seu quod Alphonso Siciliam, Sardiniamque, & alia prædita regna obtinenti impar opibus erat; seu quod cum Italorum moribus parum Gallis convenire soleat; seu quod ita à natura comparatum est, ut minoris opus laboris sit, regna parare quam tueri. Alphonsus namque, ut vidit Genuensium triremes ab Rege dimissas, collectis, quas sparsas habebat, & contractis insuper aliquot onerariis, cœpit mari hostem urgere. Cumque parum tutum videretur quatuor,

tuor, quas supra memoravimus, onerarias Alphonsianæ classi objicere, adjunctæ sunt illis & tres aliæ, quæ jam preciosis mercibus onustæ, Galliam, Britanniamque petituræ erant.

Ita Duce Peregro soluta septem navium classe, nullo obvio Neapolim ventum est. Patefacto mari cum quatuor priores adversus sparsos jam tunc hostes satis esse crederentur, eas Renatus, doctior factus quantum sibi in maritimo exercitu momenti esset, non magna mercede conducit, & Genuam redeunte Peregro missus statim Nicolaus Campofulgosus, Spinctæ filius adolescens admodum, qui iis præesset. Tres negotiatoriæ post paucos inde versus tenuere. Nicolaus in nova præfectura aliquid audendum ratus, præceps ac temerarium primo adspectu, exitu felix, oppugnandæ arcis Neapolitanæ ejus, quam vulgo *Novam* vocant, consilium capit. Eam valido Alphonsus præsidio firmaverat, videbaturque non omnino urbe ejectus, cum portum ac molem arx imminens in potestate haberet. Constat eam opus esse primi Caroli, qui Belengarii gener Ludovici Regis Francorum frater, adversus Manfredum à Romano Pontifice in Italiam quondam accitus fuerat. Namque is devicto equestri pugna Manfredo, regno Apuliæ potitus, arcem, quam *Capuanæ* nominant, à Federico Henrici & Constantiæ filio Romanorum Imperatore paulo ante constructam velut opus Germanorum contemnens, hanc novam ædificandam curaverat, spatii multum amplexus; ut non arcis modo, sed regiarum quoque ædium usum præberet.

Jam anni MCCCCXXX. non pars magna transierat, cum parva Nicolaus manu arduam oppugnationem adoriturus, ei primum turri sagittarios admovit, quam in ora ipsa inter scopulos positam, divo Vincentio sacratam loquuntur. Cumque eam regium præsidium fortiter tueretur, adeo ut etiam primos hostium conatus irriderent, postea quam multitudine sagittarum plerisque interfectis, reliquis sauciis, ita ut ad ferenda arma vires deessent, jam scalæ admovebantur, dediderunt sese. Elatus eo successu Nicolaus, oppugnationem arcis non ultra differendam ratus, cohortem unam Renati quadringentorum ferme militum navalibus sociis adjungit. Fossa deinde præcipiti arcem cingit, excitatis aliquot castellis; quo & minore præsidio munitiones tueri posset, & subsidia, si mitterentur, facilius arcere. Operibus perfectis haud exigua scorpionum vis è navibus in terram exponitur, ex iis majoribus, adversus quos nulla sit in armis fiducia. Ita sagittis ac bombardulis arx eminus oppugnari cœpta, adeo quidem pertinaciter, ut vix paucul͡æ horæ ad curandum corpus militi permitterentur; & cadebant quotidie ex præsidio nonnulli, plures accepta vulnera loco excedere cogebant. Neque naves arci admotæ segnius rem gerebant; quarum propugnacula in mali summitate locata, altitudinem turrium prope æquabant.

Quibus rebus excitatus Alphonsus, copias contrahit, magnisque itineribus in Neapolitanum agrum obsidionem soluturus contendit. Interim conatibus ejus Nicolaus cognitis, fossas altius effodit, frequentiora castella munitionibus addit, quæque pro tempore advenienti Regi opponi potuere, sine ulla operis intermissione parat. Neque Renatus adventantis hostis certior factus, rei suæ deest, sed Neapolitana juventute armata, frequens opera invisere, comiter milites alloqui, adhortari, dignitates ac præmia polliceri, nihil eorum negligere, quæ in tali tempore ad confirmandos animos desiderari solent. Et arx quidem interim summa vi oppugnabatur, quoque propiorem esse Alphonsum afferebatur, eo enixius ut in libero ab hoste tempore incumbebant. Et jam plerique ex præsidio ceciderant, multisque vulneratis rarior in muris ac turribus miles conspiciebatur; & quod postea cognitum est, alimentorum etiam inopia terrere cœperat; cum ecce unica spes Alphonsus perculsis advenit, præter collectum undique peditem, florentes equitum turmas secum trahens, contemplatusque munitiones instruit aciem sublimi equo conspicuus, ut Regem adesse obsessi obsessoresque juxta scirent. Dein velut in munitiones impetum facturus, usque ad teli jactum propius accedens, ubi saxis sagittisque quosdam suorum vulneratos vidit, gradum suppressit. Postea stimulante pudore ac metu, ne desperato subsidio fieret arcis deditio, bis terque tentata nequicquam irruptione, sub occasu solis in castra rediit. Ibi omnibus, quæ adversus vim sagittarum pro tempore conquiri potuere, repente comparari jussis, ipse interim orta luce instructas acies ostendens, ne qua spes obsessis deesset, non nisi vespere in castra se recepit. Id cum aliquot diebus factitatum esset, paratis jam omnibus, hostes rursus adoriri statuit, magnoque impetu in opera invectus, cum munitiones propius intuens nihil non firmum & inaccessibile cerneret, jamque multi suorum & promptiores caderent, receptui demum cecinit, & abjecta ferendi auxilii spe, in interiora Campaniæ loca, unde venerat, reversus est. At Præfectus regius omnia expertus, cum neque in ipso quidem Rege præsente quicquam opis esse vidisset, pactus ut præsidio incolumi abire liceret, arcem tradidit. Ejus rei fama per universam Italiam vulgata, & Renati regnum magno opere firmare visa est, & in expugnandis arcibus Genuensium virtutem celebrare. Nicolai quoque industriam ac labores, cum Proceres regni, tum Renatus ipse, magnis sæpe laudibus prædicavere, missis etiam ad Ducem & Senatum literis, quibus fortia Genuensium facta testarentur.

Verum quantum arx nobilissima contra omnium opinionem brevi recepta, Renati res longe meliores fecisse videbatur, tantum ejus inopia magis magisque in dies detecta, frangebat animos suorum: quippe ubi palam fuit, nullum à Carolo Francorum Rege aliove Principum Galliæ neque militis neque pecuniæ auxilium jam exspectari posse, ita eo anno & duobus ferme sequentibus, à Jacobo Candola, cui ex Proceribus regni maximæ tum vires erant, & à Genuensibus maritimas impensas subeuntibus, res ejus ægre magnoque labore sustentatæ sunt. Anno millesimo quadringentesimo quadragesimo cum Magister Ordinis Minorum Guilielmus multa prece contendisset, licere sibi, ut ex toto orbe conventum Fratrum suorum ageret Genuæ, erogatæ sunt ex ærario publico libræ quingentæ supra duo millia, quibus ad perferendum haud levium impensarum onus juvaretur. Et Eugenius quartus Romanus Pontifex, data culparum venia, cujusmodi Assisium habere creditur, id Concilium celebrius effecit; quippe cum ex regionibus non propinquis modo, sed etiam procul admodum positis, hominum omnis ætatis ac sexus ingens quotidie multitudo, fiducia veniæ eo confluerent, adeo ut etiam à Corsica magna præsertim fœminarum vis, quæ nunquam continentem vidissent, Genuam delata sit. Ita ex incredibili prope turba, singulis pro facultate aliquid conferentibus, præter impensas largiter suppeditatas hospitibus Fratribus, Divi Francisci templum, cujus in contemptu divitiarum gloria posita est, plus æquo ditatum est.

Per idem tempus cum mortuo Candola, Renati res deterior in dies fieret, annitente Eugenio, qui Alphonso palam infensus erat, fœdus cum Ecclesia Romana ictum est; in quo convenit, ut Pontifex equestri exercitu, Genuenses mari adversus Alphonsum bellum gererent. Igitur ne inopia pecuniæ apparatus classium moraretur, additum est mercaturæ vectigal centesimæ. Triremes partim ædificatæ novæ, partim veteres refectæ, contractæ onerariæ, quæ ei bello idoneæ visæ sunt. Dux clas-

classis creatus Joannes Camposulgosus omnium fratrum minimus. Idque non sine contentione ac manifesta multorum offensa; quippe repetentes memoria superiorum temporum mandatas dignitates, rursumque computantes quibusnam plebs, quibusque præfecturis nobilitas perfuncta fuisset, dictitabant ejus classis imperium homini plebejo non deberi. Idque vel ex eo perspicuum esse, quod postremæ Blasius Axeretus vir item plebejus præfuisset. Quod si minorum quoque classium habenda esset ratio, præcessisse paulo ante Peregri ex Promontorio viri plebeji præfecturam. Sed omnium gravissime (ut res docuit) offensus Joannesantonius Fliscus Nicolai filius, qui id munus ita sibi ipse animo destinaverat, ut injuriam vocaret, si quis in eo se illi adæquari vellet. Fremens igitur ac minabundus excessit urbe, Turriculam castellum viginti ferme millibus passuum inde positum petens, consilia conatusque omnes in perniciem Thomæ vertere paratus; moxque cum Philippo Mediolanensium Duce in exitium ejus consentientes, montanos primum, deinde Buliasci, Sauli, Rechi, Rapalli, vicinarumque villarum incolas spe largitionibusque corruptos, in arma corripuit; & contracta haud contemnenda manu, nunc ad urbis usque conspectum excursiones facere, nunc prædatoriis lembis incursando, mare infestum reddere, nihil demum maris aut terrarum pacatum relinquere, quod inter quartum ab urbe lapidem Clarumque interjacet.

Quibus rebus anxius Thomas, mercenarium militem conducit, naves actuarias, quæ mare tuerentur, instruit, loca urbis editiora præsidiis firmat. Neque Alphonsus fœderis adversum se contracti gnarus, rei suæ deest. Nam præmissis triremibus, quæ Genuense littus incursarent, eum minoribus navibus terrorem injecit, ut metu subductæ annonæ primum caritatem augerent, deinde inopiam gignerent. Et Galeotus Carretinus, quem Marchionem Finarii vulgo nominabant, rebus Alphonsi enixe favens, non exsules modo Thomæ recipere, sed classes quoque regias portu commeatibusque juvare. Adversus quæ cum non nisi gravi sumptu resisti posset, pecunia omnis, quæ in parandas contra Regem ex fœdere naves, coacta erat, in reprimendos terra marique orientes motus absumpta est. Quod cum Eugenius rescisset, quippe qui supra quatuor equitum millia adversus Alphonsum jam præmiserat, gravi indignatione accensus, se à Genuensibus elusum dictitans, ita exarsit, ut nullam postea ratione satis placari potuerit, oblitusque benivolentiæ, qua in Genuenses usus fuerat, multis sæpe documentis testatus est, ejus injuriæ memoriam sibi penitus insedisse.

Iisdem fere temporibus inter Philippum-Mariam, ejusque fautores, Venetosque, ac Genuenses, & Florentinos, renovata pax est, annitente Francisco Sfortia, ad quem belli ac pacis arbitrium velut ad communem amicum detulerant; cum hinc copiarum Dux, illinc gener jam esset, juncta ei matrimonio Blanca-Maria unica Philippi filia. Ea pax quemadmodum plerisque Italiæ populis quietem otiumque paritura credebatur, ita opes Thomæ vehementer infregit. Nam cum prius hujus societatis auxiliis in rebus dubiis juvaretur, tunc contracta pace soli sibi relictus, ægre admodum adversariorum conatus repellebat.

Inter hæc deserto prope ab omnibus Renato, cum multi populi spe aut metu ad Alphonsum descivissent, obsidebatur terra marique Neapolis, & si quando missæ Genua naves clausum aperiebant mare, mox illis abeuntibus redibat obsidio. Erat igitur inexplebilis impensarum vorago, ter quaterque quotannis armatas naves Neapolim repetere, quæ militem, triticum, cæteraque obsessæ civitati necessaria importarent. Ingravescentibus igitur in dies malis, quæ clausos populos torquere solent, adeo rerum omnium inopia creverat, ut pro numero frequenter hominum, panis in familias distribueretur. Fama est mulierculam ex infima plebe Renatum adivisse, orantem ut sibi parvulisque filiis fame pereuntibus succurreret. Eam torvo ab Rege vultu repulsam, ad Alphonsum misisse qui indicarent esse veterem aquæ ductum, multorum seculorum vetustate adeo neglectum, ut cum eum superingruens terra contexerit, non viventium modo, sed avorum quoque memoriam effugerit; posse cum si velit hoc veluti cuniculo in urbem penetrare; esse mulieri intra domum puteum, in quem is aquarum ductus exitum habeat. Polliceri daturam se cum fide operam, ut quicumque ea intromissi milites fuerint, in sua domo sine periculo lateant. Alphonsus oblatam spem haud contemnendam ratus, ubi monstrato loco effossaque altius humo cryptam inspexit, paucis Centurionum rem aperit. Hortatur, ut delectis militibus secum assumptis, facinus ut memorabile, ita extra pericula positum aggrediantur. Nullas à muliere insidias metuendas, quippe quæ in extrema fame fastidita, suam ac suorum mortem bono illi Regi objectet. Addidit & ingentia promissa, ut cum nobilissimæ urbis, & quæ vere tanti regni sit caput, potitus fuerit, quod ut mox contingeret in eorum manu positum esse, haud dubitarent nunquam se immemorem fore, eos illos esse, quorum velut humeris in Regium solium deportatus fuisset. Excitabantur his vocibus Centurionum animi; sed terrebat meatus subterraneus luce carens; adeoque angustus ac depressus, ut non nisi singuli, iique proni & more quadrupedum genibus manibusque reptantes, moveri possent. Augebat metum, quod in plenam hostium urbem, paucis nec satis armatis evadendum erat: quippe quos nec scuta nec scorpionis ferre, angustiæ loci sinebant. Sunt qui affirment non prius milites cloacam illam subire ausos, quam missus in domum mulieris, qui omnia oculis collustraret, fidem fecit fraudem ac periculum procul esse. Ita trecenti ferme milites præmoniti ab Rege quid fieri vellet, clam ad mulierem pervenerunt. Ipse gnarus proximos mures ab iis occupandos esse (neque enim procul domus aberat) orta luce diversam urbis partem magno clamore aggreditur, ut conversis illuc omnium oculis, vacuam defensoribus regionem latebris egressi facilius caperent. Oppugnatur interim acerrime urbs, haud aliter quam si subruendus murus, & per ruinam irrumpendum foret. Et jam extracta in aliquantum diei pugna, subindignari sibi Alphonsus cœperat, quod ignotæ mulierculæ nimis pueriliter fidem habuisset, quod Rex tum multa expertus fœminæ dolis circumventus esset. Ferunt, tanquam receptui cani juberet, dixisse eum, *nolo ultra homines cædi*, cum ecce in destinata parte murorum clamor tollitur, signaque Aragonea late fulgentia conspiciuntur: ita eo cunctis accurrentibus, revulsa porta, exercitus omnis in urbem irrupit. Hoc maxime modo capta Neapolis est anno à nativitate Jesu Christi Domini nostri millesimo quadringentesimo quadragesimo secundo, octavo Idus Junii, postquam in eam Renatus pervenerat anno quarto paucisque præterea diebus. Renatus cum Principibus Gallis & Genuensium quidam inter tumultum elapsi in Arcem Novam confugerunt. Alphonsus ne gloriam suam festinatione minueret, aliquot dies ab accessu captæ urbis abstinuit, donec paratis omnibus, quæ spectaculi pompam augere poterant, imitatus Antiquorum triumphos, parte murorum diruta, curru sublimi urbem ingressus est.

Hæc ubi Genuam perlata sunt, ne Rex amicus, pro quo summos labores & assiduos sumptus Genuensis populus quatuor sine intermissione annos pertulerat, in supremo periculo desertus videretur,

tur, armari placuit onerarias duas, quæ triticum ac præsidium in arcem deportarent, Regique parerent. Eo cum venissent, Antonium Calvum, cui multum pecuniæ Renatus debebat, arci præficit; præmonitum, ut nisi intra constitutum tempus nova ad eum veniant subsidia, de arce transigat arbitratu suo. Ipse iisdem navibus Pisas devectus, inde Florentiam petit, qua in urbe paucos moratus dies, posteaquam nihil auxilii ad repetendum Regnum promitti vidit, abjecta omni rerum Italicarum spe, Massiliam, unde initio venerat, mari reversus est. Antonius ubi præscriptum tempus effluxit, pactus cum Alphonso, acceptaque ab eo pecunia quantam Renatus debebat, arcem tradidit.

Per id tempus, cum factio Thomæ adversa magis magisque in dies coalesceret, & ipse nulla jam externa ope fultus, mari Alphonsum, terra Philippum insidiantes haberet, conjuratum est in exitium ejus; convenit, ut Joannesantonius Fliscus contractis navibus piscatoriis silentio noctis clam urbem ingrederetur, tum interiores conjurati correptis armis & copiis ejus adjuncti, in palatium publicum impetum facerent. Ea cum serius exsequerentur, & ad multorum jam cognitionem res devenisset, non defuerunt qui omnia Thomæ patefacerent, adeo ut diem, horam, locum, totius demum rei seriem plane didicerit. Difficiliorem ad credendum fecerat eum, quod ejusmodi pleraque multis sermonibus ante jactata, vana expertus erat. Et cum bis terque frustra timuisse reminiscebatur, creverat tandem contemptis rumoribus animi securitas. Cum tamen XVI. Kalendas Januarias alii aliique supervenientes affirmarent nocte insequenti irrupturum esse urbem Joannesantonium, ea maxime parte, quæ divi Nazarii templo proxima, collapsis mœnibus nudata, per rupes velut gradus quosdam facilem præbet etiam armatis aditum, pervicerunt, ut ibi ea nocte custodes locarentur; qui cum ad sextam usque noctis horam vigilassent, ubi viderunt Africum flare, qui venturis obstabat, simulque quod erat immitis frigore nox, stationem deseruerunt.

At Joannesantonius piscatorios lembos armatis complet, nactusque ex Sumia ventos (Aquiloni namque cesserat Africus) tribus horis Camulio Genuam pervenit; & paucis admodum præter conjuratos adventum ejus sentientibus, interiora urbis clam penetrat. Mox excitata strepitu & clamoribus civitate palam fuit & Fliscum advenisse, & adversus Thomam arma corripi. Luce orta cum armatorum globi undique viserentur, primores civium, qui consilio, quique auctoritate valebant, in Divæ Mariæ templum, quod vulgo *Vinearum* vocant, convenientes, de publico statu deque patriæ salute consultant. Terrebat ante omnia Philippus Mediolanensium Dux, qui nullo bello implicitus, Genuæ recuperandæ omni cura imminere credebatur, cujus rei oblatam ei occasionem videbant, si manentibus discordiis civilibus intra urbem dimicandum foret. Itaque Legatos ad Thomam mittunt, qui ostenderent concitato jam ad arma populo, non posse ei sine magna patriæ pernicie victoriam contingere, simulque conditiones ferrent, quibus rogaretur principatu cedere. Thomas sive spe superventuri auxilii, sive quod impendente gravi discrimine prudentis non erat vel admittere temere oblatas leges, vel repellere, eas dedit responsiones, quæ novam rursus consultationem exigerent. Itaque dum consultando, eundo, redeundo tempus teritur, præceps in occasum dies ferebatur. Tum Joannesantonius & cum eo armatus populus palatium adoriuntur, nulloque auso resistere per ocium capiunt. Thomas cum se in turrim, quam *Horarii* nominant, recepisset, fide accepta Raphaeli se Adurno dedit, ac mox prius jam tenebris in Adurnorum ædes deductus est. Postridie ejus diei cum principes civitatis in ædem divæ Luciæ convenissent, eoque accersitus esset Senatus, placuit, ut sex viri, qui in tumultu paulo ante nominati fuerant, sex item alios sibi adjungerent, quos ipsi ex omnibus legissent, simulque cum ipso Senatu, qui duodenario quoque numero constabat, octo viros in bimestre civitati præficerent, quos libertatis præsides vocarent. Re maturata, creati sunt Raphael Adurnus, & Civilis & Pontificii Juris admodum doctus, Joannesantonius Fliscus ex Ordine Equestri, Paulus Albarianus, Andalo Malrufus, Lamba Aurius, Baptista Spinula, Meliadux Sylvester, & Dominicus Ricius ex Bargalia. Quorum magistratus, cum ipsi inter sese parum concordes essent, vix usque in quintum Kalendarum Februarii diem productus est. Namque eo die nec sine contentione quidem & armis Dux creatus est Raphael ipse, cujus patruus Antoniotus, & pater Georgius Duces quondam Genuensem Rempublicam rexerant, ille diuturnitate principatus illustrior, pater civilitate & moderatione memorabilior.

Cum hinc Philippi Ducis insidiæ, illinc Alphonsi classes & arma suspensam metu civitatem diu tenerent, anno tandem millesimo quadringentesimo XLIV. septimo Idus Apriles, juncta cum Rege pax est, non tam honesta quidem quam temporibus accommodata, cum & parvis maria patefaceret navibus, & annonæ aliarumque rerum copiam simul ac utilitatem afferret. Hac in pace cum de aurea patera quotannis Regi mittenda conventum esset, ut ejus animus eo munere delinitus, & memoriam exueret, quod devictus captusque fuisset, & fœdus attentiore cura servaret, contra Rex omnia vertit. Namque missum donum accepturus, non nisi præscripta hora, præscripto loco afferri sinebat. Stipatusque Procerum & vulgi turba, multisque ad id spectaculum velut ad triumphi pompam invitatis, delatorem muneris opperiebatur. Qua indignitate offensis Genuensium animis, ante quadriennium adeo turbata sunt omnia, ut neque in tempore donum daretur, neque à mutuis abstineretur rapinis, & manente tamen pacis nomine, cuncta citro ultroque ut in hostes agerentur.

FINIS.

Anno MDVI. *inventa est in agro Genuensi, milliario prope urbem decimo, Tabula ænea quadrata, quantitatis duorum palmorum ferme, in qua literis majusculis scalpello incisis scriptum est quantum infra. Servatur vero Tabula in templo Divi Laurentii Genuæ juxta sacellum Divi Jo. Baptistæ.*

Q. M. Minutieis Q. F. Rufeis, de controvorsieis inter Genuateis & Veiturios in re præsente cognoverunt, & coram inter eos, controvorsias composeiverunt, & qua lege agrum possiderent, & qua fineis fierent, dixserunt eos fineis facere, terminosque statui jousserunt. Ubei ea facta essent, Romam coram venire jousserunt. Romæ coram sententiam ex Senaticonsulto dixserunt Eidib. Decemb. L. Cæcilio, Q. F. Q. Muutio Q. F. Cos. Qua ager privatus casteli Veituriorum est, quem agrum, eos vendere, heredemque sequi licet: is ager vectigal nei fiet. Lan-

Langentium fineis agri privati ab rivo infimo, qui oritur ab fontei in Manicelo ad flovium Edem, ibi terminus ſtat, inde flovio ſuſum vorſum in flovium Lemurim, inde flovio Lemuri ſuſum uſque ad rivom Comberane, inde rivo Comberane ſuſum uſque ad convallem Caeptiemam, ibei termini duo ſtant circum viam Poſtumiam. Ex eis terminis recta regione in rivo Vendupale, ex rivo Vendupale in flovium Neviaſcam: inde dorſum flovio Neviaſca in flovium Procoberam: inde flovio Procobera deorſum uſque ad rivom Vinelaſcam infumum: ibei terminus ſtat: inde ſurſum rivo recto Vinelaſca, ibi terminus ſtat, propter viam Poſtumiam: inde alter trans viam Poſtumiam terminus ſtat. Ex eo termino quei ſtat trans viam Poſtumiam recta regione in fontem in Manicelum: inde deorſum rivo quei oritur ab fontei in Manicelo ad terminum quei ſtat ad flovium Edem agri Poplici, quod Langenſes poſident. Hiſce finis videntur eſſe, ubei confluont Edus & Procobera, ibei terminus ſtat: inde Ede flovio ſur, ſuorſum in montem Lemurino infumo, ibei terminus ſtat. Inde ſurſum vorſum jugo recto monte Lemurino, ibei terminus ſtat: inde ſuſum jugo recto Lemurino, ibi terminus ſtat. In monte Procavo inde ſurſum jugo recto in montem Lemurinum ſummum, ibi terminus ſtat. Inde ſurſum jugo recto in caſtelum quei vocitatuſt Alianus, ibei terminus ſtat. Inde ſurſum jugo recto in montem Joventionem, ibi terminus ſtat. Inde ſurſum jugo recto in montem Apeninum quei vocatur Boplo, ibei terminus ſtat. Inde Apeninum jugo recto in montem Tuledonem, ibei terminus ſtat. Inde deorſum jugo recto in flovium Veraglaſcam in montem Berigiemam infumo, ibi terminus ſtat. Inde ſurſum jugo recto in montem Prenicum, ibi terminus ſtat. Inde dorſum jugo recto in flovium Tulelaſcam, ibi terminus ſtat. Inde ſurſum jugo recto Bluſtiemelo in montem Claxelum, ibi terminus ſtat. Inde deorſum in fontem Lebriemelum, ibi terminus ſtat. Inde recto rivo Eniſeca in flovium Porcoberam, ibi terminus ſtat. Inde deorſum in floviom Porcoberam, ubei conflovont flovii Edus & Porcobera, ibi terminus ſtat, quem agrum Poplicum judicamus eſſe: eum agrum Caſtelanos Langenſes Veiturios poſidere fruique videtur oportere. Pro eo agro vectigal Langenſes Veituris in Poplicum Genuam dent, in annos ſingulos. VIC. N. cccc. Sei Langenſes eam pequniam non dabunt, neque ſatisfacient, arbitratuu Genuatium, quod per Genuenſes mora non fiat, quo ſetius eam pecuniam accipiant. Tum quod in eo agro natum erit frumenti partem vicenſumam, vini partem ſextam, Langenſes in Poplicum Genuam dare debento in annos ſingulos, quei intra eos fineis agrum poſedet Genuas aut Veiturius, quei eorum poſedeit. K. Sextil. L. Cæcilio, Q. Muutio Cos. ita poſidere, colereque liceat eus quei poſidebunt vectigal Langenſibus pro portione dent: ita uti ceteri Langenſes qui eorum in eo agro agrum poſidebunt fruenturque. Præterea in eo agro ni quis poſideto niſi de majore parte Langenſium Veiturioru m ſententia, dum ne alium intromittat niſi Genuatem aut Veiturium colendi cauſa. Quei eorum de majore parte Langentium Veiturium ſententia ita non parebit, is agrum nei habeto nive fruimino. Quei ager compaſcuos erit, in eo agro quo minus pecuaſcere Genuates Veiturioſque liceat ita utei in cetero agro Genuati compaſcuo, ni quis prohibeto, nive quis vim facito, neive prohibeto quo minus ex eo agro ligna materiamque ſumant utanturque. Vectigal anni primi K. Januaris ſecundis Veituris Langenſes in Poplicum Genuam dare debento. Quod ante K. Januaris primas Langenſes fructi ſunt eruntque, vectigal inviti dare nei debento. Prata quæ fuerunt proxima fœniſicei. L. Cæcilio, Q. Muutio Cos. in agro poplico, quem Vituries Langenſes poſident, & quem Odiates, & quem Dectunines, & quem Cavaturines, & quem Mentovines poſident: ea prata inviteis Langenſibus, & Odiatibus, & Dectuninebus, & Cavaturines, & Mentovines, quem quiſque eorum agrum poſidebit, invitis eis ni quis ſicet, nive paſcat, nive fruatur. Sei Langenſes aut Odiates, aut Dectunines, aut Cavaturines, aut Mentovines, malent in eo agro alia prata inmittere, defendere, ſicare, id uti facere liceat, dum ne ampliorem modum pratorum habeant quam proxuma æſtate habuerunt, fructique ſunt Vituries. Quei controverſias Genuenſium ob injourias judicati aut damnati ſunt, ſei quis in vinculeis ob eas res eſt, eos omneis ſolvei mittei liberique Genuenſes videtur oportere ante Eidus Sextilis primas. Sei quoi de ea re iniquom videbitur eſſe, ad nos adeant primo quoque die, & ab omnibus controverſis. Et. hono. publ. Li. Leg. Moco. Meticanio. Meticoni. F. Plancus Peliani Pelioni. F.

Deprehenſum eſt, in locis XVIII. *quos hic annotavimus, auctorem Tabulæ variare, & modo uti uno illorum, modo alio. Nam aliquando dicit Procobera, aliquando Porcobera, & ſic de aliis, cum tamen literæ ſint omnes majuſculæ ac ſcalpello in æs inciſæ.*

Quei, qui: Flovium, Floviom: Veiturioru m, Veiturium: Dorſum, deorſum: Procobera, Porcobera: Fontei, fonte: Suſum, ſurſum: Poſedet, Poſedeit: Utei, uti: Ibei, ibi: Langentium, Langenſium: Nei, ni: Veituries, Vituries: Inviteis, invitis: Sei, ſi: Infumo, infimo: Rivom, rivum: Controverſieis, controverſis.

JACOBI BONFADII
ANNALIVM GENVENSIVM

AB ANNO MDXXVIII.

(in quo desinit Ubertus Folieta)

RECVPERATAE LIBERTATIS

VSQVE AD ANNVM MDL.

LIBRI V.

In lucem editi

A BARTHOLOMAEO PASCHETTO,

VERONENSI MEDICO & PHILOSOPHO.

In hac vero postrema Editione ab innumeris mendis repurgati.

AD PERILLVSTREM VIRVM,

JVLIVM PALLAVICINVM,

PATRITIVM GENVENSEM.

PERILLVSTRI VIRO,

JVLIO PALLAVICINO,

PATRITIO GENVENSI,

BARTHOLOMAEVS PASCHETTVS

S. P. D.

Multa nobis à Diis immortalibus tributa ſunt, Juli Pallavicine vir Nobiliſſime, & ad humanæ vitæ commoda, & ad communem ſocietatem tuendam peropportuna, & maxime neceſſaria: verum nihil graviorum hominum ſententia traditum eſt, tum ad uſum uberius, tum ad dignitatem præſtantius ſtudio litterarum; quo inculti ſuapte natura animi excoluntur, à vitiis ad virtutes, ab ignoratione ad ſcientiam pulcherrimarum rerum, tamquam è tenebris in lucem evocantur; quo homines optimis legibus & inſtitutis inter ſe juncti, mutuis amoris & beneficentiæ officiis ſibi invicem deſervientes, civilem agunt & honeſtiſſimam vitam: res omnium fere ſeculorum memoria geſtæ poſteritati traduntur: præſtantiſſimorum virorum, civitatum, nationum facta immortalitati commendantur: abditiſſimarum rerum cauſæ, Dei ipſius natura, ſummaque in his inferioribus providentia cognitione comprehenditur. Hinc ſummo in honore habiti viri doctrina præſtantes, divinis laudibus ad cœlum uſque ſublati, qui litteris præditos homines adjuverunt, bonarum artium ſtudia auxerunt & honeſtarunt: itaque & priſcis illis temporibus, quibus ſummi Imperatores, & Reges, virique clariſſimi litterarum, & litteratorum amantiſſimi exſtiterunt, Alexander, Ptolemæus, Auguſtus, Veſpaſianus, Mœcenas, Liſander, Scipio, Cæſar, & patrum noſtrorum ætate, qua Leo decimus, Paulus tertius Pontifices Maximi, Franciſcus primus Gallorum Rex, Guido Ubaldus Dux Urbinatium, Coſmus Medices, excellentes in aliquo virtutis genere viros ſumma benevolentia, ſummiſque beneficiis complectebantur, litterarum honeſtiſſima ſtudia maxime floruerunt: horum tu illuſtribus veſtigiis, Juli ampliſſime, hac noſtra ætate inſiſtens, æternam tibi nominis gloriam paras: colis enim litterarum ſtudia omni officii & beneficentiæ genere; quibus nihil, ſi utilitatem ſpectes, fructuoſius; ſi voluptatem, jucundius; ſi laudem, illuſtrius contingere poteſt, viro potiſſimum genere claro, & in libera Civitate nato: foves eximia tua liberalitate, qui ſe totos litteris dediderunt; quorum lucubrationibus cum præſentes & poſteri multis afficiantur commodis, dum illos ornas beneficiis tuis, ornare videris infinitam hominum multitudinem. Exſtant profecto in illuſtri familia tua honoris inſignia, multa laudis & gloriæ monumenta, vigent memoria ſempiterna gentis tuæ, atque hujuſce præſtantiſſimæ Civitatis clariſſima lumina Antoniotus, & Jo. Baptiſta Cardinales, non ſolum ob dignitatis ſplendorem, verum etiam ob vitæ integritatem, ſingularem prudentiam, incredibilem pietatem uno omnium ore maxime commendati. Vigent Antiſtites illi religione inſignes Hieronymus, Philippus, Antonius, Nicolaus, Jacobus, Franciſcus, Petrus Franciſcus: celebrantur complures, qui bellicis laudibus claruerunt, Ballianus in primis, & Chriſtophorus, quorum alter Calo-Joannis Palæologi Imperatoris Conſtantinopolitani auſpicia ſecutus, adeo ſe præclare, fortiterque geſſit tum in eo ſingulari certamine, quod

quod pro ipsius Calo-Joannis dignitate suscepit cum quodam Persa, tum in aliis periculosissimis bellis, ut amplissimis eum honoribus cohonestandum duxerit Imperator, & augendum Lesbi insulæ, & Mitylenæ urbis imperio illis temporibus non ignobili: alter rei quidem militaris, sed maritima potissimum disciplina & usu ita excelluit, (quod Annales hi clarissime testantur) ut veterum illorum Ligurum rebus navalibus præstantium gloriam facile adæquarit: prodiere præterea ex familia tua, tamquam ex fecundissima matre, viri pacis artibus clari, & in privata & publica re administranda prudentia singulari, Augustinus unus ex duodecim-Viris, quibus rerum collapsarum statum emendandi, & concordiam civium constituendi auctoritas data fuit, Franciscus avus tuus, Augustinus pater, & Tobias patruus, Cives optimi, & de Patria, cujus honoribus & muneribus omnibus perfuncti sunt, præclare meriti: qui omnes cum virtutum suarum & rerum gestarum splendore maximum Pallavicinæ familiæ decus & ornamentum adferant, Tu tamen non inferiorem laudis gloriam ejusdem gentis posteritati relinques, ob maxima ornamenta, quæ à te in omnes bonas artes proficiscuntur in dies: ob illud in primis præstantissimum tuum in Patriam meritum, quod hoc loco sine maxima nominis tui injuria à me silentio præteriri non potest. Tu enim, cum *Annales Genuensium* ab instaurata libertate videres, intra paucorum parietes latere innumeris prope mendis refertos, cum tamen satis puro & candido orationis genere à Jacobo Bonfadio scripti essent, resque gestas Populi Genuensis continerent à nullo alio probabili aliqua diligentia litteris consignatas, perfecisti liberalitate tua, ut non modo Latina, verum etiam Italica lingua conscripti in hominum adspectum, lucemque prodirent: quo quidem beneficio singulari plurimum tibi Patria debet, & historiarum studiosi quam ex eorum lectione voluptatem, utilitatemve ceperint, eam tibi omnem acceptam referant, æquum est. Ego vero cum tuo nomine *Annales* ipsos emendandi, & in Italicam linguam vertendi munus laboriosum sane susceperim, tuo etiam nomini dicatos volo, ut sint tuæ in Patriam charitatis eximiæ, meæ vero in te observantiæ singularis perpetuum monumentum. Genuæ Kalendis Februarii, Anno à Nativitate Christi CIↃ IↃ LXXXVI.

AD PERILLVSTREM VIRVM,

JVLIVM PALLAVICINVM,

PATRITIVM GENVENSEM,

LAVRENTII BLANCI

CARMEN.

Te Pallas vicina colit, tu Palladis artes,
Deditus es Divæ, non minus illa tibi.
Quod domui vicina tuæ sit, fixaque Pallas,
Est ea præclarum nomen adepta suum.
Protulit illa viros claros bellique, domique,
Quos Pallas visa est usque fovere sinu.
Edidit insignes Patres pietate, galerus
Queis sacer ornavit tempora purpureus.
Et quorum bifida egregium caput infula texit,
Qui Patriæ addiderint non mediocre decus.
Et tuus hinc pater, & patruus fluxere, fuisse
Excelsis animis, quos monumenta docent:
Visenda hospitibus monumenta, ornantibus urbem
Præ cunctis, cives quæ quoque suspiciant.
In primis sed te miramur, & optime Juli,
Et docte, & doctis concelebrande viris.
Qui doctos æque complecteris, atque Maronem
Mæcenas fovit, nec satis illud habes.
Nam quæ gesta tuis scripsit Bonfadius olim
Civibus, haud multæ quæ evoluere manus,
Omnibus ære tuo formis excusa legenda
Porrigis, & Patriam demeruisse juvat.

JACOBI BONFADII,
ANNALIVM GENVENSIVM,
AB ANNO MDXXVIII. RECVPERATAE LIBERTATIS VSQVE AD ANNVM MDL.
LIBER I.

MAGNA quædam res eſt, magnæque facultatem felicitatis continet civilis hominum ſocietas, atque conjunctio; ex qua cum omnis humanitas, omnes optimæ atque honeſtiſſimæ artes ortum habuerunt, tum ipſa in primis juſtitia reliquarum omnium regina virtutum orbi terrarum illuxit; ut plane confitendum ſit, nullum eſſe mortalium generi conſtitutum bonum, quod officio, cultuque civili, aut optabilius eſſe poſſit, aut præſtantius. Rurſus ex iis rebus, quæ in terris aguntur, nulla difficultates, moleſque moleſtiarum majores habet, quam congregatio, & communitas generis humani: primum enim, ut omittam mala, quæ cum puriſſima in regione cœleſti eſſe non poſſint, nos hunc inferiorem mundum incolentes aſſidue circumeunt; cum unuſquiſque naturam quandam habeat ſuam, eamque minime ſimplicem, tanta exiſtit in ſingulis voluntatum ac ſententiarum diſſimilitudo, & tam varii animorum motus, ut in vita verſari ſine aliqua vel occulta, vel interdum etiam nimis aperta, atque acerba diſſenſione vix poſſimus: deinde cum civitas omnis optimam quandam ſibi proponat vitam, (omnes enim, quantum fieri poteſt, felices eſſe cupimus) ea autem ſit in uſu virtutis poſita, ita fere contigit, ut in magna hominum multitudine alii, & ii quidem admodum pauci, valde virtutem colant, alii parum, multi vero, ne quid ipſa quidem ſit virtus, intelligant; ut mirum minime ſit, ſi videmus res civiles non modo in propoſito ſibi fine impediri, ſed ab eo ſæpius aberrantes multis magniſque perturbationum incommodis conflictari. His rebus, quæ per ſe nimis perſpicuæ ſunt, exempla non adjungam; verum ſi quis ſecum animo repetat, eaque ſtudioſe inquirat, quæ poſt hominum memoriam rerum geſtarum monumentis tradita ſunt, non dicam in barbaris nationibus, ſed ne in temperatioribus quidem regionibus Europæ, ubi ingenia in rebus & conſiliis publicis maxime ſemper præſtiterunt, nullas prope civitates floruiſſe comperiet; quas inteſtina mala non aliquando, aut de priſtino ſtatu convellerint, aut certe labefactarint. Quo magis par eſt illos homines admirari, eorumque memoriam æternis honoribus proſequi, quorum cogitationes in hac cura evigilaverunt, unamque hanc ſpectarunt gloriam, ut cum civium ſuorum animos ſalutaribus concordiæ vinculis devincirent, tum vero non privatam ambitionem ac potentiam, ſed Reipublicæ commoda & ornamenta ſtabilirent, atque amplificarent; his enim conſiliis, factiſque plane divinis, & illuſtrem ſibi in cælum aditum patefecerunt, & ceteris item in pacato rerum ſtatu conſtitutis faciliorem ad beatam vitam tradiderunt viam; quandoquidem Populi, qui optimis inſtitutis ac legibus conſociati æquali inter ſe amoris conſpiratione conſentiunt, ii conjuncti maxime & chari etiam ſunt Principi rerum, ac moderatori omnium Deo.

In præclara harum rerum commemoratione verſanti, occurrit mihi Genuenſium Reſpublica, quæ ſummis opibus ſummaque auctoritate inter cæteras pulcherrime eminens, his temporibus tranquillo in ſtatu ornatiſſima conquieſcit. Horum ſane res geſtæ præter cæteras gentes maximæ & claræ fuerunt; nam non ſolum in finitimis oris, quas Italiæ duo maria alluunt, verum etiam in longinquis & ab orbe noſtro penitus ſemotis nationibus militaris illorum virtus ſeſe egregie extulit, plurimaque laudis monimenta collocavit. Teſtis eſt, ut quæ notiora ſunt omittam, Palæſtinæ & Phœniciæ tractus, qui vergit ad Orientem, unde nobiliſſimis urbibus, in primiſque Hieroſolymis, ab impuriſſimis hoſtium manibus incredibili felicitate receptis, æterna inſignia victoriæ retulerunt. Teſtis item Armenia, in quam profecti, Saracenos totis ſe campis effundentes memorabili prælio compreſſere. Jam vero in eam quoque partem, quæ ſe inflectit ad Septentriones, auctoritate prorogata ad Tanaim & Taurica in Cherſoneſo domicilia, certaſque ſibi conſtituerunt ſedes, ut totum id mare, quod intra Calpen prorumpit, & in Mæotidem uſque excurrit, theatrum, anguſtum illud quidem, eorum virtuti ac gloriæ fuiſſe videatur: adde quod Religionis noſtræ majeſtatem, Summoſque Pontifices vel ornarunt ſecundis, vel adverſis rebus juverunt, atque armis texerunt ſuis. Præterea potentiſſimi Reges, alii cum bello periculoſo premerentur, ſunt ab illis ſublevati, alii cum ipſos laceſſere voluiſſent, præliis fracti atque perdomiti: in Republica vero domi temperanda quanta in eiſdem prudentia, & quam gravis ac ſevera virtutis ratio exſtiterit, facile ipſorum amplitudo declarat: communem quidem humanarum rerum conditionem, de qua ſupra commemorabam, omnino effugere non potuerunt. Nam & multas rerum converſiones habuere, & eorum felicitati nimium fortuna invidit; verum ut faces motu vehementiorem flammam concipere ſolent, ita eorum animi in vario fortunæ concuſſu tentantes, & circumſpicientes omnia ad libertatem cum dignitate conſervandam acrius accendebantur. Cujus ſane libertatis illis ſemper præcipua cura fuit, & quotieſcunque exterarum gentium patrociniis uſi ſunt, ea ipſi ſponte ſua, ac libero conſilio, certiſque præſcriptionibus, elegerunt, atque ut retinere ſi placerent, ita rurſus amovere

vere facile poterant, si minus probarentur: plerunque autem, ut non probarentur, accidebat; propterea quod etiamsi Reges, cæterique qui in summo rerum fastigio sedent, optime animati sint, tamen eorum administri, vel quæstu adducti, vel aliarum rerum cupiditate depravati à præscripto sibi officio ac recta via persæpe deflectunt, & ad improbitates delabuntur. Illud porro gravius dolendum, quod domesticis in administrationibus factionum principes, quorum alterutrum Ducem constituere, pro temporum ratione commodum videbatur, non patriæ, sed suæ ipsorum potentiæ atque ambitioni ingenium exercuerint; etenim, qui vel partes Civium dissidentes conjungere, vel bonorum consensum adjuvare, ac bonis pacis artibus provehere debebant, multo infirmiorem reddebant, magisque alienabant, & quos civilis societatis tutores ac præsides esse oportebat, illam oppugnare, atque opprimere quasi Tyranni conabantur. Quo sane tempore eam civitatem, quam à Majoribus fortibus consiliis ac factis egregie communitam, & in ultimis etiam orbis terrarum terminis maxime florentem acceperant, huc atque illuc fluctuantem prorsusque deformatam videre sæpenumero contigit, dum pro eorum, quos dicebam, dominandi cupiditatem ac controversiam omnia diffidiis variisque seditionibus agitata concuterentur. Quapropter cum optimos quosque superiorum administrationum & varietatum jam nimium pertæsum esset, & ex imminentibus periculis præteritorum incommodorum commonefierent, fœdaque in primis illa direptionis plaga, quam paucis ante annis acceperant, etiam tum omnibus ante oculos obversaretur, communis salutis ac dignitatis causa omni studio in eam mentem & curam incubuerunt, ut Rempublicam ad meliorem statum, stabilioremque formam, & disciplinam revocarent, de qua ego scripturus sum. Quod pulcherrimum opus contigisse mihi tum, cum id minime cogitarem, sane plurimum lætor: nam tametsi antea è sævis ambitiosæ vitæ tempestatibus ereptus Patavii, id est, in philosophiæ portu, optimis artibus & studiis operam navarem, illa tamen non prodibant in lucem, cum ea persequerer, quæ in meam unius exercitationem duntaxat essent accommodata; nunc ad hoc negotium conversus fieri posse spero, si modo id tueri potero, ut aliis etiam aliqua ex parte prosim, & me interea per illustres occupationes à silentio & solitudine vindicem. Atque ea quidem, quæ superiorum temporum sunt, ex aliorum scriptis cognoscentur, & laborem nostrum minime requirunt: hæc vero, quæ ipse nunc aggredior, nondum à quoquam probabili diligentia literis mandata sunt; quæ profecto quo propiora erunt, eorum enim, qui vivunt, facta explicabunt, eo promptius & vehementius quandam quasi flammam in egregia illorum virorum pectora injicere debebunt, qui vel præteritarum actionum memoria, vel amore famæ venientis ad verum decus, solidamque virtutem excitari solent: verum antequam ad eum locum veniam, unde mihi initium sumendum est, quæ rei propositæ ita conjuncta visa sunt, ut separari minime possint, paulo altius repetens ea summatim commemorabo.

A. C. 1527. Annus erat post humani generis instaurationem supra millesimum quingentesimus & vigesimus septimus, & ex contentione, quæ inter Carolum Quintum, & Franciscum Valesium Gallorum Regem acerrima versabatur, ardebat Italia bello. Genuensibus vero temporum perturbatione, multorumque casu incommodorum conflictatis, Dux præerat Antoniotus Adurnus, qui Caroli partes sequebatur; cum propter eas causas, quæ jam sunt à me demonstratæ, frequens civium multitudo majores Magistratus adiit, ad eosque retulit, uti per eorum auctoritatem aliqui deligerentur, qui accurato consilio optimam institutionem virtutis justitiæque civilis informarent, legesque perscriberent, quibus constituta civitas ad eam concordiam, quæ omnium bonorum votis summe semper fuerat expetita, sese tandem aliquando componeret ac stabiliret. Patres rem statim comprobavere, cupideque amplexi, Antonioto Adurno justis de causis non invito, eam potestatem ac curationem duodecim-Viris mandarunt; ii fuere, Francus Fliscus, Baptista Spinula, Augustinus Pallavicinus, Stephanus Justinianus, Simon Centurionus, Augustinus Lomellinus, Philippus Cattaneus, Vincentius Saulius de Rapallo, Jo. Baptista Monelia, Jo. de Marenis Davania, Nicolaus Grimaldus Ceba, & Hieronymus Doria, is qui postea in sacrum Senatum à Summo Pontifice est cooptatus: erat ea re magna in lætitia & gratulatione civitas, neque fere quisquam omnium erat, qui cum discordiarum civilium finem, formamque tranquillitatis futuræ sibi animo proponeret, tum sibi, tum fortunis communibus novam de cœlo lucem obortam non existimaret, ita non solum homines vultu serenitatem, verum etiam Urbs ipsa quasi sensum hilaritatis adspectu præ se ferre quodammodo videbatur, jam susceperant operam duodecim-Viri cum judicio bene consulti, tum valde integritate probati, ad eamque rem administrandam tota se cogitatione converterant; verum nescio quo fato fieri videmus, idque est longa rerum humanarum actione cognitum, ut magnarum curarum magnæ fere esse soleant difficultates & moræ. Etenim tristissima quædam tempora consecuta sunt, quibus factum est, ut illius procuratione negotii necessario supersedendum fuerit; nam cum omnis ora maritima adversariorum præsidiis teneretur, eorumque magna atque expedita classe maria longe lateque obsiderentur, neque ad ea convehenda, quæ ad victum necessaria sunt, ullus pateret aditus, ingens inopia, summaque annonæ caritas civitatem occupavit: quare dum exigua quædam alimenti ratio in singulorum capita describenda esset, & lacrymabiles interea gemitus diurni, nocturnique tota urbe exaudirentur, atque ex omni parte miserrima fames, & fœdissimus horror ingrueret, hominum mentes in longe diversas curas, aliosque labores avocabantur.

Accidit autem per id tempus, ut Lautrechi in Italiam adventu (is erat Imperator, qui totius exercitus Regii potestatem gerebat) status civitatis sit facta commutatio. Itaque per adversam factionem Antonioto Adurno facultate data, sese libere subducendi, Theodorus Trivultius Regis nomine ad Reipublicæ custodiam & gubernationem receptus est: post quam rerum commutationem nihilominus in instituta ratione erectioribus animis obfirmati cives, ubi primum licuit, id quod instituerant, perficere rursus aggressi sunt, Trivultio ipso consentiente, seu id ex animo faceret, sive obscuro consilio ac simulato, quo magis in recenti honoris gradu collocatus, ea humanitatis specie voluntates hominum sibi conciliando, omnes in suscepta Regis amicitia atque in officio contineret; id utcunque fuerit, multis certe haud mediocrem admirationem afferebat. Ita ille abiit annus.

A. C. 1528. Qui vero secutus est, ineunte Vere, gravissimam, maximeque horribilem pestilentiam adduxit: fuerant hyeme tota, quæ antecesserat, austris leviter flantibus imbres maximi, itaque assidui, ut sol moderator temporum, quique vitam & salutem larga luce mortalibus affert, tres prope menses haud se terris ostenderit: qui postea, ubi verni caloris appulsu tepefacti sunt, ex humidis seminibus, quæ conceperant, vaporibus excitatis facile aerem infecere: in quam pestilentem luem eo proclivius hominum corpora concidebant, quod humores, quos

ex mala victus ratione, fame dominante, contraxerant, magis erant ad putrescendum parati: quanquam ea contagio non modo in tenues & obscuros incubuit, sed latius serpens arripuit etiam claros & locupletes: quorum cum alii acerbissimo fato interiissent, alii focos & lares patrios mortis timore perculsi deseruissent, facta erat in urbe miseranda vastitas & solitudo.

Interea Savonenses, qui Genuensibus adjuncti jam ante se eorum ditioni subjectos ac vectigales esse ægre ferebant, more multorum, qui secundam fortunam ferre haud facile possunt, liberius atque audacius ea moliri cœperunt, quæ frustra persæpe tentaverant. Induxerant in animum suum, idque, quibuscunque rationibus poterant, evincere conabantur, uti ad se naves omnes cum mercibus atque oneribus libere commearent, atque ita negotiationem maritimam omnem à Genuensibus averterent: præterea salis facultatem, quam Genuenses suo sibi jure reservarant, omni contentione elaborabant, ut in suam quoque ditionem vindicarent. Quæ sane res, præterquam quod jus Genuensium imminuerent, in eorum etiam detrimentum maximum recidebant. Hos motus & conatus parum consideratos cum aliàs etiam magna spe aggressi tentassent, quod ad mercatus, forique celebritatem, natura loci adjuvante, brevi res suas, & quæstu, & potentia se magnopere amplificare posse confiderent; quam lenissimis semper verbis incusati fuerant, amiceque commonefacti, ut à proposito desisterent, in eoque manerent, quod antiquissimo fœdere convenissent; & quoniam iniquum erat, cum alienam sibi potestatem assumere, tum id recusare, quod sua voluntate atque optimo jure ad id tempus deprehenderant, cogitare eos opportere, & quid possent, & quid deberent; quorum utrumque si attenderent, in altero injuste atque injuriose facere; in altero parum prudenter. Hujuscemodi verbis, & multis præterea in hanc sententiam, quæ ad sanandas eorum mentes pertinebant, cum sæpe fuissent admoniti*, illi tamen in suscepta pertinacia acriter persistebant: ac per id tempus commodam occasionem nacti, paucorumque potentium, qui suis privatim cupiditatibus & commodis serviebant, studio largitioneque adjuti exploratam in spem venerunt, se per Regis Ministros & Consiliarios à Rege, quod concupierant, consequuturos. Genuenses, qui ne id fieret, summa semper diligentia præcaverant, ubi præter spem, & contra, quam licebat, factum cognoverunt; eosque, qui parere consueverant, animadverterunt jam se murorum molibus & propugnaculis, perinde quasi animis & spe bellum præsumerent, communire, gravi nimirum justoque sunt dolore commoti; & eo magis, quod cum legationes ad Regem misissent, quæ pro se causam demonstrarent, docerentque, si id juris, eamque auctoritatem Savonensibus attribueret, eum contra omnia jura facturum videri, de sententia ipsum dimovere non potuerunt. Quæ causa, ut paulo post demonstrabimus, ad institutæ rationis novæ Reipublicæ formæ progressum, exitumque inveniendum, maximum momentum attulit.

Iisdem temporibus, cum Lautrechus terrestribus copiis Neapolim obsidione premeret, Andreas Doria, ad quem Regis nomine summa officii imperiique maritimi respiciebat, eodem Philippinum Doriam octo cum triremibus miserat, ut hostes integra oppugnatione obsiderentur. Qui cum Ugonis Moncadii audacia concitati cum triremibus sex & biremibus duabus prælio rem committere, atque Doriæ classem, quæ in Salernitano sinu consederat, adoriri non dubitassent, egregia Aurianorum virtute profligati sunt; quo in prælio Moncadius cecidit, Alphonsus Avalus, Ascanius Columna, multique præterea amplissima fortuna viri capti, conservatique sunt; & ea demum secuta, quæ ut uberius memoriæ prodantur, non est præsentis instituti mei. Post eam insignem victoriam Andreas Doria in magna animi lætitia haud omnino poterat sedata cogitatione conquiescere; & quam jucunda, quæ pro Rege fuerant ipsius auspiciis gesta, in illius memoria insidebant, tam erant illa acerba, quæ de civium suorum præsentibus incommodis, & de iis, quæ multo graviora impendere videbantur, assidue cogitabat.

Verum, quoniam in hujus clarissimi viri mentionem sæpenumero incurram, quæ de ejus natura & moribus spectata & cognita sunt, hic me locus monet, ut silentio non prætercam. Is genere admodum nobili fuit, adspectu plane regio, ad gloriam atque ad omnia summa natus, quamquam ad bellicam laudem, eamque maritimam, se magis convertit: amor ipsius incredibilis erga Patriam facit, ut cum Cæsare non sit comparandus, qui suam oppressit: singularis humanitas erga omnes, ne cum Catone, qui tanta severitate fuisse dicitur: eo tamen utriusque natura inerat; celeri industria, horribilique vigilantia illum æquabat; hunc justitia & recte factis; magnitudine animi utrumque: Vir in primis & Civis & Imperator optimus. Hic igitur, uti dicebam, decreta de Savonensibus interposita, imminentemque Patriæ perniciem secum ipse considerans, magnoque animi motu perturbatus afflictabatur: scripserat ad Regem accuratissimas literas; miserat etiam certos homines, qui supplicibus verbis tantam ac tam gravem indignitatem deprecarentur, Regiamque fidem & sapientiam implorarent: sed qui in ancipiti etiam causa pro maximis ipsius meritis fuisset sublevandus, in justissima destitutus fuit. Quapropter, postquam ad æquissimam rationem impetrandam non egregiam voluntatem suam, non merita, non recentis victoriæ gratiam, non denique supplices pro Patria preces, apud Regem valuisse intellexit, statuit se ab illius amicitia avertere: fuere aliæ præterea causæ ipsius privatæ, justæ illæ quidem & magnæ, quæ id suaserunt; verum hæc, quam exposui, præcipuas partes habuit: illas vero nunc à me commemorari necesse non est.

Erix est oppidum, quod abest ab urbe Genua millia passuum sexaginta, ad portum Veneris tutissimo loco positum: eo Andreas Doria se recepit, multa animo movens, atque ad omnes casus excubans, quos vel occulta hominum consilia adducere, vel turbulenti illius tempestatis motus aperte invehere potuissent: mox vero exacto tempore, ad quod imperio Regis munus suum obstrinxerat, ubi satis officio factum existimavit, cum rite prius per certum nuntium voluntatem suam Regi denunciasset, omni illius sacramento solutus est. Et quanquam postea Rex (quod plerisque accidere solet, ut id percupide expetant, quod paulo ante neglexerant) omni diligentia per idoneos homines conatus est Doriæ sibi voluntatem recuperare; ille tamen summis præmiis, quæ proponebantur, summisque pollicitationibus rejectis in suscepta sententia permansit: ac cum Neapolim cum omnibus suis triremibus navigasset, (jam enim Philippinus redierat) tractabantur conditiones, quibus Caroli sese rebus adjungeret, ad Inarimen insulam concessit, Gallorumque classem, quoquoversus progredientem, hostilem in modum insequi cœpit, ac male habere.

Iisdem diebus Lautrechus mortem obiit, atque is exercitus, qui Neapolim obsederat, dissolutus est, magnaque ex parte subita morborum vi miserrime absumptus. Hac in fortunæ rerumque omnium commutatione Theodorus Trivultius, qui Regis nomine Genuam regebat, rebus suis diffidens, de præsidiis in urbe collocandis cogitabat. Erant in Gallia Cisalpina Alexandriæ peditum circiter

ter duo millia; hos adhibita summa celeritate accersierat: qui, ut postea cognitum est, non ita multum morati, cum profectionem parassent, certiores facti anguste stipendium illis persolutum iri, simulque veriti pestiferum æstum, quem audierant Genuæ ingravescere quotidie magis, à proposito itinere destiterunt. Hoc consilio Theodori cognito, Andreas Doria, qui omnem vim cogitationum, actionumque suarum eo direxerat, ut à cervicibus Patriæ jugum omne depelleret, rem sibi diutius differendam non existimavit, & jam classe atque animo paratus propius accedebat. Quod cum adversarii, qui se paulo ante in portum receperant, præsensissent, sibi timentes fugam spectare cœperunt. Transierat jam dies, qui fuit ad IIII. Idus Septembris, & nox insecuta obscuram admodum caliginem cœlo invexerat, cum illi è portu educti sese in tenebras & fugam conjecere. Et quamvis, perinde quasi decertaturi essent, instrumentorum bellicorum horrifera vi ingentique fragore inanes auras complerent, omne tamen eorum certamen in cursu & celeritate positum erat. Doria primo fugientes insecutus, deinde cum nocte circumfusus occasionem bene gerendæ rei nullam videret, se tam diu sustinuit, quoad dies illuxit: prima vero luce duas triremes, quæ Savona directo itinere Genuam contendebant, imprudentes aggressus expugnavit; totidemque præterea ab omnibus remigibus ac propugnatoribus desertæ in ejus potestatem venere; quæ cum incautius præproperaque festinatione è portu egredi colluctarentur, in procurrentibus saxis hærentes cursum conficere non potuerunt. Erat in urbe deformis solitudo, eaque in solitudine plena timoris atque terroris omnia, Magistratus, qui aderant, solivagi, sollicitaque trepidatione suspensi: Doriam vicina littora circumsedentem quatuor cives adeunt, afflictam illi fortunam urbis commendant, & civium salutem, rogantque, ne quid novi tumultus per oppugnationem excitari velit, quod in Patriæ discrimen ac calamitatem sit recasurum. Quibus ille comiter acceptis, quid esset suæ voluntatis atque propositi accurato sermone demonstravit. Ejus vero sermonis hæc fere summa fuit: *Non esse consilium suum novo aliquo motu Patriam perturbare, sed perturbatam potius ad pacatam quietem revocare, si posset: antiquissimam sibi hanc curam fuisse: proinde nunciarent cæteris civibus, optima ut spe essent, seque, dum ne ab externo præsidio urbem occupari paterentur, ad eos, nisi ita eorum voluntas ferat, non progressurum.* Posteaquam hoc renuntiatum est, pro foribus ejus templi, quod à Vineis nomen accepit, Theodorus Trivultius, qui ex arce eo descenderat, paucos, qui aderant, cohortatus est, ne à pristina fide desciscerent, neu vellent novos casus, durioremque fortunam periclitari, at ut ab Regis amicitia ornamenta ac commoda exspectarent amplissima, quorum se auctorem, adjutoremque præcipuum fore pollicebatur: multaque præterea addidit, quorum commemoratione existimavit, eorum voluntates & studia ad sese posse traducere: abeuntem è frigida concione, atque in arcem, unde exierat, regredientem, pauci, qui affuere, prosecuti sunt.

Postridie vero mane, cum Doria certior esset factus, Trivultium de præsidiis accersendis valde laborare, veritus ne rei bene gerendæ oblata facultas è manibus elaberetur, illius consiliis antevertendum existimavit. Itaque oppugnationem aggressus, nullo prope negotio urbe potitus est. Nam Janus Brandus notus ex Corsica miles, qui tum cum parva manu molem portui objectam asservabat, cum ab ea parte nulla esset armatorum irruptio facta, sed per paulo superiorem locum ingressum sibi patefecissent, primo in credita sibi custodia se continuit; deinde audito libertatis ac Divi Georgii nomine, quod passim Doriani milites maxima voce conclamabant, impium duxit, contra ejus sanctissimum nomen armis contendere, sub cujus patrocinio insula ipsius germana patria æquissimo imperio regebatur; & Borasinus, cui Sarzanæ convallis littus præsidio non minus firmo defendendum contigerat, Helvetiique circiter sexaginta, qui stationem ad Palatii sedes tenebant, parum ausi contra jam victores infestis signis consurgere, facile cessere. Qua in rerum trepidatione Theodorus Trivultius, cum omnia in Auriæ potestatem jam venisse cognovisset, se in arce omni spe destitutus inclusit. Hæc, quæ in urbe gesta fuerant, in suburbanis prædiis, quo vitandæ pestilentiæ causa civitatem omnem commigrasse supra demonstravimus, statim audita sunt. Quare celeriter magno omnium concursu eo confluxit. Advocata vero concione, omnium ordinum viri in Dorianam porticum frequentes convenere: ubi Andreas Doria hujuscemodi fere verba habuisse dicitur: *Omnium laborum, quos, & multos, & varios in vita suscepi, fructum hodie uberrimum fero, cives mihi charissimi, quod hoc loco, hocque in rerum statu nostrum hunc consensum video: nos non jam ullum externorum Dominorum superbum imperium premit, non ullius Syllæ, aut Marii, improbæ Factiones ad arma concitant. Quæ turbulenta, pravisque studiis involuta fuerunt, abiere; pacata, aperta, liberaque nobis jam sunt omnia. Proinde ut hic dies finem nobis multarum attulit ærumnarum, ita vehementer velim, ut universis novæ sit principium salutis: nolite existimare, quæ temporum rerumque conversionibus fiunt & commutantur, ea temere aut casu evenire, quæcunque apud nos fieri videmus, omnia fluunt è providentia cuncta prospicientis & moderantis Dei. Circumspicite frequentiam vestram, qui tota regione disjuncti antea misera in urbe solitudinem feceratis. Cælum jam etiam ipsum ad novam celebritatem, alteriusque initium vitæ nos vocat, & ad spem meliorem stabilienda nobis civitas est; multæ circumsistunt difficultates, sed nihil est tam difficile, quod virtute perfici non possit; cujus viam ingressi olim Majores nostri omnia dura atque aspera pervadere, suique nominis gloriam ad ultimas Ægæi atque Ionii maris oras protendere potuerunt: verum cum omnis virtutis, tum maxime civilis, qua nos indigemus, custos ac conservatrix concordia est: quas calamitates superioribus annis propter dissensiones perpessa sit civitas nostra, dolore prohibeor commemorare: hac ipsa, quasi æreo muro, ubi nos sepserimus, omnis erit omnibus adversis rebus ad nos interclusus aditus, nullaque exsistet unquam tanta vis, quæ bene corroboratas opes & vires nostras queat contundere: nam si quicquid agitatur seditione infirmissimum est, id profecto ad immortalitatem convalescit, quod animorum conjunctione munitur: tollantur in posterum omnes de principatu controversiæ, non factio cum factione, neque pars cum civium parte confligat; sed, si vere cives appellari volumus, ad communem honestæ vitæ societatem, & ad recte facta singulorum inter se virtus cum virtute conspiret. Cæterum de concordia ac Republica constituenda vos quidem antea meditabamini, id tamen meo sane judicio effici nullo modo poterat, nisi prius bene explicatam libertatem possideretis hanc, pro qua recuperanda cogitandum vobis esset, si viri estis, feras etiam gentes, terras omnes, omnia maria movere; hanc, inquam, ego hodierno die vobis restituo: ea ne vestris è manibus eripiatur, & cum tam opportunum tempus vestrum conservandorum divinitus oblatum sit, ne mox, ubi effugerit manibus, votis id optaturi sitis, providete.* Hac Oratione habita, grata concionis admurmuratio sequuta est, in qua Francus Fliscus, qui in duodecim-Viris principem locum obtinebat, de hac ipsa re statim referre cœpit, ac quorundam nominatim sententias rogare, eo in hunc sermonem ingresso placitum est omnibus, ut Senatus haberetur.

Ita-

Itaque postero die, qui civitati lætissimus, maximeque salutaris illuxit, publico consilio convocato, cum magna futuri eventus exspectatione cives frequentissimi convenissent, Doriæ consilium una alacrique omnium assensione sanxerunt. Qua in re Baptistæ Lomellini egregia virtus enituit; qui primus sententiam rogatus, non solum sui sensus testificatione illustri, verum etiam gravissima cohortatione cæteros excitavit: ac, cum multa ornate præclareque dixisset de libertate, de concordia, de beata civium vita, & memorabilia multorum facta ex omni priscorum Ligurum antiquitate collecta in medium attulisset, beneficentiæ fontes aperuit, reique suæ familiaris partem pro Patriæ communiumque fortunarum præsidio pollicitus est: cujus exemplum pulcherrimæ laudis studio complures secuti, eandem voluntatem præ se tulerunt. Illud postremo non est silentio prætereundum, eo ipso die in tam frequenti conventu, neminem fuisse adversa valetudine tentatum; cum antea per incautos vel solo attactu passim dira contagia serperent. Ita novum tranquillitatis ac concordiæ statum placidus & pacatus aer excepit; ex eoque tempore dies deinceps secuti sunt salubriores.

Hæc mihi perspicua erant brevitate perstringenda, quibus tanquam fundamentis positis ad operis mihi propositi ædificationem accedam, haud sane multo cum artificio. Qui vero his temporibus in hoc scribendi genere magnifice versantur, si luminibus nostris obstruxerint, æquo animo feram, eorumque orationis altitudinem admirabor; dum illi ipsi norint, me non magnopere exaggerationis laudem adamare, sed eam vehementer persequi, quæ simplici, sed non inculta tamen, veritate proficiscitur.

Postquam igitur Genuensium libertas hoc Reipublicæ fundamentum sibi constituit; resque cum fama ipsa, tum eorum literis late percrebuit, Italia tota ejus facti auspicia bonis ominibus prosecuta est, progressumque illis optavit longe secundiorem: præsertim cum omnes intelligerent, Genuenses pacatam vitam degere cupientes, justitiam, non injuriam, rerumque suarum conservationem, non alienarum occupationem meditari. Eo tempore Franciscus Borbonius Regii exercitus Imperator Ticinum urbem circumsidebat: ad eum Octavianus Saulius hujus rei nomine legatus est; qui expositis fœderibus amicitiæ, egregiæque Genuensium in Regem voluntatis, demonstravit, eos non repentino aliquo motu in hanc mentem incidisse, ut diffidentes civium animos componerent, sed antiquam hanc illis fuisse curam, ad quam etiam ab ipso Rege, cum illo justis de causis re communicata, quodammodo invitati, benequeanimati fuerant: propterea Regi minime mirum videri debere, si id jam perfecissent, quod & sibi ipsis utile, & cuivis bono rectum videri possit. Quod vero ad novam Reipublicæ constitutionem attinebat, liberorum hominum inquit esse proprium ita vivere, quomodo ipsis videtur esse maxime commodum, dum ne alteri noceant; idcirco nemini se injuriam facere arbitrari, si qui antea aliorum sibi patrocinium accersere consueverant, jam consiliorum ipsi suorum moderatores esse velint; Regi amici, nemini hostes, omnibus æqui. Borbonius, qui & natura mitis, & Genuensium rebus haud infensus erat, pauca pro tempore questus, & quæ in rem suam facere videbantur, placide locutus, Saulium in honore habuit; sed tamen eum ab se dimittendum non existimabat. Itaque diebus ibi aliquot consumptis, cum animadverteret diem ex die exspectari, reditumque suum diutius, quam ipse volebat, impediri, admonitus, ut sibi consuleret, tacite se subduxit, deviisque itineribus Genuam reversus est.

Hoc in rerum statu Genuensibus de futuro eventu sollicitis, periculaque imminentia longe circumspicientibus, necessarium visum est, dare operam, ut ad hostilem oppugnationem, quam jam jam futuram animis augurabantur, omnibus rebus essent parati. Quamobrem cum pecunia in primis quærenda esset, centum & quinquaginta aureorum nummûm millia à Procuratoribus Curiæ Sancti Georgii mutuo sumpserunt: cui novis vectigalibus cautum est; quæ primo domibus imposita, cum eorum exactio nimis acerba videretur, mox in salem translata sunt. Et quoniam duodecim-Viri, quorum prudentia civitas regebatur, gravioribus curis distinebantur, quam ut rebus omnibus præsto esse possent, quatuor Tribuni militares creati sunt, qui quæcunque ad rem bellicam pertinebant, omnia summa diligentia administrarent; & quo tutius, faciliusque urbs custodiis, vigiliisque communiretur, ea quatuor in partes descripta, totidem è præstantibus virtute civibus ductores delecti sunt; quorum separatim suam quisque stationem obtineret, ad eamque propinquorum civium manu comparata noctu atque interdiu excubaret. Missi præterea sunt quoquoversus belli, regionisque periti homines, qui quascunque possent copias contraherent: & quanquam ea res difficultatem habitura esse videbatur, propterea quod pestilentia robur & sobolem militum, magnamque mortalium partem in Liguria consumpserat; tamen ex oppidis finitimis satis validam peditum manum in urbem adduxerunt; alii vero tum ex Etruria, tum ex Corsica in dies exspectabantur. Habebat præterea in triremibus suis Andreas Doria Hispanos homines acres, præliisque assuetos, quos variis locis & temporibus captos remiges esse jusserat; etenim recentis direptionis, quam Hispani Genuensibus intulerant, altius in ejus animo memoria insederat, eumque adversus omnem illam nationem reddiderat infensiorem. Hos, quod & in ea fortuna diutius ipsos detineri haud æquum existimabat, ut qui ad partes Cæsaris jam esset adjunctus, & quia ratio temporis ita postulare videbatur, omnes solvi atque in armis esse jussit.

His ita constitutis rebus, plurimum fiduciæ ac spiritus omnibus accessit. Illud quidem à nonnullis haud recte dictum videretur, *animum nostrum mala persæpe, bona vero minime unquam præsagire:* etenim vis illa animæ, quæ cogitationes & consilia explicat, ubi, quæ ab ipso consulta sunt, animadvertit optime procedere, videtque eventus sequi maxime secundos atque optatos, eam ipsam spe, qua nitebatur, multo etiam firmiorem facit, existimatque præpotentem justitiam, id est, Deum ipsum in suam ipsius causam esse propensiorem; & propterea acriori voluntate ac studio cætera persequitur. Arx erat intra urbem in monte, qui Sanus appellatur; in quam, ut supra demonstratum est, Trivultius se receperat; hæc in primis erat expugnanda: rem susceperat Philippinus Doria; quam cum esset aggressus, in eoque negotio esset occupata civitas, interea de Francisci Borbonii adventu fama perfertur, quæ re subito allata, variisque hominum sermonibus aucta, omissa Arcis oppugnatione, alacres universi adversus venientem hostem se confirmarunt: ac ne vel eruptionem ex Arce tentantibus facilis exitus esset, vel advenientibus hostibus eo aditus pateret, ab ea parte, qua periculum imminebat, (ea ad Septentrionem vergit) duplicem fossam perduxerunt in urbe, quæ fuit militaris usus imperita, & vel propter ætatem, vel sexum infirmior multitudo, cujus magna pars, prout cuique visum est, cum iis rebus, quæ prædæ cupiditatem invehere plerumque consueverunt, eo abducta est, ubi ab omni esset periculo tuta. Ad montes finitimis locis, & ad hostium iter observandum, & ad eos vexandos, oppor-

opportunis, dispositæ sunt cohortes quædam, atque in duas partes distributæ; quarum alteri Borasinus, alteri Grechetus Justinianus præpositi sunt. Superaverant jam Galli montium juga, qua ex Gallia Citeriori Genuam per Porciferam Vallem iter expeditius est: ea est Vallis primo angusta, variisque anfractibus inflexa, deinde directa, mollique planitie se magis aperit, plurimis domiciliis distincta atque ornata; alluiturque torrente, qui nisi cum se majores imbres è nubibus erumpunt, peramœna lenitate delabens influit in mare, duo ornatissima suburbia in littore interfecans, Cornelianum, & alterum magis ad urbem vergens, quod ab arena nomen accepit. Cum Morigallum pervenissent, qui pagus ab urbe abest millibus passuum quatuor, ibi consederunt; eodemque die cum eorum nonnulli in proximos colles incautius processissent, circiter triginta capti sunt, remisque addicti. Erant in Gallorum exercitu Genuenses aliquot: his publica interposita fide unius diei & noctis spacium præfinitum est, quo ex adversariorum castris discedere impune liceret: quod si in suscepta pertinacia permansissent, palam pronuntiatum est, fore, ut eorum bona proscriberentur, ipsique in Patriæ proditorum censerentur loco. Id cum in castris esset auditum, paucis admodum consilii mutationem attulit: nam seu pudore adducti, seu quod ex suo ipsorum judicio atque animi conscientia sibi timerent, sive quod exploratam sibi victoriam promitterent, ad suos redire, utique temporis opportunitate neglexerunt: unus aut alter ex iis capti loco perspicuo & nobili cum infami litterarum inscriptione suspensi sunt. Postridie vero ejus diei, hoc est, Kal. Octobris audax Internuntius, quem Henardum vocant, à Francisco Borbonio in urbem venit; qui cum in Curiam, quam frequentissima hominum vis & multitudo compleverat, esset introductus, sine ulla orationis præmunitione: *Ego*, inquit, *Regii Legati nomine publicus vel pacis, vel belli nuntius adveni. Si vos in Regis fidem ac potestatem restituitis, pacem, summamque Regis indulgentiam vobis affero; sin parere recusatis, bellum, incendium, omnesque cruciatus atque acerbitates denuntio; itaque, utrum placati Regis clementiam, an irati potentissimam manum experiri malitis considerate.* In tam frequenti armatorum celebritate, atque concursu, maximo strepitu, confusisque conclamantium vocibus tota Curia concrepabat. Quare Ambrosius Gentilis Senarega publicus Scriba, suggestum conscendere jussus, silentio indicto hanc Galli Orationem, quam pauci in proxima tantum corona excipere potuerant, pleniori voce pronunciavit; quod eo consilio factum esse comperio, ut cum omnes intelligerent secum tam minaciter agi verbis iis, quasi telis altius adactis, omnium aures ferientibus, eorum animi, quos jam concordia, amorque libertatis concalefecerat, libera indignatione magis etiam accenderentur. Sane amor atque iracundia duæ sunt à natura datæ homini faces, quarum utraque multum per se potens, pollensque est; verum ubi altera alterius sibi auxilium assumpsit rapimur inflammati in omne periculum, nullusque umquam terror tantus impendet, quem subire non simus parati. Ea audita Oratione parum abfuit, quin is Internuntius occideretur. Verum in multitudine irarum stimulis concitata affuit quorundam prudentia moderatrix perturbationum, qua per summam contentionem factum est, ne jus in eo legationis violaretur: ubi vero clamor resedit, armatorumque concursus repressus est, Augustinus Pallavicinus, cui respondendi potestas est permissa, *Regem*, inquit, *Gallorum hac civitas omnibus officiis, & quibuscunque potuit studiis præcipue semper coluit, deque illius amplitudine & majestate, quam, & salvam, & diuturnam esse cupit, nihil unquam nisi amice atque honorifice cogitavit. Hæc observantia, & voluntas nihil immutata est; & quod ille patietur, non immutabitur: sed rerum natura una in re nos disjungit, quod Regibus hoc fere est innatum, ut omnia suo ipsorum imperio subjecta esse velint, & si quæ civitates eorum se tutelæ ac fidei commendant & tradunt, in eodem item loco reponant; nos vero libertati studemus, atque ad hanc unam referimus omnia. Hanc vim & cupiditatem nobis natura insitam frangere, eique obsistere nec possumus, nec debemus: & nunc quidem in novo hoc nobis statu rerum constituendo, ab ejus imperio minime dissidemus, sed magis inter nos ipsi consentimus. Regis benevolentiam sane plurimi facimus; pacem vero, quam affers, cum non pax, sed servitutis pactio ea sit, repudiamus. Quod si ad bellum vocemur, non libenter quidem huc descendimus, sed tamen non ita excidimus animis, ut lacessiti, armis contendere recusemus. Proinde Regis Legatus etiam atque etiam cogitet, quid suscipiat, & quo prorumpat, memineritque eum ipsum locum, ubi consedit, ex Gallorum calamitate nomen olim accepisse: illius minas ut non pertimescamus, ratio suadet, cogit necessitas, suadet libertas, Patriæque ipsius vox superiores nobis seditiones exprobrantis. Quare aut retinebimus libertatem, aut simul cum ea, urbem, regionem, vitamque ipsam relinquemus. Verum quoniam Dii justis causis favent, qui hunc etiam ardorem mentibus nostris addiderunt, speramus fore, ut illum potius audaciæ suæ, quam nos consilii nostri, pœniteat.* Gallus hoc responso accepto discessit; quem aliquot cives ex Curia ad certum usque locum deduxerunt, unde ad suos sine ullo incommodo se recipere posset.

Porro, ut majori militum numero, majoribusque præsidiis urbs communita esse videretur, admonitu Paridis Gentilis factum est, ut quacunque ille per urbem iter haberet, ita copiæ disponerentur, ut quæ primo visæ fuerant, alio rursus loco, atque alio, quo tectioribus viis antevertentes se profundebant, eædem conspicerentur: cujus ille ostentationis ignarus, menteque perculsus, cum in castra ad Borbonium pervenisset, præterquam quod retulit, Genuenses animis esse ad dimicandum paratos, præsidiorum etiam rerumque omnium opinionem uberius auxit. Quæ res & audaciam hostium imminuit, & spem, qua concitati ad exorientem Genuensium splendorem exstinguendum, communemque vitæ societatem perturbandam, venerant, infregit. Maximis itaque laudibus ornanda concordia est, de qua mihi sæpenumero est dicendum; neque verebor, ne ineptus existimer, si in hujus mentionem frequens oratione incurram; præsertim cum hæc præcipua virtus sit, cujus divinis consiliis salus civitatis sit constituta, & qua sublata, civilis omnia virtus intereat, omniaque præclara facinora ad perniciem dilabantur. Civium quidem communio instar est unius hominis, multos sensus, & pedes, multasque manus habentis: atque ut corpora nostra, si bene constituta natura sint, morbis fere non tentantur, omniaque incommoda facillime perferunt; ita hæc societas, si eam sibi temperationem adhibuerit, ut summa conjunctione ea congruant è quibus constat, valens, vigensque diu ab omni externa vi se facile tuetur, atque conservat.

Persuaserat sibi Franciscus Borbonius civitatem hanc nondum ex inveteratis dissensionum morbis convaluisse, atque intra cutem aliquid ulceris latere; cui rei ille potissimum confisus, nullo prope negotio voti se compotem futurum arbitrabatur: at vero ubi aliud comperit, quam quod ejus opinio ferebat, non ultra sibi progediendum exi-

existimavit. Sed profecto vir ille, summa nobilitate, egregiaque virtute ornatus, moderatissimi sensus fuit; præclare poterat, si acerbior hostis esse voluisset, regioni detrimentum, ædificiisque, & duabus navibus, quæ in sicco erant, inimicos ignes inferre: verumtamen ab omni prorsus injuria & maleficio temperavit. Ex eo die nihil præterea accidit, quo uberior mihi scribendi facultas suppeditetur.

Descenderat Sinibaldus Fliscus ex montibus, qui ad Gallorum castra pertinebant; hunc ab hostibus circumventum magno in discrimine versari fama dimanarat; quæ rumoris aura repente excitata fecit, ut plenissima cohors ex urbe procurreret, laboranti Flisco subsidium allatura: sed cum parvo confecto spatio ei redeunti atque incolumi occurrisset, se repressit, eoque, unde discesserat, regressa est. Hostes vero interea terrorem inferre, propius adequitare, speciemque pugnæ objicere atque ostentare non desistebant; sed tum, cum aliquo in periculo res esse videretur, nunciatum est, eos castra movisse, celerique se profectione subducere. Quod cum esset auditum, initum consilium est, an abeuntes hostes insequi præstaret; sane plerisque ea sententia probabatur, sed tamen itum est in sententiam eorum, qui dissuadebant; non ob id solum, quod tutior visa sit, verum etiam quia rectior: non enim bellum aliis inferre, sed illatum tantum defendere Genuensibus erat propositum. Hujus oppugnationis, si ita appellare velimus, hic fere exitus fuit. Qua in re Sextrini, atque accolæ Porciferæ vallis præclaram virtutem atque operam præstiterunt; quapropter iis immunitates datæ.

Postridie vero ejus diei duodecim-Viri, quorum summa auctoritate totius civitatis consensu omnia gerebantur, unum in locum convenerunt, ut quod fuerat ante in eorum collegio multis lucubrationibus, longaque accuratione consideratum atque compositum, id jam ederent in lucem, & Rempublicam constituerent: ac primum quidem, ut seditionum seminaria, pestiferaque factionum nomina tollerentur; civitasque non vel unius, vel paucorum privatæ utilitati serviret, sed communi omnium æquabilitate contineretur; inventum est illud temperamentum, ut omnes, qui vel dignitatis splendore, vel integritate morum, merito in civium numero reponendi essent, in octo & viginti familiis describerentur. Ex quibus unus duntaxat civium ordo conflatus est, iisque omnibus pro cujusque natura & meritis aditum ad omnes magistratus patere voluerunt. Hac igitur æquali civitatis descriptione constituta, ut jam ipsi duodecim-Viri ex amplissima, quam gerebant, potestate decederent, civitasque suum statum, suamque moderationem, ac formam acciperet, Ducem, octoque Gubernatores Reipublicæ pari potestate ex iis viris, quorum de bonitate atque virtute magna opinio erat, creaverunt. His præterea octo Procuratores adjuncti sunt. Dux primus fuit Obertus Cattaneus Lazarius, cui quod esset sine liberis ad opinionem integritatis plurimum valuit; quod consentaneum esse videretur, quem rerum privatarum cura minus afficere atque impedire posset, eum in publico officio & munere multo diligentius atque incorruptius invigilaturum. Gubernatores fuere, Nicolaus Justinianus, Petrus Lercarius, Thomas Cattaneus, Laurentius Fliscus Ragius, Hieronymus Lomellinus, Joannes Baptista Saulius, Nicolaus Negronus, Pantaleo Imperialis Ballianus; Procuratores vero Baptista Lomellinus, Andreas Justinianus, Hieronymus Vivaldus, Franciscus Spinula, Nicolaus Grimaldus, Simon Auria Buzallus, P. Joannes Cibo Clavica, Augustinus Pinellus. Quinque præterea Censores creati sunt, qui *Supremi* nominantur, Andreas Doria, Baptista Spinula, Sinibaldus Fliscus, Thomas Negronus Bigna, Paris Gentilis: his quattuor annorum spacium est constitutum; Doriam tamen propter singularia ipsius merita Respublica perpetuo Censorem esse voluit. De cæteris autem Magistratibus, quot sint, & quam habeant auctoritatem, quantumque cuique Magistratui temporis præstitutum sit, ex quibus, à quibus, & qua ratione eligi soleant; item de judiciis, & quadringentorum consilio; de institutis, & legibus, harumque omnium constitutiones & differentias accurate explicare atque distinguere, non est mihi hoc loco propositum: novarum institutionum liber publicis in monumentis à Scribis custoditur, in quo hæc diligentissime scripta sunt, quæ si quis cognoscere voluerit, ex eo petat, licebit.

Interea de Savona oppugnanda consilium initur: paratus jam erat exercitus, cum eo Augustinus Spinula & Philippinus Doria ad eam oppugnationem profecti sunt. Savonenses, qui in Francisci Borbonii firmamento & robore spem suam collocaverant, cum eum reflante fortuna Alexandriam cessisse cognovissent, fracti animis supercilium ac spiritum, quem sumpserant, remisere. Itaque ad belli Duces, quos commemoravi, de communi consilio legatione missa ad deditionis conditionem, polliciti, nisi intra septimum diem subsidia sibi non venirent, se, suaque omnia Genuensium potestati permissuros; hac una exceptione adhibita, ut Moreta Regius Præfectus tormenta bellica, quæ Regis nomine eo erant adducta, & res suas privatas sibi exciperet, fieretque ei potestas, ut abiret incolumis: atque in hanc pactionem dati sunt obsides ex primis civitatis. Abbas quidam Fondratus Alexandriam profectus erat ad auxilia evocanda; sed cum id frustra tentatum esset, & jam dies effluxisset, quæ ex pacto deditioni erat constituta, Savonenses se dediderunt. Postero autem die Andreas Doria & Sinibaldus Fliscus eo profecti Reipublicæ nomine oppidi possessionem acceperunt: idque Jo. Baptistæ Lasaniæ & Baptistæ Lomellino custodiendum regendumque tradidere. Recuperata Savona, quid in eam statuendum sit, publico consilio exquiritur; qua in deliberatione multi censebant gravissime vindicandum, ut non aliquibus urbis partibus tanquam nervis in feroci corpore exsectis, urbem ipsam solutam debilitatamque relinquerent, verum ne quando exsurgere iterum posset, funditus excidendam; cæterum qui mitiori ingenio fuerunt, hoc de se nimiæ acerbitatis exemplum posteris suis prodendum non existimarunt. Itaque in hanc sententiam factum est Senatusconsultum: *Cum Savonenses à Genuensibus per perfidiam defecerint, placere muros Savonæ funditus everti, nova propugnacula, omnesque munitiones complanari, fossas urbis compleri, portum obstrui, cives vero ipsos cum eorum bonis incolumes esse:* quæ omnia paucis post diebus confecta sunt.

Cum ad hunc locum pervenissem, & infirma mea valetudo paulum me à scribendo retardasset, alter ex Procuratoribus, qui huic officio meo præsunt, in Negroni locum suffectus, hacque ipsa in cura obeundi muneris sui diligentissimus, multis, gravibusque verbis de totius collegii consensu admovere mihi stimulos cœpit, ut festinarem, homini alioqui intelligenti de modo ac facultate scribendi res graviores, quid auctores optimi senserint, demonstravi, dixique, *Seu naturæ, sive artis opera inspiceret, in pulcherrima quaque re conficienda celeritatem minime probari; opus esse maxima diligentia; diligentiam vero tempus requirere. Ingenia etiam hominum haud omnibus horis esse parata, liberumque esse debere Scriptorem, & nulla ejusmodi, qualem mihi afferebat, temporis lege circumscriptum: non cito scripsisse Salustium, non Virgilium, non item cæteros, qui recte scripsere, quique luce posteritatis perpetuo fruentur.* Ad hæc

hæc ille mihi respondit: *Me non Historiam aut Poesim, sed Annales conficere; habere me præterea in manibus scripta Franci Parthenopæi, quæ sequerer, & quæ plurimum molestiæ allevarent meæ, porro delectum verborum, nitoremque eloquentiæ non esse admodum in iis rebus quærendum, in quibus simplex veritas attenditur.* Tum ego: *Si quæ Parthenopæus dolavit, ea mihi tantum perpolienda & stylo persequenda sunt, paucis commutatis, quæ à duobus Senatoribus animadversa, ac notata sunt, bene habet, inquam, detractus erit mihi operosus labor singula conquirendi, sed profecto vereor, ne in rebus ipsis parum, in celeritate vero absolvendi operis nimium accurati simus. Ego tamen soluto animo sum, nam si laus meum scriptum sequetur, integra ea fere mea futura est, si reprehensio, hæc mihi vobiscum erit communis.* Hæc ubi collocuti fuimus, conclusit ita, ut diceret, *placere sibi, & collegio ut festinarem,* meque dimisit. Proinde ubi hæc vestra in lucem venerit, si cui forte videbor gracile quoddam corpus confecisse, & quasi ex ossium tantum compositione compactum, neque adjecisse sanguinem, aut colorem, non vestitum, ornatumque aliquem circumdedisse, is cum legerit intra quæ consepta contrusus fuerim, haud male de me existimans facile judicabit, officio meo satis à me factum fuisse, cum id præstiterim, quod à me requirebatur, eisque satisfecerim, à quorum consilio atque præscripto recedere nec poteram, nec debebam. Nunc redeo, unde digressus sum.

Rebus ita compositis, temporis opportunitate Genuensium alacritatem & studium incitante, ad ea, quæ erant reliqua, se converterunt. Ovada est oppidum trans jugum Apennini positum, non omnino contemnendum, quod Trottorum familia Alexandrina jam aliquot annos occuparat: ad hoc oppidum expugnandum Bartholomæus Spinula cum exercitu profectus est, cui oppidani rebus diffisi statim se dediderunt. Id cum audiisset Antonius Guascus, veritus, ne idem exercitus ad oppugnandum Gavium (quod oppidum antea Genuensium fuerat) contenderet, Paulum Elmium Jureconsultum Genuam misit, qui suo nomine de ejus oppidi deditione cum Senatu Genuensium ageret, commodamque, si posset, conditionem super ea re constitueret: sed Grechetus Justinianus, antequam nuncius Guasci Genuam pervenisset, Gavium aggressus nullo fere negocio cepit. Arx vero, quæ oppido imminet, difficilem oppugnationem habebat, ut quæ & loci natura munita, & positis præsidiis, copiosoque commeatu firmata à Guasco tenebatur. Itaque cum Genuenses de dimittendis copiis cogitarent, facile per Paulum Elmium res ex utriusque partis commodo ita composita est, ut Guascus Gavium, arcemque, & omnia ipsius jura vacua liberaque Reipublicæ Genuensium traderet, acceptis ex ærario Divi Georgii aureorum nummûm quindecim millibus. Hunc in modum res transacta est. Gavienses Hieronymo Furnario Jurisconsulto, & Jo. Baptistæ Lercario, Reipublicæ Genuensium nomine id exposcentibus, vitæ sanctissimo jurejurando confirmarunt, se perpetuo mansuros in fide. Custos loci Antonius Spinula Canetus institutus est: rebus terrestribus explicatis, ad statum Patriæ, atque ad omnium salutem pertinere visum est, ad res quoque maritimas studium transferre, scilicet, ut stabilitæ libertatis vires omni ratione communirentur. Itaque duodecim triremes ædificandas curavere, quæ hyeme confectæ sunt.

Interim Gallorum exercitus, qui ab oppugnatione Genuæ, ut supra demonstratum est, infecta re in Citeriorem Galliam se receperat, & Alexandriæ in hybernis se collocarat, mense Decembri Montejano & Vallicerchio Ducibus ad novum rei militaris opus se accinxit. Audierant ex fama ipsa, multorumque indicio cognoverant, Genuenses omnibus copiis dimissis studium belli remisisse, otiumque agitare. Quare oblata spe vel Genuæ potiundæ, vel Andreæ Doriæ comprehendendi, quem maxime oderant, atque in suburbio Fasciolano habitare probe norant: ii duo Duces celeritate itineris atque opportunitate temporis freti cum satis firma manu delectorum militum sub primam vigiliam Alexandria egressi, Lelmum, quod Spinularum oppidum ab urbe Genua circiter viginti millia passuum distat, prima luce pervenerunt, ibi tantisper commorati, dum se ex nocturno labore reficerent, Genuam contendunt, & ne de clandestina eorum profectione quicquam enunciaretur, quoscunque obvios habent, comprehendunt, secumque perducunt: ex plerisque interim eadem certius cognoscunt, quæ primo intellexerant, exercitum Genua discessisse, omniaque ibi improvisa atque imparata. Quare alacres, & fiduciæ pleni, atque ad omne genus immanitatis ardentes, tamquam ad paratam prædam sublatis tendebant animis: verum fortuna, qua pridem etiam minus prospere usi erant, eorum consilia & spes frustrata est; nam cum jam Genuam appropinquarent, is dies fuit ad XIV. Kalend. Januarii, ex montanis hominibus unus, & item alter, eorum agmen ex alto loco conspicati rem celeriter ad Doriam deferunt. Ille ubi de improviso Gallos infestis signis ad se tendere videt, ab animi virtute auxilium petens, qua Gallis ad suas ædes iter erat, transversariis tignis, opportunisque munitionibus pro tempore objectis, viam obsideri jubet, eique munitioni nonnullos ex iis, quos circum se habebat, præfecit; quibus adversariorum impetum acerrime sustinentibus, supellex interim, quæ erat carior, periculoque exposita, intra urbem est importata. Erant tunc ædes Doriæ mœnibus urbis prope conjunctæ, quæ mœnia ex humilibus, debilibusque in eam postea altitudinem & firmitatem exstructa sunt, ut hostibus terrori, cæteris autem ea contemplantibus admirationi esse possint: ipse cum vehementius pugnaretur, & civitati timeret, intra portam se conjecit, eaque occlusa, & ferreis repagulis obfirmata, summa vi propugnans omnem spem, quam magnifice conceperant, hostibus adimit. Dum hæc in ea parte geruntur, cives improviso malo trepidare, illi quidem, sed tamen virtutis memores arma capere, alius alium adhortari, & catervatim ex omnibus partibus, uti eos locus aut casus conjungebant, ad hostium vim repellendam concurrere. Quare Galli, cum nonnulli eorum vulnerati cecidissent, roburque propugnantium redintegratum, pertimescendumque videretur, direpto Fasciolano, excitatoque in Auriæ ædes incendio, fuga sibi consulentes sub vesperum discedunt, eodemque quo venerant itinere, Alexandriam revertuntur. Sane haud erat difficile Genuensibus eruptione facta illam hostium aciem profligare, si in eam deliberationem incubuissent. Cæterum audacia, quæ ex consulto suscipitur, plerumque eorum, quos aggressa est, consultationem ancipitem reddere solet, præsertim si adsit celeritas. Itaque hoc in primis hostibus saluti fuit, & illa præterea ratio, quod Genuenses, qui diuturnis malis attriti non ex audacibus facinoribus famam quærere, sed ex providentia cauti, incommoda subterfugere studebant, veriti sunt ne majora hostium subsidia Vallecerchium subsequerentur.

JACOBI BONFADII
ANNALIVM GENVENSIVM
AB ANNO MDXXVIII. RECVPERATAE LIBERTATIS VSQVE AD ANNVM MDL.
LIBER II.

Haec mihi in præsentia tractanti, & vetera Genuensium facta cogitatione complectenti, venit in mentem addubitare, num hujus ætatis homines satis eorum laudibus respondeant, qui hac in urbe superioribus seculis floruerunt. Extant monimenta rerum, quas Genuenses gesserint abhinc annos paulo supra quingentos; nam superiora aut injuria temporum interiere, aut Scriptorum negligentia non sunt tradita literis. Ejus igitur antiquitatis memoriam si repetamus, natura & instituto veteres illos cives eo potissimum spectasse comperiemus, ut ad præclara facinora & ad laudem omni studio contenderent. Domi probitate inter se atque industria certantes moderatis fortunis, quas obtinebant, ita utebantur, non ut avaritiæ, aut ambitionis instrumenta, sed ut subsidia essent rerum gerendarum. Divitias pulcherrimas se assequi arbitrabantur, si quæ ejusmodi perficerent, ex quibus ipsi bonorum opinione maxime essent probati, & liberis suis aliquam gloriam relinquerent; foris res arduas, plenasque periculorum sæpe aggressi, urbem nacti commoditate præstantem, magnam sibi comparaverunt in rebus maritimis potestatem; ut non solum finitimis, verum etiam extremas oras incolentibus, vel terrori, vel præsidio fuerint. Interim nationes feræ domitæ, urbes in disjunctissimis terris captæ, vel auctæ, vel etiam conditæ, honoresque à Regibus & Pontificibus illis habiti, eorum nomen maxime illustre reddiderunt. Hæc sunt ab antiquis; verumtamen majori eos studio in rebus bellicis, quam consilio in urbanis & in Reipub. moderatione usos esse vere affirmare possumus. Etenim in iis constituendis, qui summam rerum tenerent confusa atque incerta disciplinæ civilis ratione utebantur, & cum apud eos multæ, magnæque varietates ac commutationes existerent, sæpenumero fœde diffidentium factionum contentiones valde Rempublicam perturbabant. Quemadmodum etiam nos ipsi recentiore memoria civitatem laborantem videbamus, cum variarum seditionum tempestatibus agitata, & more fluctuantis navis, modo ad hunc, modo ad illum Dominum, tanquam ad duros scopulos, delata miserandum collidebatur. Verum stabilita in composita civitate concordia bonorum, virtute unius potissimum præsidio aucta, atque adjuta, aliquando tandem fundatus est paci ac tranquillitati portus.

Equidem non is ego sum, qui cujuspiam gratiam eorum, qui vivunt, aucupari studeam, homo recondita natura, & satis cognita fide; neque profecto causa ulla subest, quamobrem assenter alicui, qui animi mei libertatem quandam secutus, nemini me unquam addixerim. Vere eloquor, quod sentio; cum mecum ipse considerate perpendo, graves actiones, industriam, præstantes animorum motus multorum civium, eos audeo partim cum Antiquorum laude conjungere, partim etiam ipsis anteponere. Classibus non navigant in Orientem, non jura sibi constituunt in exteris populis, fateor, & est in promptu causa, quod viribus Turcarum nimis in immensum auctis & corroboratis, omnia sunt ipsorum armis longe lateque occupata; & propterea via illa, quæ usque ad Euxinum Pontum gloriæ antiquorum Genuensium patebat, jampridem est interclusa. Itaque hac tempestate deest materia propagandæ bellicæ gloriæ, & non deest tamen in civitate vigor ille priscus, non robur, non magnitudo animi ad eam comparandam. Cujus rei hoc argumentum habeo, quod si Andreas Doria, quem unum omni antiquitati oppono, eos labores tulit, eaque pericula alacriter adiit, quæ norunt omnes, si tantas, toties, & tam præclaras res gessit, ut nulla prope maria sint, quæ incredibilem ipsius tum animi, tum consilii vim non admirabili famæ commendatione testentur: si quibus se Regibus adjunxit, eorum inclinatam fortunam erexit ad victoriam. Sane non est existimandum seminarium, & fontem, ex quo ille profluxit, sic exaruisse, ut alios item non tulerit, qui haud multo inferiorem lauream domum referre possint, si ita ferant occasiones. Sed hæc tempora aliam vitam, aliosque mores afferunt; non negligitur quidem res militaris, quatenus Reipublicæ expedit, cæterum ad actiones urbanas, bonasque pacis artes vigent majora studia, quæ studiis militaribus anteferenda videntur, cum illorum causa hæc expetantur; viget religionis sincerus & summus honor; viget beneficentiæ erga indigentes exprompta, quotidianaque exercitatio; inerti otio nullus locus; vigilantia, labor, & navitas omnia occupat: studium autem augendæ pecuniæ maximum illud quidem; at si Genuensium montes & saxa nihil ferentia spectes, haud magnopere reprehendendum, quoniam necessarium, si ejus pecuniæ usum in nonnullis consideres, summe etiam laudandum. Tulit hæc civitas quosdam, quos ego admirari magnopere soleo, divitiis atque opibus longe cæteris superiores (Crassos diceres, aut Lucullos) victu & cultu inferioribus pares; quorum præpotens fortunæ ubertas in hominum commodis provehendis propensa semper atque parata, illustris quidam est quasi triumphus virtutis; quocirca & de civibus suis quotidie bene merentes, & quicunque divinis animati mentibus cum se ipsis, tum illis rebus caducis recte sunt

funt usi, digni sunt, qui famæ monimentis inserti, clari sint, atque æterni. Leguntur passim libri doctissimorum hominum, quibus assidue admonemur, quid bonum in vita, & quid vere expetendum videri debeat; sed quoniam parum attenditur, vulgi opinione turpissime omnia obscurante, id sæpius est inculcandum, ad laudem, ad decus, atque ad communem hominum utilitatem, patriamque in primis conservandam nati & suscepti sumus; nec quicquam omnino est dignum hominis præstantia, & quod in cœlum nobis aditum paret; immo vero quod bonum ducendum sit, aut privatim alicui, aut publice civitatibus, nisi sit cum virtute conjunctum. Cætera terram subeunt, & crassis occultata tenebris in fœdum interitum cum pecudibus obruuntur. Sed ne provehar longius, redeo ad institutum meum.

Cum Republica constituta, proximum opus sit, diligenter, ut conservetur, providere; cumque nondum satis esset adhibita solertia in eam partem, quæ rem militarem attingit, præstetque, ut securitas adsit, principio anni, qui est insecutus, Senatui visum est necessarium, ut Duces belli deligerentur, qui idoneis urbis locis distributi ad repentinos tumultus, si qui forte inciderent, sine ulla trepidatione è vestigio accurrere possent. Eorum singulis centum viri ex flore juventutis attributi sunt. Duces decem & septem fuere; Andreas Spinula, Jo. Baptista Pallavicinus, Jo. Baptista Lercharius, Hector Fliscus, Melchior Doria, Nicolaus Grimaldus, Philippus Cattaneus, Andreas Imperialis, Adamus Centurionus, Vincentius Saulius Rapallus, Vincentius Negronus Merellus, Bartholomæus Lomellinus Passanus, Jo. Ususmarius Roveretus, Octavianus Justinianus Monelia, Hieronymus Francus Julia, Leonardus Interianus Passagius deest. Cum igitur ad Curiam frequenti Patrum consessu excepti universi convenissent, brevi Oratione, quam Baptista Grimaldus Zinus habuit, de scripto de suo ipsorum officio & studio commoniti sunt, Reique publicæ nomine suum cuique ex belli Ducibus vexillum traditum est, jurejurando dato, quo singulorum virtus ad munera præclare obeunda acrius confirmaretur, omniumque Patriæ præstanda magis obstringeretur fides. *Hæc vexilla*, inquit ille, *virtuti vestræ traduntur, ô cives, ut reliquis civibus, ut patriæ terræ, & parentibus præsidio, decorique futuri sitis. Quotiescunque hæc præ oculis vestris posita conspicientur, toties erit vobis de libertate pugnacissime defendenda cogitandum: quæ iisdem sane rebus retineri solet, quibus etiam parari. Concordia, jure æquabili, atque armis, concordia conjunctissimi sumus; leges item conditæ, atque præscriptæ sunt; relinquebatur, ut ab armis certum nobis ipsis domi in posterum auxilium constitueremus: id nobis manus vestræ conficiant, oportet: quibus pro communi salute rerum bellicarum cura permittitur: est Scipionis sententia, plus animi inesse inferenti periculum, quam propulsanti: ea profecto non est usquequaque vera existimanda, nisi cum ii, qui periculum inferant, imparatos offendunt eos, quos adoriuntur. Etenim improvisus ille terror mentem hominibus eripit, majoraque sibi quisque fingit, quem ob rerum inscitiam pavor occupaverit. At qui discunt nihil extimescere, & quæcunque impendent, antecepta animo diligenter explorant, ita ut ad audaciam, consilium, ad providentiam, armorum usum, atque exercitationem adjungant: hi bene præparato animi robore omnes venientes impetus facile frangunt. Quocirca vestrum est, nullum periculum, antequam inciderit, non incidere posse, arbitrari, atque ad illud præclare sustinendum vos comparare. Vigilandum est perinde ac si semper hostiles urgeant insidiæ, vobis præsertim, quibus patrium est, per res asperas atque arduas virtutem quærere.* Ita cœtu dimisso omnis illa juventus opportuna atque idonea rebus gerendis novitatis amore accensa, bellicis studiis sub his ductoribus se exercere cœpit, interdiu sæpe per convalles & planiora loca armati in numerum exire, ordines habere, signa sequi, atque omnia belli simulacra referre: noctu juxta, ac si hostes adessent, stationes obire, vigilias agere, & laboribus omnibus assuescere, quos poscit disciplina bellicæ virtutis. Interea, quoniam qui sibi finem aliquem proponunt, non solum ea debent summo studio parare, quæ ad propositum finem pertinent, verum etiam amovere contraria, censuit Senatus, ut arx Castelleti, de qua superiore Libro latius commemoravi, funditus everteretur. Nam munitissima ejusmodi propugnacula eorum quidem rationibus, qui vel pauci vel soli dominantur, maxime conducere, in civitate vero liberorum hominum, in qua omnibus inter se æquo jure vivendum sit, nimium persæpe obesse judicavit.

A. C. 1529.

His rebus confectis, cum Genuenses Caroli summi Imperatoris egregiam erga se voluntatem exploratam haberent, & multæ, justæque causæ hortarentur, cur ejus sibi amicitiam & patrocinium adjungerent, de communi consilio Sinibaldum Fliscum Legatum ad eum in Citeriorem Hispaniam mittunt: is audita legatione, Sinibaldum cum civitatis nomine, cum quod ipse vir fuit & Majorum dignitate, & sua ipsius virtute, fortunaque ornatissimus, singulari comitate complexus est, hominemque aliquot ibi menses summo in honore habitum ita dimisit, ut pollicitus sit, se pro Genuensium Republica conservanda, eorumque commodis studiosius adaugendis, nullum umquam laborem recusaturum.

Per idem tempus cum duodecim triremes (de quibus supra commemoravi) jam propemodum essent ad navigandum paratæ, ut deduci possent, totidem cives egregia virtute cogniti, qui illis præessent, curarentque ut omnibus rebus instruerentur, delecti sint. Verum paucis post diebus, cum hujus rei magna esset in exspectatione civitas, nocte intempesta repente ignis adhæsit, omnesque cum ea simul contignatione, quæ navalibus tegumento fuerat, incensæ sunt; id casus ne, an alicujus consilium tulerit, (quoniam plane non constat) nihil habeo quod affirmem. Philippo Doriæ urbis Præfecto in primarii templi propylæis magna frequentia consessuque totius Senatus (quæ res summa cum religione, cerimoniaque confici solet) ab Oberto Cataneo Lazario Duce vexillum publicum traditum est; utpote cui ob præclara ipsius merita rei bellicæ summa permittebatur. Et ipse Andreas Doria tametsi conscientia recte factorum contentus, non aliud sibi virtutis præmium quæreret, tamen passus est, pedestrem è marmore statuam ad Curiam sibi collocari, neque ædium donationem recusavit, quæ Auriana in regione decreto publico illi facta est, cum inscriptione, PATRIAE LIBERATORI: tum ut judicio, grataque voluntate suorum civium memori mente perfrueretur, tum quod sciebat hujusmodi honorum & monimentorum exemplo, ut virtus trahat homines ad verum decus, eosque, qui vegetiore animo sunt, ad aliquod opus illustrius excitet, & tanquam splendore quodam arripiat ad amorem, studiumque de Republica bene merendi.

Iis diebus Augustinus Spinula, vir bellicis laudibus clarus, cum firmo exercitu trans Apenninum ad oppugnandum Novium contendit: id oppidum, quod sub Genuensium ditione fuerat antea, Origa uxor Petri Campofulgosi, audaci atque elato animo mulier, Gallorum præsidio eo tempore tenebat: cum Puteolos pervenisset, qui locus est Noviensibus finitimus, parum absuit, quin in hostium insidias inciderit: tempus erat antelucanum, iique Duce quodam Belliforte intra silvas loco fraudi maxime opportuno se occultarant, eo consilio, ut cum

Spinulæ copiæ in eam partem proceſſiſſent, qua neceſſario iter facere oportebat, ſubito ex omnibus partibus ſeſe ejicerent, inopinanteſque & in locum iniquum progreſſas adorirentur: verum re per exploratores patefacta, quos dolos in alios præparaverant, eis ipſi circumcluſi ſunt: aliqui ex illis interfecti, pauci capti, in quibus fuit Bellifortis, reliqui fuga ſibi ſalutem petiere. Cum ad oppidum acceſſiſſet, oppugnationemque pararet, qui in eo ſe continebant, facta pactione, ut ſua omnia conſervarentur, illi ſe dediderunt. Horum deditionem Ovatenſes, qui à Genuenſibus defecerant, ſtatim ſecuti ſunt. Sed jam ad alium rerum ordinem tranſeat oratio.

Carolus Cæſar, qui altiſſima quæque ſpectans in apertum ſibi curſum ad gloriam dies nocteſque toto ferebatur animo, Barcinone conſiderat, eoque præter egregium comitatum, quo pro amplitudine Imperii ſemper ornatus eſſe ſolet, multi inſuper clariſſimi viri Hiſpaniarum principes illum erant ſecuti. Cumque conſtituiſſet in Italiam velle navigare, Andream Doriam, cujus virtuti & felicitati ſumme confidebat, ad ſe accerſi juſſerat. Itaque Doria delectis ex Genuenſi nobilitate quadringentis viris cum XV. triremibus rebus omnibus inſtructiſſimis eo profectus eſt. Sane ineptus ſim, ſi illius diei, illius congreſſionis ſplendorem, atque inſignem comitatem, qua à Cæſare ipſe tum exceptus ſit, oratione complecti velim, tacita cogitatione id ſibi quiſque ſubjiciet, ſecumque reputabit, fuiſſe illum longe gratiſſimum utrique, omnibus jucundiſſimum: quanquam ex Hiſpanis non defuere, qui cum id diſſuaſionibus obtinere non potuiſſent, ne in Italiam tenderet, illud tacitis conſiliis aggreſſi ſunt perſuadere, ut cui ductori, & quibus hominibus ſe committeret, etiam atque etiam deliberaret; Doriæ voluntatem, qui nuper à Rege Gallorum diſceſſiſſet, tanta ſubito in re tanquam exploratam judicare valde eſſe periculoſum: Regem ipſum, per cujus fines navigandum eſſet, anxiis irarum curis excubare, & meditari qua maxime ratione poſſet ulciſci dolorem ſuum: magnum imminere ab illius claſſe periculum, quam Maſſiliæ habere ferebatur paratiſſimam: poſtremo novas oras, & gentes, nova loca, atque incognitos portus adeunti, omnia illi eſſe magnopere circumſpicienda. Cum hæc atque hujuſmodi multa Cæſari ad timorem, ſuſpicionemque proponerentur, Kal. Auguſti, quo ex omnium animis omnem dubitationem atque ancipitem deliberationis difficultatem eximeret, pene ſolus prætoriam triremem conſcendit, & celſa in puppi cum Doria ſermonem conferens, remorum pulſu pauliſper pelago aperto invectus eſt, eodemque die cum videret idoneam eſſe ad navigandum tempeſtatem, ſolvit, & quos ipſe ad profectionem delegerat, omnes ſtatim naves conſcendere, ac ſe ſequi juſſit. Septimo die Savonam attigit, eo obviam miſſi ſunt octo viri, qui Reipublicæ Genuenſis nomine Cæſarem ſalutarent, ultroque ei offerrent omnia, quæcunque ab univerſæ civitatis facultate in ipſius amplitudinem & commodum proficiſci poſſent: hi fuere Baptiſta Lomellinus, Francus Fliſcus, Anſaldus Grimaldus, Auguſtinus Pallavicinus, Baptiſta Spinula, Thomas Doria, Auguſtinus Uſuſmarius, & Bernardus Juſtinianus: ex eo loco majorem copiarum partem Placentiam præmiſit, mox placido mari, cœloque admodum ſereno Genuam pervenit; in portum ingredienti plauſu maximo incredibilis eſt illi ex omni parte gratulatio ſignificata, inde in Senatoriam Curiam adſcendit, adſcendentem magnifico rerum viſendarum apparatu, Dux, & Senatus, magnaque omnium ordinum frequentia celebravit. Claſſis, qua advectus eſt, unius & triginta triremium fuit, navium, quas onerarias vocant, trium & triginta, armatorum vero copia, quos tum ibi circum ſe habuit, ad quatuor millia hominum. Legati confeſtim ad eum undique convenerunt, atque hic multarum rerum componendarum, pacandique Italiæ ſtatus inita ſunt primordia, quæ concordiæ conſiliis aucta non ita multo poſt partim Placentiæ, partim Bononiæ auctore Cæſare ad exitum perducta ſunt. In legationibus audiendis Florentinorum durior fortuna fuit. Hi popularem ſtatum temporibus adjuti in civitatem introduxerant, illis ejectis, qui Clementis Pontificis Maximi nomine principatum tenuerant, petebantque, ut eam ſibi civilem vivendi rationem retinere liceret. Verum Cæſar ad eorum poſtulata aures prorſus obſtruxerat: nam cum non mediocri dolore affectus eſſet, ob calamitatem inſignem, quam urbi Romæ Borbonius invexerat, cuperetque, quibuſcunque officiis poſſet, Pontificis incommoda ſarcire, proximis diebus ejus Legato omni confirmatione receperat, ſe in priſtinum ſtatum Pontificem reſtituturum. Huc accedebat, quod juſtiſſimis de cauſis animo erat in eam civitatem offenſiore. Quibus rebus effectum eſt, ut paucis poſt menſibus ſuis ipſius copiis paſſus ſit Florentiam oppugnari, atque in ejus poteſtatem venire, à quo pridem ad motum fortunæ ſe ſubtraxerant. Cæſar VII. Kal. Septemb. Genua diſceſſit, Placentiam, & mox Bononiam profectus eſt. Nec quicquam præterea hoc anno publice actum occurrit mihi, quod memoriæ prodendum eſſe videatur.

A. C. 1530.

Anno inſequenti ad VI. Id. Febr. noctu octo triremes, de quibus ſupra dixi, incendio conſumptæ, placitumque eſt Senatui, ut aliæ ædificarentur. Cæſar jam Bononiam ad Clementem Pontificem Maximum pervenerat, exſpectabatque ex Germania litteras, quibus certior fieret de Rege Romanorum creando quid ſtatueretur. Hæc res aliquot illum dies obſcura ſpe incertum, ſuſpenſumque habuit: ubi vero in certam ſpem venit Ferdinandum fratrem ita eſſe à cunctis ſuffragiis paratum, ut, quin ipſe Rex declararetur, non eſſet dubitandum, voluit, ut per Pontificem Maximum Romani ſibi Imperii Corona imponeretur: id actum eſt in Divi Petronii templo ad VI. Kalend. Martias. Ad hujus tantam celebritatem diei, ad quam ex omnibus paulo notioribus Italiæ locis ornatiſſimæ legationes convenerant, Reipubl. Genuenſis nomine, Francus Fliſcus & Nicolaus Juſtinianus eo profecti ſunt, & his Jo. Baptiſta Lercharius tertius Legatus additus, qui paucis ante diebus publicæ rei cauſa eos anteceſſerat. Hujus in nobiliſſima contentione pulcherrimum factum non videtur ſilentio prætermittendum. Exiturus Cæſar ex primo ſacrario, in quo iis ſe veſtimentis ornarat, quibus indutum ſacro cerimoniarum ritu in medium eum procedere oportebat, juſſit, ut præirent Oratores, qui aderant, & cum æquum videretur, ut Senenſes, utpote Genuenſibus inferiores, antegrederentur, id audacter recuſarunt: orta ex utraque parte controverſia, Præfectoque cerimoniarum honorum Senenſibus adjudicante, nimirum qui eſſet in eam partem voluntate propenſior, ibi tum Lercharius contra diſſeruit, demonſtravitque ſententiam, quam is dixerat, vim potius habere officii atque amici erga Senenſes animi, quam auctoritatem hominis recte judicantis, habere Genuenſes à Cæſare Reſcriptum, quo Ferrarienſibus & Florentinis hoc ipſo honore fuerant antelati. Cum Senenſibus nullam illis unquam contentionem fuiſſe, ut qui deteriori jure cenſerentur. Tum Cæſar, cum dirimendæ controverſiæ locus opportunus non videretur, primus ipſe egreſſus eſt; Legati permiſte ſubſecuti. Erat illis deinceps in ſupremum templi ſacrarium adſcendendum, ubi præcelſo in ſolio celeberrimo conventu Pontifex ſedebat, cum Lercharius eo introgreſſus à Ferrarienſi Legato adſcenſu pro-

prohiberetur, resque esset in controversiam adducta, pronunciavit Pontifex, ut Ferrariensis loco cederet: eo cedente, ecce hic iterum unus ex Legatis Senensibus eam in sedem irrumpere conabatur, tum Lercharius loco superior hominem commotiori animo & voce monet, quod alienum esset, ipse sibi præripiendum putaret, cum ille, projecta audacia contra inclamans se magis attolleret, manum in ejus mentum obnixe conjicit, facileque detrudit: cum accessisset alter, atque utraque manu Lercharii veste correpta, eum deturbare summa vi niteretur, vestem ille quidem conscidit, sed dextro reluctantis pede acerrime concussus, retro cum gemitu projicitur: ita, utroque represso, probe perfecerat, ut duo Seniores, quos collegas habuit, quieti considerent. Cum clamarent adversarii Senas vetustate antiquissimas esse, iniquum videri, si per eos, quibus sæpe fuerat imposita servitus, de Senensium dignitate quicquam derogaretur; ad hæc ille respondit, raro admodum esse animadversum, quin magnæ civitates magnas item mutationes perpessæ fuerint, Genuenses quidem non externa vi fuisse subactos, sed laborasse dissensione civili; quocirca si aut à Rege Gallorum, aut ab aliis, qui civitati præessent, accersiti sunt, cum ii non Domini, sed pro Ducibus fuerint, vel alterius civium factionis propugnatores & patroni, quod de servitute objicerent, id esse falsum. Generis autem vetustatem se quidem Senarum urbi non adimere, at si utriusque urbis originem ex literarum monumentis repetere vellent, fore, ut se minime anteponerent: porro si res gestas, si nominis gloriam, si potestatem, & in Pontificiam Sedem utriusque civitatis antiqua studia & merita conferrent, facile eos cognituros, nullum illis ab æquitate dari non modo controversiæ, sed neque dubitationi locum: & tunc quidem quod Cæsar Italiam teneret, quod summi Imperii Coronam acciperet, postremo quod eo conventu, eoque loco sederent, id esse Genuensium opibus acceptum referendum: is dies illi sane pulcherrimus atque honestissimus fuit; cum omnes ei summæ laudi darent, quod non solum manibus pedibusque adversariorum impetum fregisset, sed eorum etiam argumentationibus sedata gravique oratione respondisset; maxime tamen nitebantur adversarii suffragatione & gratia Joannis Piccolhominei, qui tunc aderat, Sacri Senatus principis, refertur ad Pontificem. Is, quod illi essent ad Cæsarem Legati, ad eum rejecit. Defertur res ad Cæsarem, qui medio in templo substiterat, decrevit, ut aut inter se causam componerent, aut loco excederent: cum res nullo pacto conveniret, priores Senenses digressi ad eos, qui stabant, ibi constitere: Genuenses in partem, qua propius Pontificem erant accessuri, conversi sunt: ubi sub ipsius oculis fuere, tum Lercharius, ita ut exaudiretur, *Haud satis æquum sibi videri*, inquit, *si non esset Genuensium Legatis apud Pontificem locus*: eo permotus Pontifex innuit, ut subsisterent, eisque, quo sessum irent, ipsius mandato honorifica assidentium consurrectione locus est datus. Ita Lerchario non ab initio consilium, & virtus, non constans animi propositum ad extremum defuit, suam quoque seniores collegæ omnium judicio laudem tulerunt, quod juniori omnem altercationem reliquissent, & tanquam res minime dubitanda esset in contentione posita, taciti eademque semper constantis oris æquabilitate perstitissent, quæ res visa est eorum gravitati fuisse maxime consentanea.

Cæsar, rebus Italiæ compositis, in Germaniam ad conventum agendum profectus est: premebat infestis armis Pannoniam Turca; hujus rei summam rationem habendam existimabat: vigebant Lutheranorum pertinaces de religione controversiæ, eorum quoque turbulenta consilia sedare magnopere studebat. Sed cum res varia diffidentium altercatione extraheretur, & valde difficilem explicatum haberet altera, altera nullum, ubi parum profici posse intellexit, conventu soluto Aquisgranum se contulit, ibique quod summis votis optarat, ut Ferdinandus frater Rex crearetur, perfecit. Sed iis relictis, quæ altioris historiæ sunt, ad meum me pensum revoco.

Mense Majo Andreas Doria, qui summam rerum maritimarum Cæsaris nomine tenebat, ad majorem Balearem insulam concesserat: erat ei triremium XXIX. classis parata, eo nomine ut in Africam trajiceret, & Careadino Mitylenæo, cui Barbarossæ cognomen fuit, damnum aliquod inferret, si posset: inde noctu cum solvisset, idoneam tempestatem nactus paulo ante lucem ad continentiam proxime Circellum pervenit: quod oppidum mœnibus circumseptum domiciliis & vicis succinctum est, ex altera parte mari alluitur, ubi Sinus inflectitur, intra quem Sinum biremes & naves longæ numero ad XVI. se continebant, quas Careadinus eo commeatus causa ex Algerio miserat. Cognito ab hostibus nostrorum adventu, & de more suo inter se significatione facta, Andreas Doria, qui omnem Careadini classem eo in Sinu latere arbitrabatur, suos paratos in acie & sub armis esse jussit: oppidani, orta jam luce, nacti interim spatium vicinos in montes confugerunt: qui vero fuerant in loci præsidio collocati, & qui è biremibus desilierant numero ad CCC. hi se ad propugnandum compararunt. Littus proximum nostri occupavere, & MCCC. militibus expositis Christophoro Pallavicino, & Erasmo Doriæ negotium datum, ut locos diligenter cognoscerent, & oppidum oppugnarent. Cum paulum processissent, levi prælio patentibus in campis cum hostium parte commisso, eos in fugam dedere: cohortibus vero distributis, & Erasmo cum earum parte eo loco relicto, qui, ne hostilis manus adoriri à tergo posset, custodiret, Pallavicinus ad oppidum contendit: in suburbio fossæ inventæ, in quibus captivi ad octingentos pro tempore impositi asservabantur, omnes soluti sunt: deinde magno impetu oppidum oppugnatum & captum, perpaucis vulneratis. Turcæ amisso oppido in arcem confugerunt. Verum illud profecto est, in virtute militari non solum magnitudinem animi requiri, sed etiam timorem; illa facit, ut vincamus, hic vero vigilantibus curis ad omnia circumspicienda excubans cavet, ne parta nobis victoria è manibus elabatur: nimirum victoria maximam cum fortuna cognationem habet, variæ, facileque commutabiles ambæ, ambæ è bello ortæ, atque altera alteram consequitur: illa tamen generosa quadam nobilitate superbior, accuratissimam diligentiam amat & vigilantiam: nam ubi animum remiseris, aut paulum dejeceris oculos, ea tanquam indignans è tuis castris ad adversarios repente avolat. Cum in arcem confugissent hostes, nostri, quod abesse à periculo viderentur, libere ac sine timore, partim etiam prædabundi, vagabantur: id cum illi animadverterent unde occultus erat ex arce exitus, taciti egrediuntur, & cum iis conjuncti, qui se ex fuga receperant, additis præterea nonnullis equitibus Arabum, nostros, ita remissa cura incompositos, & inter eos (qui è fossis fuerant erepti) magnopere impeditos, repentino incursu adoriuntur. Quo factum est, ut cum subito malo oppressi sui colligendi facultatem non haberent, perturbati ad proxima littora, & ad salutem contendere coacti sint. Desiderati circiter CCCC. cæteri Andreæ Auriæ diligentia servati, qui de classe omni genere tormentorum, & quacunque ratione potuit, hostibus obstitit, suosque in tutum reduxit; mox abductis novem biremibus ex iis, quæ in proximo Sinu, quem diximus, stationem obtinebant, in Hispa-

Hispaniam contendit: inde aucto triremium numero in Carieram insulam, quæ est inter Baleares & Africam sita, profectus est, eo consilio, ut cum Careadino, quem ibi esse fama perceperat, prælium committeret. Verum eo non invento, cum non satis idonea videretur maris tempestas, Genuam reversus est Kal. Julii. Sed jam ad res urbanas redeundum.

Hoc ipso anno in proximis montibus, qui ad Porciferam Vallem pertinent, duæ arces exædificatæ, & quod *Castellatium* vulgo vocant, magna ex parte vetustate collapsum, refectum est: renovata item compluribus locis urbis mœnia, quæ vitium fecerant. Pridie Kalend. Januarii, Hieronymus Furnius Jurisconsultus, & Hieronymus Grimaldus Ceba Oratores in Galliam missi, qui Eleonora Austriæ in frequentissima celebritate ipsius in Lutetiam adventus Reipubl. nomine honorarium officium tribuerent; id quod optime præstiterunt.

A. C. 1530. Initio anni sequentis Baptista Spinula Dux renuntiatus est, vir & ingenio, & rerum usu maxime spectatus. Calamitosus hic annus fuit: calamitatis causa bellum, quam fœdissimam pestem Reges & Principes, perinde quasi vitam in terris beatam sibi, cæterisque invideant, nimium sæpe è sedibus suis, id est, ab orci faucibus evocant: exit illa quidem sane libenter, & diris ultricibus, discordia, luctu, atque egestate comitantibus, omnes ærumnas mortalibus affert, non solum vastitatem terris adducens, sed horrendis tenebris vel solis ipsius radios nobis interstinguens: hujus igitur teterrima vi, quæ Italiam late pervaserat, inhorruerant tempora, & Genuensium fortunæ, cum privatæ, tum publicæ, valde erant attritæ: jacuerant nonnullæ artes, multorum fides conciderat, & mercatura, qua omnis eorum ratio præcipue nititur, admodum refrixerat. His incommodis Senatus diligentia, quacumque ratione fieri poterat, occurrebatur: & ne mercatores, qui Genuam ventitare consueverant, alio commearent, propterea quod graviora vectigalia iis in asperitatibus rerum mercibus fuerant imposita, decem viris adhibitis, qui vectigalium rationem accurata perpensione cognoscerent, data opera est, ut ex ejus pecunia summæ, quæ portorii nomine exigebatur, tolerabilis decessio fieret: præterea cum annona quotidie ingravesceret, magnaque pars civitatis à mercatoribus frumentariis, pistoribusque suo tantum commodo servientibus nimis acerba venditione premeretur, curavit Senatus tanquam magnus quidam paterfamilias, ut media in urbe ædificia extruerentur, in quibus suppeditato ex horreo publico frumento conficeretur panis, in quo ex æquitate & officio pretium longe remissiori æstimatione præscriptum; eique venditioni & muneri nonnulli probati jure præfecti sunt: ita quæstuariorum avaritiæ via, quam sibi latissimam patefecerant, occlusa est, & tenuiorum inopiæ commodum subsidium publicis opibus comparatum.

His fere diebus duo in urbe fures deprehensi; de quibus nullam mentionem sane facerem, nisi callide excogitatum furti genus in lucem proferendum videretur: sunt tota urbe magna impensa & diligentia frequentes ducti cuniculi, in quos immundæ proluvies dilapsæ subtercurrentibus aquis in mare feruntur; illi ita se ex composito comparabant, ut spatio recte prius oculis & conjectura dimenso, alter se in locuplete taberna sisteret, opportuna & probabili aliqua de causa ibi sermonem quærens, alter per cuniculum ingressus usque eo subreperet, quoad illo pede terram desuper feriente signum acciperet, eoque admonitus locum notaret; nocte vero concubia cum occlusis tabernis omnes se domum reciperent, fures conjuncti locum mira solertia suffodiebant, atque iis rebus, quæ commodæ viderentur, ita rursus affabre & concinne occludebant, animadverti fraus ut minime posset: res aliquot menses non sine magno nonnullorum civium detrimento in occulto fuit, & frustra custodes persæpe positi; tandem Lugduno, quo furta magna ex parte provehebant, maleficii indicia allata, auctores deprehensi pœnas sceleri debitas capite persolverunt. Cuniculorumque ostiola ex eo tempore cratibus ferreis obsepta sunt.

Sexto decimo Kalend. Februarii, Euro atque Africo flantibus, tanta, tamque horrida maris tempestas coorta est, ut æqualem in ora Ligustica, similemve unquam fuisse, non sit auditum. Moles, quæ portum efficit, tota fluctibus dirupta est, eorumque incursu murus ad carcerem portui proximum dejectus, tabernæ, in quas fera procellæ vis prorumpere potuit, nonnullæ procubuere. Ad Calvorum pontem ex officinis marmorariis grandia saxa disturbata, alioque devoluta; murus item, qui Sarzanæ plateæ latus muniebat, magna ex parte prolapsus; duæ quoque naves onerariæ in portu collabefactæ ac depressæ sunt. Ea tempestate sæviente subiit cura Patres, ut pii sacerdotes cineres corporis Divi Jo. Baptistæ ad portum veniam à cœlestibus exposcentes afferrent; id ubi factum est, tanquam Spiritus Dei summas undas perlaberetur, sensim tumida æquora conquievere. Hoc in quam partem accepturi sint ii, qui ad naturam, occultasque ipsius causas omnia referunt, non laboro; perspicua res est, de qua loquor, & sæpe aliàs omni inspectante civitate clarissima significatione testata; ut qui tam præsentem vim divini Numinis non toto pectore accipiat, omnique assensione tacitus veneretur, is, non dicam impie, sed plane stulte facere judicandus sit. Qua tempestate Urbanus Secundus Pontifex Maximus nobilissimum exercitum Hierosolymam misit, quo Christi Sepulchrum ex Saracenorum manibus vindicaret. Classis Genuensium, quæ ea in Expeditione longe insignem operam præstitit, hos cineres ex Stamira Lyciæ oppido Genuam transtulit.

A. C. 1532. Sequitur annus XXXII. quo Andreas Doria Melphium oppidum, quod est in Apuliæ finibus, à Cæsare dono accepit, ab eoque Princeps est appellatus. Cæsar his temporibus cum Ferdinando fratre in Superiorem Germaniam contenderat, eo consilio, ut Sultano Solimano, qui ingentibus copiis Austriam urgebat, sese opponeret: atque ut facilius administratio belli procederet, omniumque voluntates & studia sibi, quibuscunque rebus posset, adjungeret, Lutheranorum causæ facilem se præbuit, omnemque eorum cum Pontifice Maximo controversiam in futurum Concilium rejecit; quamobrem singulari totius Germaniæ consensione cumulate, quæ petebat, consecutus est; maximoque, & fortissimo exercitu celeriter comparato, iis additis auxiliis, quæ Alphonsus Avalus ex Italia adduxerat, adversus Solimanum profectus est.

Dum hæc in Germania geruntur, interea Genuæ Cæsaris jussu apparatui maritimo Andreas Doria intentus classem cogebat; nam cum è Constantinopolis portu maximam triremium vim in altum evectam, quæ oram Italiæ depopularetur, fama percrebuisset, necessario huic quoque bello occurrendum existimavit: movit è portu Doria ad XVI. Kalend. Julii; secundaque navigatione usus Neapolim, atque inde Messanam, paucis diebus advectus est: XL. naves, totidemque triremes eo coactæ sunt, in quibus aliquot fuere Clementis Pontificis Maximi, & quatuor Equitum Hierosolymitanorum, his Bernardus Salviatus, illis Antonius Doria præfectus erat: milites classi impositi sunt circiter quinque millia: Italis præerat Hieronymus Tutavilla, Hispanis Hieronymus Mendoza, omnibus vero Andreas Doria præpositus summam imperii administrabat. Hæc classis ita instructa, atque parata VII. Kalend. Septembris Messana sol-

solvit, & III. Idus Sphragiam insulam, quæ nunc vulgo *Sapientia* vocatur, incolumis pervenit: ibi cum certior esset factus, hostilem classem longius provectam Hellesponti fauces petiisse, de oppugnanda Corone consilium iniit. Acrita est eminens promontorium Peloponnesi, quod ad Austrum illustri prospectu in altum procurrit, vulgo *Caput Galli* vocant; hoc ubi prætervectus fueris, introrsus secundum promontorii latus cursum flectenti, & circiter x. millia passuum naviganti, Corone occurrit: urbs prominenti in rupe posita, quæ fluctibus alliditur; qua vero spectat in Septentriones altius assurgit: hæc urbis pars, qua est à terra aditus, arcem habet cum montis dorso, tum firmissimis muris obseptam, egregieque munitam: qua vero prominet in mare, insulaque appellatur, præruptis cautibus succingitur: nunciata per Erasmum Doriam loci difficultate, qui quattuor triremibus ad omnia diligenter exploranda antecesserat, nonnulli eam oppugnationem dissuadebant, ut qui aut irritam, aut certe longam futuram arbitrarentur. Sed tamen re deliberata, locus ille animi, in quo virtus habitat, omnibus concaluit. Itaque cum accessissent propius, præmiis propositis iis, qui primi muros adscendissent, distributis pro situ locorum copiis, urbem ex omni parte circumsederunt: exposito è triremibus majore militum robore Hieronymus Tutavilla in ea parte Italos collocavit, quæ spectat in Orientem, Hispani mediocri intervallo disjuncti collem occupaverunt, tota vero classis ab Austro sese explicuit. Circumsessa igitur hunc in modum Corone, undique omni vi tormentorum oppugnari cœpit. Turcas, qui urbem tenebant, non pavor, ut in re non opinata, non tumultus incessit, sed summa omnium voluntate atque constantia ad oppugnandum se comparaverant; ab aurora pugnæ principium factum erat, jamque in vespertinum tempus inclinabat dies, & nostrorum impetum hostes acerrime sustinebant: tum vero Aurius in appellandis, cohortandisque suis pondere verborum addito, & spe uberiore proposita, alacriores nonnullos ad subeundum rupes effecit, qui per saxa & cautes, qua minus præceps aditus videbatur, in muros, qui erant ab ea parte humiliores, adscenderunt: in iis primus fuit Lamba Doria, egregiæ virtutis adolescens, explicatumque vexillum perspicuo affixit loco: hunc quidam Corsus, & duo navarchi cum duobus signis, multique deinceps subsecuti sunt: hostes è munitionibus repulsi in arcem confugerunt: ita ea pars urbis, quæ insula dicitur, capta est, atque ibi vallis & aggeribus Doriani se communierunt, murumque arcis suffodere, & cuniculum ad hostem agere instituerunt. Interea Græcus quidam, qui Naupacto literas afferebat, capitur, ex quibus cognitum est, maximam manum comparari, quæ hostibus propediem subsidio sit affutura: ejus internuntii caput arrecta in hasta præfixum est, ingensque clamor factus, ut id hostes cognoscerent. Confestimque adhibita est diligentia, ut Theodorus Spinula, nonnullique alii Centuriones suis cohortibus idoneo loco non longe ab urbe vias obsiderent, atque arborum truncis impedirent, ut iis, qui subsidio affuturi credebantur, adeundi facultas adimeretur: ei operi dum intenti essent, atque equites circiter centum ad urbem procurrere secundum mare animadvertissent, regressum illis intercluserunt, qui mox circumventi, cum à tergo & à fronte premerentur, omnes fere interfecti sunt: multorum capita hastis affixa formidolosum spectaculum obsessis præbuerunt; qui cum omnem sibi auxilii spem præcisam viderent, rebus suis diffisi non tulere diutius obsidionem, pactique, ut sine detrimento liceret abire, ex arce incolumes excessere.

Auria biduum ibi commoratus, rebusque omnibus, quæ ipsius diligentiam requirere videbantur, accurate compositis, Hieronymum Mendozam cum præsidio mille & quingentorum militum loco præfecit: inde in Sinum Patrensem proficiscitur; urbem Patras cum oppugnare aggrederetur, oppidani statim se dediderunt: Erasmus Doria cum præsidio ibi relictus. In faucibus Sinus Corinthiaci duo se castella attollunt, quæ brevi spatio maris interjecto adversis frontibus opposita utrunque latus tuentur: mox ad hæc oppugnanda contendit; in altero magnus nostrorum adventu incesserat timor, ideoque nullo negotio in Auriæ ditionem venit. Viri cum uxoribus & liberis incolumes dimissi, arx vero funditus eversa est. Qui alterum oppidum, quod ad Naupactum vergit, obtinebant, extremam pati fortunam parati, sese ad id defendendum pertinacius offirmarunt. Cum muros nostri adscendere conarentur, & contra adversi hostes, mulieribus etiam operam suam egregie navantibus, acerrime resisterent, multi præcipites acti & vulnerati confecti sunt: hæc igitur pugnæ ratio cum maximum detrimentum nostris afferret, majoribus tormentis rem gerere visum est oportunius, quorum assiduo concussu muri magna parte dejecta, aditus ad irrumpendum patefactus est: tum vero clamor auditus infirmorum miserabili voce salutem implorantium, sed ardens iracundiæ furor misericordiam non recepit: non ætate confectis, non mulieribus, non infantibus furor ille pepercit; & arx ipsa penitus eversa. His rebus gestis, cum consilium iniret Doria, quemadmodum Naupactum expugnare posset, secundi rerum eventus, ut victoriæ cursum non omitterent, suadebant. Contra durum anni tempus (jam enim inhorrescerat hyems) & oppidi situs, quod in prærupto atque aspero colle positum, omnem aditum difficilem habet, ne id tentaret, dehortari videbantur. Hæc cogitanti nunciatum est, Naupactios magna in lætitia esse, id quod etiam ex ignium significatione cognitum est, quod fama tota regione percrebuerat, Solimanum, qui, ut supra dicebamus, in Austriam concesserat, omnem exercitum dimisisse, jamque ipsius adventum appropinquare: quæ res causa fuit, ut eo abjecto consilio celerius opinione sua in Italiam redierit: Genuam x. Kal. Februarii pervenit, omni civitate ipsius laudes & facta celebrante. Cæsar item ex Germania hostili metu liberata Bononiam reversus est. Nam cum Solimanus gravissima detrimenta accepisset, & in oppugnatione Guntii, quod oppidum est in finibus Pannoniæ, invictos defensores non sine acerbissimo multorum interitu expertus esset, adverso Marte perculsus inceptum deseruit: eoque, unde spe elatus venerat, dolore fractus regressus est. Ita difficilium rerum initia, quas hic annus habuit, celerem & secundum habuerunt exitum.

Ad VI. Kal. Julii incendium in urbe accidit dignum memoratu. Domus erat prope Senatoriam Curiam, in qua pulvis inflammandis tormentis bellicis præparari solebat; forte accidit, (sicuti ego accepi) ut mula, quæ lapidem molarum ejus artificii trahebat, pede silicem feriente scintillam excuderit, ea in pulverem dilapsa, subito arido in nutrimento fera vis ignis exagitata, flammarum nubem horribili fremitu ad cælum extulit, omniaque ruinis complevit: domus illius parietes eo concussu repente disclusi late dissultaverunt: disjectæ trabes, avulsaque saxa non solum proximis tectis incendium & cædem hominibus attulerunt, sed pro-urbis vicos nonnullos suis in rebus occupatos oppressere, milites xv. ex iis, qui in vestibulo Curiæ stationem tenebant, incendio absumpti. Christophorus Calverius ejus pulveris artifex cum tota familia combustus inventus est: cum Senatoribus, qui tum in Curia affuere, feliciter actum; nam quamvis è tecto lapides, tegulæque collapsæ in id conclave, ubi considebant,

bant, deciderint, & fenestrarum columellæ suis è sedibus perturbatæ in diversas partes dissiluerint, ipsi tamen illæsi atque incolumes abiere. Paulo post Ansaldus Grimaldus, Thomas Cataneus, & Paulus Baptista Calvus Judex Bononiam Oratores missi, qui Cæsari exitus rerum secundos, faustumque in Italiam reditum Reipub. nomine gratularentur.

A. C. 1533. Anno, qui secutus est, ineunte, Baptista Lomellinus, F. Hieronymi, Dux Reipublicæ creatus est: appetente autem Vere Legati ex Senatus auctoritate lecti, qui Cæsari Genuam redeunti obviam procederent, Stephanus Fliscus Ragius, Jo. Baptista Lomellinus, Philippus Niger, & Simon Centurionus Gavium usque processerunt, ut intra fines Agri Genuensis ingredienti honoris causa præsto adessent: quos cum esset ingressus, milites, quos suæ custodiæ causa circum se habere consueverat, hilari admodum fronte ad eos conversus, securiori gradu ut consequerentur, jussit, quod intra eos terminos venissent, ubi nihil jam erat eis hostile metuendum. XVI. præterea subsecuti rebus omnibus ornatissimi viri jam ad urbem appropinquanti eadem munia præstiterunt: maximæ de rebus gestis, de victoria, & felici reditu gratulationes factæ, eaque omnia illi Reipublicæ nomine delata, quæ ab amantissimis & cupidissimis animis proficisci potuere. Tertio loco ad Porciferam Vallem Dux Reipublicæ universo Senatu comitante ei obviam prodiit, ita illustri gratia, summaque omnium voluntate exceptus, & ad portam Fasciolanam deductus in Dorianis ædibus diversatus est: is dies fuit ad V. Kal. Apr. illum Doria, quoscunque circum se Cæsar habuit, rebus omnibus ad victum, cultumque magnifice suppeditatis, suis sumptibus aluit: Regius ædium apparatus & cultus rerum præclarus speciem & majestatem hujusmodi habuerunt, ut cum amplitudine & splendore laudum Cæsaris contenderent. XII. dies Genuæ commoratus, summaque benevolentiæ significatione testatus, Genuensium Rempublicam esse sibi in primis charissimam, atque ejus ergo studii atque officii memorem semper futurum. Cum XXXIV. triremibus, quibus Doria præfuit, Alphonso Avalo triduo ante Savonam prægresso, qui V. millia peditum navibus imponeret, in Hispaniam contendit. Iis fere diebus Antonius Doria, vir ingenio atque animo præclarus, tres Barbarorum triremes ad Corsicam insulam cepit, compluresque è nostris captivos, qui juncti catenis in servitutem abstrahebantur, libertate donavit, & abeuntes pecunia juvit. Haud ita multo post auspicium Cæsaris secuto quatuor triremes, quibus præesset, attributæ sunt.

Interim Solimanus, qui Coronen oppidum sibi ereptum summe indignabatur, XXXVI. triremium classem ad ejus obsidionem miserat. Hispani, qui in præsidio loci Hieronymo Mendoza præfecto (ut supra est à nobis demonstratum) fuerant collocati, graviter premebantur; jamque ad omnium rerum inopiam pervenerant: id cum ad Auriam esset allatum, eo statim intendit animum, & ad Nonas Julii Christophorum Pallavicinum cum una trireme præmisit, qui Hispanis significaret, subsidium celeriter affuturum, eosque hortaretur, ne animis deficerent: audaciæ & celeritati Pallavicini, quibus adhibitis iter aggressus est, fortuna affuit: nam cum ad hostes, qui Sinu Messanio eum obsidebant, pervenisset, noctu triremi acri remorum pulsu incitata per mediam eorum classem incolumis trajecit; & cum mandata, quorum causa eum cursum susceperat, diligenter esset exsecutus, spemque obsessis auxisset, paulo post manifesta in luce regressus hostiles impetus subterfugit: ejus adventu Doria de eo rerum statu certior factus, è vestigio Messanam proficiscitur; ibi coacta XXVI. triremium, totidemque navium ornatissima classe, ad Sphragiam insulam navigavit: interea aucta erat hostibus classis, nam ad XXXVI. triremes, quas supra diximus, aliæ XX. totidemque biremes accesserant: idque non ignorabat Auria ex ejusdem Pallavicini diligentia, qui Messanam cum tribus triremibus iterum præmissus Hispanos de nostræ classis profectione per actuariam navim noctu in portum intromissam certiores fecerat, classemque eo numero fere auctam cognoverat. Ad eam insulam igitur cum concessisset Doria, rebus omnibus ex sententia constitutis, universos cohortatus, ut magno essent animo, atque ut fiducia rei bene gerendæ virtutem exsuscitarent suam, ad VI. Idus Augusti ex portu exiit: præcedebant totam classem duæ naves longæ, multitudine tormentorum & rebus omnibus paratissimæ. Cæteræ naves, quibus Francus Auria præerat, mediam aciem tenebant, postremæ subsequebantur triremes: ab Acrita promontorio, quod nunc *Caput Galli* vocari diximus, parva insula Tinganusa, quæ Veneticus appellatur, mille passus, aut paulo amplius, abest ad Orientem versa: hostium classis late explicata ad proximam promontorii frontem excubabat; jubet Auria nostros inter promontorium & insulam cursum tenere, quod ut faceret, ventorum ratio à terra surgentium suadebat; nam si insulam circumisset, cursum in portum ad oppidum circumflectenti, ventis reflantibus, erat illi navigandum: in hostium igitur conspectum cum nostri pervenissent, qui duabus navibus longis præerant, eoque consilio antecedebant, ut adversus hostes consisterent, eorumque impetum sustinerent & morarentur, dum cætera classis trajiceret, obliti & decoris sui & sociorum salutis id non fecerunt. Ubi id animadvertit Doria minore Mathalani cujusdam navigio celeriter expedito ei mandat, ut ad naves procedat, & Francum Auriam admoneat, ut ipse subsistat: id navigium, dum ad mandatum conficiendum excurrit, valido tormenti ictu petitum medias in undas deprimitur. Tormentis ab utraque parte acerrime pugnabatur, & circiter viginti triremes hostium, quæ primam stationem tenebant, jam se è littore in nostros incitaverant, eo concursu, nescio quo casu, factum est, ut duæ naves è nostris, cornibus antennarum sese complicaverint: qua re ab hostibus animadversa, in eas impeditas impetum fecerunt: nostris primo repentina res terrorem injecit, deinde præsens periculum timorem expulit: acri pugna commissa multi interfecti sunt; summaque utrorumque virtute certatum est. Interim occupatis ea in contentione adversariis, triremes Doriæ, quæ majorem usum celeritatis habebant, prætervectæ ad oppidum accesserunt, subsidiumque obsidione laborantibus attulerunt: quo successu lætior Auria acriori studio ad opem duabus navibus jam pene oppressis ferendam reversus est: tum hostes, seu quod jam nostros propositum tenuisse cognoscerent, sive quod vererentur, ne secunda maris tempestas commutaretur, seu quia subita perturbatio angustiores animos eorum Ducibus reddiderit, pugnam deseruerunt, celerique fuga potius quam profectione elapsi Methonen versus regressi sunt. Itaque duæ naves, quæ oppugnabantur, statim recuperatæ, & ex CC. fere Turcis, qui in eas pugnantes transcenderant, cum in mare se præcipites dedissent, partim capti, partim vulneribus confecti: eodem temporis momento, qui terra oppidum obsidebant, ad sex hominum millia cum Dorianam classem in tuto vidissent, impedimentis & aliquot tormentis æneis relictis sese fugæ mandaverunt: in oppidum cum ingressus esset Doria, Hispani milites, qui id tenebant, pene seditione facta querebantur in magnis incommodis, quæ sustinuerant, bina sibi stipendia haud esse persoluta, & diutina conclusione defessi contendebant, ut in Italiam

liam reportarentur. Itaque novis præsidiis eo in loco collocatis, paucos post dies facili aura usus circiter Nonas Octobris Genuam rediit.

Iisdem diebus Clemens Pontifex Max. cum classe XXIV. triremium Gallicarum Massiliam ad Franciscum Gallorum Regem profectus est; cum ad portum Veneris appropinquaret, Ansaldus Justinianus, Jacobus Grimaldus, Vincentius Pallavicinus, & Franciscus Doria Inurea ad eum Oratores missi, qui Reipublicæ nomine illum viserent, summaque observantia prosequerentur. Paulo post Jo. Baptista Lercharius D. F. & Benedictus Vivaldus Massiliam missi: venerat ex Gallia paulo ante P. Franciscus Nocetus Vivaldi gener; is Senatum monuerat gravem Regis iracundiam, quam adversus Genuenses superioribus annis conceperat, jam penitus resedisse, illumque in eam cogitationem & mentem esse traductum, ut sensum aperte præ se ferret bonæ erga ipsos voluntatis; hæc addiderat, illud sibi tempus valde opportunum videri, quo de reconciliatione gratiæ ageretur: judicio & consilio hominis probato, propterea quod & vir prudens erat, & patriæ amicissimus, & in Regis Aula assidue, admodumque familiariter versabatur, duo ii Oratores Massiliam missi; qui cum Anna Momorantio hac ipsa de re agerent, ut Genuensibus vetere instituto libere, tutoque in Galliam commeare liceret. Erat hic apud Regem magnæ vir auctoritatis, utpote magnus in ipsius Aula Magister: itaque hujus amplissimi viri studio adjuti facile summaque gratia rem obtinuerat. Sed tamen ad extremum quo minus decretum obsignaretur, causa non satis mihi cognita impedimento fuit; opinio est pudorem obstitisse; nam cum per quosdam perditos homines oblata Regi spes esset, facile fieri posse, id quod ipsi se facturos pollicebantur, ut Genuam iterum in suam ditionem redigeret, & fortunam tentare haberet in animo, non decere Regem existimavit, tunc cum iis necessitudinem constituere, quos paulo post, ut suæ potestati subjiceret, clandestinis consiliis aggredi cogitabat; ne honesta simulatione officii rem turpissimam texisse videri posset. Quamobrem Oratores in aliud tempus rejecti, optima illi quidem spe, sed tamen re infecta, Genuam redierunt.

A. C. 1534. Insequenti anno, eorum consilia, qui Rempubl. adversus moliebantur, cum nullo certo innitentur firmamento, parumque considerata ratione dirigerentur, corruerunt. Augustinus Granarius, & quidam Corcianicus, nullius homines potentiæ, aut cognationis, neque tam improbi, quam imperiti, cum essent Massiliæ, Regis Consiliarios in spem adduxerant, se Genuam perfacile Regi prodituros, ob eamque rem mercedem acceperant, longeque uberiorem exspectationem, si consilia processissent; res stulte jactata, facileque deprehensa est. Captus statim Granarius, & adhibita quæstione convictus, pœnas dedit, quæ ipsius temeritati, tantoque sceleri debebantur: non ita multo post Corcianicus comprehensus à Doria in mare depressus est. Paucis item post mensibus Thomas Saulius Alexandri filius, quod proximis annis Bononiæ cum Cardinali Agrismontano ea hac de re consilia inierit, in carcerem conjectus & securi percussus, ejusque cadaver in prætorio positum universis civibus spectaculo fuit. Errant improbi homines, si fœdas consiliorum latebras semper in occulto futuras existimant, Sol justitiæ, qui in exordio mundi lucem secrevit, à tenebris radios suos aperit, in iis præsertim civitatibus, quæ pietatem & concordiam colunt, finitque ut impii cum cogitationibus suis concidant, omnique auxilio destituti, turpissimum in exitum miserrime prolabantur.

Mense Junio Marcus Ususmarius cum Erasmum Doriam in Hispaniam proficiscentem, cum quinque Aurianis triremibus, comitaretur, paulo citra Stœchadas insulas Maurorum biremem, qui spe prædandi eo cursum tenuerant, cepit: mox cum reverteretur, sex triremibus Pontificis Maximi sibi conjunctis, cum intellexisset, prædonum manum ad Insulam, quæ *Mons-Christi* appellatur, consedisse, eo celeriter contendit; & primo statim adventu duas eorum biremes, ac paulo post ad Caput Corsum, quod vocant, tertiam expugnavit; prædones ad centum comprehensi, atque in servitutem addicti: ducenti vero ferme captivi è nostris à servitute soluti. Sed ecce iterum nova ab Hellesponto collecta tempestas per oras Italiæ magno cum multorum detrimento sese effudit. Nam Careadinus Mitylenæus LX. triremium & biremium XII. ope superbus maria nostra ingressus, infestis signis in Siciliam ferebatur: quo tenderet, & cujus rei causa, juvat breviter commemorare. Muleazanes eo tempore Tuneti Regnum obtinebat, expulso fratre, qui eandem sibi coronam appetebat regni. Ille ubi se ejectum vidit, secum gemens casum suum non destitit agitare, & moliri omnia, quibus speraret superbi victoris fortunas se posse contundere. Cæterum cum id frustra sæpe tentasset, alia omni spe destitutus Constantinopolim ad opem Sultani implorandam confugerat: ibi Careadinus, vir impiger, avidusque potentiæ, Sultano persuadet, ut tam commodam occasionem nactus id regnum invadat; demonstrat id esse perfacile factu; in duas factiones divisos esse Tunetanos; meliores exteri fratri favere; concursuros omnes ad arma, ubi optatum sibi Regem tantis adjunctis viribus adesse crediderint, Muleazanem armis diffisurum suis, aut si restiterit, facile oppressum iri: id quod facilius Sultano persuadet, quod cum secundis Majorum suorum auspiciis fretus, totius orbis terrarum sibi destinaret imperium, fortunæque suæ in primis Italiæ, & Caroli Quinti Romanorum Imperatoris vires obstare intelligeret, videbat ad eas obterendas Africam opportunissimam sibi sedem futuram: in hanc igitur Expeditionem Careadinus elato contendebat animo, vir sævitia, rerumque maritimarum scientia atque usu inter omnes fama celebratos archipiratas facile princeps. Hanc tempestatem Andreas Doria longe ille quidem præviderat, eratque ipsius consilium, ut Cæsar validam classem, quæ advenienti hosti sese opponeret, in Siculo mari collocaret: quod si esset perfectum, non essent ea consecuta, quæ videmus: repentinus tanti hostis adventus omnem illam humilis Italiæ oram maritimam tumultu ingentique terrore compleverat, & incertum erat, quo iter intenderet, & quam in partem hominis fera vis esset eruptura: quo fiebat, ut latius dimanaret terror, cum etiam qui procul aberant, omnes sibi ab impendente calamitate præcavendum æstimarent. Ad Kal. Augusti fretum Siculum ingressus, Messanam prætervectus est: IX. triremes Andreæ Doriæ, quibus Erasmus & Hospitius fratres præerant, & IV. præterea Antonii Doriæ, quæ ad portum excubabant, Messanensibus saluti fuerunt: è portu egressæ duas hostium biremes, quæ novissimum agmen tardius insequebantur, adortæ sunt non sine magna Juliani Gentilis laude: verum occasionem rei bene gerendæ angusti æstus iniquitas interrupit. At non Nocito, non Sperlungæ quicquam saluti fuit: quæ oppida Careadinus fœdissime depopulatus est, oppidanosque fere omnes comprehendit, atque in servitutem abduxit. Fundos præterea diripuit: quo minus Julia Gonzaga oppidi Domina in prædonis manus pervenerit, fata propitia obstiterunt: pulchritudinis fœminæ in omni genere laudis præstantissimæ fama perculsus mediis in undis exarserat, atque ad eam rapiendam validam Turcarum manum miserat. Cum nondum

orto sole id per sedulum nuncium somno repente excitata cognovisset, celeri fuga vicinos in montes elapsa est.

Interea Genuæ cura per Senatum adhibebatur, ut armatis Ducibus, opportunisque præsidiis tum in urbe, tum finitimis in oppidis omnia firmarentur; & jam XIII. triremes, quas Messanensibus salutem attulisse diximus, in Ligusticum mare se converterant: eis Andreas Doria cum reliquis sex triremibus suis ad portum Veneris obviam factus, custodiis longe lateque dispositis, quæ, quam in partem se moveret hostis, observarent, conjuncta classe Genuam rediit; ubi triduum commoratus, cum omnia, quæ ad urbis defensionem erant usui, abunde Genuensibus essent provisa, Neapolim profectus est, ibique tantisper in præsidio fuit, quod cognitum est Careadinum Tunetum illustre in Africa oppidum occupasse dolo, ibique Regis sibi solium collocavisse.

Hoc in rerum statu ad VIII. Kal. Octobris Clemens Pontifex Max. vi morbi, quo complures menses laboraverat, victus tandem excessit è vita: in ejus locum Alexander Farnesius, vir Romanus, summa omnium voluntate suffectus est, Paulusque, ejus nominis tertius, appellatus, in quo summa prudentia pari cum felicitate conjuncta fuit.

Genuæ satis tranquilla omnia, neque quicquam præterea in hujus anni actis invenio, quod magnopere scriptione dignum esse videatur: nisi velim Clavarini hominis memoriam his monumentis inserere. Est in ora maritima ad Orientem Clavarum oppidum opulentum, & non ignobile, quod abest ab urbe Genuæ XXII. passuum millibus: ex veterum, quæ in urbe fuerunt, factionum fonte, quibus hominum societatibus nihil contingere potest calamitosius, odia & simultates eo quoque dimanaverant: iis in dissensionibus ad x. Kal. Novembr. cædes facta: auctor ipsius cædis Battinus Bacigalupus, qui asseclarum præsidio munitus, Joannem Roccam, insigni juvenem virtute, sed tunc incautum & publico loco forte colludentem, luce palam adortus vulneribus confecit, impigerque se ex oppido arripuit; mox cum audaci assecutorum manu regressus, in prætorium impetum fecit, & carcere effracto, duos ex amicorum numero, qui eo conjecti fuerant, eduxit. Indigna res Senatui visa: jussus est Sebastianus Lercarius eo se cum præsidio conferre, qui exsultantem hominis improbitatem coerceret. Ejus adventu Bacigalupi, eorumque, qui facinoris conscii atque adjutores fuerant, domus complanatæ, & bona in publicum addicta sunt. Nonnulli præterea eorum factionum affines Genuam accersiti, dataque opera est, ut eorum simultates exstinguerentur. Hic Bacigalupus paucis post annis, cum facem improbitatis suæ adversus Lucensium Rempublicam accendere occulte conaretur, ab iis comprehensus fœda corporis laceratione morte mulctatus est.

Duæ naves longæ, & tres biremes, quibus Christophorus Pallavicinus præerat, ex longa navigatione in portum invectæ sunt: is superiore æstate delecta insigni juvenum manu Genua profectus totam oram Pamphiliæ, Ciliciæque percurrit, tum ut prædones late vagantes compesceret, tum ut hostiles ipse regiones depopularetur, in Issiacum Sinum ingressus clarum & nobile oppidum, à quo is Sinus nunc nomen obtinet, expugnavit & diripuit: mox assumptis octo Acolitensium biremibus Sefaliam expugnare aggressus, omnem illam regionem terrore complevit. Sed cum hybernæ tempestates vigerent, inceptum deseruit, Genuamque non minori præda, quam gloria incolumis reversus est.

JACOBI BONFADII
ANNALIVM GENVENSIVM
AB ANNO MDXXVIII. RECVPERATAE LIBERTATIS VSQVE AD ANNVM MDL.
LIBER III.

QVI in iis præceptis, quæ de Rebuspublicis sunt, scriptum reliquerunt latoribus legum non tam id propositum esse debere, ut supplicia maleficiis constituant, quam ut adhibeant accuratam rationem & disciplinam, quibus exculti cives tacito mentis judicio à maleficiis perpetrandis abhorreant, ii sapienter admonuisse videri solent. Nam bonis artibus & disciplinis assueti adolescentes homines, ubi optimum vitæ degendæ habitum consecuti sunt, firmata ætate facile in eo perseveranti & certa rationis regula dirigentes appetitiones suas nihil aggrediuntur, quod sit ab honestate sejunctum. Verumtamen quosdam invenire licet ita præter hominis naturam affectos, itaque ab omni recte vivendi ratione alienos, ut non de corrigendis eorum moribus, sed de suppliciis illis constituendis necessario sit cogitandum: insita divina quædam virtus est in animis nostris, quæ propter concretionem mortalem in omnibus minuitur; mox, nisi diligens cultura adsit, depravatur; in plerisque vero penitus evanescit: in ejus locum sensim ex uberrimis ignorantiæ atque incontinentiæ fontibus pravitates influunt, ex quibus scelerum colluviones,

quæ

quæ detrimenta maxima cum privatim multis, tum publice civitatibus invehunt, redundare sæpe videmus. Quare ab iis, qui ad Reipublicæ gubernacula sedent, si jam captum tranquillitatis portum & sibi & civibus suis tueri volunt, non solum nascenti, (ut admonet Plato) sed multo magis auctæ jam civitati necessario est adhibenda purgatio, cujus cum duo genera sint, atque alterum admodum mite jam amiserimus, quo Antiqui honesto coloniæ nomine facinorosos homines è bonorum cœtu expellere consueverant, ad severum, quod hujusmodi pestes hominum vel morte vel exsilio tollit, confugiendum, commemoratione improbitatis eorum, qui sunt à me paulo ante litteris proditi, & quod video hujus generis hominum sementem nescio quo fato late succrescentem. Adducor, ut horridioris hoc orationis genere hujus tertii Libri exordium capiam; sic enim perverse sibi ipsis abutentes, quasi de superiore loco admonendi videntur, ut ab impendentibus sibi calamitatibus caveant: ô cæcas miserasque illorum mentes, qui media in luce diei errorum noctem secum circumferunt; & cum sedatis cogitationibus jucundam felicemque vitam traducere possint, odiis, atque insidiis, noxiisque criminibus agitati anima vel metuente pœnas, vel secum ipsa assidua in seditione colluctante, diem & noctis umbram sibi efficiant amarissimam. At quam blanda facilique re tranquillum nobis vitæ statum constituere possemus, nempe amore cujus purissimis mens nostra si illustretur radiis, se in cœlum reflectens cum amabilissimo solis splendore contendit; cœlestium quidem luminum æterni ignes quid aliud potissimum agere videntur, nisi ut suo appulsu consopitam in nobis virtutem exsuscitent, adspectuque renitentes suavissimo ex animis nostris ardorem amoris eblandiantur? & cum eorum radii in terram confluentes ita in unum commisceantur, ut ad illius gremium tepefaciendum, ex quo uberiores profundantur fœtus, mutua quadam & æquabili consensione conspirent; nonne aperte nos admonent, ut civili communitate consociati in concordiam, sinum bonorum omnium maxime fœcundæ matris, cogitationes actionesque nostras conjunctissima voluntate dirigamus? pulchritudo vero, atque ordo, & non enarrabiles eorundem luminum cursus assidue clamare profecto videntur, Dei templum esse totum hoc quod circumspicimus: hominis mentem in terram ex altissimo domicilio ad tempus esse demissam, ut hic quoque divinæ administrationis munere exornetur locus, atque hic interim in mediam templi sedem summum & principem rerum omnium auctorem pietate colat, ad eumque referatur. Miseri, qui hæc non vident; miserrimi, qui cum videant, non agnoscunt tamen: vos autem, quorum causa hunc scribendi laborem suscepi, attollite oculos, diligite inter vos, & concordiam colite, ut instituistis; detque unusquisque operam atque enitatur, ita se in civitate gerere, ut ex optimis ejus studiis & præclare factis perversi homines exempla potius petant recte vivendi, quam ut pœnæ metu, quæ ob aliqua illi admissa scelera luenda sit, à maleficiis deterreantur. Sed ne Annalium scriptor ad tradenda præcepta delabar, neu in re nimis aperta videar velle philosophari, ad id regrediar quod est instituti mei.

A.C. 1535.

Initio hujus anni, cum Baptista Lomellinus biennium suum magna cum laude confecisset, Christophorus Grimaldus Roscius, vir summa prudentia atque integritate, Medicusque in primis maxime honoratus, & nobilis Dux ad Rempublicam regendam ingressus est, celebrique Senatus frequentia magnifice laudatus: est autem *hoc in more positum, ut non solum Duces, verum etiam ii, qui ad Senatoriam amplitudinem adscendunt, publice ornentur laudibus, & de institutis civilibus admoneantur, ut Rempublicam capessentes, ea sibi consilia meminerint esse proposita, quæ ad concordiam spectent, rectaque sint, & ad ea, quæ sunt virtutis munera, quibusdam quasi gloriæ stimulis excitentur: quæ res etiam effecit, ut plerique Jurisconsulti ad Jurisprudentiam bene dicendi studium conjunxerint, multique quotidie succrescant, qui in hujus industriæ curriculo non mediocri cum laude versentur.

In exitu fere Januarii Pauli Pontificis Max. nomine Pantaleo Niellus Eques Hierosolymitanus ensem, inauratumque galerum, amplissimi honoris causa, Andreæ Doriæ dono attulit: ea munera ex ritibus Pontificiis consecrata Regibus, maximisque Dynastis dari solent, illustri eorum significatione virtutis, & cum pro Christi religione & nomine constantissime semper fuerint ad propugnandum parati; ut ejusmodi insignibus admoniti ad eam laudem magis etiam corroborentur. Iis, qui secuti sunt, mensibus omnes Senatus curæ in duo potissimum studia conversæ sunt; primum quo tutior urbs esset ab insidiis, quas incerti sæpe casus afferre solent, data est opera, ut diligentius communiretur. Itaque ab ea urbis parte maritima, quæ vergit in Carinianum, muri vel male cohærentes, vel quorundam malitia occultis suffossionibus prævii grandibus saxis obstructi, accurateque refecti sunt. Quinque præterea idonei Duces delecti, quorum virtute & consilio, ea, quæ ad opportunum urbis præsidium pertinebant, pro tempore administrarentur. Illud secundo loco studium accessit, ut stipendium armandis triremibus decerneretur, quibus Cæsari classem undique ab amicis civitatibus tum conquerenti opem conferrent. Africanum ea tempestate bellum is apparabat, quod sane bellum, tametsi à principio professus sim me duntaxat res Genuensium perscripturum, non prætermittendum videtur. Cum si Ducum præstantiam, si copiarum navalium usum, hominumque robur, numerumque respiciamus, magna ex parte eorum opibus susceptum, administratum, confectumque fuisse constet.

Cum igitur Cæsar in Hispania consedisset, & cum animo suo sæpe cogitaret Careadinum Mitylenæum victricia Sultani Solimani in Africam explicuisse arma, Tunetumque nobile oppidum occupasse, minaci flammæ occurrere, eamque, priusquam latius succensa vagaretur, opprimere, sibi conandum existimavit; excitabat ad hoc illum insita quædam animi magnitudo, & communis anxia cogitatio periculi, quod ab inquieta tam propinqua & valida, atque infesta nomini nostro gente Siciliæ, Italiæ, Hispaniæque maritimis populis jam jam imminere providebatur, consilio igitur per Aloisium Avilam cum Andrea Doria, qui tum Genuæ erat, communicato, omnem in ejus belli apparatum curam intendit: summa totius administrationis in Italia Doriæ permissa: trium vero mensium spatium eo in apparatu consumptum. Rebus omnibus, quæ erant imperatæ, summo studio perfectis, cum jam terrestres copiæ, quæ ex Gallia Cisalpina Germaniaque exspectabantur, ad finitima littora portui Veneris convenissent, eo profectus Doria navibus onerariis triremibusque Genuensium cum in locum coactis dedit operam, ut eas conscenderent, Neapolimque, ac in Sicilia cursum tenerent Alphonso Avalo Duce; eo consilio, ut reliqua parte classis assumpta, quæ in iis locis fuerant imperata, in Sardiniam navigarent, & ad Caput Pollæ (ita Calaris promontorium vocant) consisterent, quo Cæsar erat venturus.

His rebus constitutis Genuam revertitur, & cum triremibus suis Barcinonem ad Cæsarem contendit: eo pervenit Kalendis Maji, qui dies Do-

riæ maxime honoratus, Cæsari lætissimus, illi vero civitati longe omnium pulcherrimus illuxit. Post ejus adventum, tametsi instituta profectionis consilia ad exitum properarent, tamen iis rebus perficiendis, quæ ad expediendam Hispaniæ classem pertinebant, & præsidiis, quæ nondum omnia convenerant, exspectandis, tot tributi sunt dies, ut totus is mensis effluxerit; signo profectionis dato, cum etiam tum plerisque incertum esset quo tenderet, dextra parvo simulachro Christi sublato ad Hispaniæ Principes conversus, *Hoc*, inquit, *ituri estis, & mecum, qui ejus aquilifer sum;* ipsoque in Auriana nobilissima quadrireme insidente læti idonea cum tempestate solverunt. Mox cum Aquilonibus Africo decertante maximis turbinibus & fluctibus conflictati sunt, ad Meleboden insulam quarto die cum pervenissent, inde asperi maris laborum obliti, quod cum reliqua Italiæ & Siciliæ classe Alphonsum Avalum adesse, & Calaris promontorium tenere, nunciatum esset, eo secundis auris adnavigarunt: ornatissima conjuncta classis & egregius præclaræ gentis exercitus spectaculum Calaritanis præbuerunt, quale omni seculorum memoria nunquam Sardinia vidit. Hic videretur operæ pretium omnem illum belli apparatum sigillatim recensere, & quasi instructam navalem aciem oculis subjicere legentium, vel ut nobilium Ducum nomina in historiæ lucem proferrem, vel ut satisfacerem iis, quos summum percurioso judicio singula cognoscendi studium tenet. Sed hæc distinctius & apertius ex aliis cognoscentur, qui in perpetua rerum universarum Historia contexenda studiose cuncta complexi sunt: nos ea summatim percurremus.

Triremes fuere xc. in quibus xv. Andreæ Doriæ, ad quem secundum Cæsarem rerum summa respiciebat, Antonii v. Reip. Genuensis xii. quamquam tres dumtaxat suis ipsa sumptibus armaverat, duæ Honorati Grimaldi, totidem Viscontis Sigalli, tres Pontificis Maximi, iv. Equitum Hierosolymitanorum, reliquæ ex Cæsaris Provinciis imperio aut gratia comparatæ. Naves vero onerariæ, in quibus xxxvii. Genuensium, xxiii. Regis Lusitaniæ, qui Aloisium filium miserat, una in primis maxima Equitum Hierosolymitanorum, & quæ reliquæ ex Cæsaris Provinciis convenerant, ccx. numerum explevere: præter has erant biremes, aliaque minora multorum navigia, qui spem prædæ fortunamque consectabantur. Exercitus eo fere militum equitumque numero fuit, quo consularis olim Romanorum: legiones erant Hispanorum duæ, partim veteranorum ad quatuor millia, qui dimissi à superioribus bellis cum Præfectis suis in Italia consederant, partim eorum, qui proxime fuerant in Hispania conscripti: erant ex Germania ad vi. millia, quos Maximilianus Petraplanus evocarat, Italorum ad iv. millia, quorum quingentis præerant Neapolitani duo fratres Sanguineti, reliquas tres æquas in partes distributas Augustinus Spinula, Joannes Carrettus, & Hieronymus Tutavilla: late vero ex omni prope regione excitata Nobilitas, quæ convenerat, & Hispaniæ Principes, quos Cæsar secum traduxerat, classem omnibus ornamentis summaque rerum omnium dignitate complebant.

Facta igitur re divina Idibus Junii universi exercitus conspiratione, auris adspirantibus Cæsar solvi jubet; intensis in altum velis; eoque die & nocte, quæ est insecuta, navigatione consumptis, cum attigerunt locum, qui *Farinæ* portus appellatur; inde in Carthaginensem Sinum delati ad Caput, quod vocant, Carthaginis in ancoris constiterunt. Eo die, quo procedendum, & quid cuique agendum consilio inito, locoque idoneo explorato, quo tutus commodusque in terram esset egressus, admonentur omnes, ut se in posterum diem comparent. Interim Antonius Auria ad arcem cognoscendam cum quatuor triremibus progressus est. Est euripus aperto in littore Sinus Carthaginiensis non natura, sed manu factus, patens in latitudinem passus circiter xxx. in longitudinem vero ccccc. qui ex angustis faucibus, quibus mare incurrens latissimum in stagnum influit, Guletæ nomen accepit: abest directo itinere à Tuneto paulo amplius x. millibus passuum: quod oppidum leviter surgente in colle in adversa parte stagni pulcherrimo prospectu sese attollit: ad hujus euripi latus, quod vergit ad occidentem solem, classis tuendæ causa, quam in stagnum introduxerat, quadrata forma, solum passuum circiter cccc. amplamque turrim, quæ erat in eo spatio, complexus Carcadinus, id ingenti vallo muniri jusserat, atque intra eum locum multitudinem æneorum cujusque generis tormentorum, maximumque Turcarum præsidium collocaverat; ipse septus armis, & novo regno sublatus, Tuneti sedebat, unde tantæ classis horribilem adventum miratus, simul cum ceteris rei magnitudine & novitate perculsis, dicitur contremuisse animo; & si nulla interposita dubitatione ac mora è vestigio nostri ad vim atque ad arma descendissent, credibile est, quod postea ex captivis est cognitum, nullo prope negotio hostem fuisse profligaturos.

Postridie mane exercitu exposito, & quorundam Barbarorum equitatu facile repulso, qui in aliquot ex nostris maturius, quam præceptum erat, è navibus egressis impetum fecerat, aciem instruit; & proximo in colle magnam diei partem commoratus, cum de ratione belli gerendi inter peritissimos ambigeretur, & proposita essent consilia duo, (erant enim sententiæ, quæ Tunetum prius oppugnandum censerent) tutius esse existimavit Guletæ oppugnationem aggredi: hoc suscepto consilio in planum littus descendit, & castris idoneo loco positis, atque, ut erat triplex ex numero nationum acies, mediocribus intervallis separatim copiis collocatis, adversus repentinos hostium incursus munitiones institui jubet. Interim nulla intermittebatur dies, quin esset contra Numidarum multitudinem prosiliendum, qui per notas campestresque regiones ad prælium effusi, magnisque clamoribus & ululatibus late furentes, audacissime nostros adoriebantur. Genus illud est hominum non minus adspectu fœdum atque horribile quam feritate pertimescendum; qui quamquam ad pugnam veniunt vestitu ad talos usque defluenti, inermi pectore, ac plerique nudi, vastumque clamorem profundentes, nulla præcepta Ducis accipiunt, neque ordinem aut disciplinam ullam militarem agnoscunt; tamen vix credibile est, quam audacter in armis sint, quantaque animi confirmatione prælio contendant: ita eos naturalis furor quidam incendit, & admirandæ vis celeritatis adjuvat, cui maxime confidunt.

Augebantur in dies hostium copiæ, & instar undarum, quæ cum gemitu ingenti irati maris ad littora franguntur, obstantes nostrorum catervas concutiebant: vario sæpe certamine pugnabatur; ut qui superiores discederent incertum esset judicium: majoribus tamen incommodis acceptis adversarii repellebantur; quorum in summis periculis, quæ præcipiti furore mentis impulsi minime recusant, præcipuum erat præsidium fuga: erant nostri his in præliis interdiu, noctu vero in munitionibus proferendis occupati, cum præter consuetudinem & opinionem ex Guletæ vallo, cui jam magis appropinquaverant, aliquot Turcarum cohortes repentina eruptione facta in proximum Hieronymi Tutavillæ aggerem, qui ad mare pertinebat, advolarunt: is Sarni Regulus erat, qui pugnæ avidus temere ad eos progressus, cum pre-
menti

mentium impetum sustinere non posset, terga vertere coactus est: fugientem intra aggerem insecuti, eoque & plerisque, qui circum illum aderant, interfectis, ad suos incolumes se receperunt: receptum aggerem tenuerunt Hispani, sed non multo sane felicius: nam biduo post subito matutino tempore eodem impetu rursus affuere Turcæ, atque imparati ad repentinum casum Hispani, ut qui ex diuturno labore quieti se dedissent, vix arma capere potuerint, eorum aliquot occisi, reliqui fuga sese ad agmen conjecerunt. Mox tamen agger Joannis Carreti virtute egregie recuperatus.

Interim ad Carthaginensis promontorii latus maximus Numidarum numerus in unum confluxerat, qui, majoribus tormentis idoneo loco collocatis, ex quibusdam olivetis à tergo magna detrimenta nostris inferebant: ea re animadversa, Cæsar peditum manu ex parte equitatus assumpta, ad eos profectus est: commisso prælio, primo acriter utrinque pugnatum; mox tamen Barbari, cum diutius impetum sustinere non possent, relictis tormentis universi fugæ celeritate salutem sibi petierunt. Iisdem diebus Muleazanes, is qui Tuneti regnum obtinuerat, centum equitum comitatu ad Cæsarem venit, à quo perhonorifice acceptus est: longe ille quidem minor opinione, quæ ipsius adventum antecesserat, non præsidium, non, qui ab eo summe exspectabatur, commeatum ullum attulit, immo vero rerum ipse egenus pecunias à Cæsare sumpsit, quas nonnullis, quibus debebat, dissolveret. Equites qui illum deduxerant paulo post noctis præsidio circumfusi eo, unde venerant, redierunt. Perducebantur à nostris in dies munitiones, & jam triduo ex Guletæ vallo supersederant eruptione hostes, cum iterum manu facta in eam partem irruperunt, qua Hispani stationem tenebant. Hispani, quibus ex inusta nomini suo nota gravissimus dolor incesserat, aut conceptum dedecus eluere, aut projicere animas parati, ita se in adversarios incitaverunt, ut eos intra vallum compulerint. Præsentem jam fere victoriam illud interpellavit, quod scalæ, quibus statim vallum adscenderent, non præsto fuere, & quod ejus expugnationi non erat is dictus dies. Itaque cum à propulsantibus undique repellerentur, coacti referre pedem tormentorum ictibus projecti maximo cum detrimento se receperunt. Fuit id audax facinus nostris sane acerbum, sed tamen hostibus spem imminuit, & auxit terrorem.

Erant in hoc statu res; & ex eo, quo classis terram Africam tetigisset die Lunæ cursus jam prope mensis spatium confecerat, cum Cæsar omnia, quæ ad hostilis valli oppugnationem usui erant, apparari jubet: quibus constitutis, majori exercitus robore coacto plenos Imperatorii ardoris attollens oculos, *Videtis-ne*, inquit, *milites eminentem effigiem illam, cujus nos auspicia secuti mare trajecimus?* (ostendebat autem Christi imaginem, quam illustri in vexillo expressam prætoria navis præ se alte ferebat) *illic præsentem esse Deum existimate, adest profecto, ac nobiscum est, nosque in hoc certamen vocat; proinde cum augustissimo illius numine suscitemus in nobis virtutem; non caducæ ac fugacis rei nobis est propositum præmium; ad æternitatem, ad immortalitatis gloriam contendimus; dum erit Africa, vestrum hoc præclarum facinus hæc littora testabuntur, loquentur literæ, omnisque posteritas gratissimo sermone celebrabit. Quod si nobis hac in pugna sit occumbendum, forti animo occumbamus, ad vitam atque ad salutem consortes eorum, qui nunc optatissima divinitatis luce fruuntur, commigraturi: verum eo Duce nitimur, hujusmodi præsidio septi sumus, ut si hostes non dico hoc imbecilli vallo, sed si montibus objectis conclusi adversus nos propugnent, minime sit dubitandum, quin impia eorum arma simus felicissime confracturi.* Erat dies ad III. Idus Julii, cum prima luce tormentis terra marique dispositis, Guletæ vallum summa vi concutere cœperunt, & sex horarum continenti concussu magnam illius partem labefactarunt. Cum Cæsar animadversa animorum concitatione, qua studio pugnæ omnes efferebantur, prælii signum dedit, subito, ut erant in aciem producti, universi irruunt, primoque impetu vallum occupant, non sagittarum multitudo, non tormentorum fulmina, non impactorum ignium turbines obstiterunt eorum virtuti: tantum impetum non tulere hostes, disjecti, fractique se ex vallo in fugam ejecerunt: fugientes ab Antonio Auria male habiti ad octingentos interfecti sunt, paucis ex nostris desideratis.

Careadinus, adverso rerum eventu cognito, dicitur immugiisse, atque ardenti dolore amens incusasse Deos. Integram concionem, quam apud eos habuit, qui se ex fuga in oppidum recepissent, non libuit adscribere, ipsius asperitatem verbis Latinis me consequi posse diffisus. *Qui vos nisi victores ad me non redituros juraveritis, quo nunc*, inquit, *ore venistis? ad summum Principem quo ego ore revertar? aut quo sensu consistam, cum creditam mihi classem suam minaci voce reposcet? ubi pristina virtus? ubi fides? vos salutem meam, vos partum omne decus projecistis?* Eodem Orationis impetu hos atque illos appellans, multorum aures verborum fulminibus vulneravit, nihilque non effudit, quod recens iracundiæ furor & vis incendentis doloris innatæ hominis acerbitati suggesserunt: ad extremum tamen mitius spirans demonstravit, quanta in amplitudine sese essent collocaturi, si tenerent Africam, universosque hortatus est, ut adversus reliquam imminentis belli fortunam obarmarent animos.

Cæsar his rebus gestis, ad expugnationem oppidi animum intendit; inito supra ea re consilio anceps fuit deliberatio: nam plures in ea erant sententia, ut censerent non esse bello progrediendum. Hujus sententiæ has afferebant rationes, Careadinum intra oppidum millia hominum centum quinquaginta in armis habere: exiguum esse nostrorum numerum, si cum tanta multitudine conferret, defessos omnes diuturnitate laboris, & incommodorum complures macie alvique proluvie confectos vix posse consistere; cælum terramque arenosam solis ardoribus exuri; præterea inopiam aquæ, rerumque necessariarum difficultatem circumstare: quibus tot rebus adversantibus demonstrabant, rem esse magni periculi fortunam periclitari. Hæc etsi vere in medium proponebantur, tamen Cæsari, cui erant ingrata quæ fecerat, nisi etiam conficeret reliqua; credo unius Dei præsidio fretus sibi progrediendum existimavit. Igitur producto in aciem exercitu prima luce iter ingreditur; cum progressus esset octo fere millia passuum, hostis obviam procedit eo prope hominum numero, quem supra dixi, ad dimicandum paratus. Cæsar consistere agmen jubet, gravissima concione omnes confirmat, tum lacessente hoste dat prælii signum, concurritur, pugnatur. Hic cognosci potuit, quantum se intendat extremis in rebus pertinacis animi fortitudo; etenim Itali & veterani milites Hispani, qui primam aciem tenebant, tam acri concursu in adversarios proruperunt, ut unius horæ spatio non solum præsentem eorum vim cæde multorum infregerint, sed etiam, ne iterum concurrere auderent, summum illis injecerint terrorem: ex eo prælio cum sese recepissent, nonnulli siti & lassitudine confecti è vestigio animam efflarunt. Postero die propius accessum est; intra oppidum mirum silentium; summa in arce propositum erat vexillum: ex duobus Numidis, qui ad Muleazanem conveniendum exierant, compertum est, Careadinum à suis proditum, rebusque suis diffisum, oppidum deseruisse; cer-

certos homines ex iis, qui Christum olim abnegarant, Arcis custodes solvisse Christianos captivos, eorumque auxilio Turcas circiter cc. interfectos, vexillum ab iis esse sublatum, quo Cæsarem intra vocarent. His rebus cognitis, nostri oppidum irrumpunt, miserrima ubique cædes facta. Cædem secuta direptio: liberorum utriusque sexus ad xv. millia capta, captivorum, qui ex jugo servitutis erepti sunt, numerus fuit millium circiter xii. mox refecto ex durissimis laboribus exercitu, & Muleazane Tuneti Rege confirmato, per alteram partem stagni, aquarum scatebris, & gratis arborum umbris commodiorem ad Guletam Cæsar revertitur. Cum autem ei nunciatum esset in portu Hipponensi xii. hostium triremes superesse, re per Adamum Centurionum diligenter explorata, ad eas occupandas Doriam summa celeritate adnavigare jubet: eo cum pervenisset, comperit Judæum Careadini Præfectum antevertisse, & pridie ejus die avectis triremibus Algerium contendisse, quo equis admissis ipse Careadinus profugerat. Auria, urbe Hippone expugnata atque direpta, ad Cæsarem rediit. Cum visum est operæ pretium, ut novæ ad Guletam munitiones exstruerentur, in ejusque loci præsidio Bernardino Mondegia cum mille peditibus Hispanis relicto, ipse cum reliquo exercitu per Siciliam in Italiam contendit. Hujus belli exitus hic fere fuit. Careadinus post paucos dies Constantinopolim rediturus ex Algerio minorem Insulam Balearem aggressus Mavum opulentum oppidum improviso adventu occupavit, & interfectis circiter cccc. ingenti præda facta, maximum oppidanorum numerum abduxit in servitutem. In exitu hujus anni Franciscus Sfortia Dux Mediolani nulla sobole superstite diem suum obiit. Antonius Levianus Cæsaris nomine in ejus imperii possessionem venit.

A.C. 1536. Ingredienti mihi in proximum annum occurrit Ansaldus Grimaldus, ejusque præstantissimum in Rempublicam meritum: id quomodo positum fuerit, ut apertius ab exteris etiam cognoscatur, Curiæ Sancti Georgii institutio, publicaque curandarum in hac civitate pecuniarum ratio, paucis mihi videtur explicanda*. Hic igitur vir summus, credo, qui immortalitatis amore raperetur, & cujus animo præclara sententia illa alte insederat, omnibus qui Patriam adjuverint atque auxerint certum esse in cælo, ac definitum locum, ubi beati sempiterno ævo fruantur. Tribus fere annis antequam è vita decederet, integra valetudine, liberoque judicio & considerato LX. millibus aureorum nummûm emit quattuor locorum millia, ea constitutione, ut quotannis multiplicata ad LXIV. millia adaugerentur: ubi ad eam summam pervenissent, voluit, ut ejus pecuniæ fructus in diversos pietatis usus, variaque beneficentiæ munera singulis annis distribuerentur, ad Dei cultum certis in templis amplificandum, piasque Christi sacerdotes sublevandas, ad tollenda onera vectigalium, quibus, iis in rebus, quæ ad victum pertinent, civitas premitur, ad sumptus Duci Reipublicæ, Senatoribusque suppeditandos, ad honestanda studia literarum, ad alia præterea Patriæ subsidia atque ornamenta constituenda: quæ si quis cognoscere diligentius singula voluerit, petet ex gravissimis ejus Curiæ tabulis, in quibus certissimis monimentis ordine omnia consignata sunt. Egregium hoc factum nulla à me verborum ornamenta desiderat, laudabitur cum admiratione tandiu, dum memoria rerum Genuensium manebit. Quid magni viri, quid Principes Regesque superioribus seculis pro Patria præclare fecerint, notum est historias legentibus; mihi quidem Veterum exemplar expetenti non satis occurrit, quis in hoc beneficentiæ genere se unquam splendore ornaverit illustriori. Donarunt aliqui pecuniam, sed aut temporibus coacti, aut non ad eum finem, aut non ad eam summam: donarunt oppida, sed quæ ipsi per se fortasse retinere non poterant. Hic ex arca sua sponte sexaginta millia aureorum nummûm deprompsit, & quasi Patria ipsa, quæ omnes omnium charitates complectitur, omnibus Reipublicæ partibus non in unum annum, sed longa in secula consuluit: pro his meritis Senatus summa civitatis omnis approbatione Ansaldo ejusque hæredibus onerum omnium immunitatem concessit, marmoreamque ipsi statuam in Senatoria Curia tamquam in memoriam gratorum civium collocandam decrevit. Vir fuit Ansaldus Grimaldus pergrato adspectu facileque arridenti, oratione simplici, magno altoque animo, auctoritate gravis, divitiis summus, in domesticis sumptibus mediocribus par, vigilantia nulli secundus; quod erat, esse volebat, cum Regibus admodum liber, & sine arrogantia audax, in primisque malebat esse, quam videri, attigit annum LXXV. Eodem tempore alii quoque accensi sunt ad bene de Rep. promerendum. Nam sacræ aliquot civium sodalitates, quæ postea justis de causis sublatæ sunt, multum pecuniæ, vel (ut orationem meam Genuensium auribus accommodem) multa loca, quæ in Sancti Georgii Curia habebant, Reipublicæ dono dederunt, ea conditione, ut eæ pecuniæ in reparanda mœnia, munitionesque pro urbis tutela conficiendas erogarentur.

Ineunte Vere bellum à Gallis illatum est in Allobrogas; qui mox superatis Alpibus, cum in Italiam descendissent, subjecta Alpinis montibus oppida, totumque illum tractum, quem Carolus Sabaudius Allobrogum Dux ante possederat, occupaverunt: in hoc trepido rerum tumultu Genuenses militaria officia intenderunt: Urbs est aucta præsidiis, novique Duces ex civibus delecti, qui essent ad omnes excubias parati atque intenti, Franciscus Spinula, Franciscus Marinus, Nicolaus Grimaldus, Hieronymus Doria Piccamilius, Antonius Calvus, Martinus Fliscus Bottus, Bartholomæus Imperialis, Vincentius Negronus, Octavianus Saulius, Philippus Niger & Hieronymus Garaventa. Savonam duæ cohortes missæ, quæ ibi essent in præsidio: ex Corsica cum accersiti essent CCL. milites, fortuna illis cessit admodum adversa; nam cum non longe essent in altum progressi, in paratissimas Turcarum prædonum biremes inciderunt, à quibus post acerrimam pugnam capti & in servitutem adducti sunt. Antonius Doria statim Corsicam navigavit, prædones insecuturus: illi expediti ad fugam in tutum se receperunt. Per idem tempus curata sunt decem millia aureorum nummûm, eo consilio, ut exstruerentur publicæ domus, quibus milites hospitio pro tempore susciperentur, ne privatæ civium ædes ad quodlibet tumultus occuparentur; quod sane incommodum ac permolestum omnibus accidebat.

Cæsar ex Africa victor redierat, ut dicebamus: postquam Italiam attigit, novæ illum curæ excipiunt. Audit Franciscum Sfortiam Mediolani Ducem è vita migrasse, Gallos esse in armis, Subalpinamque regionem jam tenere, Mediolanique Imperium animis invadere. Romam, quam non antea viderat, ingressus, amplissimum quasi theatrum spectavit laudum suarum; spectandus ipse in primis cum egregio clarissimorum Ducum comitatu, horridoque exercitu veteranorum militum; Capitolium post antiquam Romanorum Imperatorum virtutem desuetum triumphis, eo die ad veteris splendoris similitudinem revocavit: à Pontifice Maximo honore summo acceptus est: paucis post diebus, datus est illi Senatus, in quo Oratione illustri demon-

* Hic reliquit Auctor ab altera parte tabulam non scriptam; ut in ea, credendum est, poneret quæ de institutione Curiæ S. Georgii se scripturum pollicetur.

monstravit causam suam, & quo recentiora erant ipsius in Rempublicam Christianam merita, eo gravius atque ardentius Regis factum conquestus est. Contra Regii Legati Regis causam defendere, Pontifex ad concordiam, pacisque conditiones rem deducere studebat: cum conditiones minime convenirent, Cæsar ad bellum exiit.

Nicolaus Negronus (ut ad res Genuensium recurrat nostra oratio) à Senatu honoris causa ad eum Florentiam missus Orator, Sarzanæ post Ansaldus Grimaldus, Baptista Spinola consularis, Jo. Baptista Saulius, & Stephanus Fliscus Ragius. Procuratorum vero Sancti Georgii nomine Nicolaus Justinianus, & Thomas Cattaneus eodem legationis munere perfuncti sunt. Alexandriam mox cum pervenissent, Andreas Doria perhonorifico comitatu eo se contulit. Inde illum Astam secutus, quo in oppido de bello, bellique apparatu initæ sunt rationes. Igitur comparato peditum prope quinquaginta, equitum vero decem millium exercitu, Cæsar in Subalpinos profectus est; eo consilio, ut in Galliam, si res secundæ cederent, bellum inferret, fato Regis Gallorum factum est, ut in obsidione Fossani multos dies consumpserit; nam si expedita profectione, quo constituerat, recta contendisset, cum nondum Regis auxilia convenissent, ac imperata essent omnia, Regi de rebus suis vehementer erat pertimescendum. Post ejus oppidi deditionem relictis circiter x. millibus peditum, qui Taurinum obsiderent, Nicæam versus iter suscepit, eodem Andrea Doria, qui Genuam redierat, cum quinquaginta triremibus contendit, Antipolis capta, processum est in Provinciam, ad Bruniolam haud levi commisso prælio, sexcenti prope Galli interfecti, duoque eorum non ignobiles Duces capti sunt.

Iis fere diebus Antonius Levianus vi morbi consumptus obiit. Martinus Caraciolus Cardinalis in ejus locum suffectus Mediolano præficitur. Breviter hæc percurro, tantumque ex actionibus Cæsaris assumo, quantum ad lucem propositis mihi rebus contexendis afferendam necessarium videtur. Premebat bello Provinciam Cæsar, ut dixi, cum Idibus Augusti Genuam nunciatum est nobilissimos Duces pro Rege Gallorum ad Mirandulam auxilia summo studio cogere, eorumque esse consilium, antequam in Subalpinos tenderent, ex itinere Genuam invadere. Hoc ubi Genuæ increbuisset, re ab optimis auctoribus confirmata, timor incessit omnes; timorem secuta omnium ordinum ad defendendam libertatem conjunctissima conspiratio, summaque diligentia in iis rebus parandis, quæ usui forent ad id, quod instabat, periculum propulsandum: intra urbem & finitimis in locis delectus habiti; muneris bellici procurationi Francus Auria, Hieronymus Spinola Frissetus, & Stephanus Pasqua præfecti sunt. Andreas Doria, qui tum erat in Provincia, hujus rei à Senatu certior factus, celeriter operam dedit, ut Antonius Auria cum octo triremibus octingentisque peditibus, quorum Dux erat Augustinus Spinola, civitati subveniret; Alexandria item mille Germani accersiti, qui proximis diebus eo convenerant: his auxiliis satis communita civitas noctes & dies, quem casum fortuna allatura esset, exspectabat; cum ad IX. Kalend. Septembris nuntiatum est hostes adesse: fuere peditum circiter x. millia & octingenti equites, gens bello præclara, & nobilissimi Duces, in quibus principem locum tenuerunt Guido Rangonus, Caninius Gonzaga, & Cæsar Fregosius, cui hac in Expeditione primæ deferebantur. Eorum adventu cognito, murorum custodia tribus potissimum Ducibus credita est, & suus cuique ad defendendum attributus locus. Ad portam Fasciolanam & proxima loca Augustinus Spinola, ad eam, quæ spectat Feritorem, qui nunc Bisamnis appellatur, Gometius Friarolus Cæsaris Legatus cum Germanorum præsidio stationes habuerunt: inter utrumque suos disposuit Antonius Doria; octo triremibus, quæ aderant, Melchio Antonii frater præfectus est, qui maritimam urbis partem asservaret. Cum hostes Riparolum (is locus abest ab urbe quattuor passuum millibus) pervenissent, è vestigio hominem ad Senatum legarunt, qui Regis Gallorum nomine urbis Imperium poscerent: ad Caput Phari milites, quos Melchio Auria in præsidio ibi collocarat, illum circumsistunt, & comprehendunt: admonitus hujus rei Senatus vetuit, ne potestas illi fieret in urbem introeundi. Itaque biduum in turri, quæ eo loco ad prospectum late pelago petendum adstat, custoditus est; post tamen ad suos jam abeuntes incolumis demissus: fuit is dies ad v. Kal. Septemb. Nocte, quæ est eum diem consequuta, mœnibus hostes appropinquarunt, urbemque duobus locis paulo ante primam lucem oppugnare instituerunt. Barnabas Viscontius cum parte copiarum per occultos tramites anfractus montium transgressus, eam portam invaserat, qua via est ad Feritorem; robur exercitûs consederat ad Fasciolanum proximo in colle, qui *Granarolus* appellatur. Erat paulo supra portam parva quædam turris, quæ Turris Speroni dicebatur, ubi nunc firmissimum propugnaculum occurrit in montem Galletum adscendentibus: huc maxima hostium acies impetum fecerat, acrique utrinque contentione pugnatum est, cum ii muros adscendere conarentur, ii contra fortissime propugnando defenderent. Eo in certamine signifer quidam egregiam suis operam præstitit; qui cum scalis aggressus usque eo murum adscendisset, ut esset ab ictu propugnantium tutus, signum præclare sustulit, magnoque animo in eo proferendo perstitit: id tamen Centurio quidam Corsus diutius non tulit, toto enim corpore è turri projectus, atque illud hostile signum manu prehensum de manu signiferi conatus evellere, magnam illius partem concerpsit, secumque traxit, gravissimo ille quidem vulnere affectus, sed ex quo tamen postea convaluit: è scalis tandem signifer deturbatus, vulnerati plerique, pauci occisi: audacter magnaque vi hostes urgebant, ut jam qui mœnia defensabant, paulisper remissi perturbarentur, cum Antonius Calvus valida manu subsidio affuit. Quapropter reliquit animus adversarios, & postquam viderunt frustra inceptum, & nullam in partem significationem fieri ullius conspirationis civis, re infecta pedem retulerunt: persuaserat sibi Cæsar Fregosius, ubi cum exercitu mœnibus appropinquasset, fore, ut quam primum urbe potiretur; ea re maxime confisus, quod vel ad paratam, vel certe ad speratam conspirationem veniret veteris homo factionis atque potentiæ, quæ illum opinio fefellit. Nam aut nihil in urbe latebat intestini mali, aut si quid erat, Senatus diligentia factum est, ut non eruperit. Qui in alia urbis parte pugnabant defendentibus Germanis facile rejecti sunt, & cum Melchio Doria contra Feritoris ostia triremibus constitisset, majoribus tormentis æneis ita terrorem illis & periculum auxit, ut in proximos colles, qua iter est Montovium, se in fugam statim conjecerint: ex Fasciolano, qui desperata expugnatione, in Porciferam Vallem se receperant, ibi consederunt: cum explorarentur eorum consilia, rumor sparsus est, illos instructiorem oppugnationis apparatum moliri, & proxima nocte urbem iterum invasuros: quæ opinio, ut non modiocrem timoris causam afferebat, ita majorem curam, multoque ardentius studium pugnandi omnibus injecit; & eo magis, quod adventus Bartholomæi Spinolæ cum octingentis peditibus majore spe civitatem compleverat. Verum hostes, alio sibi capto consilio, silentio noctis inde profecti per Gabanas iter eo, quo primum intenderant, converterunt. Ita trium die-

dierum spatio maximo periculo Genuensium libertas perfuncta est nullo suorum interitu: ex adversariis vero ad LX. aut vulneratis, aut occisis, & ad XL. captis, qui remis addicti. Post discessum hostilis exercitus cum Senatus censuisset, ut de iis qui contra Rempublicam fecerant, quæreretur, tres plebeji homines, qui hostibus operam suam præstiterant, capti, capite pœnas dederunt: præterea nonnulli Porciferani, qui commeatum & scalas ad murorum adscensum hostibus præparaverant, perpetuo exsilio mulctati, atque eorum domus eversæ sunt: eadem item pœna affecti sunt nonnulli Clavarini, quorum factione atque auxilio per eosdem dies, Stratiotus quidam Cæsaris Fregosi nomine Asturiam vallem & Clavarum invaserat: læta post id factum civitas, Diis immortalibus gratias agere, non ob id solum quod illam esset adepta victoriam, sed multo magis, quod cum conjunctissimi cives alius consilio, alius opibus, alius opera atque industria Rempublicam adjuvissent, & in omnium animis altissimas jam radices egisset concordia, spem certissimam concipiebat, nullam vim, nullas insidias, nullas hostiles opes tantas unquam futuras, quæ talem statum divino præsidio munitum labefactare possit.

Hæc in communi lætitia fuere, qui non tam ob recens periculum depulsum lætarentur, quam metuerent, prospicientes in posterum; metuendi hæc erat causa, quod videbant muros, quos exstruxerant antiqui, nullam prope habere defensionis opportunitatem, ut qui humiles essent, & graciles, & propter vetustatem multis locis interscissi, maleque cohærentes: idcirco non desistebant admonere, ut huic rei consuleretur: horum sermones, in hominum conventu semel atque iterum excitati, permoverunt multorum animos, indignumque videri cœptum est, quod clarissima in urbe ad quosvis hostiles incursus esset trepidandum. Itaque visum est faciendum, ut primo quoque tempore nova mœnia maximis ac firmissimis cum propugnaculis ædificarentur. Habito super hac re consilio, etsi rei magnitudo ingentes sumptus & pecuniarum difficultates inexhausta adversis rerum temporibus civitate proponerentur, tamen re in utramque partem diligenter recteque perspecta, hæc, quam dixi, sententia superavit; statimque summa consentientium civium frequentia decretum est, ut cogendæ pecuniæ ratio, totiusque rei judicium ac potestas penes Senatum esset. Deinceps inita ratione cum statueretur LXX. millia aureorum nummûm eo nomine curari oportere, (hac enim fere summa existimabant id opus absolutum iri) ex ærario Sancti Georgii propensa participum consensione decem & septem millia ac quingenta, reliqua partim ex liberalitate privata multorum civium, prout cujusque facultates ferebant, deprompta sunt, partim imperata, partim ex publico coacta. Verum postea multo majus opus excrevit, quam principio opinabantur homines, atque in id perficiendum conjecta sunt circiter quingenta millia.

Hæc in urbe præparabantur, & jam præcipitabat Autumnus, cum Cæsar commeatus angustiis pressus, parteque exercitus vi morbi absumpta, ex Provincia discedebat. Intemelium cum pervenisset, quod oppidum est sub ditionem Sancti Georgii Procuratorum, ipsius nomine à quattuor Legatis exceptus est: Legati fuerunt, Vincentius Saulius, Antonius Vivaldus, Hector Fliscus, & Martinus Justinianus Mongiardinus. Paulo post Jo. Baptista Cattaneus Lazania, Jo. Baptista Niger, Bernardus Justinianus, Augustinus Doria, Paulus Spinula Franc. F. Jo. Baptista Grimaldus, Petrus Furnius Camulius, & Simon Cibo Arechus, Savonam missi, qui eadem item honoris significatione Cæsarem acciperent: qui demisso inde Alphonso Davalo cum exercitu, ad v. Idus Octobris Genuam venit, ubi triduum commoratus cum classe triremium XLIV. in Hispaniam navigavit adversissima tempestate; nam præterquam quod ipse ad complures insulas, quæ contra Massiliam jacent, retentus est, duæ onerariæ naves ex sexdecim, quæ illum sequebantur, interierunt. Alphonsus Davalus in Subalpinos regressus Casale oppidum, quod oppidani Federici Gonzagæ imperium, cui Cæsar illud adjudicaverat, iniquo animo ferentes Gallis tradiderant, eorum ope adjutus, qui tenuerant arcem, cepit, multorumque cæde facta, militibus diripiendum dedit. Interea cum fama constans esset, Gallos aliquot naves armasse, & abesset Doriana classis, quæ, ut diximus, in Hispaniam Cæsarem advexerat, Senatus ex Insubria CCC. Germanos præsidio Genuam accersit. Urbani Duces creati Jo. Baptista Pallavicinus, Nicolaus Guastavinius, Antonius Furnius, Accelinus Spinula, Leonardus Lomellinus, Paulus Doria, Jacobus Gallus, Obertus Calvus Bellogius, Pelegrus Rebufus, & Bizaninius. IIII. Kalend. Januarii universus Senatus novis mœnibus constituendis initium facturus, mane ad designatam Speroni munitionem summa cum religione processit, quo loco, sanctissimis precationibus adhibitis, in nomine Jesu Christi libertatis & salutis firmissimo fundamento, Dux ipse primum fundamenti lapidem posuit.

A.C. 1537. Ineunte Jan. Christophorus Roscius in Procuratorum ordinem descendit, & Jo. Baptista Auria, qui tunc Senator erat, summa vir integritate, Dux Reipublicæ creatur: ex Hispania rediit Andreas Auria magno cum Hispanorum militum numero, quos in Italiam transportavit, ut in Galliam Cisalpinam proficiscerentur. Verum cum iis diebus Laurentius Medices, juvenis altitudine ingenii ad dissimulandum facinus incredibili, domi suæ per insidias Alexandrum Medicem Florentiæ Tyrannum interfecisset, audito ejus interitu eo missi sunt. Appetente Vere, cum constans fama late percrebuisset Regem Gallorum maximum exercitum comparare, Sultanum item Solimanum parte ex alia consurgere in arma, ut conjunctis animis Italiæ bellum inferrent, Genuenses de rebus suis admodum solliciti opportuna præsidia intra urbem contrahunt. Duces urbani creantur XVII. Lucas Salvagus Confortius, Philippus Cattaneus, Nicolaus Justinianus, Franciscus Marinus, Hector Fliscus, Carolus Alarcarius, Melchio Doria, Andreas Imperialis, Andreas Furnius, Vincentius Negronus Merellus, Franciscus Grimaldus, Joannes Spinula Canetus, Baptista Pinellus Adurnus, Augustinus Centurionus, Franciscus Pallavicinus, Jo. Baptista Lomellinus Sexterius, Andronicus Francus. Imprimis vero summa industria urgent murorum opus, quod instituerant; atque omnis generis hominum, ætatum, atque ordinum descriptione, officiorumque vicissitudine constituta, naturam ipsam vincere aggressi, complanatis anfractuum asperitatibus, & saxeis montibus pertinaci studio concisis, eam Speroni munitionem, quæ primo fieri est cœpta, totumque illum murorum tractum, qui ad portam Aquesolam pertinet, & nobilissimam partem illam, quæ via Fasciolana ingredientibus alte sese ostendit, ea propugnaculorum magnitudine, quam videmus, brevi tempore perficiunt. Hoc quidem illis feliciter cessit, quod Gallorum Rex quo constituerat tempore in Italiam non descendit; distinuit eum partim bellum, quod in finibus ulterioris Galliæ à Maria Austria Cæsaris sorore subito exortum est, partim adversa valetudo, qua laboravit; nihilo tamen secius exercitum ex Gallis, Italis, Germanisque conscriptum in Subalpinam regionem venire jussit. Verum ibi consedit. Sultanus vero Solimanus nulla re impeditus terrestri,

restribus & maritimis copiis paratissimus Constantinopoli movit.

Erat in iis, quos dixi, laboribus occupata civitas, cum Andreas Doria mense Junio Messanam navigavit: eodem Antonius Doria, & Garcias Toletanus convenerunt. Ille igitur coacta classe cum videret eam esse paucitatem suorum, ut immensæ magnitudini hostium non esse objiciendam judicaret, experiendum tamen existimavit, si qua ratione officere atque obstare eorum conatibus posset. Itaque navibus onerariis ac impedimentis omnibus Messanæ relictis, triremes XXVIII. expeditas educit, & Cephaleniam contendit, ibi cognoscit Solimani classem paucis ante diebus attigisse Leucaden; eo statim profectus, certior fit illam recta Apolloniam contendere, quo Solimanus ipse terrestri itinere jam pervenerat; postridie mane triremes sex ad Actium mittit, quæ littora illa & Sinus diligenter explorent, ipse cum cæteris in Corcyræum Sinum ingreditur, quo loco decem naves inventæ, quæ quod commeatu erant onustæ, tardius iter fecerant: in eas ita impeditas fit celeriter impetus, & nullo negotio capiuntur. Magna illa quidem atque opulenta præda, si ita tulisset Doriæ voluntas; verum longe illi aliter visum. Etenim conquirendis hostibus intentus ne remigum & propugnatorum suorum numerus imminueretur, quos iis navibus imponere necesse erat, nocte, quæ est insecuta, omnes incendi jubet. Si qui res bellicas administrant, & quicunque publica in dignitate versantur, hoc factum imitarentur, neque ad privatum commodum consilia actionesque suas, sed ad gloriam splendoremque revocarent, profecto nos quoque temporibus nostris videremus Fabritios, Papirios, similesque eorum Duces, quos incorrupta antiquitas admirata est. Hoc certe factum præclare magnitudini alti animi posteritas adscribet. Inde Auria conjuncta classe progreditur ad insulas supra Cassiopen, quas *Merlares* hodie vocant, mox ad portum Panormum trajicit: quo itinere triremes duas Turcarum offendit, quæ decem navium adventum, quas captas atque incensas diximus, venerant exploratum; eæ momento temporis captæ: neque ita multo post Janetinus Doria biremem unam, quæ eundem cursum tenebat, intercepit: regressus ad Merlares insulas Doria biremem captam propugnatoribus instruit, triremes vero duas absumit incendio; biduo ibi consumpto ab exteriori parte Corcyram insulam obit: medio fere incursu conspicatus in alto triremes quattuor Equitum Hierosolymitanorum, ac biremes duas Genuensium, quas tamen primo hostiles arbitrabatur, illis assumptis ad Leucimnam navigat. Eo loco rumor erat XII. Turcarum triremes, quæ Apolloniam versus iter habebant, ad fauces Sinus Ambracii subsedisse. Re certis auctoribus confirmata, Auria ad continentem Epiri è vestigio trajicit, opportunoque loco ultra Pragam millia passuum circiter decem, qua iter hostes erant facturi, se collocat, disposita in littore & explicata ad ineundum prælium classe. Paulo post adsunt hostes: fit in eos impetus: pugnatur utrinque acriter: ex tribus armatorum millibus sexcenti fere capti, reliqui cæsi, captæ item XI. triremes, una pugnando depressa est; ex nostris vulnerati circiter mille, desiderati prope CC. is dies fuit ad XI. Kalend. Augusti.

His rebus gestis, Auria cum captivis & triremibus, quas ceperat, Messanam, atque iis depositis, qui ex vulneribus erant ægri, & classe denuo rebus omnibus instructa, Corcyram iterum advolat. Verum cum hostis hæc accepisset detrimenta, quæ diximus, & commeatus inopia conflictaretur, neque ad eam diem audisset Regem Gallorum, rem, quam proposuerat, suscepisse, spe dejectus statuit Constantinopolim regredi. Id ubi cognovit Doria, jamque ad eum de classis hostilis reditu fama præcurreret, se in Italiam convertit. Ita hoc anno compressus Solimani furor; quanquam dira gentis illius immanitas non usquequaque subterfugi potuit: nam præterquam quod nonnullis Apuliæ oppidis contra religionem datæ fidei vastitatem intulit, cum regrederetur in Ægæum, ardens iracundia propter navium jacturam atroci direptione Corcyram insulam depopulatus est. In Italia interim exsules Florentini magna coacta manu cum libertatem repeterent, & Florentiam irent oppugnatum, ad Montemurlum ab Alexandro Vitellio fusi profligatique sunt: in iis expeditionis illius principes capti, imprudentiæ suæ pœnas dederunt. In Subalpinis nihil hostiliter actum, neque tamen destiterunt Genuenses triremes aliquot armare, ut ad incertos casus essent parati: ineunte Autumno Alphonsus Davalus cum ad exercitum, cui præerat, circiter decem millia Germanorum accessissent, prodiit in bellum, nonnullaque oppida expugnavit, quæ à Gallis fuerant occupata.

Ineunte hyeme Rex Gallorum rebus per inducias cum Maria Austria compositis, & valetudine firmior in Italiam trajicit: cum eo fuere duo ipsius filii, atque omnes prope Galliæ Principes. Hoc Regis adventu Genuenses terrore perculsi cum robori tam potentis hostis nondum satis firmi sibi viderentur ad resistendum, instant summa industria cœptis operibus, & quibus locis veteres muri parum defendebant, hæc aggeribus vallisque communiunt, prout quisque locus hosti opportunus magnam diligentiam administrationemque requirebat; augent ad defensionem urbis militum numerum, exspectabantque ex Gallia Cisalpina Germanorum circiter duo millia, quos Senatus nomine Joannes Salvagus evocaverat, jamque Gavium adduxerat; cum interea Genuam affertur inter Cæsarem & Gallorum Regem trium esse mensium pactas inducias, & de pacis conditionibus agi, Regemque in Galliam se recipere. Posteaquam id explorate cognitum est, Ansaldus Justinianus publicarum rerum causa, quæ ad dignitatem libertatemque civitatis conservandam pertinebant, in Hispaniam ad Cæsarem legatur: demittuntur Germanorum auxilia, omniumque animi fuere ex eo paulo quietiores. Ita hic abiit annus.

A.C. 1538. Interea Summus Pontifex communis concordiæ causa non desistebat meditari pacem, atque id per nuntios agere, ut duorum Christianæ gentis Principum controversiæ componerentur, tandemque perfectum est, ut amicius consenserint, & congressum non recusaverint. Hoc nomine Andreas Doria mense Martio in Hispaniam navigat, ut Cæsarem advehat in Italiam. Nicæa Massiliensium colonia colloquio deligitur, eodem ipse Pontifex profectionem suscipit, ut qui hujus congressionis auctor fuerat, idem præses adjutorque esset consiliorum. Inito Vere Roma discedit: ubi Sarzanam pervenit, Curiæ Sancti Georgii Procuratores duo, Vincentius Saulius, & Vincentius Pallavicinus, ei comiter præsto sunt, omniaque ad ipsius & totius comitatus victum cultumque necessaria honorificentissime suppeditant; adsunt illi præterea, qui Senatus nomine honorariam operam exhibeant, Ansaldus Grimaldus, Joan. Baptista Spinola, Vivaldus Sophia, & Jo. Marinus Davania; mox Placentiam Legati ad eum mittuntur Corradus Vivaldus Sophia, Jacobus Grimaldus, Jacobus Auria, & Hector Fliscus; qui ex auctoritate Senatus obedientiam, optimamque totius in illum voluntatem profiteantur. Gratissima Pontifici fuit hæc amoris atque officii significatio; cumque ei maxime opportunum videretur Genuensium facultatibus

uti, Savonam venit, ibi rursus à sex Oratoribus, & Joanne Salvago, qui tum Prætor illius civitatis erat, receptus, nullum studii & munificentiæ genus, quod ad ejus adventum honestandum suppeditari potuerit, desideravit; Oratores fuerunt Nicolaus Justinianus, Thomas Cattaneus, Augustinus Calvus, Andreas Spinula, Baptista Lomellinus. Inde Nicæam navigat: Cæsar & Franciscus Rex Gallorum seorsum quibusdam oppidis Nicææ proximis considunt: cum utroque Pontifex nunc ipse coram, nunc per Consiliarios colloquitur: ad summam Eleonora Regina Cæsaris sorore rem adjuvante obtinet, ut inter eos in decem annos confirmentur induciæ: affuere à Senatu Genuensi Legati duo ad Cæsarem Nicolaus Negronus, & Baptista Cicada Zoalius, qui singula Reipublicæ causa cognoscerent. His constitutis induciis Cæsar Dorianis, Pontifex Regiis triremibus in exitu mensis Genuam veniunt: mox inde digressi Romam alter, alter in Hispaniam redit; eo itinere cum ad Fossas Marianas venisset (Aquas mortuas vocant) commemoranda quadam humanitate Rex Cæsarem convenit, Doriæ reconciliatus est, & Cæsar egressus in terram familiariter successit hospitio Regis, atque is fuit illorum congressus, ea sermonum hilaritas, ut mirum videri possit, quo pacto inter eos ex gravissimis atque iis recentibus inimicitiis eo loco tum insignis amor emerserit; aut rursus, qui fieri potuerit, ut post tam egregiam ac singularem amoris significationem ea inter se bella gesserint, quæ consecuta sunt.

Advecto in Hispaniam Cæsare, nulla interposita mora Doria Genuam revertitur, & statim Messanam contendit, ut quoniam ex jure fœderis, quo Pontifex, Cæsar, & Veneti nuper erant conjuncti, adversus Turcas navale bellum erat suscipiendum, totus in hanc rem animo instat. Ferrandus Gonzaga circiter decem peditum millia scribenda curaverat, magnamque ibi classis partem coegerat. Inde Corcyram navigant, in quam insulam Veneti omnem suum belli apparatum contulerant. Conjunctis igitur classibus nacti idoneam tempestatem ad Ambracium Sinum, quo se hostilem classem continere cognoverant, cursum tenent. Careadinus ejus classis Præfectus ubi id animadvertit, ad prælium committendum animo paratus egreditur; undique crudelis imago mortis, terribilisque armorum facies apparet, undique dirus circumsistit horror: mare, quod intra Calpen prorumpit, quacunque excurrit, cædem nunquam similem vidit, atque tum fuisset, si duæ summa potentia classes concurrissent; fata tulerunt, (quid enim aliud dicendum videtur?) ut tot collectæ Christianæ gentis vires, quæ totum Orientem obruere poterant, si consensissent, in ventum effusæ sint. Inde lætus Careadinus vela tendit in Hellespontum; nostri varie affecti, ut quorum pectora pudor, ira, & conscia virtus incendebant, ad Castrum novum feruntur, quod oppidum Epidauro xxx. millibus passuum abest, eoque expugnato, & Francisco Salmento firmissimo cum præsidio ibi relicto, in hyberna concedunt.

A.C. 1539. Initio insequentis anni, Andreas Justinianus Dux Reipublicæ creatur, vir antiqua probitate: mense Februario Valerius quidam Succarellus, sacerdos haud ignobilis, certis indiciis convictus, quod patriam prodere tentasset, justas Reipublicæ pœnas persolvit. Janetinus Doria per id tempus Francisco Salmento, quem in Castri novi præsidio relictum fuisse diximus, commeatum, quo se sustentare multis mensibus posset, advexit: cæterum Careadinus, classis Solimani Præfectus, hanc diligentiam, aliosque ad ejus oppidi defensionem susceptos labores irritos fecit; quippe qui haud ita multo post oppidum expugnaverit, miseranda veteranorum, qui

A Cæsarem alias enixe juverant, cæde, aut servitute.

Europæ magnam partem, & potissimum Italiam, hoc anno insignis & dira fames occupavit, quæ Genuensibus inter cæteros maximum detrimentum attulit. Nam cum importato frumento utantur, his necessarium fuit, cæteris rebus omissis, omnem pecuniam hac una in re collocare, & ex Gallia Cisalpina subsidium esset interclusum, quod, qui oppidis præerant frumentum exportari minime paterentur, Senatus naves duas armandas curavit, eisque Marinum Bottum præfecit, ut per maria excurreret, & si qua navigia frumentis onusta reperiret, ea justa necessitatis excusatione interverteret, Genuamque B transferret; habita tamen ratione utilitatis frumentariorum, ut ne quid sui deperderent, sed quatenus communis humanitas ferebat, frumentum suum quam optime venderent: ex Sicilia item tantum advectum est, quantum ea temporum difficultate concessum fuit, & adhibitis curatoribus, qui eam dispensationem susciperent, data opera est, facta totius civitatis descriptione, ut egentibus civibus multo minori pretio, quam publico constiterat, distribueretur, quantum necessarius uniuscujusque patrisfamilias usus, sumptusque domesticus exposcere videbatur; & ex hoc tempore Senatus horrea publica constituenda curavit, unde C frumentaria subsidia tolerabili pretio civitati singulis annis depromerentur. Hæc certe laudabilia sunt. Sed tamen non tantam fortasse laudem habent, cum sunt facta, quantam habent vituperationem, si prætermittantur, cum id munus proprium sit eorum, quibus Respublica regenda committitur, prospicere civium saluti, curamque imprimis adhibere, ne civitas esuriat: at illa, quæ ad pauperes sublevandos constituta sunt, beneficentiam habent eminentiorem, & longe majori quodam præconio sunt efferenda; etenim cum ex tenuioribus quam plurimos egestas urgeret, qui artificiis tolerare vitam, parvos filios educare minime po-D terant, & multi præterea omnis opis expertes ex finitimis regionibus Genuam confluxissent, non desistebant quidem locupletiores misericordiam, opemque (ita ut humaniter fieri solet) illis impertiri, sed tamen eorum multitudini vix obsisti poterat: cum interea optimi quidam Senatores, in quibus Leonardus Cattaneus princeps fuit, sermonem super hac re conferre cœperunt, & cum res in consultationem venisset, omnium consensione collegium VIII. virorum, qui pauperibus alendis præessent, constitutum est. Primi, quibus hoc præstantissimum munus est assignatum, fuere Leonardus Cattaneus, Benedictus Centurionus, Fran-E ciscus Pinellus Adurnus, Martinus Justinianus Mongiardinus, Jo. Baptista Grimaldus, Jacobus Doria Inurea, Philippus Niger, & Andreas Pallavicinus Scalia: ac tanta fuit hujus beneficentiæ magnitudo, ut quatuor prope hominum millibus hoc anno necessarius victus suppeditatus fuerit. Atque hoc institutum à Genuensibus ita receptum est, ut eorum civilis ratio ex hac etiam parte, tamquam necessaria constare videatur. Quotannis præter eos, qui iis in locis suscipiuntur, quæ hospitalia nuncupantur, tria fere hominum millia ex iis, qui aut nullis, aut paucis facultatibus præditi sunt, ex honestorum civium pecuniis aluntur, iis ministris, eaque pruden-F tia adhibita, ut neque fucus ullus fieri, neque eorum numerus augeri per inertiam possit, occlusa, quæ fert ad desidiam, via, & quæ ad navitatem atque industriam ducit, omnibus patefacta: ita sublata est pergravis ac intolerabilis illa molestia, quam exhibere mendici homines solent, id, quod in plerisque Italiæ urbibus fieri videmus, cum per vias, per cælestium templa, per domorum omnium limina occursantes obducti colore mortis, aut fœdis ulceribus horridi, quæ ipsi sibi sæpe per artem inurunt, im-

improbi opem efflagitant, & totos dies, & magnam partem noctis intempestivis gemitibus, infestisque querelis vitam nostram crudeliter vexant.

Præterea consultum est etiam urbis salubritati, & aucta unanimis civium charitas, quæ mater & fons est salutis, atque omnium rerum bene gerendarum. Enimvero cum quod pium rectumque est, amplecti debeant omnes, & odisse contrarium, id multo magis civitates, quam privatos homines, præstare oportet. Nam impurus aliquis ac scelestus civis fieri potest, ut, priusquam obeat mortem, debitas sceleribus suis pœnas in vita luat; at civitates cum ad multa secula sese propagent, etiamsi supplicium ad tempus effugiunt, aliquando tamen in præparatas sibi calamitates incurrunt. Eadem est in recte factis ratio. Vidit post hoc factum hæc civitas sibi affuisse in adversis rebus custodem ac propugnatorem Deum, ut minime sit dubitandum ejus numen præsidio misericordiæ suæ urbem hanc protegere, tam diuque protecturum, quoad ardentia pietatis & charitatis studia in ea vigebunt. Post hæc Senatus quærere ipse secum & cogitare cum reliquis civibus cœpit, quibus locis præsidia rustica parari, colique possent, ne semper civitas in frumentario subsidio comparando ex alienis Provinciis penderet, sed haberet ipsa agros ad serendum, unde frumentum abunde sibi quotannis ad victum suppeditaretur. Corsica ad hanc rem idonea proposita est. Itaque Curatores Emptionum Sancti Georgii, cui insula est subjecta, duos cives eo miserunt, qui tota insula peragrata naturam habitusque locorum cognoscerent, eamque deligerent regionem, quæ ad id, quod quærebatur, videretur accommodatior; eo Franciscus Grimaldus Bracellius, & Troilus Negronus profecti terras illas, quæ ad portum Veterem pertinent, quod late jacentes campos haberent, & cultoribus essent vacuæ, dignas existimarunt, in quibus labor impenderetur, atque ita Genuam reversi retulere: eorumque judicio comprobato, placitum est, communi participum consensu, ut quadraginta nummûm aureorum millia ad id opus decernerentur. Hoc anno ad portam Arcuanam ædificata sunt mœnia; præterea Martino Flisco Botto, Andrea Spinula B. F. & Ceva Doria Ædilibus, turris Palatii culmine aucta, & impensa trium millium & quingentorum purgatus est portus.

A.C. 1540. Insequenti anno data est opera, ut ad portum Veterem (cujus à me nuper mentio facta est) urbs ædificaretur, cui ædificationi præesset Antonius Furnius. Qui vero ædificantes periculis, quæ à piratis imminere videbantur, prohiberet Bartholomæus Spinula cum firmo præsidio militum eo missus est: coloni deducti quamplurimi. Sationis vero totiusque agriculturæ administratio privatis nonnullis civibus locata. Sed tamen post multos insumptos labores, atque impensas maximas, res parum fœliciter cessit, cum propter soli sterilitatem, tum ex inclementia cæli, qua victi agricolæ in morbos dilabebantur. Maria, ubi primum Ver affulsit, excursionibus Barbarorum valde infesta fuere: eorum princeps Dracutus erat genere Turca, qui novum sibi nomen ac potentiam quærens, ferus ipse, & aliis effrenata cupiditate prædonibus succinctus, quacunque ferebatur, late terrorem omnibus inferebat. Jam mensis erat Junius, & Andreas Doria in Siciliam navigarat: cum nunciatum est, prædones Corsicam circumvagari. Eo statim Janetinum Doriam cum una & viginti expeditis triremibus mittit, qui eos insectetur; nec ab ipsius consilio fortuna abfuit: nam & eo pervenit priusquam piratæ sentire possent, & in Sinu Jorlato, ubi subsederant, impetu nostrorum oppressi facile superati sunt; duo ipsorum navigia subterfugere, novem capta, in quibus triremes duæ; liberata è servitute Christianorum ad duo millia, quos illi ex diversis locis, sed ex Capraria Insula potissimum, & Pino Corsicæ oppido paulo ante abduxerant; Dracutus ipse Genuam captivus ductus. Mense Decembri à Curatoribus Emptionum Sancti Georgii Ponzanum oppidum in agro Lunensi ab Antonio Malaspina octo nummûm aureorum millibus emptum est.

A.C. 1541. Sequitur annus CIↃIↃXLI. quo Genuenses summum rerum omnium Parentem Deum illustre beneficium misericordiæ suæ erga se declarasse commemorant. Reipublicæ Dux fuit Leonardus Cattaneus, civis in primis Reipublicæ amantissimus: & civitas maximis rei frumentariæ premebatur angustiis, ex Sicilia nullum subsidium exspectari poterat, nullum item ex Gallia Cisalpina, ut quibus in locis fames in arctum omnia contraxerat. Itaque qui civitatem regebant, quo confugerent, aut quo jam animum intenderent, non habebant, resque ad extremam exspectationem ex ea parte, ex qua potius incommoda erant pertimescenda, subito auxilium, & optatissima lux ubertatis affulsit. Nam cum ex Provincia mercatores magnam frumenti copiam ad hæc littora advexissent, ex quo Francisci Regis Gallorum nomine in Subalpinos commeatus supportaretur, hujusmodi occasione factum est, ut frumenti beneficium ad Genuenses quoque redundarit; quo ipsa in primis civitas, atque omnis Liguria, quæ eadem difficultate laborabat, abunde sublevata est: ut qui multos ex tenuioribus fame perituros crediderant, viderint maxima lætitia affectos summi Dei in re tam inopinata, atque admirabili beneficentiam passim laudibus celebrantes. Præterea idem Rex, qui post instauratam Genuensium libertatem eorum nomini ac fortunis maxime infensus fuerat, & omne illius commercium in terris suis hostilem in modum interdixerat, cum mutata voluntate sinum amicitiæ suæ illis aperuit, publicoque edicto sanxit, ut tuto, liberoque accessu omnibus locis, quæ in ipsius regno ac ditione sunt, Genuensibus negotiari liceret. Hujus regiæ humanitatis suasorem Fregosum dicunt fuisse: qui paulo post cum Alpes trajecisset, & Padum ingressus tacita navigatione delaberetur, ut Venetias contenderet, in Insubria apud quendam locum, quem *Arenile* vocant, interceptus est, morteque miserrima affectus, una cum Petro Rinconio, qui paucis ante mensibus apud Solimanum legationem obierat.

Mense Septembri Cæsar ex Germania Genuam venit; mox Lucam profectus, ut Paulum Pontificem Maximum, qui se eodem ex composito contulerat, conveniret, ab ejus colloquio digressus Spediam regreditur, coactamque in proximum portum classem expedito cum exercitu conscendit, ut in Africam transmitteret ad Algerium oppugnandum. Obstabant illi quidem peritorum hominum consilia, deterrebant sidera, minabatur adversa hyems, quæ etiam eo ipso die, quo solvit, mari vehementer inhorruit; sed tamen ille obniti contra, fortunamque periclitari, & dare vela fatis jussit; interim ex Hispania altera pars classis non minori diligentia comparata est. Itaque conjunctæ classes paulo post Idus Octobris in proxima Algerio loca pervenerunt, & cœli serenitate undique pulcherrime arridente, Cæsar cum majori parte copiarum in terram admodum lætus exsiliit. Salagerius quidam Sardus Careadini nomine Algerium tenebat. Erant jam acies in armis paratissimæ, omniaque ad oppidum oppugnandum terra marique instructa; cum subito atra tempestas, asperrimaque vis ventorum à Septentrionibus pelago incubuit, quæ tres fere dies, & totidem noctes ita immaniter sæviit, ut apertam magnam classis partem in proxima littora & saxa contorserit, XIV. triremes, in quibus

bus Dorianæ XI. & minora præterea navigia ad centum ea tempestate interiere: terrestres item copias turbidis è nubibus erupti imbres, arenarum æstus, sævæque procellæ non mediocriter afflixere: ea calamitate factum est, ut ab oppugnatione oppidi Cæsar ad petendam salutem, & colligendas reliquias curam converterit, exercituque fame prope confecto ad Caput Metifontis per summos labores traducto, ibi collectas naves conscendit, & Buzeam delatus in Hispaniam navigavit.

Genua insolitis terræ motibus tremuit. Clavarini, qui factionibus ardebant, multaque per scelus atque audaciam patrabant, & immoderata licentia Rectorem asperrime patiebantur, pacati, tanquam in girum rationis reducti sunt, idque studio atque virtute Troili Negroni perfectum est; qui eo à Senatu missus præstanti magnitudine animi atque consilii cuncta composuit. Ad VI. Kalend. Decemb. Jo. Baptista Lercarius, & Julianus Saulius à Senatu ad Regem Gallorum legati sunt, cui Reipublicæ nomine gratias agerent pro ejus erga Genuenses humanitatis significatione, de qua supra dicebamus.

A. C. 1542. Insequenti anno cum inter Cæsarem & Franciscum Regem Gallorum res ita fluerent, ut in asperrimum bellum devexæ viderentur, majorque in dies suspicio oriretur, ne Rex Turcarum classem in hæc maria evocaret, Genuenses maritimis locis, quæ periculo essent exposita, mature consulendum existimarunt. Savonam in primis arce communiunt, & admodum sane valida, præsertim quod parum firmam oppidanorum voluntatem norant, & admonebat ratio sibi à Gallis, qui non procul à finibus aberant, esse timendum. Andreas Usufsmarius & Stephanus Niger Pasqua huic ædificationi præpositi sunt. Castrum item portus Delphini, & portus Veneris mœnia vetustate collapsa instaurantur, ipsaque oppida majoribus firmantur præsidiis.

Nec res quidem hominum opinionem fefellit: etenim quo anno postea Andreas Centurionus Petrasancta Dux Reipublicæ creatus est, Careadinus cum ingenti classe ineunte Vere trajecit fretum Siculum, Rhegioque expugnato, recta in Provinciam contendit, & Tolone consedit, ut quarum rerum causa Regis accitu eo venerat, earum mandata ab eodem ibi exspectaret. (A. C. 1543.) Cæsar in Belgas profectus erat, ut Geldrensium Reguli, qui ab ipsius Imperio defecerat, comprimeret audaciam. Careadinus una cum exercitu Regis ad oppugnationem Nicææ se contulit. Oppidum cepit, arx tamen munitissimo loco posita ejus conatibus egregie obstitit, à qua maxima re infecta Tolonem se recepit; cum audisset Alphonsum Davalum cum copiis, quas habebat firmissimas, propediem subsidio loci affuturum. Eodem tempore Sanremium oppidum Genuensium, cum maxima piratarum manus Careadini classem insecuta ad id oppidum oppugnandum summa vi contendisset, Lucæ Spinulæ virtute egregie defensum est.

Rex Gallorum, qui acerbam iracundiam, qua in Genuenses multis annis exarserat, iis condimentis indulgentiæ atque humanitatis mitigaverat, quæ demonstravimus, quo eos sibi arctioribus amicitiæ vinculis adjungeret, petiit à Senatu, ut Legatum perpetuum ipsius nomine in urbem reciperet: is tum erat Luisius Alamanus, civis Florentinus, Regi ob politissimam ipsius doctrinam gratissimus: secundo loco postulavit, ut ne prohiberet, quo minus tum Ministri sui, tum ii qui secum erant fœdere conjuncti, Liguriæ portibus uterentur: postremo pecunias poposcit, æquum ratus cum Genuensium facultates Cæsari, imo vero prope omnibus paterent, ut ne ipsi uni usus occluderetur. Ad hæc Senatus ita respondit, quod ad Legatum recipiendum pertineret, id se minime quidem recusare, præsertim cum id sibi valde esset honorificum, quod ad quam civitatem Legati mittantur, illi splendor, atque auctoritas attribuatur, sed tamen vereri, ne ea res, aut contentionem inter Regium & Cæsaris Legatum, aut dissensionem inter cives esset allatura; quorum utrunque maxime sibi vitandum statuebat; Rempublicam Genuensium liberam quidem illam esse, attamen novam, & ita Cæsaris rebus adjunctam, ut ipsius habenda ratio esset in primis: proinde videri sibi super hujusmodi re diligentius considerandum. Porro quod ad suorum accessum attinebat, non eum esse, aut unquam fuisse Genuensium morem, ut portibus suis quemquam prohiberent: quin immo solere quicunque ad se commeant, & comiter accipere, & quibuscunque rebus possent juvare. Propterea non esse cur Rex pro Ministris suis id posceret, quod eis fuisset amicissime semper expromptum. Tantam vero Turcarum classem se nullo pacto adduci posse, ut portibus accipiat, quod id officium, præterquam quod impium nimium esset, cum periculo conjunctum, atque id Regem pro ipsius sapientia non iniquo animo ferre debere. Postremo de pecuniis vehementer sibi molestum esse quod gratificari illi minime possent, propterea quod Genuensium perquam tenue esset ærarium, atque id temporum difficultatibus exhaustum; pecuniam, qua Cæsar sit usus, eam fuisse privatam nonnullorum civium, qui beneficii sui causa ei commodarint; ejus autem pecuniæ non esse Senatus auctoritatem. Ita cum esset responsum, missusque ob hanc causam Benedictus Centurionus in Galliam Legatus haud satis æquo animo res frustra tentatas Rex dimisit. Turris Phari, quæ præciso summo dorso humiliter admodum insurgebat, ad eam altitudinem perducta est fastigii dignitate ornata, quam nunc videmus.

Careadinus, qui nimium in Provincia elanguescere videretur, ineunte Vere classem suam, ut Constantinopolim rediret, Paulinum Oratorem Regium, & Bernardum Equitem Hierosolymitanum, & sex præterea triremes Gallicas secum abduxit, multisque locis, antequam Italiam relinqueret, depopulationem intulit, in mari Ligustico Savonensium navim mercibus onustam cepit. (A. C. 1544.) Genuæ interea omnia tuta atque tranquilla, summaque annonæ vilitas: ad Andream Doriam aureos nummos mille & quingentos misit, quibus Dracutum captivum redemit, quam liberationem utinam non impetrasset; nam is postea majorem in dies calamitatem Genuensibus intulit, & sicut leo à cavea missus fuit indomitus, totoque mari sæviit impius, & maxime pertimescendus. Initio mensis Augusti ad novum Petri Strozii adventum Civitas in armis excubavit. Nam cum is paulo ante cum aliis bello peritis Ducibus, ornatissimo exercitu, in Subalpinos contenderet, fortunaque parum secunda cessisset, nulla interposita mora Mirandulam regressus, ibi novas copias comparaverat, rursusque in Subalpinos proximos Genuensium montes Vallemque Porciferam ferebatur, laudandus ab animi moderatione, & quod ab omni injuria maleficioque temperarit.

Interim Cæsar, qui Galliam armis urgere non desistebat, & tribus maximis oppidis captis, usque adeo illud in regnum irruperat, ut parum abesse à possessione totius victoriæ videretur, ad pacem descendit. In pacis conditionibus, quoniam fama ferebatur Cæsarem Carolo Regis Gallorum filio Mediolani Imperium concessurum, visum est Senatui maximam curam adhibendam, quo pacto ea res transigeretur, scilicet, ut Genuensium jus dignitasque incolumis conservaretur: ob eam causam Vincentius Furnarius ad Cæsarem legatus est, juvenis suavitate morum atque ingenii omnique officio ornatissimus.

Sequi-

A.C. 1545. 1546.

Sequuntur anni duo, quibus Joan. Baptista Furnarius Dux Reipublicæ fuit, in his actiones nullæ sunt, quæ mihi materiam ad scribendum suppeditent; alter interioris portus instaurationem habet, quem portum terra, maris terra . . . . . Collume obruptum Gaspar Grimaldus Bracellus, Paulus Saulius Casanova, & Cattaneus Pinellus Ædiles cloacis, quæ eo influebant, alio aversis, purgato A alveo, scopulisque effractis, ut aquam pedum in altitudinem XVI. introducerent, optatissimum triremibus ad hibernos tempestatis incursus perfugium mensibus quatuor restituerunt: in altero Jo. Loysii Fliscі consilia de Republica occupandi inita sunt; quam totam rem pluribus verbis exponendam rejicio in sequenti libro.

JACOBI BONFADII
ANNALIVM GENVENSIVM
AB ANNO MDXXVIII.
RECVPERATAE LIBERTATIS
VSQVE AD ANNVM MDL.
LIBER IV.

OMNES homines, qui tranquillam beatamque in terris consectantur vitam, summopere eniti oportet, ut in ea traducenda naturam ducem, tamquam Deum, sequantur, eamque in rebus etiam agendis sæpenumero consulant. Quo magis tritæ, jamque omnibus auditæ eorum sunt improbandæ querelæ, qui illam in nobis accusant. Non enim est cur imbecillos nos quisquam vocet, qui in omnibus dominamur animantibus, aut ævi brevis esse dicat, quibus singulari quadam conditione præditis ad aliam meliorem vitam sit properandum. Et profecto dum hac in inferiori mundi parte versamur, quasi in currum mortalitatis impositi, non tam laborare debemus, ut vivamus diu, quam ut quandiu vivimus optimi simus, assignatumque nobis vitæ spatium rectissime conficiamus. Cui rei si pro se quisque diligenter operam daret, nimirum id etiam assequeretur, pro quo minime laboraret, neque interim magis sorte quam rerum naturalium documentis, virtuteque regeretur. Sed præterquam quod per ambitionem atque ignaviam bonas artes animi & corporis negligentes ætatem agimus, opinionum pravitate abducti aberramus longe, mentemque à tacitis naturæ ipsius præceptis prorsus avertimus; quæ ut semper, atque ab omni parte juvet humanum genus in iis etiam rebus, quæ gignuntur è terra, non modo se parentem optimam præbet, atque altricem, verum etiam quasi magistram vitæ ac morum omnibus proponit. Id nos scilicet parum attendimus: at non ita olim Hebræi atque Ægyptii, qui propterea sapientissimi omnium mortalium habiti sunt.

Uno nunc (quanquam in humili re) exemplo contentus, cætera, quæ altiora atque expressiora sunt, prætermittam. Malo punico quis non videat (si modo id accurate contempletur) rem contineri præstantissima quadam ratione nobilem atque admodum salutarem? mihi quidem ipsius rationem cum animo cogitanti, optime in eo Reipublicæ formam impressisse videtur ipsa natura. Etenim acini illi, quæ grana vocamus, cortice tanquam muro circumsepti æquales & sicuti gemmæ perlucidi, atque inter se certis ordinibus & pari quasi consensione copulati, maximam mihi vim habere videntur ad D docendos exsuscitandosque homines in eam cogitationem & curam, ut illum sibi deligant civitatis statum, in quo æquali jure vivant, & aperto pectore concordique inter se benevolentia conjuncti eadem sint ad se tuendos communesque fortunas conservandas voluntate. Porro cum civitatis anima sit ipsa justitia, tenuis intersita membrana, quæ ad eorum conservationem pertinet, subamara illa quidem, sed candida tamen, commode nobis refert quandam justitiæ similitudinem; extrinsecus autem summam in partem imposita corona nonne apertissime monet, eos Reges esse, qui ad civilem cœtum ita consociati æquis legibus vitam traducunt? E Et re vera qui amplissima in civitate placida æquabilitate compositi, atque ab omni metu soluti, nihil dicunt, aut faciunt, nisi libenter & cum libertate, ii vel soli, vel maxime digni sunt qui Reges appellentur. Postremo augustum hoc sanctumque concordiæ simulachrum ea est insignitum figura, quæ est omnium pulcherrima, & propria corporum cælestium, nimirum ut intelligamus hujusmodi civitatum conjunctionem felicitate proxime ad cælestes accedere. Qui unius imperium laudant, recte illi quidem, si vel concordem multitudinem, quæ instar sit unius hominis multas manus multosque pedes & sensus habentis, vel legum pru- F dentiam dicerent, quæ scilicet ab uno justitiæ fonte manant, alioquin aut non legisse videntur, quæ Deus Israelitis responderit, cum ab eo Regem exposcerent, parumque attendunt, quam male tuta regula sit soluta unius hominis voluntas, qui cæteris præsit, aut commodi sui causa Principibus assentantur, faciuntque impudenter cum vel solis, vel Dei similitudinem ad unius hominis imbecillitatem revocant, & nimis anguste, vel dicam injuriose, de reliquis hominibus sentiunt, quibus præstantiorem rationis adimunt dignitatem. Sunt omnes omnium animi

animi excellentia naturæ atque originis pares, vi cogitationis atque consilii impares; quatenus vel terrenis, quibus singuli conclusi sunt corporibus, opprimuntur, vel dissimilia cultum accipiunt, qui cum non ad intelligendum solum, verum etiam ad agendum & imperandum è cælo in orbem terræ ad tempus dimissi sint, injustissimum videri debet, si proprio officio & munere in rebus publice administrandis defraudentur; & cum seorsum unusquisque aliqua sit ex parte mancus atque imperfectus, (nam ut aliquis absolutæ virtutis & prudentiæ sit, in hominis naturam non cadit) perspicuum est ex conjunctione multorum & sententiarum communicatione tutiori prorsus judicio propensum iri, sive quid jubendum erit, sive vetandum. Interea civilis prudentia late in plures diffunditur, resque ipsa publica bonorum virorum ac laude excellentium fœtum suscipit uberiorem, & optimi civis virtus pulcherrime efflorescit modeste parendi, recteque imperandi vicissitudine; cujus egregii temperamenti rationem sanctam illam antiquitatem, quæ sapientiam multis rerum fictarum involucris texit, facile adducor, ut credam, in Castore & Polluce voluisse significare, quorum stellæ alterno sibi officio ita cedunt, ut una occidente, altera oriatur, fratres & salutares navigantibus filiosque Jovis eos appellavit, quod hujusmodi cives si fraterno pioque inter se amore devincti Patriam, variarum perturbationum æstu persæpe fluctuantem, quocunque possint consilio & studio adjuvent, atque conservent: cum excedunt è vita à supremo rerum Patre vocantur ad immortalitatem. Talem Reipublicæ formam & divini illius simulachri, de quo principio dicebam, similitudinem quandam Genuenses sibi constituerint. Enimvero maxime iis lætandum arbitror, & propterea longiori fortasse oratione quam locus requirebat in hujus argumenti rationem progressus sum, vel ut eos felicitatis, qua perfruuntur, admonerem; vel ut Reipublicæ gratularer, vel denique ut omnium animos arctius ad concordiam conjungerem, & ad hanc libertatem retinendam magis excitarem. Neque profecto dubitandum est, quin hæc civitas bonorum omnium affluentia lætior in dies, atque fœcundior, & ab omni fortunæ concussu tutissima sit futura, si in hac sapientissima vitæ ratione secum ipsa ex omni parte consenserit: id si adhuc cuique dubium fuit, nuper gravissimo maximeque memorabili Jo. Luysii Flisci facinore, quo trepido tumultu concussa omnia contremuere, omnibus apertum est: cum horrenda in nocte quæ extremam libertati diem luctuosissimumque urbi exitum attulerat, manifestum Dei auxilium & numen affulsisse vidimus. Igitur postquam hujus Reipublicæ regendæ ratio à quibus sit orta principiis, & quas progressiones usque in hodiernum diem fecerit, tribus superioribus Libris abunde persecuti sumus, de Jo. Luysii Flisci Conjuratione, quam verissime fieri poterit, ingrediemur deinceps scribere.

Genuæ ex magnis Italiæ urbibus in primis clarissimæ Turriliana Fliscorum familia plurimum floruit, & vetustate, & genere, illustriumque hominum splendore nobilissima illa quidem, verum ad moderationem civilem minime temperata; & ad factionem ac vim cum multitudine hominum, qui sub ipsius imperio erant, tum studio ac voluntate maxime prompta, atque propensa. Hac è stirpe ortus Jo. Luysius vim à natura & moribus insitam altitudine animi, vel potius feritate, longius promovit; nam (ut ego quidem accepi) Majores sui eatenus contentione progrediebantur, quoad in civitate divisa auctoritatem ipsi quoque sibi honoribus consequendis amplificarent, idque dum fiebat, nullius fere civis salus periclitabatur: hic vero ad explendam animi libidinem præceps eò prorupit, quo nullus antea, & per scelus, & cædem, ac sanguinem aggressus occupare Rempublicam: dignus profecto, cui vel natura motus animi daret quietiores, vel, quos natura dederat, regeret ratio, ad sanioraque consilia converteret, & ad verum decus. Erat facie admodum decora, & sive tractaret arma, sive cursu fatigaret equos, quibus in exercitationibus frequens erat, corporis viribus & dignitate maxime spectandus, in congressionibus perhumanus, & dulci quodam splendore naturæ, amabilique hilaritate gratus, atque jucundus, ut, quod de Alcibiade Atheniensi legitur, facile alliceret omnes in amorem sui. Hæc quæ in quovis privato homine fuissent illustria, & propter ætatis florem, & propter dignitatem nominis, atque fortunæ longe in eo splendidiora videbantur. Erat enim Lavaniæ, ut nunc parum Latino sermone loquimur, Comes, habebatque oppida sub potestate ac ditione sua subjuncta. Quæ dignitas morte Sinibaldi patris ad illum, dum puer esset, hæreditario jure pervenerat; quo etiam factum est, ut laxissimas habenas adolescentiæ in eam partem, quæ libuisset maturius, quam oportebat, effuderit; solers ingenio, nimis alto animo, varius, laudis appetens, sed multo maxime potentiæ avidus, atque imperii. Habuit ille quidem artium liberalium magistros, & vivendi præceptores optimos, tutoresque rerum suarum gravissimos viros, quorum consiliis atque doctrina ad ea studia, quæ virtutis sunt, & ad præclaras actiones dirigeretur: in iis fuit Paulus Pansa, qui & apud illum vivebat, vir, si à litteris ac doctrina spectetur, politissimus, si à vita & moribus, integerrimus; sed tamen contra habuit in intimis ac domesticis suis nonnullos perditos homines, qui tenerum illius ingenium de via, quæ ducit ad rectum, turbulentis improbitatis erroribus avocarunt. Fere autem id in communi vita videmus usu venire, ut non tanta sit vis virtutis in suadendo, quanta est improbitas, illa enim sola nudaque est, hæc vero multarum rerum, quæ sensus movent, induta simulachris una secum cupiditates advocat, atque iccirco in nobis est persæpe superior. Creditum est etiam matrem ejus educationi non mediocriter obfuisse, quæ majori fortuna quam prudentia prædita, illius animum amaris agitare verbis sæpe solebat, modo illum ignavum, inertemque appellans; modo coram ipso dolenter atque iracunde conquerens, quod eum in civitate locum non teneret, qui jure debebatur, & quod de domesticæ dignitatis gradu multum excidisset. Nam superiori tempore cum civiles vigerent dissensiones, Majores sui honoribus amplissimis abundaverant, & præsenti concordiæ statu certos pecuniæ fructus à Republica Sinibaldus pater, quoad vixit, habuit honoris causa, quibus ille beneficiis atque ornamentis cum careret, enimvero ferendum mater non putabat, eratque, ut dixi, in filii animo tanquam in ulcere unguis.

Itaque vel à prima ipsius adolescentia dare cœpit quam male animatus esset maximum documentum. Nam cum Cæsar Fregosius & Caninius Gonzaga abhinc annos XI. ad hanc urbem oppugnandam diverterunt, hujus cum illis conspirationem ex literis interceptis deprehendit Alphonsus Davalus; quo ex crimine haud satis præclare cum eo esset actum, nisi Andreas Doria patrocinium suum interposuisset; cujus auctoritate & gratia factum est, ut eum Cæsar beneficiis auxerit, constitueritque, quo magnæ potentiæ, summæque nobilitatis adolescentem sibi magis adjungeret, ut illi singulis annis duo millia aureorum nummûm ex ærario Mediolanensi dependerentur. Ille tamen ea in sorte minime acquiescens aliud semper spectabat, dicereque inter amicos familiariter interdum solebat;

si vita non destitueretur, aut esse res suas eversurum funditus, aut se in excelsiori fortunæ loco collocaturum. Et cum Petrus Strozius annis ab hinc quatuor per vicinos montes cum exercitu in Subalpinos contenderet, cum eo consensisse dicitur, neque destitit (ut postea compertum est) per internuntium consilia communicare, quæ ad urbem occupandam pertinebant; cæterum quo minus facinus tentatum sit, ea res impedimento fuit, quod eo die Bernardinus Mendosius magnum Hispanorum numerum triremibus suis Genuam advexerit. Progrediente igitur ætate illum quotidie acrius incendebat ambitio, ambitionem sequebantur sumptus profusi, reique familiaris parum attenta consideratio; quibus rebus fiebat, ut ære alieno semper esset oppressus, cum etiam pensio Cæsaris (quam supra dixi) minime solveretur. Hinc agitabatur, ardebatque cupiditate rerum alienarum: angebatur mirum in modum, quod nonnullis civibus, quibus dignitate anteibat, cæteris rebus esset inferior, eosque videret auri atque argenti supellectile, atque iis ornamentis, quas vitæ delitias vocant, longe excellere, beatissimosque numerari. Verum ante omnia obversabatur ei ante oculos Janetini Doriæ florens fortuna, quam in dies videbat amplificari. Hunc impigro juvenem ingenio paucis ante annis Andreas Doria suis triremibus præfecerat, & mox spectata ipsius virtute summa Cæsaris voluntate successorem sibi constituerat. Itaque tantam hunc causam habere celebritatis & nominis, hunc esse potentem, claroque honore per urbem incedere, iniquo ferebat animo, acerrimo dolore conscindebatur: quem sane dolorem incendebant magis etiam quædam pestes hominum, qui maligne omnia interpretabantur, multaque ad eum deferebant, quæ à Janetino aut facta, aut dicta contra illius existimationem esse viderentur. Addebant præterea ejus auctoritatem hoc Reipublicæ statu minorem in dies futuram, & post Andreæ Doriæ obitum, qui jam erat summa senectute, in unius Janetini potestatem omnia recasura: præterea secunda oratione animum ipsius magis extollere, hortarique non desistebant, ut ne exspectaret id tempus, sed mature anteverteret, sibique consuleret.

His fere Fliscus (sicuti ego accepi) stimulis concitatus omnem animi imperium in hanc cogitationem, curamque convertit, ut alto facinore patrato ad summas opes emergeret, seque Regi Gallorum adjungeret: quanquam fuere, qui hujus suscipiendæ deliberationis consilia Roma ex altioribus etiam profluxisse fontibus existimarint, atque hæc quidem fama valde percrebuit, temere autem, an ex vero, nobis non est compertum, & quod ambiguum est non videtur pro certo sumendum. Habebat Petrus Luysius Farnesius, Dux qui vocabatur Placentiæ, Pauli III. Pontificis Maximi filius, triremes quattuor: eas Fliscus, cum Placentiæ aliquot dies fuisset, eo suasore atque impulsore, pretio sane tolerabili mercatus est ea conditione, ut Pontificis stipendio ad eas armandas uteretur. Genuam cum reversus esset, & emptionem illam Pansa, si integrum esset de ea consulere, non satis sibi probari diceret; adduceretque rationes, in quibus illæ erant in primis justissimæ, quod ipse navigaturus non erat, & alteri id negotium committere satis illi tuta ratio minime videbatur, vel quod cum grandem pecuniam deberet ad xx. millia aureorum nummûm, novo rursus & multo sane majori ære alieno sese opprimere, neque utile, neque honorificum existimabat: respondit esse bene sperandum; se pio justoque officio adductum, ut id faceret; nempe ut fratrum fortunam sublevaret, quibus per eas triremes ad dignitatem & gloriam aditum erat patefacturus. Romam mense Majo profectus, à Pontifice Maximo quæ voluit, facile & insigni cum indicio benevolentiæ est consequutus; nam ad quattuor triremes armandas stipendio illi decreto, Hieronymus ipsius frater iis triremibus officioque maritimo Pontificis nomine præpositus est.

Quibus rebus ex sententia confectis, altius jam erectæ cupiditati suæ elata cogitatione velificans, multaque animo movens, quod ei gravissimi auctores prolixe de Regis Gallorum voluntate promiserant, firmissimamque spem fecerant, fore, ut, si se Regi adjungeret, quascunque vellet præmiorum concessiones obtineret: Quinctili mense Montovium rediit, totamque æstatem in prædiis suis consumpsit; venationes, quibus admodum delectabatur, amœnitate locorum secutus: interim tamen eorum regionum homines honesta timoris simulatione, quod novum Placentiæ Dominum nova sibi regna quærentem finibus suis imminentem timendum esse diceret, ad arma exercenda excitabat, assidua mentis sollicitudine anxius, & in altis consiliis cogitationum suarum consequendis semper occupatus. Erant horum consiliorum conscii tres, quorum fidei atque calliditati Fliscus magnopere confidebat, Vincentius Calcaneus Varesius, quem fidelem ad cubiculum custodem, & non incautum satellitem cupiditatum suarum à primis annis secum habuerat, Raphaelus Saccus Savonensis Jurisconsultus, quo responsore ac judice utebatur in dirimendis controversiis eorum hominum, qui sub ipsius jurisdictione erant subjuncti, & Jo. Baptista Verrina civis Genuensis, qui cum ædes haberet in Cariniano Fliscanis proximas, Flisci amicitiam appetiverat, ut ope præsidioque innixus potentis amici, spem ambitionemque suam altius efferret: quam facile assequutus, mutuasque illi pecunias credens, in eam jam familiaritatem pervenerat, ut rei illius familiaris curationem magna ex parte susciperet, illique in intimis deliberationibus semper adesset omnium consiliorum particeps atque adjutor.

Ineunte hyeme in urbem ingressus, solerti miroque ingenio aggressus est suum negotium agere, & opportunum ratus novas sibi amicitias comparare, in eam rem diligentissime cœpit incumbere. Demonstravimus alio loco eos, qui hujus Reipublicæ formam constituerunt, quo calamitatum fontem, quatenus fieri poterat, è civitate tollerent, constituisse, ut ex omnibus civibus infimis, mediocribus, & summis unus duntaxat ordo, vel potius unum corpus conficeretur, sanxisseque, ut omnes pari jure censerentur, appellarenturque Nobiles; ne si dissimilitudinum appellationes & dissidiorum causas quærerent, & qui populares se dici vellent, unam in partem, & qui optimates in alteram omnia traherent. Infelix Reipublicæ corpus, id est, semetipsos crudeles, impiique dilacerarent, atque ut oculi manus & pedes, etiamsi in hominis corpore dissimili loco positi sint, nulla tamen inter se concertatione discrepant, ita voluerunt, quanquam inter eos aliqua videretur vel fortunæ, vel generis dissimilitudo, ut omnes tamen suo loco, quasi statione à Deo illis attributa, contenti concordissime ac felicissime viverent. Et si qui præstantiorem sibi honoris locum tanquam oculorum sedem in civitate peterent, iis potissimum deferri voluerunt, qui de Republica bene merendo, vel rebus foris præclare gestis, vel domi civili virtute cæteros superarent. Fliscus, qui sciebat consuetudinum vi, opinionumque perversitate depravatum esse hominum naturam, ad hanc conjunctionem dirimendam aggressus plerosque ex ea nobilitate juvenes, qui se populares antea dici volebant, amicitia comprehendere cœpit, ex iis nonnullos in familiaritatem suam blande accipere, partim tueri officiis, aliis benigne polliceri, ab aliis vel fidem accipere, vel pecunias mutuas sumere; atque ita ut erat mente acri atque vigenti, variis consiliis atque artibus eorum animis illabens, & si qua dabatur in sermone facultas, vocandi in odium, atque invidiam veterem nobilitatem, hanc libenter

arripiens; eorum voluntates ad id facinus, quod ipse secum agitabat animo, sibi accuratissime præmuniebat. Urbanæ item multitudinis & tenuiorum benevolentiam eodem blanditiarum artificio collegisse dicitur. Etenim, sicuti ab iis accepi, qui id probe norunt, Consulem eorum opificum, qui textrinam exercent, quorum Genuæ magna frequentia est, cum forte obvium habuisset, interrogare, ita fere ut fit, familiariter cœpit, satis-ne res ex sententia cederent, quem quæstum facerent, atque homines sui ordinis quam facile vitam traducerent: ad hæc cum respondisset, haud satis præclare secum agi, artes jacere, artificesque propter difficultatem temporum summa rerum inopia conflictari; tum ille homini addere animum, fronte atque oculis miserari illorum vicem, præterea amantissime polliceri, se quibuscunque rebus posset eorum incommodis non defuturum; mandavitque, ut quos ille existimaret inopia graviter oppressos, probosque homines, eos admoneret, ut ad se accederent. Postero igitur die cum ex eorum numero complures in Carinianum convenissent, quasi misericors pater pauperum, homoque antiqua virtute, certam frumenti mensuram singulis distribui jussit; illudque addidit, fuisse semper in consuetudine Majorum suorum, gratuita liberalitate sublevare inopes, eorumque commodis omni ratione consulere: proinde cum iis deesset, unde familias suas alerent, in ære suo existimarent paratum esse ipsorum calamitati præsidium: conclusit ad extremum, ut id beneficium tectum tacitumque haberent, propterea quod hujusmodi Christiani hominis benefacta nullam ostentationem quærerent. Probi homines nova quadam admiratione commoti, incredibilique perfusi gaudio, in eam opinionem discesserunt, ut omni illum amplitudine & fælicitate dignissimum existimarent, nomenque ipsius efferrent ad cælum cumulatissimis laudibus.

Interim ii tres, quos supra demonstravi, ut erant consiliorum omnium conscii & consuasores, ita omnem potestatem & gratiam apud illum occupaverant, sæpeque noctu, sæpe interdiu inter se conveniebant. Pansa, quem jam inde usque à puero præcipuo honore semper habuerat, & cui consilia concredere in primis consueverat, ferme jacebat, minusque jam familiariter accersebatur, quod ille secum tacitus mirari, neque ei tamen unquam in mentem venit quicquam de tanto facinore, quod illi obscure moliebantur, suspicari. Flisco id primo meditatum erat consilio ita rem gerere, ut urbem Regis Gallorum imperio subjungeret certis sub conditionibus, quæ ad ipsius dignitatem atque fortunam amplificandam pertinebant, earumque conditionum formulam jam perscripserat, & Antonio Fodrato dederat Romam perferendam, ut regia fide atque auctoritate ab iis, qui id præstare poterant, confirmaretur, eique subscriberent. Verum postea consuasorum monitu factum est, ut & Fodratum cum fasciculo literarum ex itinere revocarit, & animum in eam deliberationem traduxerit, ut urbem, urbisque summum & nullo alterius jure impeditum sibimet ipsi occuparet imperium. Atque hæc quidem plena horroris & immanitatis statuta deliberatio, reique ad optatum exitum perducendæ facultas Verrina Saccoque disputantibus, ita ab omnibus partibus explicata, facilisque illis visa est, ut in hanc curam penitus se converterint ea animorum confidentia, ut jam etiam in conviviis, horisque intempestivis, per risum & jocum tanta in re hilare familiariterque nugari consueverint. Et novis confectis amantium nominibus, Genuam in Flisci potestatem futuram, tectius alludentes, novoque jam in dominatu triumphantes grata se collocutionum jucunditate complebant. Nimirum ita fere fieri videmus, ut cum natura duas animis nostris opiniones affinxerit, boni alteram, alteram mali, & quamvis causa potius sit cur adversos rerum exitus metuamus, quam speremus secundos, rerum scilicet humanarum ita ferente fortuna, ut fluxæ atque fallaces proclivius in adversa labantur: magna tamen pars mortalium spe alliciatur magis, eaque vehementius commoveatur. Credo equidem propterea quod malum nisi propinquum fuerit difficulter credimus, bonum vero, etiamsi sit valde remotum, libenti assensione complectimur; aut certe quod cum spes semper sit cum voluptate conjuncta, qui motus in sensibus nostris unus est omnium jucundissimus, hæc è suo recessu & considerato judicio mentis evocat, augetque animos; qui ubi aucti & in rem sibi propositam hilari cupiditate profusi sint, nos tanquam ebrios ad audendum optimeque sperandum facili momento impellunt: ita illi, quemadmodum dixi, credula se spe oblectabant, & præterea bona fortunasque sibi locupletum civium partiebantur, ad prædamque proponebant.

Est peramœnus locus in mœnia clivus, ad eam urbis partem, quæ vergit ad Orientem, qui se longe lateque explicans, plurimisque domiciliis distinctus atque ornatus, hinc lati maris spatia, hinc Albani suburbana, tractumque illum, quem Bisamnius interfluit, pulcherrime prospectat; Carinianum vocant. Prima ejus in parte domum laxe, magnificeque ædificatam Fliscus incolebat, quæ urbi amplæ imminens quasi dominatum petere videbatur; hinc ille præpotentem urbem, opibus atque omni delitiarum & ornamentorum genere affluentem, magnumque sub oculis positum imperium acerrime contemplabatur, suæque ardenti cupiditati male amico numine inflammatas succendebat faces: domi parabat arma, pugnæ simulachra una cum fratribus referebat, atque ita iræ impetum, roburque animo colligens, seque omni exercitationis genere tentans secuturo facinori præludebat. Et cum solus erat horis succisivis, ut ex iis compertum est qui eo familiariter utebantur, Neronis vitam, & Catilinæ conjurationem, eumque Nicolai Machiavelli librum, qui *Princeps* inscribitur, persæpe legebat, nempe ut ex ejusmodi lectione ac disciplina, in media etiam barbarie detestanda, fieret ad crudelitatem eruditior.

Descendebat in Fasciolanum secundo aut tertio quoque die ad Andream Doriam bonorum exemplo & pristina ipsius consuetudine invisendum, familiarissimeque consultandum. Præter causas, quæ Flisco erant cum cæteris civibus communes, erant præterea ipsius privatæ multæ atque magnæ, quamobrem Auriam uti parentem veneraretur, omnique observantia coleret; quippe qui civilis hujus concordiæ causa Sinibaldum ejus patrem ornamentis auxerat: ipsum, domumque ipsius ad exitum labentem sustinuerat, & semper quidem auctoritate, sæpe consilio, nonnunquam opportunis temporibus grandi pecunia juverat. Quorum ille beneficiorum regnandi causa oblitus, fraudem & parricidium crudeli mente tegens, gratissimi animi, optimæque voluntatis officium mira simulationis constantia præ se ferebat. Et profecto incredibile est memoratu hominem pene adolescentem tantum facinus, tantique rem momenti ea moderatione naturæ occultare potuisse, ut Serg. Catilina, si cum hoc comparetur, ne nominandus quidem inter simulatores esse videatur, color ejus in primis egregius, læti oculi, incessus sedatus ac liberalis, quanquam sæpius equo insigni sublimis per urbem ferebatur: idem vultus, eademque in multiplici actionum varietate similitudo. Hac agilitate ingenii odium summum, quod adversus Janetinum susceperat, cujusque aliqua suffusa nota in ipsius ore apparebat antea, totam intra animæ latebras abdidit, & specie quadam amoris insigni hominem adortus quicquid in illius animo suberat opinionis incommodæ id prorsus contrivit; & cum humanissime persalutando, tum domum conveniendo, tum communicando consilia in ejus se familiaritatem penitus insinuavit, qua sane familiaritate paulo post mul-

multo etiam se arctius devinxit, nactus occasionem nuptiarum, quæ secutæ sunt, cum is sororem Julio Cibo in matrimonium collocavit.

Interim ex urbe, quam veterem vocant, ex quatuor triremibus, quas à Farnesio emisse supra demonstravimus, unam ad se adduci jubet, eamque ad prædam in Ægæum Ioniumque mare se expedire velle simulat, consilii sui causam afferens, quod ad eam armandam stipendium à Pontifice satis certum nondum obtinere se potuisse diceret: cum Janetino seorsum rem familiariter confert, eoque nomine affingit se ex oppidis suis plerosque evocari jussisse, ut ex majori militum numero, qui manu atque animo promptiores viderentur, deligeret. Contraxerat autem in ædes suas partim noctu, ac dissimulanter, partim interdiu, atque aperte armatos homines ad trecentos. Id commentum, quoniam verisimile videbatur, facile illi persuasum est, ab aliis aliud agentibus, & in rebus suis prorsus occupatis minime animadversum. Cæsar tum in Germania bellum gerebat; in Italia nullus motus; in urbe summa tranquillitas, atque, ut fit in secundis rebus, omnium animi ad lenitatem conversi lætos dies agitabant; exigua ad Curiam præsidia; remissæ ad portas vigiliæ. Præterea Respublica nullum Ducem habebat; nam Joan. Baptista Furnarius biennio suo confecto magistratu abierat; Aurianæ triremes in interiori portu conclusæ otium agebant: in iis rari remiges, quod voluntariorum magna pars aberat, propugnatores nulli, custodes perpauci, quæ omnia Flisco prorsus opportuna accidebant.

A. C. 1546.

Hoc igitur rerum statu, cum omnia, quæ ad patrandum facinus necessaria existimabat, essent ex animi sententia composita, honesta officii specie perblande atque hilare, uti solebat, Doriam rogat, ut apud se in Cariniano cœnet, idque ab eo impetrat, diemque constituit: eodem una Janetinum, & nonnullos ex primoribus civibus, & præstanti forma fœminas, quasque ei commodum videbatur invitat. Erat ad pridie Nonas Januarii constitutus convivio dies, quo comitia Ducis creandi causa erant futura, quæ cccc. civibus in Curiam conclusis in multam noctem semper fere produci solent. Cæterum cum res instituta non procederet, quod podagræ adversa valetudo Doriam lecto affixerat, & Janetino ante præstitutam diem, casu nescio quo, Genua esset abeundum: simul etiam veritus, ne res jam nimis exagitata patefieret si diutius differretur, consilium mutat, facinus maturat: eique perficiendo secundam Januarii noctem constituit. Dies, qui noctem illam antecessit, festus erat: ejus diei majorem partem consumit in ædibus Auriæ, gratissimo sermone arridens ad omnes, atque ad omnem rationem humanitatis se jucundissime versans. Janetinum captata occasione familiariter seducit: narrat sibi esse propositum nocte insequenti triremem suam eam in expeditionem mittere, quam cum illo proxime communicaverat, rogatque uti suos admonitos velit, ne è portu exeunti sint impedimento. Ad hæc ille alto artificio simulatæ rei deceptus, benigne respondet, amicissimeque pollicetur in ea re præsidium suum. Fuit hæc profecto fatalis quædam calamitas, quandoquidem Auriæ quoque mentem certo indicio omnia hominum, rerumque momenta acerrime ponderantis occupavit. Redditæ illi fuerant, & Cæsaris item Legato paucis ante diebus, vel horis, à Ferrando Gonzaga literæ, quibus commonebantur, uti sibi, atque urbi diligenter caverent, quod è Gallia certior esset factus Fliscum quendam Doriæ, Reique publicæ insidias, perniciemque machinari. Eas literas illi cum legissent, & præ oculis haberent eum, in quem cadebat suspicio, adduci tamen Auria nullo modo potuit, ut in eo, quem mirifice semper dilexerat, & à quo merito se amari, veroque interioris animi sensu observari existimabat, & cujus in ore purpureum quoddam lumen hilaritatis atque modestiæ semper viderat, tanquam insigniter elucere videbat, tantum concipi posse facinus suspicaretur. Fliscus in scelere suo cogendo felix postquam omnia tuta sibi esse vidit, cum jam advesperasceret, Doriam ægrum atque in lecto jacentem blando verborum lenocinio consolatus discedit, & ne ab usitatæ hilaritatis consuetudine recederet, in via, quæ se amplissimo spatio ante Aurianas ædes ornatissima dilatat, juvenili excitatus ardore forma insignem variisque assultibus in auras assurgentem ludibundus ostentat equum ita spectantium oculos oblectans, eorumque animos jucunda quadam festivitate rapiens in amorem sui. Cum hac animi relaxatione Fasciolanum relinquit, seque recipit in Carinianum. Pansam accersit, mandatque homini; ut quoniam quoddam sibi negotium esset obeundum, ipse cum Leonora uxore sua interea commoretur, tribus fere domi consumptis horis, rursus in urbem descendit. Vetus est Genuensium consuetudo, ut ab ineunte Autumno ad vernum tempus, quoniam cœnas pro ratione temporum in multam noctem differunt, eam interim noctis partem in congressionibus familiaribus, conjunctissimaque vitæ ratione traducant, atque ut communia quædam diversis locis conclavia hominibus commode posita sunt, quo conveniunt, quæ Græcorum propemodum appellatione à sermonibus conferendis nomen adepta sunt, ita matresfamilias in ædibus suis, prout vel cognationes, vel vicinitates ferunt, grata se officiorum vicissitudine convisentes, suas agitant vigilias, cœtusque suos percelebrant; quæ res in negotiosa civitate solatium laboribus affert, temperationemque humanis molestiis adhibet, valetque plurimum ad humanitatem, benevolentiamque conciliandam. Hæc noster Catilina loca atque hos cœtus suis satellitibus stipatus invisit, omnia odorans, accurataque animi circumspectione singula collustrans, postremo complures ex supra à me commemorata nobilitate florentes juvenes convocat; oratque, ut apud se in Cariniano cœnent: laudat serenitatem cæli, lucentem lunam, proponitque hilares ludos, & jucundissimum ab omni voluptatis genere convivium: ex iis nonnulli cupide eo proficiscuntur, nonnulli vero, quod erant quietioris ingenii, non ita libenter; verumtamen alios officii ratio, alios movet hominis dignitas, ut præter naturam & consuetudinem suam cæteros sequantur: postquam in Carinianum ventum est, omnes in unum concluduntur locum; neque ita multo post toto animo & corpore commotus uxorem adit, & trepidæ ac nescio quid secum diri infortunii præsagienti, *Aut*, inquit, *me non videbis amplius, aut crastina die minora infra te videbis omnia;* summamque rei aperit. Ibi tum illa exanimata, genibusque amati conjugis advoluta, illum miris modis orat atque obsecrat, Pansa preces ipsius adjuvante, *Ut tam periculosum consilium abjiciat; sibi imperet, iratamque mentem tanto à facinore flectat.* At ille, qui obduratus animo frangi citius poterat, quam flecti, cujusque præcordiis jam certus additus erat furor, pauca pro causa sua respondens secreto thalamo conclusam relinquit, mox in cubiculum introgressus, quo invitatos cives concluserat, ad nudam mensam, quæ ibi posita erat, adstitit, eam manu feriens, & præter omnium exspectationem in hujusmodi fere verba prorumpens: *En*, inquit, *juvenes tempus fatis volentibus adductum, quod jam diu votis optastis: Patria nobis in manibus est; eam è sæva paucorum potentum tyrannide hac nocte in libertatem sumus vindicaturi: Hæ sunt epulæ, hæc cœna, ad quam vos vocavi, qua nunquam in vita neque vidistis, neque visuri estis honoratiorem. Janetinus Doria, quem intoleranda potentia, novisque opibus auctum supra fines moris humani tumidum videtis, jamdudum sibi dominatum & hujus urbis imperium destinat; idque assentiente Cæsare, cujus rei cer-*

certissimos auctores habeo, quorum literas vobis aperiam cum libuerit. Cæterum quoniam huic rei perficiendæ unum me ante omnia sibi obstare videt, in quo maximum in vestra salute ac libertate defendenda præsidium positum esse intelligit, quod in familia nostra semper fuit: noctes & dies cum animo suo reputat, quibus me insidiis de medio tollere possit. Id quidem semel atque iterum veneno tentavit; ea spe dejectus jam tacite fertur accensus ad vim, ferrumque parat. Jam vero cum vos videatis quantum sibi licentiæ vetus nobilitas quasi suo jure arroget, atque ut cum privatim, tum in magistratibus primos sibi honores vindicet, vosque despectos habeat: ecquis vestrûm justissimo dolore non accenditur? & tamen multo magis aspera & fœda sunt, quæ exspectantur. Nam si hæc adhuc fuere, quid tandem existimatis futurum, cum istius nobilitatis amplitudo, Janetino dominante, regnum sibi constituerit, & cervicibus nostris acerbissimum servitutis imposuerit jugum? vile vulgus eritis: proinde tantæ, quæ in me, vestrumque in exitium, extremamque patriæ perniciem impendent, ruinæ, obviam eundum est: certum est mihi huic designato Tyranno, ipsique Doriæ rerum principi vitam eripere, ejusque triremes, mox palatium occupare, & sublata paucorum potentia novum popularem statum constituere. Si res eo loco esset, ut de ipsius eventu dubitari oporteret, vos tamen mecum, opinor, pro virtute vestra alacres in id discrimen descenderetis: nunc urbem tenemus; delecti milites mihi trecenti sunt, quos hic paratos in armis habeo; magna pars eorum, qui in palatii præsidio sunt mecum facit? ad portas corrupti custodes a me signum exspectant; excubat in portu triremis multitudine armatorum paratissima, quibus ætas, animusque vigent; ex urbanis opificibus, qui mihi parent, mille & quingenti; qui è vestigio ad nos armati occurrent; aderunt præterea prima luce ex oppidis meis duo hominum millia, totidemque ex Placentia subsequentur; adversarium nullum habemus; silet nox; explorata, fida, tutaque nobis sunt omnia. Vos igitur mecum eritis non pugnæ comites, sed spectatores gloriæ: itaque subvenite patriæ; adnitimini mecum; vestrasque spes suscitate, quandoquidem quæcumque quæretur gloria, & dignitas, ejus in primis non dicam participes, sed principes futuri estis. Ad has illi horrendas voces perculsi cecidere animis, pavidique obstupuere. Quod ubi ille animadvertit, longe acriorem mentis ardorem spirans, eorum mollitiem & socordiam accusavit; perfacilem, exploratumque rei exitum demonstravit uberioribus verbis; commemoravit suam erga illos benevolentiam; postremo facti necessitatem proposuit, quod eo jam loci res esset adducta, ut revocari minime posset. Quocirca pauci sane non inviti, cæteri tempore oppressi, spondent se illum, quocumque fortuna cadat, insequi paratos; duobus exceptis, qui ita exhorruere, ut id munus prorsus refugerint, & naturæ, consuetudinis vitæ, imbecillitatisque suæ veniam ab eo precati sunt. Eum in locum cœnulam jubet afferri sine ullo apparatu, quam stantes comederent. Paulo post milites, quos domi inclusos habebat, cogit in arma; civium multitudinem ostentat, illisque auget animos, & pro cujusque conditione hunc atque illum excitans, in omnes partes pugnaci animo curam intendit.

Interea Gigantus Corsus, vir egregia fide & bellica laude insignis, qui in Palatio stationem habebat in præsidio Reipubl. collocatus, sensit ille quidem è militibus suis abesse multos, & in Cariniano arma moveri, nec rem tacitam habuit; sed quoniam in iis, quorum maxime res agebatur, ea pars ingenii, quæ monet ut contra hominum insidias semper vigilemus, jam penitus erat facili credulitate consopita, illaque recepta opinio de trireme armanda, uti supra commemoravi, suspicionem omnem exclusferat: propterea nullus tum fuit accuratæ considerationi locus. Decima jam appetebat hora, & Luna, quæ noctis illustrabat umbras, properabat ad occasum, & qui urbem omnesque locos, de quibus suspicari aliquid poterant, exploratum iverant, nuntiarant late silere omnia: cum sub arma coactos milites suos jubet silentio procedere. Ipse cum delecta civium juventute in medio se agmine collocat; & ne quis ordine excederet, gravissima sanctione minatur. Duas portas fratribus dispertit, Hieronymo, atque Othobono Fasciolanam; Cornelio autem materno genere impari, eam, quæ ab arcu nomen habet. Præmittit Verrinam ad triremem suam, qui moneret, ut ad interiorem portum, in quo Dorianæ triremes concludebantur, sensim adnaviget, ibique æneo tormento signum det, quo uno eodemque tempore & conclusas ipse triremes invaderet, & qui ad portas occupandas erant distributi pugnam inciperent. E clivo cum descenderet, pede prolapsus dicitur concidisse, & propterea paulum hæsisse animo, cum etiam ululatus canis, mœstissimæque uxoris lachrymas, & susceptam in pulvereo fomite atram flammam, aliaque adversa omina, quæ antecesserant, secum repeteret. *Sed tamen quid animi pendeo,* inquit, *regressum non habet, quo me cunque trahit fortuna eundum est;* & progressus in Marruphianam viam, in eam descendit, quæ domiciliis tecta & secundum littus directa pertinet ad interiorem portum, qui tribus quidem ex partibus altis muris concluditur; sed quæ respicit orientem solem à portu Vinario humili muro interjecto separatur. Ab hac igitur parte milites aliquot in insidiis dispositi, arrepto navigio, nullo negotio ingredientes ostium, cæsis custodibus, patefaciunt. Fliscus, qui propinquo loco paulum in via substiterat, propterea quod triremis ad signum dandum nondum præsto erat, moræ impatiens fertur in Deum exarsisse effera vi animi, plenasque horroris & impietatis cæco furore amens effudisse voces; mox clamore auxilium flagitantium audito accurrit, datoque à trireme signo, in portum irrumpit. Completur militibus locus; triremes occupantur, libertatem Fliscani conclamant: ad eam vocem exciti remiges alacres prosiliunt, & pro se quisque saluti suæ consulit: ibi tum ingens strepitus, confusus clamor, & tum se solventium, tum per transtra, remosque concursantium præceps impetus horribili terrore omnia complent. Eo in tumultu Fliscus dum à Prætoria triremе ad eam, quæ proxima erat, transcenderet, vel (quod certiorem fidem accepit) in terram descenderet, ut ad alias triremes pacandas occurreret, mobili ponte, per quem ferebatur, ad agitationem triremis dilapso in mare, vel potius in parvam languentemque maris aquam præceps decidit, ibique cum tribus militibus, qui una eo concurrere, infelix vitam reliquit. Ita dirum illud malum, quod longo labore conceptum ea teterrima nox in miserandum hujus civitatis exitium pepererat, puncto temporis præpotenti altissimi Patris dextra in undas effusum est. Ubi nunc sunt qui impudentissima oratione Dei Providentiam tollunt, cumque negant consulere rebus humanis, & tanquam impii Pharaones superba mente elati suis se viribus jactant? Hæc quidem dum erit civitas, cæli terrarumque moderatorem optimum adversus tantam immanitatem se Ducem & oppugnatorem habuisse gratissima confitebitur, tantique memoriam beneficii perpetuo gratiarum agendarum præconio celebrabit. Horret animus meminisse, quæ ille, si victor fuisset, non ex suo quidem, sed ex unius perditi civis consilio, ut postea cognitum est, designaverat; atque à tam feri, tamque inhumani facinoris commemoratione refugio. Eodem tempore portæ, quas supra commemoravi, cæso uno aut ad summum altero, occupantur. Ad Fasciolanam Janetinus, quam ab amicis custodibus teneri credebat, inscius dum ad triremes suas, unde clamor exaudiebatur, accurrit, repente circumventus interficitur. Eodem impetu non concursum est ad ipsum Andream Doriam opprimendum, quod factu facillimum erat, utpote imparatum, ægro,

ægrotum, & lectulo suo jacentem, propterea quod Fliscus ita præceperat, veritus, ne militum turba in illius ædes, antequam ipse adesset, se conjecisset, pretiosissimæ Dorianæ supellectilis, quam sibi integram reservabat, magna pars ab iis militari more compilaretur: at cognito Flisci casu adversariorum animi protinus elanguerunt. Ita ille, in quo uno principe maxime civitatis salus nitebatur, præsenti prope ipsa in morte incolumis divina plane providentia servatus est. Qui circa illum aderant intimi familiares, cognito Janctini interitu, cum jam omnia in unius Flisci potestatem esse collapsa existimarent, nullumque superesse videretur urbis defendendæ locum, ægre equo impositum adhibita celeritate Masonum, quod oppidum ab urbe abest decem passuum millibus, advehunt.

Intra urbem ingens ubique pavor, ubique concursatio, confususque armorum horror, & causa tumultus patefacta; nam primo concursu cum alius ex alio causam quæreret, varia afferebantur. Bonifacius Lomellinus, Adami Centurioni admonitu, paucaque interposita mora Christophorus Pallavicinus, & Antonius Calvus in Palatium accurrunt, eorumque Senatorum, qui ibi aderant, concessu Jordanum Corsum, & expeditos milites XXV. assumunt, ut, quatenus fieri posset, labentibus rebus succurrerent. In compitum Fossellanum regressi, ibi Fliscano agmini obviam fiunt, & cum eo congrediuntur. Primo in congressu ii, quos dixi, milites per amicas noctis tenebras fuga sibi consulunt. Itaque cum magnum hostium numerum pauci sustinere non possent, cedere coacti uno amisso ad ædes Adami Centurioni se contrahunt. Ibi tum Francisco Grimaldo & Dominico Doria, & aliquot præterea civibus assumptis ad Fasciolanam portam contendunt, ut de Doria quid actum sit cognoscant. Lomellinus ad portæ custodes audacter progressus capitur; reliqui nova re perturbati, quod portam tenebant hostes, & viribus diffisi urbem revertuntur; quos tamen idem Lomellinus ex hostium numero elapsus paulo post assecutus est; & jam frequens Senatus, cujus tum princeps erat Nicolaus Francus, quod Respublica Ducem non habebat, in Palatium convenerat, & Cæsaris Legatum accersiverat. Confluxerant eodem multi præterea cives optimi, vel ut commune periculum subirent, vel ut proprium vitarent. Ego Joannem Baptistam Grimaldum illustri virtute juvene secutus, eo ipse quoque accessi. Cum quanto res esset in discrimine trepide nuntiaretur, captas esse portas, occupatasque triremes, Janctinum vulneribus confossum, & nonnulli ipsum etiam Doriam occubuisse contenderent, & jamjam hostes immінere pronunciarent; neque certæ essent paratæ copiæ, non firmum præsidium, quod qui in statione esse debuerant milites, ad Fliscum plerique transfugerant: cum hæc, inquam, omnia adversa concurrerent, multos quidem spes reliquit, quod rem ad extremam prope fortunam adductam videbant, sed tamen consilio atque animo præstantem civium laudem non deseruerunt. Igitur, ut in tam turbida tempestate aliquam expediendæ salutis rationem aggrederentur, placuit, ut duo eligerentur cives, qui Fliscum adirent, ejusque voluntatem Senatus nomine cognoscerent: nam de ipsius interitu nulla adhuc fama manarat. Mittuntur Hieronymus Fliscus, & Benedictus Fliscus Canevarius. Verum cum non reverterentur, quod hostilis terror moram illis intulisset, Hieronymus Doria, Cardinalis amplissimus, & propter sacrosanctam dignitatem & propter causam necessitudinis, quæ illi cum Flisco intercedebat, quod Nicolaus filius illius sororem habebat in matrimonio, maxime idoneus existimatus perhumaniter id munus suscipit, assumptisque duobus Senatoribus Jo. Baptista Lercario, & Bernardo Interiano Castaneo egreditur, ut hominem conquirat. Verum in itinere ab amicis quibusdam etiam atque etiam admonitus, non esse tutum accessum, apertamque se in mortem dimittere, si progrederetur, re non tentata, magna multitudine circumfusus in Curiam redit. Ad Palatii fores dum appropinquat, & trepido concursu milites, qui intus erant, cum flammiferis tormentis intenti sese objiciunt, unius improvidi militis tormento percussus Franciscus Ritius haud ignobilis civis limine in ipso miserrime concidit. Et jam dies adventabat; Senatus, qui non aliud sibi prius capiendum consilium existimabat, quam cognosceret, quidnam Fliscus propositi aut voluntatis adversus Rempublicam haberet, simili ratione sex postremo civibus mandat, ut omni adhibita diligentia Fliscum conveniant: ii fuere Augustinus Lomellinus, Hector Fliscus, Ansaldus Justinianus, Ambrosius Spinula, & Jo. Balianus. Postquam ii exiere, præter omnium opinionem rumoris nescio quid afflavit, Fliscum interiisse; quo nuncio quanquam parum constanti atque incerto in spem, majoremque fiduciam se statim omnes exsuscitarunt.

Quam nefarie sceleris inceptor de Reipublicæ exitio cogitarat, tam stulte post ejus occasum Hieronymus frater rem cogitatam, frustraque tentatam suscepit; tametsi re vera non magis agebat, quam agebatur, juvenis minime malus, sed rerum imperitus, & non admodum acuto ingenio, percurrere urbem cœperat, & ex ante captis consiliis sperans animos egentium atque imperitorum facile posse commoveri, populum & libertatem conclamabat. Sed frustra utrunque, nam neque populus, ut qui jam ex multorum annorum concordia ad Rempublicam administrandam in unius erat ordinis societate conjunctus, neque libertas, ut quæ optime sentiebat sese ad servitutem sub dolo libertatis nomine revocari, quicquam responderunt. Sed quos dixi cives magno comitatu stipati cum nobile compitum, quod est ad templum Divi Syri, descendissent, ibi constiterunt: præmissis, qui facultatem colloquendi à Flisco peterent, si quo eum loco reperirent. Ecce ita commorantibus, furens animi, tardumque ventrem trahens affuit Hieronymus. Primum militum concursum Augustinus Lomellinus subterfugit, & tormento petitus fortunæ beneficio cessit incolumis. Hector à militibus nonnullis cognitus placide cum Ansaldo Justiniano exceptus, Hieronymum adit, & ab eo quærit, ubinam sit frater, ut quæ Senatus nomine mandata perferebat illi exponeret: *Frater*, inquit ille, *ubi sit omittite quærere, eumque me esse existimate;* statimque subjecit, *velle uti sibi Palatium traderetur, quod ubi in ipsius potestate fuisset, tum vero eorum mandata, & quid esset voluntatis Senatus auditurum.* Ita colloquio à perditis civibus, quos circum se habebat, & à quibus tanquam umbra pendebat, interrupto, digrediuntur. Postquam hæc sunt in Senatu renunciata, ex Senatoribus, atque iis, qui in consilium adhibiti sunt, cum pro rei magnitudine variæ sententiæ dicerentur, ut, quid maxime expediret, statueretur, erant qui dicerent, manu, quæ jam erat coacta, exeundum esse, & cum hostibus confligendum: contra alii expeditorum militum paucitatem, & universam civitatem ad arma concurrere, summum afferre posse periculum demonstrabant; præterea non esse temere abutendum civium sanguine: in dissensionibus civilibus plerumque esse animadversum, ut aliquis nullo impellente corruat, quem si urgere velis, sustineas, multoque magis fulcias: & dubiis in rebus quod malum adhibita vis depellere non potuisset, id interdum sanavisse moram: proinde in Palatii sedibus hærendum esse, ibique Reip. majestatem conservandam. Hæc quidem placuit sententia, sed ita tamen, ut ex eo civium numero, qui aderant, XII. constituti fuerint Duces, qui exirent, & in sua quisque urbis regione quos possent armatos contraherent, atque in Senatum adhibita celeritate reverterentur, præsto futuri ad ea obeunda, quæ tempus & periculum monuissent.

Hoc in rerum statu introductus est in Curiam Paulus Pansa: is postquam, quæ de patrato facinore norat, breviter exposuit, seque ignarum fuisse consiliorum omnium magna cum doloris sui significatione demonstravit, idoneus visus est, per quem ea, quæ Senatus vellet, ad Hieronymum perferrentur. Interim nonnullis amicis, qui Fliscorum inclinatam jam propeque jacentem miserebantur fortunam tacito studio rem adjuvantibus, factum est, ut de compositionis conditionibus agi cœptum sit. Et quanquam à nonnullis id consilium improbabatur, qui quasi ignominiæ ferendæ loco dicerent, si ullam ab ejusmodi hoste armato conditionem acciperent, tamen cum accurate perpenderetur, qui rerum casus, & quanta ex controversiis oriri consuessent incommoda, & quam magni excitari motus possent, si res esset in noctem deducta; præsertim quod quæ de Jo. Luysio varia nuntiabantur, in incerto erant: visum est è Republica Cæsaris Legato id in primis suadente ab armis discedere, operamque dare ut metus è civitate tolleretur. Itaque Pansa ad tractandas conditiones ultro citroque missus rem nonnulla quidem sententiarum varietate extractam tandem confecit. Compositionis hæc fuit summa: *Hieronymus ex urbe excederet, & quam militum manum secum habebat, dimitteret: hæc si faceret, Senatum illi ignoscere, neque illius unquam facinoris culpam in quæstionem revocaturum.* Ambrosius vero Senarega, vir magni consilii & Reipublicæ Secretarius, ad Portam Arcus una cum Pansa Senatus jussu profectus decretam à Senatu veniam Hieronymo, cæterisque suis asseclis palam denunciavit. His conditionibus publica fide interposita, Hieronymus suos ab urbe educit, & Montovium proficiscitur, à Senatu XII. Duces militares, qui jam præsto erant, opportunis locis ad custodiam ac defensionem urbis distribuuntur. Eodem prope temporis momento Verrina, Saccus & Calcaneus usi beneficio triremis, quam conscenderant, desperatis rebus profugiunt, & Massiliam contendunt, secumque nonnullos abducunt, qui primo tumultu ad interiorem portum ab adversariis capti fuerant, atque in catenas conjecti. In iis fuere Sebastianus Lercarius, Manfredus Centurionus, & Vincentius Vaccarius, qui tamen paulo post ad ostium Vari dimissi Genuam incolumes reversi sunt. Ita rebus compositis, cum jam in postmeridianum tempus inclinaret dies, Senatus solutus est, & quicumque eo convenerant, domum discessere.

Instauratis omnium animis, & Senatoribus ad administrationem rerum, quas tempus monebat, summa cogitationum intentione conversis, Adamus Centurionus, cui in hujus noctis labore testimonium ab optimis viris tributum est egregiæ laudis, totus animo in incommodum, quod triremes acceperant, farciendum insistit, hujus enim turbidissimæ tempestatis impetus nulla Reipublicæ parte labefactata in Dorianas duntaxat triremes effusus est. Gubernatores, propugnatores apparebant nulli; fugerant remiges, & remis, transtris, cæterisque instrumentis omnibus à multitudine egentium, qui ea in rerum colluvione ad prædam accurrerant, ablatis, deserta, dejecta, vastataque erant omnia: sed tamen, summa adhibita diligentia, factum est, ut multa eo etiam die recuperata, atque in integrum restituta sint. At pro trireme, cui *Temperantiæ* nomen, recuperanda frustra est susceptus labor. Eam prima luce cum tumultu omnia miscerentur, servi remiges circiter CC. nomine conclamatæ libertatis excitati, è portu celeriter eduxerunt, & ad oras Libyæ conversi fuga sibi consuluere. Bernardini Mendozæ triremes duæ, quæ tum forte in portu aderant, nullumque passæ fuerant detrimentum, ad eos consectandos missæ assequi minime potuerunt.

Postero die accersitus à Senatu redit in ædes suas Doria. Nocte vero, quæ alterum diem est insecuta, sedata atque tranquilla omnia; quod certe in tanto ac tam recenti rerum motu fuit admirabile. Benedictus Gentilis, placido ingenio præstantique vir prudentia, Dux Reipublicæ creatur; ita statim urbis facies exhilarata est. Legationes ad Senatum, atque ad ipsum Doriam amicissimi officii causa undique veniunt, seque statim civitas erigit; multique Reipublicæ gratulabantur, cum dicerent periculo, quod supremum ei fortasse impenderat, hoc casu fatis ita ducentibus esse defunctam, & post hujus transitum tempestatis fortunam insequentis temporis tranquilliorem futuram; atque ex arctiore animorum conjunctione, accuratiorique rerum prudentia, accessura libertati firmamenta solidiora: plerosque vero (ut varia sunt hominum ingenia) timidos, ac rebus diffidentes, metum cæteris augere videres: una quidem præter cæteras nox, qua ferebatur conclamando Adurnorum nomine maximam civium manum ad arma descensuram, sollicitudine ac terrore omnia complevit. Illa vero edita in vulgus opinio, Jo. Luysium minime interiisse, sed triremem conscendisse, eaque in Provinciam esse profectum, vix credibile est, quam pertinaciter hæserit, & ad quam multos dies, vel potius menses, ex tenuiorum animis evelli minime potuerit. Corpus quidem ipsius quarto die postquam in mare concidit, à Palliano quodam inventum est, eodemque loco Doriæ jussu relictum. Non deerant sane, qui dicerent, ignominiæ causa perspicuo aliquo loco laqueo suspendendum: verum, & quod facile fieri poterat, ut ad id spectaculum multitudo concitata tumultuaretur, & quod mediocris animi esse videbatur in mortuum sævire, id non est permissum: duobusque fere mensibus post ex eo loco noctu sublatum, avectumque longius in altum demersum est.

Postquam Respublica Ducem, suamque formam habuit, Ceva Doria legatus est ad Cæsarem missus, ut de totius conjurationis negotio, deque Reipublicæ Genuensis egregia erga illum fide Senatus nomine certiorem eum faceret; & quoniam undique fata circumstare videbantur, blanda calamitatis comes est imminuta securitas, excitataque in omnes partes diligentia, auctaque præsidia, pauloque post octo viri creati sunt, qui si quid in Republica tamquam in navi tempestatibus agitata ipsis videretur aut à principio male constitutum, atque compactum, aut postea in illam infusum, quod ad concordem civitatis statum conservandum vel tollere, vel corrigere opportunum existimarent: id accurato consilio animadverterent, ad Senatumque referrent. Ex oppidis, quæ sub Flisci imperio fuerant, duo sunt à Republica pro jure suo recuperata; cui expeditioni Paulus Monelia & Manfredus Centurionus præfuere. Cætera Cæsaris nomine à Ferrando Gonzaga occupata sunt.

Hieronymus Fliscus, uti supra demonstravimus, cum asseclis suis Montovium se contulerat, ibique rebus omnibus, quæ ad propugnationem necessariæ videbantur, se communiebat. Othobonus Massilia, quo triremi confugisse diximus, relicta, modo Mirandulam, modo in Galliam excurrens, novas res moliri, & præsidia conquirere non desistebat. His de causis Senatus, qui in ulciscendis Reipublicæ injuriis remissior erat, acrius in illos intendere cœpit animum; revocataque in controversiam est paulo ante facta compositio, qua Fliscis, atque iis, qui una contra Rempublicam arma sumpserant, ignoverat: consulti super ea re Jurisperiti, quorum prudentia dubiis in rebus Senatus uti solebat, illius actionis approbationem jus Senatoriæ sententiæ non habuisse judicaverunt, legitimoque jure posse rescindi, vel quod tum cum est facta, Senatores ad numerum non essent, vel quod turbulente ac necessario, formidolosissimisque Reipublicæ temporibus ita flagitantibus id captum erat consilium. In hujus judicii sententiam cum his rationibus, quas commemoravi, illa quoque causa Senatum deduxit, quod

quod in eam partem propensus erat Andreas Doria; cujus, cum in Senatum venisset, super tentati facinoris atrocitate gravissima fuit oratio: itaque datum est hoc auctoritati ac meritis, dolorique clarissimi viri; eoque factum est, ut id decretum perpaucis adversantibus sit abrogatum. Mox eversa Fliscorum domus, quo tam scelestum facinus loci memoria notaretur; ipsique, & nonnulli praeterea cives, qui cum illis consenserant, exsilio mulctati.

Relinquebatur Montovii arx, multisque de causis visum est Senatui omnibus modis huic rei studendum, ut in Reipublicae potestatem redigeretur; quarum illa fuit justissima, quod cum pene in civitatis cervicibus posita esset, omnium, quae aetas nostra viderit, natura atque opere munitissima, maximum ab ea periculum imminebat, si vel in potentissimi alicujus adversarii ditionem pervenisset, vel perditorum hominum ex caede atque ex praeda viventium fuisset receptaculum. Hoc ab omnibus probato consilio, mittitur Paulus Pansa ad Hieronymum, ad quem loci illius haereditas pertinebat; qui ei Senatus voluntatem demonstret, hominique persuadeat quae rationibus ipsius conducere maxime videbantur, nempe ut, quam commodissima conditione, quae à Senatu ferebatur, accepta, sine ulla contentione ex arce cederet, pro qua offerebantur aureorum nummûm quinquaginta millia. Conditionem recusavit Hieronymus, quanquam etiam atque etiam admonitus illum, si id negligeret, in discrimen omnium fortunarum, vitaeque venturum, tamen in suscepta sententia perstitit; illudque addidit, *non jam eam arcem in sua esse potestate, sed potentioris Domini*, Regem Gallorum innuens, uti ea opinione & specie Genuenses ab oppugnatione tentanda deterreret. Postquam Senatus legitima via ad jus illius arcis se pervenire non posse intelligit, ad vim atque ad arma descendit, è Senatoribus duo deliguntur, qui militari consilio praesint, Christophorus Grimaldus Roscius & Leonardus Cattaneus; nullaque interposita mora, curata ad eam expeditionem pecunia, circiter armatorum hominum duo millia eo mittuntur, quae copiae, & obsessos corona cingerent, & si qua forte hostilis acies eis subsidio veniret, resistere, aditumque prohibere possent. Rerum administrationi Dominicus Francus, & Dominicus Doria praefuere. Summam imperii tenuit Augustinus Spinula, vir magni consilii, reique militaris peritissimus. Eodem tempore Lamba Doria, Bernardus Lomellinus, & Gabriel Monelia in agri Genuensis fines quoquoversus profecti earum regionum homines contra externa auxilia, si qua se ostendissent, & ad omnes casus, quos fortuna ferre poterat, paratos in armis habuerunt. Viarum anfractus, imbresque assidui, convehendis Montovium majoribus tormentis maximam difficultatem effecerunt; atque in ea re Aprilis mensis totus positus est.

Moritur interim Franciscus Gallorum Rex, & de Caroli Caesaris Victoria, quam ad flumen Albin, quo Romanorum arma Duce Tiberio Caesare primum penetrasse legimus, adversus Janum Federicum Saxonum Ducem rebus felicissime gestis est consecutus, Genuam nuntium affertur: Majoque ineunte arx oppugnari coepta: ea erat in colle summo admodum praecelso loco, praeruptis in saxis magnifice exstructa: ejus collis radices rivi duo tribus prope ex partibus subluunt; ex omnibus vero in circuitu partibus montes, mediocri interjecto spatio, majori altitudinis fastigio illum cingunt, quorum quae pars ad Aquilonem vergit, imam in vallem declivem quandam planitiem protendit; in qua tormenta collocata sunt. Hieronymus, & qui illum secuti, omnia administrabant, loci praesidio freti tantos sibi sumpserant spiritus, ut oppugnantium conatus etiam irridere solerent. Adjuvabant eorum fortunam tempestates maximae, quae sunt consequutae: nam magnitudine ac continuatione imbrium fiebat, uti tormentorum opus necessario saepe intermitteretur, & militum officia animique languescerent; eaque res multum fiduciae adversariis adderet, quod ii optimi argumenti sumebant loco, seque curae esse caelestibus existimabant. Ad haec adversa illud etiam accessit, quod tot, toties, tantisque inflammandis tormentis pulvis minime suppetebat, isque ex longinquis locis erat comparandus. Praeterea nonnulla tormenta, quae assiduas inflammationes ferre non potuerant, perfracta, disjectaque sunt miserabili cum administrorum caede. His de causis, & quod etiam tacitis secum cogitationibus repetebant, ejus arcis oppugnationem à Gallorum Rege paulo supra nostram memoriam fuisse susceptam, plerique vehementius perturbati, rem vel turpem, vel certe non optatum, exitum habituram, arbitrabantur. Ceterum omnes difficultates vincit assiduus una in re labor, animique magnitudo: vis tormentorum muri partem tandem perfregit, majoresque in singulos dies edere coepit ruinas: tum milites stipendii spe eo introducti, quod id non esset persolutum, pene seditionem facere, ceterique, quod & ab omni praesidiorum spe, & à fortuna deserebantur, timidius de salute sua cogitare coeperunt: quamquam perinde quasi accepta detrimenta levi momento aestimarent, nullam timoris significationem prae se ferebant; nullamque partem nocturni temporis ad ea resarcienda atque paranda, quae defensioni opportuna esse viderentur, intermittebant. Ceterum postquam tormentorum impetus magis introrsus penetravit, eorumque domicilia attigit, foedo pulvere ac tenebris omnia complevit, inopinato malo perculsi illam animi contentionem, quae in omnibus rebus efficiendis potiorem virtutis locum obtinet, facitque, ut qui etiam duriores partes defendendas susceperint, discedant persaepe superiores, penitus remittunt, & de tractandis deditionis conditionibus deliberant. Hieronymus Garaventa, & Thomas Asseretus deliguntur, qui ad Augustinum Spinulam descendant, & cum eo de compositione colloquantur. Fuit eorum Oratio gravitatis atque ostentationis plena, ut non ab eo, qui rebus suis diffideret, sed quasi à victore, cujus arbitrio victi accipere conditiones debeant, venire videretur. Itaque Hieronymi postulata ubi sunt in Senatu audita, mediocrem quendam omnibus risum moverunt. Interim Augustinus Spinula, praeconibus circummissis, pronuntiari jubet, si quis vellet intra certas horas ad se transire, id ei sine periculo licere; post id tempus non fore potestatem: quo factum est, ut duo ex arce, commodam occasionem nacti, profugerint. Ea spe, quam primum sibi maximam fecerat, dejectus Hieronymus paulo post eo descendit, ut polliceatur, se arcem ea sub conditione relicturum, si cum armis rebusque suis libera sibi abeundi potestas fiat. In hujusmodi compositionis conditionem Senatus biduo disputationibus exstracto, tum studio eorum qui Fliscorum familiae favebant, tum pro ea mansuetudine atque humanitate, quae multis insita est, descenderat; cum interea venit illis in mentem dubitare, ne postquam ex arce essent egressi, eos nihilominus Andreas Doria in hostium numero haberet: proinde quo ab ipsius armis essent tuti, iterque sibi ad salutem, quo vellent, sine periculo facere liceret, postularunt, ut, Doriae diplomate interposito, sibi caveretur. Re non impetrata, omni spe repulsi quo jam se verterent, non habebant. De summa rerum inter se deliberantibus id consilium omnibus maxime probabatur, ut silentio noctis ex arce profugerent: dissensit unus Calcaneus, quod timere se diceret, ne Hieronymum gravitate corporis impeditum, atque pedestri insuetum itineri, vires essent in rupium asperitatibus defecturae, facileque eum ab hostibus captum iri; praesertim quod summa ab iis vigilantia omnes viarum exitus observabantur, satiusque esse in deditionem venire, Senatusque clementiae confidere, quam heri vitam in

tam

tam apertum periculum dimittere. Paucis contradicentibus superat hæc sententia. Est hoc profecto admirandum, quod cum diligenter quæsiverim, ita fuisse comperi: Calcaneum, & Verrinam, qui sicuti creditum est, majori scelere se adstrinxerant, graviusque exspectare supplicium merito debebant, non dicam approbatores, sed auctores in primis fuisse deditionis, eamque quantum potuerint admaturasse; quos tamen constat homines fuisse acuti ingenii, rerumque non imperitos; ut mihi quidem ad occultum cælestium impulsum referenda esse videantur, qui voluntates hominum sæpenumero in eam partem flectunt, qua pœnam admissis facinoribus debitam sint subituri. Qui vero suspicantur, aut etiam affirmant, nescio quid proditionis intercessisse, ii gravissimorum hominum testimonio, qui rebus omnibus interfuerunt, quibusque nulla causa est, cur summam non adhibeam fidem, facile refelluntur. Igitur secundo & quadragesimo postquam oppugnari cœperant die, inermes se dediderunt: nocte, quæ est insecuta, Vincentius Calcaneus, & tres præterea, qui Janetini cædi interfuerant, facinoris socii jugulantur; deinceps vero milites, qui jure belli Hieronymi stipendio fuerant usi, incolumes dimissi; cæteri noctis facinore contaminati, partim morti, partim remis addicti. Hieronymus post longam de ipsius facto quæstionem habitam ad IV. Idus Julii sententia pronunciata securi percussus eadem in arce vitam reliquit. De Verrina idem supplicium sumptum. Desiderius Cangialancia laqueo suspensus: data deinde opera est, uti arx everteretur. Hunc exitum habuit Fliscana Conjuratio, atque ita illi Patritii, qui maxime honorati atque illustres hodie viverent, dum in nobilissima gente, patriaque clarissima, qui esse poterant, esse noluerunt, nulli jam sunt; æternaque posteris suis acerbæ recordationis monimenta reliquerunt: maximum cæteris documentum, ut statu rerum suarum contenti, certa ratione moderentur appetitionibus suis, neque aut fallacibus cogitationibus, aut aliorum consiliis se abduci sinant; meminerintque in primis, cum quid secum ipsi meditantur, aut aliquid moliuntur, altissimis supremi Patris sedibus assidere justitiam.

Rebus sedatis ad Henricum Galliæ Regem Thomas Spinula, & Antonius Inurea Legati missi, qui, & de patris obitu Reipublicæ nomine condolerent, & susceptum illi Imperium gratularentur; atque ut admodum honorifice à Rege accepti, ita & amantissimis verbis dimissi sunt. In hoc cursu rerum Neapoli repentinus est excitatus motus, qui multorum animos suspensos habuit, cum incertum videretur in tam perturbatis temporibus, quem res exitum esset habitura: ejus motus causa fuit, quod Petrus Toletanus, qui Neapolitano Regno Cæsaris nomine præsidebat, Inquisitionem adversus hæreses ex eo more, qui jamdiu in Hispania viguit, Neapoli constituere vellet: plebs vero, & Nobilitas, & plerique Nobilitatis principes communi consilio inter se conjuraverant, se, ne id fieret, omni ratione pugnaturos; & in ea libertate, in qua ad id tempus vixerant, defendenda, eandem omnes subituros esse fortunam. Ea ardenti in seditione cum tres è Patritia gente juvenes Petri Toletani jussu capti fuissent, quod lictoribus suis vim attulerant, & more pecudum jugulati, itum est ad arma. Antonius Doria cum parata Hispanorum manu eo accurrit: ibi interim cædes, direptiones, incendia, teterrimique belli ex omni parte horribilis facies. Inito vero mense Augusto, Neapolitani, cum ex legationibus ad Cæsarem missis nihil profecissent, debilitati succubuerunt, & plerique patriis sedibus relictis ad salutem alio contenderunt, factaque est in nobilissima urbe miseranda solitudo.

Cæsar tum Germaniam tenebat, gravissimaque eum valetudine affectum esse, & prope desperatum in Italiam afferebatur. Hæc cum in dies magis confirmaretur opinio, Petrus Luysius Farnesius majorem militum numerum contrahere cœpit, remque militarem accuratius administrare. Magnam ea res finitimis civitatibus Cæsaris Imperio subjectis suspicionem attulit, ne ea adversus se arma compararentur, novarumque rerum exspectatione magni motus timebantur. Hæc dum ille Imperio suo stabiliendo, ejusque finibus propagandis intentus agitabat animo, interim de illius interitu clandestina aliorum consilia dies & noctes concoquebantur. Nam Hieronymus Scipio Pallavicinus, Jo. Augustinus Anguisciola, Jo. Aloysius Confalonerius, & Augustinus Landus, cum à Farnesio eorum nonnulli multis essent affecti incommodis, opesque suas atque auctoritatem ad deteriorem in dies statum recidere viderent, contra ipsum conjuraverunt. Est in urbe Placentia ab ea parte, qua labitur Padus, Castellum haud infirmis mœnibus cinctum, quod Petro Luysio Farnesio domicilium sedemque præbebat; quamquam, quod hujus loci præsidio non admodum tutus sibi esse videbatur, aliam sibi arcem ingenti opere munitissimam exstruebat, eratque jam prope ad summum perducta ædificatio. Ubi dies illuxit facinori ab iis patrando constituta, quæ fuit ad III. Idus Septembris, mane, cum jam Farnesius esset à cohorte relictus, & pransus accumberet, Joannes Anguisciola tribus quattuorve ex usitato more illum comitantibus, in Castellum venit, cæteri eodem modo separatim subsequuntur, confestimque dato quod inter eos convenerat signo, summa magnitudine animi suum quisque negotium aggreditur. Anguisciolæ aditu ad Farnesium patefacto, districto gladio illum interimit, & sacerdotem quendam, qui tum forte ibi affuit, quod clamorem tolleret, una occidit: Confalonerius Germanos octo, qui pro cubiculi foribus stationem habebant, eodem temporis vestigio opprimit: Augustinus Landus, & Hieronymus Scipio Pallavicinus Castelli portam occupant; custodes, & nonnullos præterea, qui eo accurrerant, interficiunt; reliquos, quos inveniunt ad xx. imbelles homines unum in locum concludunt. His rebus confectis, loci præsidio muniti cadaver ex edito loco proferunt, pro tumultuose concurritur; conclamant illi se communis salutis patriæque libertatis causa Tyrannum interfecisse; circummittuntur amici, auctoresque idonei, qui per urbem tumultum sedent; exeunt ipsi, & portam, quæ est ad Eridanum, occupant. Sfortia Pallavicinus, & Alexander Interamnas, quorum alter equitibus, peditibus alter præfectus Farnesii nomine urbis præsidio erant, rei novitate perturbati, desperataque defensione ad salutem alio contendunt, atque ita in conjuratorum potestate omnia relinquuntur. His cognitis rebus Ferrandus Gonzaga eo magno cum equitatu celeriter accurrit; factumque est, iis potissimum quos dixi procurantibus, ut illa civitas earum conditionum æquitate, quæ communi consilio comprobatæ sunt, se ad Cæsaris Imperium aggregavit.

Omnino fuit hic annus multis perturbationibus, maximarumque rerum varietate insignis, ut terror, fraus, seditio, & Martis (ut ille inquit) insatiabilis horror per totam Europam late pervaserint. Verum hæc ab aliis Scriptoribus fusius explicabuntur; nos pauca complectemur, atque invita in iis etiam ipsis nostra jam dudum versatur oratio. Sed quoniam sumus in conjurationum serie, quæ inter se quodammodo quasi colligatæ esse videntur, tertia breviter est attexenda.

Julius Cibo, quem Janetini Doriæ sororem extremo superiori anno uxorem sibi adjunxisse demonstravimus, post diuturnam de principatu controversiam, quam cum matre habuit, tandem vi atque armatis hominibus Massam occupavit, ejusque oppidi arce Cosmi Medices & Andreæ Doriæ opibus adjutus deinceps potitus est, quod arcis custos horum Principum auctoritatem reveritus in deditionem venerit; quem

quem tamen ille contra interpositam fidem una cum liberis, paucis post diebus interficiendum curavit. Moretus quidam, qui cædem fecerat, & quo Julius admodum familiariter utebatur, tum primum apud Ferrandum Gonzagam in suspicionem est vocatus, quod de ea arce Regis Gallorum Imperio adjungenda nescio quid occulte moliretur. Hac illata suspicione Ferrandus Gonzaga Julium per litteras monet, uti privata custodia Moretum asservandum curet, nulla præterea rei causa commemorata. Julius mandatum efficit, jubetque in oppido Fosdenovo idoneo conclavi Moretum concludi; verum paulo post, cum parum diligenter asservaretur, ex oppido fugit. Ob hanc causam accitus Mediolanum à Ferrando Gonzaga Julius, in quem hujus fugæ cadere videbatur suspicio, eo se confert, indiligentiam suam fatetur constantissimo animo, probabilique excusatione allata omnem à se culpam dimovet. Ferrandus adolescentis ex familiæ dignitate maxime commendati excusationem ille quidem accipit, hominemque dimittit, sed quam de illius ingenio atque animo opinionem jam mente comprehenderat, minime deponit, ex eoque die ejus actiones accuratius observari cœptæ.

Interim Cæsar de Massæ arce à Julio occupata certior factus, rem ita probare videbatur si ad concordiam deduci posset; ut quod vi occupasset, id etiam de matris voluntate obtineret, quam invitam Principatu privari haud æquum censebat. Hic Julius Cosmi Medices & Andreæ Doriæ consilium, opemque rursus implorat: illi quod Cæsari placitum sit, demonstrant; tum ille turbulentis perturbationum jactationibus concitatus Romam ad matrem proficiscitur, eique statim omne jus imperii, summamque rerum omnium potestatem impotenti animo tradit; rerumque novarum cupidus errantes motus cogitationum suarum ad eos scopulos appulit, ad quos paulo ante Jo. Luysium Fliscum omnium fortunarum, vitæque miserrimum naufragium fecisse viderat, Andreæ Doriæ interficiendi, quod ob familiaritatem, quæ sibi cum eo intercedebat, facillimum fore existimabat, simulque fortunæ tentandæ, an ea occasione in Genuensem Rempublicam aliquam status mutationem posset inducere. Consilium suscipit magna spe allectus, confisusque plurimum, si id perfecisset, ad majores opes, illustrioremque potentiam sibi adscensum comparaturum. Interim cum Regio Legato frequens erat, quod quoniam suspiciosum videri poterat iis, qui acutissime ipsius facta consiliaque omnia dies & noctes odorabantur, callidum commentum effingit, quo & facinus suum tegere, & Ferrandum Gonzagam, à quo sibi vehementer timebat, fallere posset, scribit ad eum litteras admodum familiares, in quibus leviter significat, propediem illum intellecturum pro sua in Cæsarem benevolentia, ac fide, quid struat & moliatur; significabat autem se in Subalpinos venturum, & per causam familiaritatis, quam cum Regis Legato contraxerat, oppidum nescio quod Cæsaris adjuncturum Imperio. Ceterum ipsi Ferrando ac Doriæ jam manifestus erat sceleris sui Julius, frustraque ac temere suscepto atque inconsultius agitato facinori simulatarum insidiarum duplicis doli speciem obtendebat. Roma mense Decembri egressus, Venetias proficiscitur, & cum nonnullis, qui ex Flisci Conjuratione exsilio mulctati eo migrarant, colloquitur, consiliumque communicat. Januario mense paucis, quibus fidebat plurimum, comitatus, exit ad facinus; Pontremulum cum pervenisset, ibi ab eo, qui illius oppidi præsidio erat, duobus acceptis vulneribus vi capitur, protinusque Mediolanum mittitur, atque in custodiam traditus, habita quæstione, & cogitato facinore ipsius confessione patefacto, sententiaque à Cæsaris Consiliariis pronuntiata, ibi satis composito animo vitam relinquit. Genuenses, quibus cum Venetiis Julium conventum egisse ostendimus, hostes à Rep. judicantur, eorumque familiæ è civitate exterminantur: & Octavianus Zinus sceleris conscius in carcere securi percussus est.

Interim iis octo viris, quos ad id munus constitutos fuisse supra demonstravimus, ut si quid, quod ad Reipublicæ utilitatem pertineret, circumspicerent, id ad Senatum referrent, quatuor sunt Senatores additi; qui consiliis cum Andrea Doria diligenter communicatis auctores fuerunt, ut leges quædam, quæ ad rationem summi Magistratus pertinebant, commutarentur, quod, ut proxime cognitum fuerat, seditionem in civitate inducere posse viderentur. Eam immutationis formam non est cur ego hoc loco copiosius explicem, quandoquidem ex tabulis publicis ea prompta omnibus esse potest.

Per hæc tempora cum Cosmus Medices secundus Florentiæ Dux in Plumbini possessionem pedem posuisset, in Ylua vero insula turres ac propugnacula ædificare cœpisset; atque id Genuenses non admodum æquo animo ferrent, quod navigationibus suis magnum ex ea ædificatione redundare posset incommodum, Cyprianum Pallavicinum de hac re ad Cæsarem in Germaniam Legatum miserunt. Accepta oratione illius Cæsar respondit, *Eam Cosmo potestatem ipsius consilio esse factam, illamque ædificationem propter salutem atque incolumitatem eorum locorum sibi placere, seque præstiturum, ut nihil inde incommodi Genuensibus recidere possit; neque illis dubitandum, quin propter eorum merita futuri semper ipsi essent maxime commendati, atque in primis charissimi.* Paulo vero post reditum Cypriani Pallavicini, hoc est, mense Julio, Maximilianus Ferdinandi Regis Romanorum filius è Cæsare Genuam venit: ei circiter centum maxime spectandi, atque omni insigni vestimentorum genere ornatissimi juvenes ad Pontem-decimum, & Senatus ad Porciferam Vallem, immo vero tota pene civitas obviam processerunt, omninoque ei habiti honores amplissimi. Dorianis ædibus exceptus, ibique quatriduum commoratus, maxima, quæ jam parata erat, classe in Hispaniam profectus est; ut Mariam Austriam Cæsaris filiam matrimonio sibi conjungeret: ei comes erat Christophorus Madrutius Cardinalis amplissimus, quem hoc seculo tum ob egregiam adspectus dignitatem, tum multo magis propter singularem animi in omni illustri genere virtutis præstantiam amant & admirantur omnes. Andreas Doria cum his una profectus est eo consilio, ut Philippum Austrium, unum atque unicum Cæsaris filium, in Italiam veheret, ædificata ad id munus maxima & rerum omnium ornatissima quinqueremi. Genuæ interim, temporibus ita exposcentibus, & quod triremium præsidium aberat, novi conscripti milites, visumque est è Reipublicæ XXVIII. nobilibus familiis, ex quibus civitas constat, XL. belli Duces creare, qui in magna multitudine hominum, qui confluxuri erant, varietate atque frequentia ad tranquillam, tutamque in urbe quietem retinendam advigilarent; eorumque singulis XXV. noti probatique homines attributi, qui arma ferrent.

Interea Henricus Gallorum Rex, tum animi causa, tum ut regio more ac modo populos sibi subjectos inviseret, Alpes transcendit, & Taurinum venit: paucosque ibi dies commoratus, ita, uti venerat, admodum quietis rebus se in Galliam recipit. Philippus Austrius triremibus, quæ erant in oris Hispaniæ, ad Dorianam classem conjunctis, cum Barcinone solvisset, intermissa profectione propter summam navigandi difficultatem Rhodi complures dies subsedit; tandem paulo leniorem tempestatem nactus Genuam pervenit. Cum eo fuere totius fere nobilitatis Hispaniæ Principes, & præsertim ætate florentes; is vero tum annum agebat XXV. Advenienti Oratores quatuor Intemelium obviam prodiere, Franciscus Lomellinus Baptistæ filius, Lucianus Spinula, Lucas Justinianus, & Bartholomæus Majolus: Savonam decem, Augustinus

Lomellinus, Philippus Cattaneus, Leonardus Spinula Turrius, Vincentius Pallavicinus, Nicolaus Saulius, Dominicus Doria Nicolai filius, Joannes Grillus Vignolus, Nicolaus Grimaldus, Nicolaus Pinellus Cepolina, & Vincentius Ferrarius. Qui vero & quam insignes in urbe tum à Senatu, tum ab ipso Andrea Doria, in cujus magnificentissimis ædibus exceptus est, illi honores habiti, qui clarissimarum ex tota Italia legationum concursus facti, qui civitatis splendor, quæve amplitudo rerum fuerit, longum ineptumque sit oratione persequi. Surgebat ad Dorianas ædes pulcherrimo artificio exstructum asseribus templum, in quo virtutes Imperatoriæ affabre pictæ visebantur. Templum augustissimus ille hic Princeps equestri statua adumbratus tenebat, ad portam, quam Vaccariam vocant, fides ac libertas virginali habitu alto atque ad adspectum præclaro loco positæ, manuumque inter se complexu devinctæ, fidelissimam civitatem, plurimisque officiis cum invictissimo Cæsare patre conjunctam, crescentis illius Imperii patrocinio commendare, egregiamque ejus voluntatem atque operam utilitatibus illius præsto semper futuras, apertis pectoribus testari, amantissimeque polliceri videbantur. Multis vero locis vel jucundarum gratulationum, vel verarum laudum, vel bonorum omnium alte suspensa elogia, atque ad ea varii, iidemque apparatissimi ornatus additi, illustrem decori speciem, incredibilemque prætereuntibus oblectationem afferebant. In nobili compito, quod est ad templum Divi Syri, duo in unum conjuncti positi erant triumphales arcus, in quibus partim egregia bellicæ laudis, victoriarumque monumenta patris, quæ illi essent ad imitandum proposita, partim rerum gerendarum simulacra, quæ de illo sunt in spe posita, oculis legebantur. In Italiam primo advenientem humilis excipiebat Genua, & tanquam aditum illi, quod etiam augustissimo patri ante præstiterat, ad maximos triumphos, & ad immortalis gloriæ cursum patefaciebat. Sed quo me vis animi rapit? qui ingrediar ad ea commemoranda, quæ neque pro dignitate satis explicari possunt, & quanquam dum spectantur, admirationem habent, & pulchritudinem, non tamen cum leguntur eandem habent delectationem, eaque gravissima historiæ scribendæ ratio respuit. Quindecim omnino dies Genuæ commoratus est, atque interim in tanta hominum frequentia, quanta convenerat ad summam rerum omnium libertatem, illud accessit, quod ex moderatissima disciplina atque optimo more pacatissima visa sunt omnia.

Verum in tam moderato rerum statu ad VIII. Idus Decembris repentinum incommodum accidit: Hispanum hominem, nobili loco natum, qui huc ex patria fugerat, homicidii reum, legum ac justitiæ ministri, qui cohortem Principis sequuntur, casu comprehenderant, & Senatus consensu in Palatio publica custodia asservandum collocaverant. Eo igitur, quem diximus, die, ut hominem è custodia abducant, in Palatium iidem ministri suis cum apparitoribus stipati redeunt; libere ingrediuntur: verum ubi milites, qui in Palatii præsidiis collocati primo in aditu stationem tenebant, animadverterunt apparitorum numerum maximum subsequi, quod cum iis alii complures se conjunxerant, atque omnes ab armis, igneque tormentis imposito admodum paratos, cum eorum parti introeundi facultatem fecissent, reliquos ingressu prohibent: ibi tum, cum nonnulli paulo minus considerati, immo de ratione verborum licenter usi, vi conarentur irrumpere gladiis districtis, fit in eos celeriter impetus, duoque è vestigio interficiuntur: cæteris Jocantus Corsus, & duo Senatores, qui eo accurrerunt, salutem attulere. Eodem temporis momento ex hujus tumultus fama nescio cujus imperiti vox in vulgus emanat, Palatium occupari; libertatemque Genuensibus eripi: ad eam vocem universi opifices ac tenuiores repente excitati desertis domibus, tabernis occlusis, ultro auxilium Palatio ferre contendunt, eoque armati advolant. Quæ tum urbis facies fuerit, quis horror, quisve animis additus furor, vix possumus cogitatione comprehendere. Tantus tamen is armorum atque animorum ardor ad nutum Senatus eodem ipso pene temporis vestigio restinctus est, omnisque sedatus tumultus. Dignum id quidem ac memorabile exemplum, quod Genuensium memoriæ atque posteritati tradatur. Id factum satis æquo animo tulit Philippus, quod quonam casu, vel potius cujus imprudentia, id acciderit, probe intellexit: urbem bis invisit, semel ad ædes Divi Laurentii ingressus tam insigni pompa, eoque comitatus splendore, ut nihil in vita viderim admirabilius. Iterum animi causa, ut Cariniani amœnitatem, murorumque amplitudinem videret, III. Idus Decembris Mediolanum discedens in Germaniam ad Cæsarem summa rerum omnium tranquillitate profectus est.

JACOBI BONFADII ANNALIUM GENUENSIUM AB ANNO MDXXVIII. RECUPERATAE LIBERTATIS USQUE AD ANNUM MDL.

LIBER V.

Non eram nescius, cum hæc litteris mandarem, fore, ut hunc laborem nostrum varia genera reprehensorum invaderent; erunt enim, & ii quidem admodum eruditi, qui me reprehendent, quod in singulis Libris utar Procemiis. Quibusdam vero, cum in patrio sermone verborum splendore abundemus, & copia, ineptum videtur, totum hoc displicet, Latine scribere. Quidam autem acerrimi æstimatores, qui orationum formas severa trutina examinant, atque distinguunt, certosque sibi proponunt auctores, quos accuratissime imitentur, genus hoc scribendi nostrum minime probabunt. Postremo complures futuros arbitror, qui me male accipiant, quod nimium exiles Annales confecerim; qui multo erant & splendidio-

didiores & gratiores futuri, si plura his essem complexus. His igitur ad singula breviter mihi hoc loco respondendum existimo.

Qui meum institutum non probant, quod Procemia Libris singulis adjungam, ea maxime ratione moventur, quod dicant cæteris historiarum Scriptoribus cum Græcis, tum Latinis haud id esse usitatum; atque se de iis, quorum historiæ leguntur, vere id affirmare possunt, quod tamen nescio an de omnibus possint: quid habent explorati, quod eorum plerique, quorum scripta non exstant, præsertim in Annalibus conficiendis, quod per se sint aridiores, non hujusmodi quadam Procemiorum jucunditate elegantes homines ad legendum allexerint? Hoc quidem meum institutum nonnullorum, qui ætate nostra res gestas literarum monimentis ornatissime prodiderunt auctoritas comprobavit; neque rationem ullam certam video, quæ id refellere possit. Sit oratio nostra plana, non horrida, non inculta, plena spiritus, si potest, plena veritatis; cæterum si vel defessa, vel paulo hilarior ex brevi sua rerum circumscriptione tanquam ex angustiis latiori campo ad non incommodam delectationem evagari interdum velit, eruditi isti, & ad tenue omnia elimantes, quæso ne sese opponant; ne illius crimen (id si crimen est) in Musarum concilium deferant, cum sive id recte fecerim, sive non recte, si cui hæc principia minime arriserint, is inter legendum nullo negotio prætermittere possit.

Quibus autem ineptum videtur hæc Latinis literis persequi, cum nostrati lingua, quæ omni orationis vel copiosæ vel elegantis ornamento abundat, præclare id facere possimus: vere dicam, iis ego quoque libenter assentior, sed tamen Latina oratio veteri sua nobilitate in longinquiores regionum fines excurrit; & iis parendum fuit, qui me ad hanc provinciam vocaverunt.

Quod ad formam orationis attinet, equidem fateor, nullum mihi certum auctorem proposuisse, quem imitarer: sed cum legissem gravissimos olim viros historiam non tam historico, quam oratorio genere conscripsisse, & prope nossem varia esse hominum judicia, nec satis explicari potuisse unquam, quæ dicendi forma maxime excellat: eam scribendi rationem sum secutus, ad quam mea me natura ferebat; atque id quidem interdum non negligenter: majorem tamen partem amare me, aut certe non odisse, vel hoc nomine debebunt posteri, quod hoc tam ingenue fatear, non admodum accurate; vel quod tenuitate valetudinis haud ferre possum laborem, vel quod amici studio delectationis alio me sæpe avocarunt. Illud etiam accedit, & quidem non in postremis, quod nonnulli eorum, qui muneri nostro præsunt, attentissimi scilicet homines, & minime mali, ut ego quidem arbitror, cives me sæpe compellare, urgere, & subaccusare non destiterunt, quod non intra paucos menses opus absolverem; quibus sane admonitoribus factum est, ut sæpe mihi suboffensus fractusque animus in cursu ceciderit, & elanguerit ingenium. Abfuit igitur à me illa scribendi alacritas, quæ facit, ut ex aridis etiam naturis interdum aliquid efflorescat, quod gratum sit, atque jucundum; & sine qua nihil tractari, aut exprimi potest, quod eorum, qui legunt, moveat approbationem. Quod vero plura, id est, res gestas exterorum non sim complexus, facilis ea est, atque expedita defensio; nimirum quod iis ita sit visum, ad quorum judicium atque præscriptum mihi fuit elaborandum, quibus ego non valde repugnavi. Equidem (ut hunc sermonem concludam) ita mecum ipse statuo, quicunque non vel animæ vel gloriæ causa, sponte sua, & ad arbitrium suum scribat, cum in illorum numerum, qui paulo illustriorem laudis obtinent locum, vix vel potius nullo modo posse pervenire. Hæc ego cum à principio minime cogitarem, durum omnino munus suscepi, susceptum abjicere nolui, ne simul etiam abjicerem, quam cæteris rebus omnibus semper anteposui, fidem. Quamobrem hæc paucis ante annis constituta, & ut ita dixerim, infans Respublica infantem scriptorem habebit; hæc eadem præpotentis Dei fulta præsidio adolescet, & corroborabitur quotidie magis; succedent item mihi scriptores, qui grandioris eloquentiæ lumine futuri sint illius splendori & magnitudini pares: quos quidem ego saltem ea re juvero, quod ex meis erratis magnopere cavebunt ipsi ne errent, & incommoda, quæ me torserunt, nostra commemoratione admoniti vel levius ferent, vel majori anteceptæ virtutis robore muniti facile superabunt. Hæc dum præclaris ingeniis, atque huic clarissimæ urbi succrescet gloria, lateque vagabitur, ego interim una unius fidei laude contentus in ea delitescam.

A. C. 1549.

Insequens annus Gasparem Grimaldum Bracellium, leni moderatoque ingenio virum, & cum prudentiæ laude, tum ex nobili familiæ suæ instituto Latinis, liberalique doctrina ornatissimum, Respublica Ducem accepit: atque anni hujus primi sex menses taciti effluxerunt, neque res ulla exstitit, quæ desideret officium meum. Exierat inito Vere more suo cum paratissima classe Andreas Doria, Neapolimque pervenerat: ibi adversa maris tempestas cum ipsius navigationi aliquot dies obstitisset, interea Dracutus insignis Archipirata prope Drepanum navim Canetorum frumento onustam, rebusque omnibus instructissimam expugnat; quam cum nullo prope repugnante esset potitus, rumor tamen Genuam affertur, magnum illi periculosumque certamen fuisse cum iis, qui navim eximia virtute defenderant, gravissimoque triremium suarum accepto detrimento saucium ipsum & fractum non esse per totam æstatem navigaturum. Hæc vulgo credita sunt, quæ vanus scilicet rumor sparserat, nimirum (uti credibile est) callido ipsius latronis commento, quo solutiore animo essent ii, quibus erat feritas ipsius formidolosa, & paulo post, quos designarat, negligentiores factos & nec opinantes opprimeret; id quod illi sane feliciter successit: nam dum Doria toto pene Tyrrheno mari circumvectus summo labore latronem conquirit, & in Siciliam reversus, inde Regem Tuneti, eum cui cæcitatem filii crudelitas attulit, in Africam advehit. Interim Dracutus è latibulis suis tacitus signa movet, & occulta admodum, celerique navigatione usus, pridie Nonas Julii, paulo antequam dilucesceret, Rapallum, quod oppidum Genua abest xx. passuum millibus, cum oppidanorum negligentia & dissensione nulli ad salutem suam excubarent, improviso occupat, totumque funditus diripit. Quam horribilis ibi tum rerum facies, quanta trepidatio, quamque miseranda omnium omnis ætatis, & utriusque sexus, è lectulis suis sine vestimento prosilientium fuga, tacita cogitatione, non sine sensu doloris sibi quisque subjiciet, beatosque populos illos esse dicet, qui ab ejusmodi periculis tuti in Mediterraneis sedes, fortunasque suas collocaverunt. Captivi circiter centum abducti, in quibus etiam fuere aliquot amabili forma virgines.

Sane nolim, in tam lachrymabili atque acerbo casu rerum, quæ risum afferre possint, commemoratione lusisse videri; sed elegantis juvenis haud ignobile factum non est prorsus silentio prætereundum. Is formosissimam virginem misere multos menses amarat, & cum ad moderatum virginis ingenium, quid jam speraret, aut quid consilii caperet, non satis haberet, acerbissimis doloribus, ita uti fit in amoris ardore, conflictatus intabescebat; nec ulla fere nox diem, aut noctem dies sequebatur, quæ mœstas ipsius querelas non audiret. Hoc igitur tantæ tempestatis concussu è somno excitatus, domo relictis parentibus repente exsilit, & ad amatæ puellæ ædes advolat; illamque, cæteris præ-

 senti

ſenti in periculo ſibi ipſis trepide conſulentibus, metu exanimatam è lectulo arripit, & Barbarorum manibus elabens in proximos montes abducit incolumem: ita pulcherrima virgo impetum, quem in miſeros Rapallenſes fortuna convertit, amoris beneficio ſubterfugit.

Paucis poſt diebus intra urbem graviſſimus Joannis Baptiſtæ Furnarii caſus accidit, quem breviter explicabo. Clemens quidam, qui ex Provincia genus ducens, Clavari domicilium habebat, ex eo ſacerdotum ordine, quem Divus Franciſcus inſtituit, dum ex Gallia Genuam ſe reciperet, Cævæ, quod eſt oppidum in Subalpinis, juſſu Ferrandi Gonzagæ captus eſt, quod injecta ſuſpicio erat occulte illum rebus Cæſaris inſidioſum aliquid ſtruere. Is quæſtione adhibita conſilia aperit, quæ inter Regis Galliæ Miniſtros & Joannem Baptiſtam Furnarium ſe interprete agitabantur: ea autem contra hujus Reipublicæ ſtatum ſuſcepta videbantur. Hujus rei Gometius Zuares Cæſaris apud Genuenſes Legatus certior factus, Senatum admonet; pauloque poſt Furnarius in Palatio retentus, & in publicam cuſtodiam traditus eſt. Quod factum magnæ multis admirationi atque etiam dolori fuit. Dolebant enim, quod is vir ſemper habitus fuit plenus amoris, humanitatis, atque officii; porro autem mirabantur, quod, qui in rectione Reipublicæ ampliſſima Ducis dignitate paulo ante perfunctus in Senatorio Procuratorum ordine inſigni cum honore verſaretur, is quicquam attentaſſet, quod eſſet huic Reipublicæ perturbationem ullam, aut periculum, allaturum. Quæſtione habita, cui Procuratores duo, nempe Troilus Negronus, & Stephanus Niger Paſqua præfuere, confitetur ſe per Clementem internuntium pollicitum eſſe Regi ſtudium ſuum, & ſi vel obitu Andreæ Doriæ, vel alio forte caſu civitas in ſeditionem aliquam, tumultumque eſſet deflexa, daturum pro viribus ſuis operam, ut in ejus poteſtatem redigeretur; & quoniam amicos ſibi ad eam rem complures devincere oporteret, eo nomine petitam eſſe pecuniam. Hæc, inquam, fatetur Furnarius; illud tamen conſtantiſſime ſemper aſſeverat, non eam fuiſſe animi ſui ſententiam; verum eam viam eſſe ingreſſum, quod ita ſperabat, quoniam alia ratione nondum potuiſſet, ſe ad pecuniam, quæ ſibi à Rege debebatur, perventurum; nam quod quæſtuariam quandam ſalis rationem Regiis facultatibus augendis accommodatam Franciſco Regi per Benedictum Furnarium commonſtrarat, eamque ipſe Henricus poſtea inſtituerat, diffinitam pactione pecuniam eo ſibi nomine deberi dicebat. Adjuvabat ejus cauſam illa ratio, quod ad facinus exſequendum nihil paratum, nihil conſtitutum habebat, nulluſque facinoris conſcius proferebatur. Contra vero multi, an quicquam Rex Furnario deberet, nec ne, haud ſatis exploratum eſſe dicebant; at illud quidem conſtare, tantum ab eo æris alieni eſſe contractum, (contraxerat autem multis mutuationibus plurimum, quod ad eam diem celatum tum omne repente patuit) ut credibile videretur ad extrema illum omnia deſcenſurum, & quæcunque mens illius fuiſſet, rem ſeverius interpretabantur, & pro Reipublicæ majeſtate graviſſime judicandam cenſebant. Eſt mos inſtitutumque hujus Senatus, ut omnibus in rebus, quæ paulo majores gravioreſque ſunt, judicium ad Jureconſultorum prudentiam referant: quamobrem ad eam rem judicandam tres externi delecti Juriſperiti. Ii cauſa cognita ſtatuerunt, uti Furnarius amiſſo & Senatoris & civis nomine, quoad ei vita ſuppeteret, eſſet in exſilio, & Antuerpia à Senatu unus ei circumſcriptus eſt habitandi locus; atque hoc quidem judicium quamquam pro varia Senatorum voluntate non mediocri ſermonis controverſia exagitatum, tamen retentum eſt. Judices vero dixerant, minime ſibi dubium videri, quin tanti criminis reus eſſet morte mulctandus; & propterea nonnulla viſa eſt ſubeſſe ſuſpicio labefactatæ ſententiæ. De dignitatis gradu, in quo locati fuerant, amoti, ex urbe excedere juſſi ſunt. Furnarius autem anno jam exeunte, fide prius amicorum civium interpoſita de præſcripto ſibi loco non exceſſurum, cum jam terris nox tenebras induceret, uno duntaxat comite in exſilium profectus eſt.

Ad v. Idus Novembris Paulus III. Pontifex Maximus, idemque, ſi filii cædem excipias, maxime omnium fortunatus, lectis (uti creditum eſt) Octavii nepotis ſui literis, in quibus neſcio quid, quod ad urbem Parmam pertinebat, non ad ipſius ſenſum & voluntatem liberius ſcriptum erat, vehementiori perturbatione commotus, in febrim ſubito incidit, & ex ea diem ſuum obiit.

A.C. 1550. Initio conſequentis anni ex Mauritania Molimanſorus Valeſii Gamoræque Rex Genuam venit: ipſius adventus ea cauſa fuit; quod cum ejus Regnum Seriphus occupaſſet, ad Cæſarem in Germaniam proficiſcebatur auxilium ab eo imploraturus: nam Seriphus hic, (hoc autem nomine ii appellantur, qui ſunt ex Maumethi genere orti) cum adverſus majorem natu fratrem bellum ſuſcepiſſet, eo devicto multo magis ad Imperii gloriam animo accenſus, ſive virtute, ſive dolo, vel potius utriſque, brevi ex humili literarum otio (nam ludimagiſter fuit) in eam magnitudinem pervenit, ut in magna Africæ parte, quæ ad Hiſpaniam ſpectat, & ad fretum Herculeum, Oceanumque vergit, latiſſime dominetur, magiſque in dies novum ſemper finitimis bellum inferendo progrediatur.

Per idemque fere tempus Rex Algerii, qui ab eodem ſibi periculo metuebat, Henrico Gallorum Regi ornatiſſimam legationem miſit: eam quinquaginta electi milites comitabantur, qui mira lacertorum, pedumque virtute, & vaſta corporum proceritate Maſſilienſibus, & Carolo Muſæ Urbinati, amiciſſimo ſodali meo, qui eos ibi vidit, admirationi fuerunt. Pontificia Romana Sedes VII. Nonas Februarii Julium III. Pont. Max. accepit, qui ita inſignia atque illuſtria beneficentiæ ſigna dedit, eamque altitudinem, excellentiamque virtutum exſtruxit animo, ut ſi principiis progreſſus, exituſque conſentiant, quemadmodum cætera ſidera exortus Sol, ſic hujus ſplendor ampliſſimus multorum Pontificum, Regumque laudes ſit obſcuraturus. Ad eum quatuor Legati miſſi, Chriſtophorus Grimaldus Roſcius, Troilus Negronus; ex Senatorio Procuratorum ordine Vincentius Saulius, & Vincentius Pallavicinus, qui Senatus totiuſque civitatis nomine ſummum hunc illi honorem gratulentur, & obedientiam & qualeſcunque ſunt hujus Reipublicæ opes ex perpetuo Majorum ſuorum inſtituto libentiſſimis animis polliceantur & deferant.

F I N I S.

HIERONYMI DE MARINIS,

PATRITII GENVENSIS,

GENVA,

SIVE

DOMINII, GVBERNATIONIS, POTENTIAE, DIGNITATIS,

SERENISSIMAE

REIPVBL. GENVENSIS,

COMPENDIARIA DESCRIPTIO.

IMMACVLATAE

VIRGINI DEIPARAE DOMINAE.

BENEDICTA tu, Sanctissima Virgo, ac Domina, quæ nunquam amovisti misericordiam tuam à nobis. Ut enim taceam de aliis perennibus, maximisque beneficiis; Misericordiæ tuæ, Domina, quia non fuimus à pestilentia bis, terque consumpti. Etenim exitialis morbus, anno vigesimo octavo supra millesimum quingentesimum, nos crudeliter vexasse minime contentus, post annos ferme quinquaginta nos rursus afflixit. Ad te confugit Respublica supplex, ac tuæ Immaculatæ Conceptioni Ædem sacram, solennesque publicas supplicationes vovit: confestim morbus abscessit. Post simile integri Jubilæi spatium omnes ditiones conterminas eadem pestis sæviter depascitur; imo multifariam in fines nostros irrumpit, nec procul ab Urbe. Respublica, vota olim nuncupata repetens, cum tota fere ditione servatur illæsa. Jam vero impium fuisset, vel stolidum, bona nostra non intelligere, tantæque dignationi tuæ pari spe non respondere. Ideo paulo post Respublica Te, VIRGINEM MATREM, elegit in Dominam, imaginem tuam in Ara augustiori, quasi in sublimi arce locavit, atque ad sanctissimos pedes tuos provoluta, humiliter adoravit. Anne frustra? Haud ita multo post, pestilentia illam non jam depascente, sed fere penitus devorante, Tu, Immaculata VIRGO, publico Templi voto, atque pia supplicatione exorata, illam ab excidio liberasti: & ni præpotens dextera tua laborantem cum maxime Ligusticam navem, quasi sacra anchora, tenuisset, illa, suismet impacta cautibus, & illisa, post ipsum Oceanum triumphatum, in proprio sinu suo passura fuit miserrimum à sicca tempestate naufragium. Hæc omnia aliquando intentius contemplanti mihi, visum est, non modo rationi consentaneum, sed debitum justitiæ, Tibi, Intaminatæ Virgini, palam incolumitatis publicæ beneficium acceptum referre, & brevem Genuensis Reipublicæ descriptionem, quasi votivam tabellam, ad tuos pedes deferre. Tu, Potentissima, dominaris potestati maris, Tu terris omnibus moderaris, Tu nimborum ac tempestatum humanarum quarumcumque potens es, Tu tenes sceptra Cælorum, Tu Omnipotentis voce tonas, ad quam vocem cælestes spiritus omnes, Virtutes, Potestatesque conveniunt, Tu denique subditis tuis Deum placas, atque concilias. Tu ergo eosdem subditos ad leges tuas omnino compone: Tu nos non nobis serva, sed tibi; imo nobis, quia tibi: & posthac discant, qui Regna capiunt, nedum servire DEO regnare esse; sed Tibi, DEI Genitrici, servire, longe melius esse, ac magnificentius, quam regnare. Salve Regina, & nos, ut verbis Ignatii martyris, ad te scribentis utar, *Ex te, & per te, & in te confortemur.* Utinam à te idem, quod Ignatius, responsum accipiamus, scilicet, *Exsultet Spiritus vester in Deo salutari vestro.*

APPROBATIO.

EGO *infrascriptus de mandato Reverendiss. P. Mag. Michaelis Pii Passi de Boscho Inquisitoris Generalis in toto Dominio Sereniss. Reipublicæ Genuensis accurate perlegi librum hunc de eadem Republica, & ut nihil deprehendi fidei, vel bonis moribus absonum, ita nihil occurrit non dignum laudibus Lectoris, nedum labore Typographi: suspiciens, vel suspicans Taciti stylum, tacenda non censui Auctoris Encomia. Per illum Romam, Genuam per istum, solum Fortuna minorem, parvo excrevisse papyro conclusi. Claudo hic tamen, ne dum aliena excudenda revideo, videar intrudere mea. Datum in Conventu S. Dominici Genuæ die 5. Januarii* 1666.

Fr. Seraphinus Pizzinardus Lector Primarius
Theologiæ ibidem, ac S. Officii Consultor.

Imprimatur
FR. MICHAEL PIVS PASSVS
Inquisitor Gen. Genuæ.

1665. 23. *Decembris.*
Impr. Ex auctoritate Excellentissimi, & Illustriss.
Magistr. Inquisit. Status.

JO. FRANCISCVS CASTAGNOLA
Cancell.

HIE-

HIERONYMI DE MARINIS,

PATRICII GENUENSIS,

GENUA,

SIVE

REIPUBL. GENUENSIS

COMPENDIARIA DESCRIPTIO.

Cum de Genuensi Republica multi multa scripserint, inter quæ aliqua non bene tornata deprehenduntur; operæ pretium me facturum existimavi, si aliqua ad notitiam aptiora, quasi in brevi tabula, potius delineabo, quam scripsero. Urbis Genuæ primordia, resque gestas priorum seculorum, quas vetustatis caligo contexit, vix attingam: etenim nimiæ esset confidentiæ, Scriptorem, senio propemodum confectum, dies potius antiquos nullo fructu rimari, quam cogitare annos æternos; & inter curas publicas graves, mordacesque privatas, nubes, atque inania captare non vacat. Per securam Annalium semitam usque ad Majorum nostrorum decimi circiter seculi magna nomina, & priscæ virtutis exempla imaginesque pertingam. Recentiora vero, & ea, quæ proximis hisce septuaginta annis, vel oculis nostris vidimus, vel perspeximus, vel manus nostræ contrectaverunt, quorumque pars aliqua fui, incorrupta fide, sine ira, at non sine studio, memorabo. Studium enim in Patriam, sed æque in veritatem, adeo non diffiteor, ut etiam aperte profitear.

Ad rem igitur accedens, quadripartito scriptionem hanc dividendam censui.

Primo agam, De Genuensium Dominio.
Secundo, De Gubernatione.
Tertio, De Potentia.
Quarto, De Dignitate.

Cap. I.

DE GENUENSIS REIPUBLICAE DOMINIO.

Sectio I.

De Urbe Genua.

I. Dominium Genuense Liguria, & Corsica, cui adhæret Capraria, parva Insula, censetur: Liguria, ejusque ducentorum ferme milliarium tractus, ab Ortu Solis Macra, ab Occasu Varo amnibus, notissimis finibus, terminatur. Septentrionale dorsum in colles Pedemontanæ, & Montisferratensis Regionis, atque in plana Mediolanensis, & Parmensis Dominii fere desinit. Facies vero Meridionalis Ligustico mari alluitur, & Corsicam spectat, illamque cum ipso mari, Orientali ora, & Occidentali, (quas hodie vocant *Riviere di Genoua*) quasi brachiis, & gremio fovet, atque complectitur. Littoralis hic tractus à Finariensi Marchionatu, & à Valle Unceliensi, illo quidem Hispanicæ, hac Sabaudicæ ditionibus intercisus, Sarzanensis urbis agro, qui est ultra Macram fluvium, atque oppidorum Novi, & Ovadæ territoriis, quæ ultra Apenninum sita sunt, large suppletur. In medio fere hujus continentis jacet Genua Urbs, imo, verius dicetur, assurgit: quippe, ad altos montes adscendens, ipsorum jugo continuæ novem milliarium munitionis jugum imposuit: & quæ olim montibus subdita fuit, atque aperta mari, modo mœnibus mare, montesque coercet: adeoque duabus pilis, immanibus molibus, seu potius montibus, in mare demissis, ab amplissimo portu manufacto Austrinas, Africanasque tempestates prorsus exturbat.

II. Urbis habitatores, ante nuperam pestilentiam, quæ contigit anno 1657. centenorum millium numerum implebant: dimidium morbus exitialis absumpsit. Gliscente mox multitudine, utpote cæli salubritate fœcundante, & loci opportunitate invitante, septennii spatio ad septuaginta millia excrevit, & augetur in dies.

III. Duplici mœnium gyro vallatur. Interior muri firmissimi, atque dispositis apte propugnaculis interstincti, quinque milliarium spatium amplectitur; exterior novem. Inter utrumque villæ, domusque innumeræ, ad excipiendam multitudinem quantumvis grandem, quæ ingruente bello ad Urbem confugeret, vel consulto, ad ejusdem Urbis tutelam induceretur. Exteriora mœnia, non muris exstructis, sed subrutis potius rupibus constant, montibusque præruptis. Sulphureo enim pulvere, opera haud facili, indito cautibus, & incenso, saxa volant ingentia: mox, malleis ferreis, & scalpro, reliqua rupes formatur in murum. Huic validissimæ munitioni obducta est fossa, cavato saxeo solo, atque adeo cuniculis & hostilibus accessibus impervia, ut etiam impervium exterius, interiusque pomœrium. Hæc, aliaque, singulari industria provisa, Urbem præclaram statuunt, adversus quoscumque hostium conatus, tota Europa personante, securam: adeo, ut maximi Monarchæ tantæ Urbis imaginem habere voluerint, quo eximium artis cum natura amice conjurantis opus, non modo animo, sed & oculis obversaretur: quodque admirationem augere potest, immensa opera in triennale missa compendium fuit: sicuti triennalis etiam fuit paulo post nuperæ pilæ constructio: stupentibus advenis, nautis præcipue, tantam triennio in mari natam peninsulam, maria clausa, montes, urbemque quinquaginta circiter Regalium (ut vocant) propugnaculorum corona circumdatam; & tantum non sidera sublimi vertice ferientem, certe nubibus altiorem.

IV. Intra Urbem opera publica & privata visuntur valde magnifica: Templa præcipue, quæ pauca alia cujusvis urbis sibi præferri vix patiuntur. Templum Metropolitanum, in media Urbe situm, & multa ante secula ædificatum, ac ideo nec vastitate, nec recentiore architectura insigne, pluribus aliis cedit ornatu; sed sanctissimi Præcursoris cineribus sibi creditis, excellit omnia. Ibi, in sacello præclaro, asservantur decentissime sacra pignora: vere salutis pignora; nam, centies repetito miraculo, solo adspectu, maris tumentes fluctus, tempestatesque compescunt.

V. Omnes Religiosæ familiæ certatim suas sacras

ædes, domosque excitaverunt; plerasque magnificentia spectabiles; omnes privatorum pietate, opibusque. Cæteris præstantiores habentur ædes Annunciationis Beatæ Virginis à Lomellinis, sancti Syri à pluribus nobilibus familiis, Jesu Christi Domini nostri à Pallavicinis exstructæ: sed inter omnes micat Collegiata titulo sanctæ Mariæ ab una Sauliorum familia à fundamentis erecta, splendideque dotata.

VI. Reliqua autem publica opera, & ipsa grandia: Palatium, nondum tamen absolutum, Navale, Aquæductus, Horrea. Exsiccata magna antiqui portus portio, atque contractum mare, in ipso salo fundatis productioribus Urbis mœnibus, injectisque ruderibus, ad duplicem usum. Magna etenim pars data publicis furnis, structuræ magnificentia, non necessitati tantum, sed ornatui Urbis inservientibus: majorem vero partem sibi vendicant plura promptuaria, magnificentioris adhuc operis, mercibus quibuscumque mercatorum recipiendis, usquedum venundentur, vel exportentur. Sed omnium maximum domus, necdum perfecta, sed miræ jam magnitudinis ac pulcritudinis, ad excipiendos, alendos, pietate atque opificio instituendos quoscumque utriusque sexus, & cujuscumque ætatis egenos, ab officio Pauperum, (de quo Magistratu suo loco dicendum erit) nuper piis eleemosynis fundata in ima valle, & jam colles supergressa: dubium major, an utilior.

VII. Privatæ domus, similes principalibus, permultæ, & intra veterem contractiorem Urbem, maxime ad duas vias novam, ac novissimam, & intra Urbem recentiorem, atque laxiorem, & longe plures in suburbiis, ac suburbanis: ibi amœnissimæ valles in littora desinentes, lætos colles, ac fluviorum Bisamnis, seu Feritoris, & Porciferæ limpidas aquas excipiunt; quorum ille orientale Urbis latus præterfluit, hic aliquantulum ab occidentali recedit. Ab hisce vallibus, littoribus, collibusque (præcipue ad littus, & suburbanum, cui Sancto Petro de Arena, & in colle, cui Albario sunt nomina) attollunt sese quamplurimæ amplæ, adspectuque ipso jucundissimæ domus privatorum, quæ quidem, si possent in unum coire, utique Urbem quacumque alia pulcriorem, magnificentioremque conflarent.

VIII. Ibidem domibus conjunctæ villæ, hortique, omnibus naturæ & artis deliciis affluentes, ac omnis generis arboribus consiti: maxime malis aureis, citris, limoniisque, quæ arbores, parietibus domorum, & villarum maceriis prætentæ, in domos ædificari, & saxa ipsa fœcundare videntur: certe parietes faciunt viridantes, discolores, ac versicolores, pendentibus varii temporis fructibus, & albentibus floribus, qui, rosis, apiariis (Italice *Gelsomini*) hyacinthisque conjuncti, numerosa, imo potius mista, gratissimaque suavitate odorum, atque vario & lætissimo prospectu, nedum sensus, sed animos suo modo nutriunt, recreantque.

IX. Porro suburbiis, absque interstitio suburbana junguntur, quæ viatoribus imponunt vel moleste, vel jucunde. Venientes enim, longam agitationem pertæsi vel maris, vel jumentorum, ad suburbani remotioris ingressionem, cito nimis Urbem se putant ingressos, falluntur que: abeuntes vero, se vix ab Urbe digressos existimantes, longe jam se abesse, & multum processisse cognoscunt. Suburbana autem, ad Orientem septimo ab Urbe lapide, Nervo, humili vico, ad Occidentem, decimo lapide ab eadem, Vulturo oppido terminantur. Sed, antequam Vulturum, offert se Pelium (vulgo *Pegi*) pagus nautarum populo plenus, atque insignibus Nobilium ædibus, prædiisque apprime ornatus, quo ægroti, & ex morbis convalescere incipientes, ac valetudinarii, potissimum per hyemem, quasi ad sanitatis asylum, præ aeris temperie, ac loci amœnitate confugiunt.

X. Aliud simile perfugium, atque à frigore fortasse tutius, præbet vicus, quem modo diximus, Nervum, qui piscatorum, agrestiumque casis, nonnullas etiam per adjacentes colles, ac littora, nobiles ædes adjungit. Hic tractus duo passuum millia non excedens, perpetui Veris est sedes; ideoque fortasse Nervum sortitus est nomen, quasi Vernum, facili corruptela. Ibi parum est rigente bruma prata virescere, vernare sata: parum etiam ab eodem aureæ mali ramo pendere simul qua flores, qua fructus, parum florido calyce dehiscente vix apparentes, partim grandiusculos, sed virentes, alios virentes simul, & croceos, adhuc tamen acerbos, alios demum maturos, aureosque & nedum oculos delectantes, sed etiam gustum sollicitantes: etenim hæc omnia communia sunt universæ fere Provinciæ, ejusmodi arborum nemoribus affluenti: at unum Nervum reperias perpetuo ac multiplici brumali flore odoratum, & maxime rosis. Sed, & hoc parum; nam ibi præmittit hyems cinaras, seu carduos altiles (Italis *carciofi*) pisa, fraga, quæ alibi adulto tantum Vere promuntur, nisi solito molliore ac placidiore forte hyeme; quod Liguriæ haud raro contingit. Flores hi verni, rosæ, fructusque præcoces, exilis fortasse redditus videantur, quasi paucorum deliciis tantum, vel prægnantium appetitibus indulgentes: sed contra est; nam cinaræ, rosæque ad multas per Italiam urbes transportantur, ideoque & Genuæ haud vili pretio emuntur per hyemem: pisa vero, & fraga, mensis delicatioribus reservata, certe parvo non parantur.

XI. Denique ora maritima utrinque circa Urbem ad passuum viginti quinque millia perpetuis ædificiis, plerisque nobili structura conspicuis, est referta: ita ut, mari ad Urbem accedentibus exteris, vix credibile sit, illa omnia Urbem unam esse, & non esse.

SECTIO II.

De Ora Maritima Occidentali.

I. His dictis de Urbe, ac Suburbiis, & Suburbanis, tendendum est dextrorsum ad oram, seu Provinciam occidentalem; ubi primum occurrit, quod diximus, Vulturum, frequens divitibus mercatoribus oppidum, atque vulgo nautarum, quod, assidua, etiam ultra fretum Gaditanum, navigatione, magnas quæsivit opes, & optimo earumdem usu, Templum, quod vel Romæ spectari mereretur, brevi temporis spatio privatorum ære construxit. Mox aditur oppidum Arenzanum, quod, paucis abhinc annis infra mediocritatem, modo in tantum excrevit, ut navibus onerariis grandioribus ultra quinquaginta Mediterraneum, Oceanumque percurrat. Inde, eumdem cursum occidentalem tenentibus, post Cogoletum vicum occurrit Vorago oppidum non ignobile atque valetudinariis hyemalibus mensibus apricum, placidumque littus expandens.

II. Mox, post pagos Cellas, & Arbisolam, quæ optimo vino laudatur, obvia fit Savona, Urbs vetus (de qua Livius *lib.* XXVIII. in fine) civium nobilitate, ac divitiis præstans; sed duorum Maximorum Pontificum Sixti IV. & Julii II. natalibus multo præstantior: mœnibus, cæterisque munitionibus, & arcibus, ad excipiendos & repellendos hostiles impetus abunde munita, stationemque habens triremibus aliisque minoribus navigiis satis commodam, & quinto ab Urbe lapide portum Vadorum (antiquis Vada Sabatia) cuicumque majorum navigiorum classi sufficientem: nobilitata vero est cum maxime ab Apparitione Sanctissimæ Dei Genitricis quar-

quarto ab Urbe milliario, ubi, in ejusdem honorem, & Dei cultum, sacra ædes, tota circumquaque Provincia, & adjacentibus regionibus, inclyta, cum ampla domo, quamplurimis pauperibus alendis, & peregrinis excipiendis, erecta est, & apprime ornata, splendideque habita. Juxta Urbem multa privatorum prædia, ædesque conspicuæ, ac potissimum in suburbiis Lavaniola, & Legio; ubi etiam villæ multæ, nedum ad delicias, sed & ad proventus, redditusque non exiguos cultæ: territorium enim æque amœnum, ac ferax, præcipue vini optimi.

III. Succedit Naulum civitas, vel plurimarum turrium privatarum certissimo indicio, quondam potens, nunc vero Episcopalis quidem Sedis decus retinens; sed raro habitatore: stationem præbet quibuscumque navigiis tutam. Sequuntur Petra oppidum, & pagi Burghetum, ac Ceriale. Exin Albinga, Veteribus Album Ingaunum, urbs magni olim nominis: modo autem cœlo parum salubri, ad paucos habitatores redacta: etenim nobiles familiæ plerumque in suburbanis degunt, vel feudis suis, ubertate etiam glebæ alliciente, & generosa vina ministrante. Postea Alassium oppidum, amplitudine multis civitatibus præferendum, quod Promontorio Meiræ, (à Meira fluvio præterlabente nomen sortito) multum in mare extento, fidam stationem navigiis indulget, abundatque oppidanis ornatissimis, ac divitibus, mercaturam, & mare colentibus; necnon nautis, per Mediterranei littora, scopulosve coralium expiscantibus, cui rei maxime incumbunt habitatores Aquiliæ pagi Alassio contermini. Mox Andoria inter colles vitibus virentes, & Cervum castellum propter littus assurgunt. Proximum est Dianum, oppidum insigne, præclaris olim facinoribus, pluribusque nobilibus familiis, & agro olei optimi feracissimo, nec suavissimo vino carente, aliisque fructibus omnibus. Postea erectum caput ostentat Portus Mauritius, in colle secus mare, oppidum itidem nobile, frequens, dives, & Episcopali tiara dignum. Exinde Tabia paululum à mari refugit, atque ex colle sese demittit in Vallem, nobile pariter oppidum, quod sanctæ Ecclesiæ dedit quamplures viros doctrina præstantes, & multos infulis ornatos: vino vero, quod muscatum vocant, Cypriis, Creticis, Falernisque fortasse anteferendo, celebris.

IV. Sequitur sancti Romuli oppidum, in vicem antiquæ Matutianæ, quondam à Saracenis eversæ. Numerantur in illo ad quindecim, & ultra, hominum millia: vulgo victum, primoribus vitæ commoda suppeditantibus, præter communes terræ fructus, malis aureis, citris, atque limoniis, maris beneficio, ac jumentorum dorso in Transalpinæ Galliæ, atque Germaniæ regiones, imo ad usque magnæ Britanniæ, Daniæ, Norvegiæ, Sueciæ, Poloniæque Regna transmissis. Hæ arbores septem vallibus continentur, quæ vere appellari possunt Paradisus malorum aurearum, quarum fragrantia per aera, perque pelagus ad multa milliaria longe lateque diffunditur. Palmarum quoque ferax est sancti Romuli ager, quas circumjectæ Provinciæ omnino nesciunt; atque ipsi Romani Pontifices illas ad sacras majoris hebdomadæ ceremonias aliunde non habent: præmonstrante fortasse ipsa rerum natura, sanctam Dei Ecclesiam ab Liguria multum palmarum nobiliorum & habuisse, & sperare posse. Tandem Liguriam ab occasu solis claudit Vintimillium, Sedes Episcopalis, habitatores habens paucos, sed divites agri fœcunditate: civitas quondam ingens; Guittæ sancti Antonii matris patria, atque (ut tradit Paulus Britius Episcopus Albensis, in libro de *Progressibus Occidentalis Ecclesiæ* pag. undecima supra centesimam) ejusdem Cœnobitarum Patriarchæ, ibi in lucem editi, nobilitata cunabulis.

SECTIO III.

De Ora maritima Orientali, & Mediterraneis.

I. MODO Genuam redeundum: inde tendentibus in Orientem, obvii fiunt (post ea, quæ diximus, suburbia, ac suburbana, Nervumque) pagi Buliascum, & Saulum: mox Rechum; exin Camulium, unde Promontorium, quod Caput montis appellant, excurrens in mare, ab sinistro latere Portum Delphinum abscondit ab Africo, & ab omni tempestate tutatur. Mox Rapalli sinus aperitur, navigiis grandibus satis tuta statio; pluribus ad mare vicis, & collibus fructiferis pulcher: præcipue pago sanctæ Margaritæ, qui sancto Romulo magnitudine tantum cedit, ac palmis: aurea mala producit meliora. Rapallum vero vicus est insignis, mercatoribus, nautisque frequens. Ibi jus dicitur multis hominum millibus, convenientibus ex frugifera admodum valle, & agro satis amplo, vel fructibus pleno, vel gregibus. Inde, post quinque passuum millia, Clavarum suum littus extendit, oppidum celeberrimum, ac pulcherrimum, sacrarum ædium magnificentia, pluribusque nobilibus familiis clarum, amœno, fertilique, & vina laudatissima largiente agro, eoque (ut in Provincia non ampla) latifundia continente. Proximus Clavaro est (Lavania fluvio tantum intercedente) Lavania vicus, nupera pulcherrimi templi constructione spectabilis, Lavaniæque Comitatus multarum nobilium familiarum merito decantatus origine. Sequitur Segestum, oppidum peropportune situm, amplis prædiis, & fœcundo territorio, maxime vini, mensis nobilioribus reservandi; habitatore multo, utpote terræ, mari, ac mercaturæ operam dante. Ibi plerumque vitam degit Brugnati, Mediterraneæ civitatis, Episcopus, maritima montanis, hybernumque Solem nivibus vernis anteferens. Mox Monelia, ac Framula pagi, & Levantum, oppidum dives, & quinque Castella vocabulo Mons ruber, Vernatia, Cornelia, Manarola, Rivus major. Hæc Castella in maris, præruptorumque montium sunt locata confinio: &, quando ager omnino deerat, nec aderat Thaumaturgus, quo montes jubente recederent, industrii habitatores, per ardua scopulorum enisi, & manibus, quasi per murales scalas, magis quam pedibus procedentes, vitesque ipsis cautibus inserentes, vinum, antonomastice appellatum *Amabile*, de saxo durissimo expresserunt; unde quinque terrarum ignota alioqui nomina, nec agnoscenda, ad omnes per Europam regiones delata sunt.

II. De rupibus descendentes ad mare, Spedia oppidum in sinum suum, nos apertis ulnis excipiet. Sinus hic, Palmariæ insulæ objectu ab Austro aliqua ex parte tutus, & Africo, Portus Lunæ à Veteribus appellatus est: sed, quod maxime securitatis interest, aliquibus promontoriis procedens, totidemque recedens littoribus, plures efficit portus optimos: quorum, qui primus occurrit, commune cum imminenti oppido, atque arce, nomen à Venere nactus est, licet à templo vetusto sancti Venerii, vere sit dicendus: forsitan ob totius sinus, ac positus pulchritudinem, quæ in ipso loci vestibulo, Veneris nomine, quasi omnis venustatis titulo, inscribenda esset: sive Urbi, quondam Lunæ vocabulo cohonestatæ, Veneris portum, oppidumque, insita vulgo levitate, & inter proximos æmulatione, è regione opponere voluerunt. Spedia, quæ alii Species, insigne omnino multis nominibus oppidum, facie in Meridiem obversa, integram Solis periodum dimetitur: dextero sui sinus latere, seu brachio, ejusdem Solis orientis radios venientes excipit; lævo deponit abeuntes. Utrique brachio non desunt manus armatæ: siquidem dexterum definit in Portum Veneris, seminarium

nautarum, sociorum navalium, naviumque gubernatorum, per quos expedit classes, quasi missilia; sed munitissima sanctæ Mariæ arce, in peninsula sita, cominus vel pugnat, vel terret. Sinistrum vero, scuto Ilicis oppidi, & arcis, turrisve grandioris, pendentibusque ex ea mille clypeis fortium oppidanorum, numerosique ac bellacis populi, regionem protegit, ac tuetur. Porro elementa omnia sinus hujus bono conspirant. Aer benignus, ac purus; Terra late sternitur in planities, leniter assurgit in colles, molliter curvatur in valles: ubique optimorum omnis generis fructuum, & frumenti, vini, oleique ferax: Mare piscibus abundans, & insigni, perpetuoque naturæ miraculo nobile; quippe aquæ dulcis fons è mediis salsis undis erumpit, adeo copiosus, ut repellere valeat accedentia parva navigia: docente ipso auctore naturæ Deo, homines posse, & inter mortalis vitæ fluctus, animi tranquillitatem, atque inditi ab ipso Deo spiritus dulcedinem conservare. Ad naturæ dona accedit civilis dignitas, pluriumque nobilitas familiarum. Tandem Urbs Sergiana, vulgo Sarzana, vetustæ ac nobilissimæ quondam Urbi Lunæ substituta, Genuense Dominium nobiliter complet. Fulget Episcopatu præcipuo, civibus, familiisque nobilibus, territorii amœnitate, ac fœcunditate; sed omnium maxime sancto Eutychiano, Christi Martyre, atque Nicolao V. egregiis Romanis Pontificibus genitis, est celebranda.

Hæc de Liguribus secus mare habitantibus.

III. Interiora constant multis oppidis, pagisque innumeris, multo habitatore frequentibus; Triora, Ceriana, Zuccarello, Plebe Teicii, Toirano, Saxello, Ovada, Novis, Gavio cum arce munitissima, Vultabio, Montobio, Roccataliata, Varisio, Castilione, Carro, Burghetto, Godano, Vectiano, Trebiano, Arcola, Corvaria, Amelia, Hortonovo, Castronovo, Nicola, Bolano, aliisque.

In universum tota Liguria frumenti parum, at vini, oleique optimi, & fructiferarum arborum large fœcunda: sed sulcorum terræ sterilitatem supplet maritima natio sulcando mari, cujus experta est elationes vere mirabiles.

SECTIO IV.
De Regno Corsicæ.

I. MODO transmittamus mare, & in Corsicam navigemus, quæ est tertio loco ponenda inter Tyrrheni maris insulas, centesimo milliario à Genua dissita. Excurrit à Septentrione in Meridiem milliaria centum quinquaginta. Circuitus ejus quadringentorum. Centum viginti, & ultra, hominum millibus habitatur, & longe pluribus habitaretur, nisi gens ferocior armorum tractandorum magis, quam terræ vomere, aut ligone versandæ tangeretur amore. Sex Episcopatus habet, Marianensem, Accensem, qui in unum coaluerunt, Aleriensem, Ajaciensem, Nebiensem, Saguntinum. Habet plura oppida, multos pagos; olim multis urbibus celebris fuit, Plinio teste, aliisque.

II. Tellus varia. Quæ spectat Italiam, non parum fert frumenti; reliqua referta vitibus, oleis, ficubus, castaneis, amygdalis, moris alendis bombycibus, unde sericum optimum, tandemque nemoribus pulcherrimis, arbores ad omnem humanum usum, & feras ad venatorum satietatem alentibus. Vino multo abundat, eoque laudato. Mare alluitur piscosissimo. Terræ viscera ferri fodinis affluunt: naturæ cum ipso Corsicæ nomine in unum conspirantis præjudicio. Corsi enim corde sunt ferreo, adeoque ad sicam, armaque prono. Campi vero, montesque innumeris gregibus, caprarum præcipue, equorumque, atque apum examinibus abundant, & lacte ac melle manant: apte etiam ad Corsorum ingenium, qui sub lingua, cum lacte, & melle, habent aculeum, adeoque foro nati sunt: bello autem fortissimi, quippe qui cum Romana Republica plura bella gesserunt, acieque justis exercitibus dimicarunt; præcipue anno 577. ab Urbe condita cum Prætore Cajo Cicerejo, qui in pugna ædem vovit Junoni monetæ, & vicit, cæsis Corsorum quinque millibus: ita Livius *lib.* XLII. circa initium. Insuper scatet Corsica aquis medicis, curandis morbis.

III. Duas habet arces munitissimas, Bonifacium scilicet, Genuensem coloniam, cum portu insigni, & Calvium, pariter cum optimo portu.

Habet etiam alios portus duos; alterum ad Ajacium urbem, ubi sinus grandis, atque ager pulcher & fœcundus; alterum, & quidem pulcherrimum, in parte interiore (ut vocant) quæ vergit in Orientem, vocabulo Portus vetus.

Hæc pro nostri operis ratione de Dominio Genuensi, quoad dimensionem terrarum, & habitatorum frequentiam, atque de hominum, terræque ingenio dicta sufficiant.

SECTIO V.
De Mari Ligustico.

I. VERUM, quia Genuenses suum Dominium Liguriæ, Corsicæque littoribus negant includi; aliquid de Mari Ligustico, quod sibi adsciscunt, attexendum est. Illud ergo Genuensium virtute per maria omnia diffusum fuisse opportune demonstrabitur. Nunc de ejus tantum natura, Dominioque pauca subdemus. Longitudo ejus Liguriæ littorali æqualis: Latitudo ab Liguria in omnia Corsicæ littora extenditur. Procellosum est ab Austro Africo: à Borea etiam nonnihil periculosum, si navigiorum gubernatores clavum tenentes, subitos è montium faucibus erumpentes ventos minus prompte declinent. Apud plerosque diffamatum est ex piscium penuria: sed si habitatorum, quos alit, numerus computetur, omni caret sterilitatis infamia: quin potius à fœcunditate celebrandum, cum ab Liguria multum piscium ad mediterraneas regiones universæ Cisalpinæ Galliæ jugiter transferatur.

II. Dominium Ligustici Maris Genuensibus fere omnes, certe omnes sive Juris, sive historiarum scriptores attribuunt: quod quidem magno illis constitit, exturbatis ab eo, & jactatis, exactisque æquore toto Saracenis. De hoc Dominio Maris Ligustici videndus omnino Petrus Baptista Burgus.

CAP. II.
DE REIPUBL. GENUENSIS GUBERNATIONE.

SECTIO I.
De Magistratibus, atque Conciliis.

I. TRADITIS iis, quæ de Reipublicæ Dominio tradenda erant, transeundum est ad ejusdem Reipublicæ Gubernationem.

Summa, omnisque potestas est penes Patritiorum familias, quæ, præter absentes, & vigesimum secundum ætatis annum nondum transgressos, modo septingentorum numerum non excedunt. Huic ordini aliquando aliqui pro temporum opportunitate adscribuntur.

Hi omnes Majus Concilium constituunt.

Quotannis ex hoc numero ducenti, majores annis viginti septem, seliguntur, qui Minus Concilium appellantur.

II. Ambobus Conciliis præsunt duo Collegia; Alte-

Alterum duodecim Senatorum, una cum Duce, qui est totius Reipublicæ caput; alterum octo Procuratorum, quibus additi, qui Ducali dignitate perfuncti sunt, atque, quoad in humanis agunt, & ipsi Procuratoria dignitate censentur, parem, vel circiter, Senatui numerum explent. Dux ergo cum ambobus hisce Collegiis, Januario mense appetente, minus Concilium cogunt, ad hoc, ut per illud eligantur triginta (ut lex loquitur) optimi Cives, coram iisdem Collegiis, sed suffragium non ferentibus; qui triginta viri postridie ex toto Majori Concilio eligunt Minus ducentumvirale Concilium in sequentem annum. Hi triginta viri biduo, vel triduo, munus expediunt, & Kalendis Januariis succedit novum annuale Concilium Minus, quod tamen plerumque constat ex iisdem civibus, ex quibus constabat Concilium anni præteriti, paucis mutatis, vel per obitum, vel per absentiam, vel ob aliquam justam causam, seu impedimentum.

III. Duo vero Collegia, præter eos, qui Ducalem dignitatem tenuerunt, sorte extrahuntur ex urna, in quam centum viginti virorum selectorum nomina conjiciuntur hoc pacto.

Cogitur quolibet Junii mensis initio Minus Concilium, ut suppleatur numerus virorum Centum viginti: scilicet in locum demortuorum, & eorum, qui proxime ex urna extracti fuere, qui saltem sunt decem numero: etenim bis in anno educuntur quinque ad biennale munus Senatoris, vel Procuratoris, & tres prius educti Senatoris, reliqui duo Procuratoris munere funguntur.

Diximus saltem decem quotannis extrahi; quia non raro accidit, ut extra ordinem sit supplendus numerus Senatorum, vel Procuratorum, nempe eorum aliquo vita functo, vel ad Ducale fastigium assumpto, vel utcumque impedito: præterquam quod ex toto Centum viginti virorum numero plures in anno vita excedunt, eorumque etiam loco alii sunt substituendi, ut dictum est.

Cogitur ergo mense Junio Minus Concilium coram Collegiis. Unusquisque de Concilio prodit nomen illius civis, saltem quadragenarii, quem dignitati Senatoriæ, & Procuratoriæ parem esse putat. Mox idem Concilium, ter ad summum latis suffragiis super unoquoque nominatorum, seu candidatorum, ex illis seponit numerum duplo majorem eo numero, qui deest ad numerum Centum viginti. Hic demum numerus, duplo major, Concilio Majori proponitur, & ex illo eliguntur tot, quot desunt ad supplendum numerum Centum viginti virorum, qui dicitur Seminarium.

IV. Ducis vero electio hujusmodi est. Duce, biennio exacto, ad propria reverso, congregatur majus Concilium: numerantur Consiliarii, qui intersunt, & totidem globuli ponuntur in urna cooperta, ex quibus quinquaginta deaurati, reliqui deargentati, cætera omnino similes. Unusquisque ex Consiliariis (nemo autem ex duobus Collegiis, quæ in Ducis electione habent jus ferendi suffragii, non autem nominandi) sua manu, cæco delectu, capit globulum suum. Sortiti deauratum numero quinquaginta, secedunt in conclave, & quisque, clam sociis, scribit nomen illius, quem ad Ducatum evehendum censet, modo non sit minor quinquagenario. Editis nominibus, si forte nominati numerum vigesimum non attingant, à quinquaginta nominatoribus scrutinium repetitur. Stato ergo numero saltem viginti candidatorum, itur in suffragium cujuslibet eorum, & quindecim ex eis, qui plura suffragia faventia retulerunt, postera die deferuntur ad minus Concilium, cujus suffragiis quindecim viri rediguntur ad sex, qui tandem ad Majus Concilium denuo referuntur, atque ille, qui plura suffragia retulit, Dux renuntiatur.

V. Prosequamur modo quænam sint horum in Republica partes.

Dux cum duobus ex Senatu expediunt quædam levia; vel, si gravia, incontinenti, quæ postea Senatui, vel Collegiis approbanda proponuntur.

Dux cum Senatoribus Principem refert, & fungitur auctoritate Supremi Rectoris, ita ut possit cuncta peragere, præter ea, quorum potestas ei per leges adempta est. Civiles controversias omnes dirimere potest, vel aliis dirimendas mandare; testamenta, omnesque contractus potest infringere, & demum præcipere, regere, & gubernare.

Res vero, quæ ad statum Reipublicæ pertinent, administrat una cum Collegio Procuratorum, de quo supra diximus; quod quidem Procuratorum Collegium procurat Ærarium, & publica bona, atque alia nonnulla, ei à legibus demandata.

Res autem publicæ graviores, neque à duobus simul Collegiis expediri possunt, nisi adhibito minori Concilio. Quin imo ad multa necessaria est etiam auctoritas Concilii Majoris.

Utriusque Concilii comitiis semper intersunt quinque Legum Conservatores, quorum munus est curare, ne quid contra Leges fiat.

VI. Præter duos majores Magistratus, seu duo Collegia, & duo Concilia, seu Conciones, sunt in Republica quamplures Magistratus singulis functionibus accommodati. Præcipue septem viri, Status Inquisitores appellati, qui, quasi è specula, publica pericula cuncta prospiciunt. Alii, numero sex, curant ea, quæ quovis modo spectant ad bellum. Alii quinque curant Annonam. Totidem alii triremes. Totidem naves publicas bellicas, purgando à piratis mari. Totidem mœnia, pilas, portum, aquæductus, vias, opifices. Totidem procurant esculenta, & poculenta quæcumque, pondera, mensuras. Alia demum tribunalia, aliis functionibus erecta. Delictis puniendis, litibusque dirimendis, adhibentur Jurisperiti exteri. Si vero res exigat, in criminalibus extra ordinem per utrumque Concilium publicæ utilitati consulitur, & sæpe Suprema potestas duobus Collegiis in aliqua re gravi conceditur.

VII. Ne autem quis metas attributæ sibi per Leges potestatis excedat, inductus est, præter Legum Conservatores, quos diximus, quinque virorum Magistratus, ad cujuscumque aliqua publica auctoritate fungentis censuram, Supremorum Syndicatorum appellatione: cujus est vigilare, ne Dux, neque alius quivis Magistratus, vel aliquis ex Magistratu quocumque, & ne quis, etiam infimi ordinis minister, publica auctoritate abutatur, neve quid contra Leges vel fiat, vel omittatur. Quod, si aliquid hujusmodi admissum fuerit, animadvertere potest pro culpæ gravitate, & vel capite damnare. Si tamen quis reus fiat constante Ducali, sive Senatoria, sive Procuratoria dignitate, nequeunt Supremi Syndicatores in illum ferre sententiam: sed rem ad minus Concilium deferunt, cujus est, absentibus ambobus Collegiis, & ipsis Supremis Syndicatoribus referentibus, ac Præsidentibus, causam cognoscere, absolvendo, vel condemnando. At si quis finito Ducali, vel Senatorio, vel Procuratorio munere, vel quivis alius, à Supremis Syndicatoribus vel capite damnetur, vel notetur infamia, potest ad Minus Concilium provocare.

VIII. Aliud, & illud insigne, Tribunal in Republica est, Protectores domus Sancti Georgii. Quando ærarium publicum maximis & continentibus bellis per tot retro sæcula exhaustum est; sæpenumero oportuit mutuari pecunias, ideoque publicos redditus oppignerare, & multa vectigalia in solutum creditoribus dare, per ipsosmet creditores exigenda. Utque eorumdem indemnitati consuleretur,

retur, facta est iisdem à Republica potestas ex se ipsis quadringentorum Concilium eligendi, & Magistratum eorum, quos diximus, octo Protectorum, aliosque minores Magistratus constituendi, quorum muneris est, nedum oppigneratorum vectigalium exactio, sed cuicumque creditori, pro modo crediti, justa solutio, & quarumcumque civilium controversiarum de hujusmodi rebus, & earum occasione, cujuscumque etiam capitalis criminis, juxta Reipublicæ Leges, absque provocatione cognitio, judiciumque. Huic Universitati multa à Republica privilegia concessa sunt; adeoque religiose custodita, ut non defuerint, qui in una Civitate duas putaverint Respublicas constitutas, quod utique falsum est. Quantum potestatis huic Universitati à Republica datum est; tantumdem eidem apud omnes, etiam exteros, conciliatum est dignitatis, ac fidei. Siquidem nulla unquam Reipublicæ, vel ultima calamitate, vel mutatione etiam, factum est, ut creditoribus non sit satisfactum; adeo ut, hostibus etiam ingruentibus, in suprema pecuniæ necessitate, nunquam Respublica immensam auri, argentique summam, tuto illi asylo creditam, vel respexerit; locupletissimi vero hujus rei testes fuerunt plures perduellionis rei, damnatique, quibus, eorumque hæredibus, satisfactum fuit semper æque ac civibus optime meritis. Hinc evenit, ut non solum in illo ærario elicitæ è vectigalibus pecuniæ asserventur; sed ut in illud summa grandis privatorum, etiam exterorum, pecuniæ undequaque confluxerit, confluatque. Hæc de Magistratibus Urbanis.

IX. At Liguria omnis per Gubernatores, Prætoresve annua tantum potestate præditos, administratur. Corsicæ vero Magistratus omnes biennales. Unus Regni Gubernator cum gladii potestate, etiam in omnes, qui ei subsunt, Judices. Gubernator autem pendet à duobus Collegiis, quæ per Magistratum quinque virorum res Corsicas administrant.

Demum omnes, quos diximus vel Urbani, vel per totum Dominium Magistratus, eliguntur, vel per sola Collegia, vel adhibito tantum Minori Concilio, vel etiam Majori Concilio convocato.

X. Leges habet Respublica peculiares, easque pro recta rerum administratione, temporumve opportunitate, quandoque vel mutat, vel corrigit, vel tollit omnino: sed hæc fiunt tantummodo duobus Collegiis ad utrumque Concilium referentibus, & iisdem Conciliis probantibus. At novæ Leges, quæ antiquas non tollant, vel corrigant, constitui possunt ab iisdem Collegiis, Minori tantum Concilio adhibito.

SECTIO II.

De piis Operibus Publicis.

I. OPTIME constitutæ Reipublicæ ea, quæ hucusque retulimus, sufficere posse videantur: sed nonnulla subdenda sunt, quæ non sine maxima injuria præterirentur.

Genuenses, quam Christi Domini nostri fidem ab ipsorum Apostolorum ævo avidissime hauserunt, nunquam dimiserunt, imo armis, & proprio, hostilique sanguine asseruerunt; eximiæ etiam erga Deum pietati copulaverunt. Ideo anno humanæ salutis 1637. non docente humana prudentia, nec suo bifronte Jano innuente, qui & præterita respicere videtur, & ventura prospicere; sed Deo auctore, divinum libertatis beneficium, Dei Genitricis intercessioni acceptum præcipue referendum, & cum maxima cautela tenendum esse intentius intuentes; Sanctissimam Dei Genitricem Mariam, uti peculiarem Reginam, sacris ejus pedibus provoluti, salutaverunt. Piam vero, tantamque Reginam, ejus ad exemplum, quantum humanitus licet, pietatis officiis æquum erat omnino demereri. Hoc præstiterunt semper, præstantque pro viribus Genuenses. Siquidem pia Opera, dudum antea in sua Urbe instituta, semper novis in dies incrementis amplificant.

II. Dudum ergo instituerunt Officium Pauperum, ut vocant, ad omnium pauperum confugium, atque subsidium. Huic Officio inserviunt Octo-viri, quorum munus est mendicos omnes de triviis, templisque tollere, & in unum cogere, alere, vestire, iisque de vitæ necessariis providere, eos ad pietatem erudire, ad aliquod opificium instituere, senes, infirmos, ac debiles, etiam otiosos, nutrire. Hujus fama publicæ beneficentiæ, nedum ab universa Reipublicæ ditione, sed ab finitimis omnibus quoscumque vagos, atque inertes invitat: unde fit, ut manipulatim hujusmodi homines, cum conjugibus, ac liberis, in Urbem irruant, nemine prohibente. Iidem vias, plateas, templa, privatas domos infestant. Multi capiuntur, & ad pias Ædes ægre ducuntur, placet enim magis licentia, quam disciplina, quando utroque modo victus paratur. Tanto operi, jamdudum (ut supra innuimus) instituto, nunc amplissima domus, cum proprio templo, in honorem Immaculatæ Virginis Conceptionis, exstruitur, quæ licet non adhuc perfecta, tamen intuentibus maximæ admirationi est, & prope diem fontibus, nemore, ac viridariis erit introspicientibus jucundissima: modo servet opus, quod jam pervenit ultra dimidium.

Ejusdem Officii curæ, ac sollicitudini, reliqua Urbana turba est commendata, ne quis egenus, sed mendicare erubescens, domi, vel misere vivat, vel pereat. Adeunt ergo id genus homines Octo-viros, pauperum Protectores, docentque de sua egestate; qui Protectores qualibet die Dominica iis distribuunt tantum panis, atque pecuniæ, quantum sufficere possit ad illam familiam sustentandam, habita ratione uniuscujusque natalium, atque ad sibimet, suisque subveniendum industriæ, vel impotentiæ. Tanta, & perpetua erogatio unice pendet à liberalitate, imo pietate privatorum, qui vel olim huic rei annuis redditibus prospexerunt, vel, sive inter vivos, sive ex causa mortis, modo prospiciunt. Hic idem Magistratus est Judex ordinarius causarum civilium eorum omnium, quibus subvenit; quæ res loco maximi beneficii habetur; ita enim inopum lites & citius, & absque dispendio, & sine strepitu, & figura judicii, solaque facti veritate inspecta, finiuntur. Demum iidem Protectores procurant bona immobilia, Jura, Actionesque ad tantum opus pertinentes.

Officium hoc pauperum magnum est (haud dubie) pietatis opus; sed non unicum, quippe secundo loco addendum est aliud, quod dicitur

III. Officium Misericordiæ; quod constat ex quatuor Viris, qui, una cum Archiepiscopo, curant, ne ultimæ piæ voluntates effectu careant, coguntque renitentes ad eas adimplendas; & distribuunt inter pauperes multa pia relicta, sibi credita, ad præscriptum testatorum: quod quidem plurimum confert pauperibus sustentandis: quandoquidem, per nobiles & pias matronas, ætate provectas, & viduas, uniuscujusque auxilio indigentis, domum invisunt, eique nihil necessarium deesse sinunt, multo quotannis ære erogato.

Nec solæ nobiles matronæ, mulieres Misericordiæ appellatæ, funguntur hoc pietatis officio; sed instituta est antiquitus societas, valde pia, virorum honestæ conditionis, & spectatæ virtutis, qui, viri Misericordiæ, & boni testimonii, grandes eleemosynas colligunt, easque inter occultos pauperes distribuunt, urbem scrutantes in lucernis.

IV. Tertio loco succedit Nosocomium, recipiendis cujuscumque generis & nationis ægrotis. Opus hoc

hoc creditum est duodecim viris, (Protectores appellant) qui aliqua simul omnes, sed plura, partita inter sese triennali cura, quaterni administrant, & causas omnes quovis modo ad se pertinentes, cognoscunt. Domus ampla, & usque ad delicias ornata, fontibus scilicet, hortisque languentium animis recreandis. Ad mille, & quandoque longe ultra, recipit utriusque sexus morbis laborantes.

Ex Protectoribus aliquis quotidie omnes visitat, pluresque Medicos adhibet, nec cuilibet, vel maximo, sumptui parcitur, ut nihil ægrotorum desit nedum necessitati, sed luxui.

Hæc domus ab piorum liberalitate magnos redditus possidet, & copiosas jugiter eleemosynas colligit.

V. Quarto loco ponemus aliam domum, seu aliud Nosocomium Incurabilium, ut ajunt, de qua eadem fere dicenda, quæ ultimo loco dicta sunt.

VI. Quinto loco Officium Redemptionis captivorum, qui passim quantovis pretio redimuntur: in tantum abutentibus infidelibus Genuensium charitate, ut sextuplum petant, habeantque pro Genuensibus, eo quod exigunt pro aliis omnium fere nationum captivis. Huic operi, facile omnium piissimo, proprius Magistratus institutus est.

VII. Sexto loco Magistratus Montis pietatis, opus notissimum, quod Genuæ omnibus large subvenit.

VIII. Septimo loco Sancti Josephi Virginum puellarum domus, quæ omnibus per Urbem infirmis petentibus, gratis Medicos, medicamina optima, ac fomenta ministrant; magnum quidem subsidium iis pauperibus, qui publicam infirmorum domum adire erubescunt, nec domi suæ sese valent curare.

IX. Carceribus mancipati, licet ex delicto, habent Protectores suos, qui, & pro eis agunt apud Judices, & iis alendis necessaria suppeditant.

X. Postremo Mortuis curandis, ac sepeliendis, & eorumdem animabus ad æternam requiem, Dei benignitate, promovendis, & eorum familiis aliquo subsidio juvandis, infinitæ propemodum Societates institutæ sunt, quarum omnium impensa summam pecuniæ efficit vix credibilem.

XI. Tot, tantisque publicis Piis operibus, quæ omnibus, subdenda sunt alia, quæ non omnibus subveniunt, sed multis, nempe

Domus duæ mulierum ab impudicitia ad bonam frugem conversarum.

Domus quinque Virginum pauperum, quæ docentur suis sibi manibus victum quærere, usque dum nuptum dentur.

Domus pauperum puerorum Orphanorum.

Domus alia puerorum, qui per vias dispersi, alioqui sine tecto agunt, omni humano auxilio destituti, qui & suis sibi manibus consulere discunt.

Domus alia senum indigentium.

Turba autem infantium expositorum ultra mille, quam Nosocomium, seu infirmorum domus alit, quoadusque alicui opificio sint apti.

Demum omnium Sacrorum Ordinum Regulares innumeri, quibus vere nihil deest.

Sacerdotum secularium magnus numerus, qui de altari vivunt, deque multitudine Capellaniarum (ut vocant) perpetuarum.

Templorum nedum nitor, sed sacra omnis generis, argenteaque supellex, nulli magnarum Urbium cessura.

XII. Tandem, quando Templa ingressi sumus, de statu etiam, atque Gubernatione Ecclesiastica pauca enarremus.

Genuensis Archiepiscopus jam inde à multis sæculis multorum est Episcoporum Metropolita. Una cum Officio Misericordiæ, ut supra dictum est, magnam pecuniæ summam inter pauperes quotannis distribuit. Ejus vero redditus, olim uberes, modo, præ rerum humanarum vicissitudine, ii sunt, qui mensam frugalem potius exhibeant, exigantque, quam lautam: & tamen qui illum totis triginta annis tenuit Stephanus Cardinalis Duratius, de proprio lauto patrimonio sanctam Genuensem Ecclesiam super duas petras firmissimas stabilivit, Seminario scilicet Clericorum, & Missionariorum Sacerdotum Collegio magnifice ædificatis, adeoque sibimet beata mansione in domo Domini præparata. In Clericorum convictu, ad construendam Ecclesiasticam molem, disciplinæ, ac scientiæ salubri scalpro, juvenes, sacris initiati, vel initiandi, poliuntur. In Sacerdotum vero Collegio degunt viri, vitæ sanctimonia, atque infatigabili opera salutem animarum procurantes.

XIII. Reliqui per Genuense Dominium Episcopatus varii redditus sunt. In Liguria Sarzanensis, Albiganensis, Savonensis, ac Vintimilliensis, saltem modici, Brugnatensis, ac Naulensis tenues. In Corsica Aleriensis, Ajaciensis, ac Marianensis copiosi, ni pensionibus exhaurirentur. Nebiensis, & Saguntinus inopes; sed quod deest redditibus, frugalitate suppletur, quæ in urbibus sordida, extra illas utcumque toleratur.

Corsicæ vero Episcoporum laboribus sublevandis, & Christi fidelibus in vastis Diœcesibus instruendis egregius nostri seculi vir, ac Senator, Joannes Hieronymus de Bene, suo privato ære, fundavit in Genua Urbe sub Senatus auctoritate Collegium Clericorum, qui Societatis Jesu disciplina, probitate, & doctrina armati, & Sacerdotes ordinati, Apostolicum opus exsequuntur: exemplo Summorum Pontificum, qui Romæ Collegia hujusmodi Græcis, Anglis, Hibernis, ac Maronitis instituerunt. Sed quis opera illa huic, de quo loquimur, composuerit? Romanis Pontificibus dictum est, *Pasce oves meas:* eorum est potentia, eorum est Regnum, ut tanto muneri pares esse possint. Ecclesiæ thesauri in id ipsum collati sunt. Græci, Angli, Hiberni, ac Maronitæ, nisi Roma subveniatur, panem petunt, & non est qui frangat eis. At Corsis non deerant nec Præsules, nec Curiones, nec Sacerdotes, nec cujuscumque ordinis Regulares: sed Joannis Hieronymi (vere Justi, atque Italice vere *Dabbene*) privatæ Heroicæ pietati, ac liberalitati, non satisfacit mensura bona: exagitatam exigit, ac superfluentem, ideoque ultro, de suo, Corsis, non panem, quo affluebant, sed volatilia pennata ministrando suscepit. Merito

Dicite Justo, quoniam bene.

De Gubernatione Reipublicæ satis. Sequitur tractatus de Potentia.

Cap. III.
DE GENVENSIS REIPVBLICAE POTENTIA.

Sectio I.
De Potentia ab effectibus.

I. Anno 1625. præter exspectationem, maximi in Rempublicam belli pondus incubuit. Illa raptim mercede conduxit peditum decem millia, & aliquot equites, pro locorum ingenio sufficientes. Ad hoc quatuor millia Civium armavit, & alia quatuor millia ex delectu utriusque oræ maritimæ, qui delectus haud minorem sexaginta armatorum millium summam conficit. Pars copiarum ad angustias Apennini, vigesimo ab Urbe milliario, consedit; pars alia tutandæ occidentali Provinciæ missa. Illa ad Vultabium, in montium faucibus, ac modica planitie, cum hostibus manus conseruit, &, prælio victa, bello vicit. Nam hostis, ex cruenta admodum victoria, Genuensium animos, viresque percipiens, ad Urbem procedendum non esse decrevit: & Feriæ Duce, Mediolanensi Gubernatore cum valido exercitu

citu appropinquante, aliquot oppida, pagosque cepisse contentus, receptui cecinit, & occidentalem Provinciam petiit, eoque tractu, qui ab Albingana Vintimillium usque pertingit, potitus est. Interim Respublica, mari potior, Uneliæ, & Marri oppida cum fœcundis admodum Vallibus, hostilemque prætoriam triremem intercepit, mox Gavium, octingentis peditibus firmatum, ac reliqua mediterranea oppida, suarum tantum copiarum parte adhibita, recuperavit. Exinde, Hispanis auxiliis accedentibus, ab universa Occidentali ora, ditioneque, hostes exegit, & plura oppida hostilia occupavit.

II. Hæc præstitisse utique magnæ potentiæ fuit. Bello vixdum finito, triennii spatio, quam diximus, Pilam construxit, Regis opus, ut ait ille, idque cautioni potius, quam necessitati: alia enim simili Pila ante plura secula navigiorum securitati prospectum erat.

Sæpe his proximis annis duodecim triremes instructissimas habuit, & aliquando, additis multis, iisque validis grandioribus bellicis navibus, classem haud contemnendam adornavit, quæ magnum Mediterranei tractum navigavit, idque citra belli necessitatem, imo pestilentia imminente: adeoque si forte bellum ingrueret, non est dubitandum Liguriam universam maximis classibus suffecturam, quando unum oppidum Arenzanum, usque ad hanc fere diem nullius nominis, modo quinquaginta onerariis navibus grandioribus ad maria omnia usquequaque transcurrit, ut supra dictum est suo loco.

III. Sed magnum potentiæ, maximum sapientiæ documentum fuit novorum Mœnium constructio triennalis, eoque triennio, quo bellum magis desierat, quam pax cœperat, & altera manu arma, altera cæmenta & lapides tractabantur, & ab insidiis conspirationum cavendum, & perduelles capite plectendi fuerunt.

Quo facto Genuenses maximam constantiæ, atque in Patriam pietatis laudem meruerunt: quandoquidem, hoste pluribus primariæ Nobilitatis per bellum captis, præsentem mortem intentante, si in perduelles animadverteretur; ad Concilium relata re, ad unum omnes, etiamque ii, quorum fratres vita periclitabantur, rebelles capite plectendos esse censuerunt. Quo animi robore, & punita rebellio, & optimi cives servati, hoste ab incœpto ultro desistente.

IV. Documentum diximus magnum non potentiæ solum, sed sapientiæ. Siquidem, tanta munitione ad loci ingenium adjecta, factum est, Genuam amicorum auxilio diu posse, amicos vero Genuæ opportunitatibus carere vix posse: & super omnem utilitatem est, urgente bello, defensionem paratam in mœnibus, manibusque habere: utque potentiorum auxilia in magno pretio habenda, ita ab iis non pendere tutum est, atque magnificum.

Cæterum cum Genuensis Respublica Cælorum Reginæ dediderit sese, impletum est omne consilium, & quodvis periculum abactum, si illa, pro sua pietate, respiciat in faciem Christi sui, atque in opportunitatibus exsistat adjutrix.

Sed & Speculator adstat desuper in colle, sito in media Urbe, in templo Divi Bartholomæi, Imago scilicet Christi Domini, non manufacta, sed in Sudario, admoto Divino vultui manu ipsius Salvatoris impressa, atque ejusdem jussu ad Abgarum, Edessæ Regem, perlata; quæ olim, Genuensium quæsita victoriis, Genuæ multa bona & præstitit, & promisit: de qua videnda sunt, quæ tradit Baron. anno 31. num. 22. & 23. & Augustinus Calcagninus in libro, Genuæ anno 1639. typis dato, *de Imagine Edessena.*

SECTIO II.

De Potentia à causis.

I. CAUSAS autem Genuensium Potentiæ recensere non abs re fuerit. Cujuscumque Nationis potentia pendet præcipue ab hominum multitudine: hæc vero in unam regionem convenit, vel ab agri ubertate, vel ab loci positu, & opportunitate, cum cæli salubritate conjuncta. Agri ubertate caret omnino Liguria fere omnis, ac frumento importato indiget non pauco. Verum ob id ipsum à finitimis regionibus, ab maritima Etruriæ, ab Sicilia, ab Apulia, ab Africa, à Gallia, ab usque Gedano, aliisque ad mare Balticum emporiis confluunt Genuam ad satietatem frumenta: ita ut illa sæpe aliis urbibus sit pro horreo, cum nedum Liguriam, sed alias Italiæ Provincias, quandoque sterilitate insolita laborantes, alat, nutriatque. Ergo cæli salubritas, positusque opportunitas, Genuæ pro ubertate est: & si accipit à finitimis frumenta, iisdem non raro suas copias abunde refundit. Hinc est, quod, emporii beneficio, multos alit mercatores, aliunde accipientes fruges, atque omnis generis merces, easque vel vendentes, vel alio transmittentes, ac dum ibi manent, curantes, quæ omnia undique habitatores accersunt, quorum gliscente multitudine, gliscunt & vectigalia, atque impletur ærarium: & usu compertum est, majores urbes sua incrementa debere magis positus opportunitati, quam glebæ. Imo ipsa natura deficiens, cogente necessitate, industriam excitat, acuitque, & quod intra naturæ confinia vix poterat esse modicum, si natura negat, facit industria maximum. Exempla suppeterent ubique terrarum hæc fusius prosequentibus.

II. Eadem positus opportunitas alius generis potentiam gignit, quandocumque contingit arma tractare, vel saltem eorum inter finitimos fragorem exaudire. Suppetiæ enim facillime in amplissimi portus sinum ab mari aperto accipiuntur, & contra ab hostibus difficulter intercipiuntur. Si vero bellum geratur inter finitimos, contingit à Republica multa flagitari per bellum gerentes: per Rempublicam autem concedi, negari, permitti, impediri, quæ victoriam vel dent, vel adimant. Est autem maxima pars potentiæ juvare posse, atque nocere.

Rursus maxime confert ad potentiam, potentiorum injuriis non patere.

III. De Urbis Genuæ securitate actum est satis, & aliquid etiam dictum de Savona, de Gavio, de Arce sanctæ Mariæ, de Bonifacio, & de Calvio; quæ omnes munitiones expugnatu difficillimæ habentur, nec carent propugnatoribus; nam Liguria & Corsica centum ferme millia hominum armis apta habent. Ligures vero (ut ait ille) malo assueti, ac ob id ipsum multo magis Corsi, locorum difficultatibus adjuti, & munitionibus tecti, sese, suaque tutari valent. Certe bello anni 1625. nulla harum, quas modo retulimus, munitionum, in potestatem hostium pervenit, excepta Gavii arce, quæ tunc erat antiqui operis, & post bellum ad perfectæ militaris architecturæ præscriptum munita est.

IV. Aliqua etiam Potentiæ pars est nautarum, gubernatorum, aliorumque, navium, & triremium ductorum, ac fabrorum, nedum copiam habere, sed posse de iisdem aliis inopiam facere, eos ad Patriæ defensionem vocando. Silvas cæduas classibus parandis habet in Corsica, & nonnullas etiam in continenti. Ærarii vero difficultates (communem Principibus omnibus querelam) Respublica Genuensis superare potest, ut quisquam alius; quod vel ex ipsorum ejus actorum inspectione, satis apparet. Quippe, sex annorum (ut

(ut diximus) spatio Mœnia, Pilam, mirabiliter exstruxit; Savonam, Gavium munivit egregie; & hæc omnia vix gravissimo anni 1625. bello perfuncta. Quæ vero potuit se munire in posterum; munita jam, minori dispendio semper se tuebitur in re præsenti, & ei dispendio promptum habebit ærarium: Divina enim providentia, quæ illi ministravit (liceat ita loqui) semen ad suam futuram securitatem in terra, atque in mari seminandam, & fructus ad eamdem sustentandam præstabit. De providentia loquimur, non de omnipotentia, cujus etiam opera speranda essent, quando tot thesauros in agro feracissimo, hoc est, in sinu pauperum, Genuensis Respublica indesinenter abscondit.

V. De providentia Dei benignissima loquimur, cujus instinctu duo firmissima huic rei (ærario scilicet) fundamenta jacta sunt: alterum est inconcussa fides: alterum vero pars non exigua earum portionum in iis vectigalibus, quæ, ut diximus, olim pecunias suas Reipublicæ credentibus in solutum data sunt; quæ portiones (loca sancti Georgii dictæ) vel ab ipsa Republica sepositæ, vel à privatorum multorum studio in Rempublicam collatæ sunt, ad ipsa vectigalia redimenda; ac interim ex eorum annuo fructu, quem nemo capit, alia ejusdem generis loca, seu portiones emuntur, quæ, si appareat aliqua necessitas, paratos habent emptores, vel ad multorum veterum testatorum voluntates implendas, vel ad suas pecunias exili etiam fœnore ei debitori credendas, cujus fides numquam defecit: adeoque hinc fit, ut exiguo redditu confestim parari possit magna sors, in publicas necessitates eroganda; utque ex hoc uno fonte, ab quacumque injustitiæ fæce, limoque purissimo (nempe aqua sponte sua, sicut pluvia in vellus, sine ullo querelarum fragore descendente) ad nutum modo hauriri possint aureorum ad tricies centena millia, quod vel Regibus non sine labore contingit: & hoc peculium in dies crescit, ac multiplicatur.

CAP. IV.

DE REIPUBL. GENVENSIS DIGNITATE.

SECTIO I.

De Origine Reipublicæ Genuensis.

I. VLTIMO loco de Genuensis Reipublicæ Dignitate dicendum: quæ quidem, ut ex Dominio, Gubernatione, & Potentia quasi elementis conflatur; ita ex multis quasi perfectis mistis augetur.

Primum omnium Origo, Vetustas; mox res gestæ, virtus civilis, & bellica, magnificentia, honos Reipublicæ habitus à magnis Regibus, privatorum divitiæ, conjugia, potentia apud exteros, & si qua alia.

Originem Urbis Genuæ triplicem intuemur.

Primam scimus, ac nescimus. Nescimus; quia illi antiquitatis est obducta caligo, ac multa de Jano fundatore, aliisque vetustioribus, ab aliis tradita, missa facimus, neque asserentes, neque confutantes. Scimus etiam; nam, tradente Livio in principio *libri trigesimi*, Spurio Lucretio Prætori prorogatum imperium, ut Genuam, oppidum maritimum à Magone dirutum, exædificaret; certum est, Romanos, atque adeo quoscumque ante illos Italiæ Dominos, absque damno Genua carere non potuisse. Quippe, dum Annibal Romæ cervicibus imminebat, inter tot curas, tantaque dispendia, dum Punicis pluribus exercitibus plures exercitus opponendi erant, Romani Dux exercitus alieno utique tempore mutabatur in Architectum, nisi tanti fuisset Genuam statim intra annum in integrum restituere. Si ergo Genua adeo necessaria erat, oportuit & multo ante ædificari, semperque ab omnibus in Italia, atque in proximis regionibus dominantibus, magnifieri: cui rei etiam fidem adstruit multarum consensus ætatum, quæ Genuam Januam dixerunt; per illam enim petentibus Italiam, Italiaque excedentibus, quasi via militari, ingressio, & egressio est commodior, atque communior. Testante ergo Livio de præclara, ac Romanæ rei necessaria, secunda Origine, prima etiam necessaria, vetus, ac nobilis ejus Origo ratione urgente convincitur: prima quidem ante quorumcumque certorum Annalium memoriam: altera secundo bello Punico, adeoque ultra secula duodeviginti circiter.

II. Quanta vero illa tunc fuerit, etiam aliunde suaderi potest. Scribit idem Livius *libro* XXVIII. in fine, Magonem, juventute lecta in classem imposita, in Italiam triginta rostratis navibus, & multis onerariis, duodecim millia peditum, duo ferme equitum trajecisse, Genuamque, nullis præsidiis maritimam oram tutantibus, repentino adventu cepisse: quæ verba implicant triplicem excusationem Urbis captæ, nempe valido hoste, ex inopinato, & Senatu in unum Annibalem converso, non sine tacita querela de incuria, vel de impotentia oræ maritimæ tutandæ. Rursus à Magone, Annibalis fratre, dirutam, sonat quid haud exile; non enim tanti fuisset, in oppidum qualecumque sævire, facili Romanorum damno. Ab hac secunda Origine quæ fuerint Urbis Genuæ partes usque ad tertiam, quæ contigit seculo humanæ salutis decimo, libet paucis inquirere.

III. Certum est ex eodem Livio, Ligures Romanæ Reipublicæ, in summa ejusdem fortuna (domita nempe Carthagine, Africa, Græcia, Asia) triginta circiter annis negotium facessisse, Pisas quadraginta armatorum millibus oppugnasse, à Minucio Consule vix servatas; fere semper cum ambobus Consulibus bellum gessisse, cum maximi nominis Ducibus signa contulisse, eos in castris obsedisse, & tantum non furcarum Caudinarum (ut loquitur Livius *libro* XXXV. anno 558. ab Urbe condita) exempla renovasse. Demum populum Romanum, Orbis jam tum domitorem, sæpe in ea pericula adduxisse, ut Romæ trepidatum sit, supplicationesque decretæ, & quamplures ædes Romanorum numinibus dedicatæ ex votis pro publica salute susceptis. Neque hæc semper omne Ligurum nomen præstitisse; sed aliquando partem tantum aliquam, neque magnam, aliquando solos Ligures Ingaunos, aliquando alios, sed plerumque Apenninum incolentes, locorum angustia favente. Hæc Livius ab anno 545. ad annum 574. circiter ab Urbe condita.

Inter hæc nusquam apparet Genua, quam ab Romanis constantissime adversus Pœnos stantem legimus, adversus vero Romanos, cum suæ gentis populis arma sociantem, non legimus. Merito quidem; nam pro exædificatione gratia referenda erat.

IV. In alto cæteroqui rerum Genuensium silentio, aliud agentes, incidimus in *Historiam Pistoriensem*, Romæ anno 1656. typis excusam, auctore Michaele Angelo Salvi: qui tradit anno 569. ab Roma condita, id est, paulo post secundum bellum Punicum, annis vero 186. ante Christi Domini nostri adventum, quosdam Ligures inter suos primarios, variis casibus jactatos, & plerosque exsules, ad urbem Pistorium confugisse, ibique, certis conditionibus receptos, sedes fixisse, opesque comparasse: exin magnam pecuniæ vim Genuam, Ligurum caput, misisse ad exsilium redimen-

mendum. Mox, Pistorium reversos, numero & opibus auctos, evicisse, ut Pistorienses sibi onus imponerent solvendi quotannis Urbi Genuæ auri libras centum. Hoc uno, altero ve anno impleverunt: sed postea, facti pœnitentes, nedum tributum pendere renuerunt; sed tantum non Genuenses incolas omnes (fortasse graves nimis ac superbius agentes experti) urbe excedere coegerunt. Genuenses, re cognita, per legatum frustra officii admonitos Pistorienses, mox armis domuerunt. Sed, Genuensium exercitu vix ab capta urbe digresso, Pistorienses, Fesulanis adnitentibus, Genuenses incolas omnino exegerunt, jugumque excusserunt. Hoc unum, ultro, casuque oblatum, retulimus, aliorum incuriosi: nec enim juvat vetera quæque nationum facta diligentius perscrutari.

V. Cæterum Genuæ quies usque ad Cæsares, & sub Cæsaribus, atque sub Italiæ Regibus Odoacre, Erulo, Theodorico, & successoribus Ostrogotis, ac rursus sub Græcis Imperatoribus, & Exarchis.

Tandem, ingruentibus Longobardis, Genua Italicæ nobilitati tutum diu præbuit asylum, atque confugium; præcipue Mediolanensibus, eorumque Archiepiscopis, qui totis septuaginta annis Genuæ substiterunt; atque hinc maximum Genuensis res incrementum accepit; quod dudum antea ortum habuerat, quando Attila, Hunnorum Rex, Aquilejam, Mediolanum, Ticinum, aliasque Italiæ urbes expugnavit, & diruit, multis Italis Apenninum, ac mare pro muro ac fossa inundationi tantarum copiarum opponere satagentibus. Sed Longobardi tandem, universa Italia subacta, ibique Romani Imperii nomine fere deleto, sub Rege Rotari, suæ nationis septimo, anno salutis 670. Genuam etiam expugnaverunt, & diripuerunt.

VI. Adeo in duobus populis, æmulis olim futuris, variante fortuna, Genuensibus scilicet, de quibus modo scribimus, Venetisque, ut ambobus eadem fuerit causa, vel originis, vel incrementi: sed Genuensibus ad cladem, Venetis ad victoriam. Siquidem Barbarorum in Romanum Imperium irruptio, maximeque in Italiam, duorum, vel trium seculorum spatio, juncos, arundinesque piscatorias Venetæ paludis firmavit in jacula: hinc humiles piscatorum casæ, nobiliore habitatore ab circumjecto continente allecto, in tantum extulerunt sese, ut Veneti, sua virtute armati, aquarumque reciprocantium (novi generis munitione) tecti, maximis Regibus obniti, eosque ab urbe sua arcere potuerint: Genuenses vero, à quibus, utpote reliquis Italiæ populis validioribus, barbaræ nationes diu abstinuerant, quique & extraneos in tutelam accipere non renuerant; tandem suæ hospitalitatis præmium direptionem, & Reipublicæ eversionem sunt consecuti. Durum utique bellum fuit Pipino Regi aggredienti Urbem, nedum undis circumfusam, sed, æstu naves hostium prius in brevia deferente, mox defixas in limo destituente, securam. Quantum enim interest pugnare cum viris, vel cum elementis! Sed nec pronum erit posthac, Genuam forte oppugnantibus, sulphureo pulvere saxeos montes subvertere, atque inter cautes sibi de annona prospicere; adeoque humili aggere cacumina Apennini montis impetere: eritque æque securum erectos ad sidera tollere vultus, ac inter undas, paludesve, nec tamen minus providenter ac fortiter delitescere. Naturæ enim, imo Dei donis opportune uti, & fortitudinis, & sapientiæ est. Ergo ut mirabiles elationes maris, ita & mirabilis in altis Dominus. Cæterum quidni aliquando patriæ meæ, de quibuscunque, qui fortasse contingerent, hostibus sint sperandæ victoriæ, quando proximis his diebus in ejus sinum, quasi de summo cælo dextera invicti Ecclesiæ militantis ac triumphantis propugnatoris, ac proprii Genuensis Reipublicæ patroni, Martyris Georgii delapsa est, quæ Genuensia purpureæ Crucis radiantis signa ultro in hostes inferat, ac triumphet?

VII. Anno vero 795. Carolus Magnus Francorum Rex, Desiderio Longobardorum Rege devicto, atque jam Romanus Imperator assumptus, Genuæ præfecturam concessit Comiti Ademaro, propinquo suo, qui, valida Genuensium classe, Saracenos Corsica expulit, & exinde ea Insula quæsita Genuensibus fuit, nec umquam, nisi partim, vel ad breve tempus amissa.

VIII. Jam vero ad tertiam Originem multo nobilissimam festinat oratio.

Anno 936. erupit Genuæ fons sanguineus, immane maximæ calamitatis, excidiique præsagium. Absente enim ab Urbe potenti classe, Saraceni, acceptas clades ultum euntes, repetito veteri Magonis exemplo, commodam, tutamque occasionem nacti, repentino adventu, Urbem, propugnatoribus vacuam, invadunt, intrant, diripiunt, incendunt, multos mortales imbelles igni, ferroque tradunt, multos, omnemque direptæ Urbis prædam ad naves abducunt. Vix lætis vela dantibus Saracenis, Genuensium classis advenit, patriæ tantum cadaver invenit, hominum cadaveribus flammis absumptis. Tanto constitit sanguine prodigii sanguinei fides! Exanimati licet Genuenses miseranda specie, tamen, ruptis importuni luctus moris, cursum in Africam dirigentes, volatu potius, quam remigio, hostes apud Corsicam, Sardiniamve assequuntur, aggrediuntur, iisque ad internecionem deletis, receptam prædam, non patriæ, in cinerem, pulveremque redactæ, sed præruptis scopulis, arenis, ac fumiganti adhuc patrio solo restituunt. Ex cineribus, ossibusque semiustis innoxiæ multitudinis, in odium fidei, Christianæque religionis incensæ; nulla humana ope, sed uno Spiritu Divino flante, denuo exstitit Civitas Genua, nova, descendens, quasi de cælo, à Deo, igne probata, atque purgata, adeoque sine macula, sine ruga, nulli humanæ potestati subdita, vel obnoxia.

SECTIO II.

De Genuensis Reipublicæ Victoriis adversus Saracenos.

I. TERTIAM, & postremam hanc Originem, utpote Divinam, & quæ duas priores suo fulgore perstringit, exceperunt innumeri eventus, omnino majores humanis. Qui enim fieri potuit, ut Urbs nuper excisa, vix unius seculi spatio resumpto spiritu, occasione Sacri belli in tot classes eruperit, & tot, tantasque victorias de communi Christianorum, sed peculiari suo hoste (primum redivivæ Reipublicæ facinus) reportaverit? Graves Genuensium dexteras in multis Sacri belli expeditionibus sensere Syria omnis, ac Palæstina, easque propugnantes Turcarum, Persarumque phalanges: præcipue apud Hierosolymam, Antiochiam, Gibellum, Tortosam, Cæsaream; in cujus urbis expugnatione obtigit eis catinus smaragdinus, quo lapide nullus toto orbe pulcrior, nullus splendidior, excepto eo, Genuensibus longe pretiosiori, in quo apud Christi Domini nostri sepulcrum insculptum fuit elogium illud,

Præpotens Genuensium Præsidium,

quod mox, ingratissime erasum, Alexandri III. Pontificis Maximi opera jussuque repositum fuit: qui Pontifex Genuenses, de sese, & de Ecclesia Dei optime meritos, omnium nobilissimo titulo

Strenuos Ecclesiæ Defensores

suis Apostolicis literis appellavit.

II. Ex-

II. Exinde in Occidente sub Maurorum servitio gementem Almeriam libertati, Hispaniæque, una cum alia Tortosa, restituerunt. Mox, in Africam versis armis, Tripolim expugnarunt; inde, percurrentes Mediterraneum, Sardiniam, Baleares, aliasque minorum gentium insulas Saracenis eripuerunt, Majoricæ Rege capto; & demum Saraceni, gens inimica Deo, tota fere ora maritima Mediterranei maris facessere coacta, & Africæ inclusa littoribus, Genuæ in magnam potentiam evectæ, ejusdem, per maximam crudelitatem incensæ, pœnas dedit.

SECTIO III.

De Genuensis Reipublicæ Incrementis.

I. TOT, tantæque publico bono partæ victoriæ magnum Reipublicæ Genuensi nomen pepererunt, atque privatorum opes auxerunt. Bellum enim se ipsum alit, ditatque victores. Hinc prompta occasio nationi, agri penuria laboranti, per maria exercendi commercia, quibus fit, ut quod usquam genitum est publico commodo apud omnes natum esse videatur. Hæc communis utilitas omnium Populorum, ac Principum, Regumque ad mare habitantium, Genuensibus amicitiam conciliavit; & ideo ubique honorifice excepti sunt, eisque in maximis urbibus propriæ Regiones, sedesque, ac Jurisdictiones, imo & amplæ ditiones attributæ, quibus eorum potentia immensum provecta est. Hinc factum est, ut in Græcia, in Thracia, in Asia, colonias collocarint; mox, trajecto Bosphoro Thracio, aditoque Trapezuntino Imperio Samastrum in Bithynia obtinuerint; inde flexo in Septentrionem cursu, Bosphorum Cimmerium penetrarint, & Palude Mæotide transmissa, Tanais fauces, Tanamque urbem tenuerint; in qua ad nostram ætatem durant adhuc nobiles Genuensium familiæ, cum iisdem, quibus Genuæ fulgent, insignibus; in Tartarorum Imperio, ac Taurica Chersoneso, possederint Cembalum, quam aliquando rebellantem per Carolum Lomellinum, validæ classis Ducem strenuum, receperunt: in eadem magna peninsula possederint etiam Soldajam, Gotthiæ regionem, Theodosiam (hodie Caffam) urbem multo nobilissimam, quam anno 1357. Gottifredus Zoalius Consul Genuensis, & Gubernator, magna ex parte cinxit mœnibus, adeoque munivit, ut Tartarorum Imperator illam aggressus, cœptam oppugnationem maxima accepta clade dimittere adactus fuerit. Quam vero in vastis illis Regionibus, & hodie, certe usque ad patrum nostrorum memoriam, duret inclyta Genuensium fama, colligi potest ex iis, quæ scribit Antonius de Herera, Philippi II. Hispaniarum Regis historicus, qui lib. XVI. cap. VIII. primæ Partis suæ *generalis Historiæ*, de Moscovia agens, deque Magno ejusdem Duce, Russiæ Imperatore, tradit quomodo succedatur in Imperio, & præcipue de consecratione Imperatoris, quæ fit hoc modo. Inter Missarum solennia à duobus Archiepiscopis successor accipit mitram, innumeris lapidibus pretiosis, ac margaritis ornatam, quæ fuit Volodomeri, olim Russiæ Imperatoris, una cum baculo argenteo, atque aureo monili, ab eodem Volodomero bello quæsitis, dum præliaretur cum Consule Genuensi, qui Theodosiam urbem regebat. Tanti æstimant Russiæ, Moscoviæque nationes, aliquando Imperatorem suum aliquod victoriæ insigne de Consule unius Civitatis, Genuensibus subditæ, reportasse, ut baculum illum, ac monile, quasi pro sceptro, atque corona, in insigni, & solemni die suæ consecrationis, novus Imperator accipiat. Quid plura? Genuensis privatus civis Megolus Lercarius, ultor illatæ sibi à quodam continuo * Trapezuntini Imperatoris injuriæ, adeo illi insultavit Imperio, ut, ipso Imperatore inimicum tradere coacto, benigna ultione contentus, utriusque simul procacia colla magnanimo pede calcaverit. Quæ, aliaque mox dicenda, admirationi non erunt, si memoria repetatur eorum, quæ à Liguria passa est (ut diximus) in omni gloria sua Romana Respublica.

II. Modo redeamus in Thraciam. Michael Palæologus, Genuensium opibus, & ingenti classe, Græco potitus Imperio, iisdem Galatam, seu Peram, mille tantum passibus à Constantinopoli dissitam, Smyrnam, Chium, aliasque ditiones donavit, quas, atque Lesbum, Lemnumque, & Achajam Provinciam diu possederunt.

III. Anno 1372. Cyprum ceperunt: exinde, pace constituta, Regi Regnum restituerunt, annuo tributo imposito, atque urbe Famaugusta retenta, quam totis nonaginta annis tenuerunt, adeoque habuerunt & ipsi instrumenta servitutis, & Reges, Cypri scilicet, de quo nunc sermo, & Sardiniæ, ex conventione perpetua inita cum Rege Barisone anno 1164. cui nunquam defuit nec ipse, nec successores, usque ad annum 1354. quo Aragonii illud Regnum invaserunt.

IV. Sed dudum antea Emmanuel Comnenus, Græcorum pariter Imperator, anno 1155. recepit, se quotannis soluturum Genuensi Reipublicæ quingentos perperos (nummi nomen) cum duobus deauratis altarium integumentis; & Archiepiscopo Genuensi perperos sexaginta, & simile integumentum unum, quorum pars aliqua adhuc exstat. Postea anno 1261. Imperator Michael Palæologus eadem recepit, & præstitit.

SECTIO IV.

De Bellis cum Pisanis.

I. GENVENSIVM progressus, quos attigimus, magni haud dubie fuerunt: sed majores fuissent, ni obstitisset finitimus hostis acerrimus Pisana Respublica, & ipsa mari adeo potens, ut Carthaginem expugnaverit, ejusdem Regem Mahometanum Romam duxerit in triumphum, mox, Christi fidem amplexum, Regno restituerit. Ut ergo Romanis quondam, & Carthaginiensibus belli Punici secundi, ac maximi omnium, quæ unquam gesta sint, causæ fuerunt Sicilia, atque Sardinia, ita Genuensibus, ac Pisanis, Sardinia, & Corsica.

II. Primo congressi sunt duo præpotentes populi ad annum 1070. sed haud magno nisu: iterum ad annum 1118. quo bello Genuenses mare quandoque operuerunt centum quinquaginta navigiis, plerisque triremibus, eoque hostes adduxerunt, ut singulas privatorum domos ad primam contignationem, seu concamerationem redigere, ac deprimere coacti sint. Ultimo vero bello ad annum 1284. omnino debellatum est, atque exinde miseri Pisani nunquam emergere potuerunt; adeoque anno 1504. à Genuensibus petierunt, ut eos in fidem, ditionemque reciperent, quod Genuenses renuerunt, malo publico, aliquorum civium suorum malignitate, fortasse etiam perfidia.

III. Hoc postremo duorum annorum bello sæpe pugnatum est, & Genuenses quinque triremium aliorumque navigiorum classes adornaverunt, quæ

* Forte reponendum *Antinoo*. Ubertus enim Folieta, in *Hist.* sua *Genuensi* ad an. 1380. refert, fuisse adolescentem, qui ætatis flore Cæsari acceptus magnum gratiæ & auctoritatis locum, quem fœda & obscœna ministeria postularent, obtinebat. Integram historiam habes supra col. 483.

conficiunt summam triremium centum octoginta octo, & postrema pugna in Portum Pisanum irruperunt, rupta insignis magnitudinis catena ferrea, quæ exstat, trucidatis hostium quinque millibus, novem millibus captis, inter quos ipso Prætore, atque Nobilitate universa; & aliquando ab hora tertia usque ad vesperas instructæ, armatæque sunt Genuæ, præter octo majora navigia, duo de sexaginta triremes, ut tradit Episcopus Nebiensis scriptor probatæ fidei.

IV. Si liceat parva componere magnis, P. Scipio, mox Africanus major, classe trajecturus in Africam, cum triginta navium carinæ (ut ait Livius *libro* XXVIII. circa finem) viginti quinqueremes, decem quadriremes essent positæ: ita institit operi; ut die quadragesimo quinto, quam ex silvis detracta materia erat, naves instructæ, armatæque in aquam deductæ sint. Breve omnino quadraginta quinque dierum parandæ, atque in aquam deducendæ magnæ classis spatium. Sed quid arduum fuerit, Scipione instante, Romanæ Reipublicæ? Atqui, ab hora tertia usque ad vesperas, intervallum vere nullum, quodque vix classis expediendæ edicto promulgando sit satis: unde omnino conficitur, illo ævo Genuam suos Scipiones habuisse, omniaque parata, maxime vero promptos animos quibuscumque conatibus; atque illorum armis nullam adhæsisse rubiginem.

V. Victricium harum classium Duces silentio prætereundi non sunt, debellato tandem tanto hoste. Fuerunt ergo Thomas Spinola, Dux triremium triginta quatuor, Conradus Doria triremium quinquaginta quatuor, Obertus Doria triremium septuaginta, qui erat alter ex Reipublicæ Capitaneis, ut vocabant, Henricus de Mari triremium viginti duarum, & Benedictus Zacharia triremium triginta. Qui vero in portum irrupit, & confecit opus, fuit Obertus Doria Capitaneus, juncto sibi Zacharia.

SECTIO V.

De rebus gestis pro Friderico Primo, aliisque Suevicæ domus Imperatoribus.

I. EXPEDITIS bellis Pisanis, tradenda sunt ea, quæ Genuenses gessere pro Friderico Primo Romano Imperatore, qui Italiam maximis copiis armatus intravit, jura Romano-Germanici Imperii jam obsoleta restituturus. Fridericus ergo Insubriam, & proximas Regiones in potestatem redegit, & Mediolanum excidit, ac solo æquavit. Genuenses sibimet dupliciter consuluerunt: Primum Urbi duodesexaginta dierum spatio firmissima (ut eo sæculo) mœnia circundederunt, quod incredibile de opere completo, est verosimile de perducto ad eam altitudinem, quæ propugnatores tegere, securosque reddere posset in pugna: simul Legatos ad Imperatorem, Ticini agentem, miserunt, per quos non modo concordia firmata est, sed etiam conventum, Genuenses suis classibus daturos operam; ut Fridericus potiretur Neapoli, atque Sicilia, quæ ambo Regna ad Henricum filium jure dotali pertinebant, pactumque præmium Syracusæ, urbs Siciliæ nobilissima.

II. Imperator, Genuensibus adnitentibus, Regnis potitus est, & obvenerunt Genuensibus Syracusæ; adeoque, si non Sicilia tota, saltem nobilissima ejus pars Genuensibus obtigit, ne qua maris Mediterranei alicujus nominis Insula (exceptis Corcyra, Cephalenia, & Zacyntho, quæ ad fauces maris Adriatici sitæ sunt, ideoque quasi Venetis debitæ) Genuensium omnino diceretur subterfugisse Dominium: omnes enim alias aliquando in eorum potestatem pervenisse undequaque collegimus. Et ipsa Rhodus, cum quinque aliis minoribus adjacentibus insulis, ab Saracenorum servitio, per Equites Hierosolymitanos, nonnisi adnitente Romano Pontifice, & decem Genuensium triremibus, erepta est: insuperque anno 1371. Genuenses Melitam Insulam, & Massarum urbem in Sicilia subegerunt, piratarum ad illas confugientium malo.

SECTIO VI.

De rebus gestis pro Sancta Romana Ecclesia adversus Fridericum II. Imperatorem.

I. FRIDERICO Imperatori successit Henricus, Henrico vero Fridericus secundus, qui diu in Genuensium perstitit amicitia. Sed, ut primum descivit à bonis, & sanctam Romanam Ecclesiam vexare cœpit, Genuensem etiam Rempublicam, Ecclesiæ, Deoque semper adhærentem, agitare non destitit; atque inter varias conflictationes, aliquando Genuensium classis, cum aliquos Cardinales, & quamplures Episcopos Romam ad Pontificem Gregorium nonum centenarium, Concilium adversus Fridericum cogere satagentem, transvehendos, ipso per Legatum suum flagitante Pontifice, suscepisset; cum Imperatoris, Pisanorumque simul junctis classibus infeliciter pugnavit, triremibus duabus supra viginti desideratis. Sed paulo post Imperatoriam classem obsedit apud Savonam, quæ ab aliquibus Genuensibus, pro Imperatore adversus Patriam stantibus, à Republica avulsa fuerat, & parum abfuit, quin illam opprimeret. Sed, orta valida tempestate, Genuensium classis coacta fuit ad portum viciniorem confugere, &, priusquam ad obsidionem, prioremque stationem rediret, in Siciliam Imperatoria classis aufugit; at male à mari, pejus ab hostibus constante obsidione mulctata.

II. Bellum hoc, pro Pontifice Romano Gregorio IX. susceptum, & pro Innocentio IV. (quem aliquando classis Genuensis è faucibus Imperatoris exemit) ad multos annos productum; Genuensibus (tametsi semper, excepta una illa memorata pugna, victoribus) bellum civile dedit, pessimo publico, quod Reipublicæ obstitit incrementis, imo illam maximis detrimentis attrivit: ab illo enim Factiones Guelphorum, & Gibellinorum, aliæve aliis nominibus, sed re eædem, inductæ sunt. Hinc primo accersiti sunt Judices, ac Prætores extranei, controversiis judicandis, criminibusque puniendis: scilicet Cives, factionibus scissi, res suas, imo & caput suum adversarum partium Judicibus committere non audebant. Mox gliscentibus in dies simultatibus, ac inimicitiis inter Nobiles, locus factus est aliis sese in Reipublicæ gubernationem intrudendi, & etiam quandoque Nobiles extrudendi: adeoque ab anno 1300. circiter innumeræ sibi invicem succedentes exstitere Reipublicæ mutationes usque ad annum 1528. cum tandem rediit amor pacis, & civilis cura concordiæ, quæ jam ferme sesqui-seculo duravit, & durat.

III. Nec mirum Genuam, semel peste belli civilis infectam, diu semetipsam misere lacerasse, juxta Oraculum Divinum de quocunque Regno in se ipso diviso, atque discordi: nihil enim intolerabilius Genuensibus, qui jam inde ab anno 936. atque à tertia Origine, quam retulimus, plena libertate fruebantur, quique tot, tantisque periculis sese, vel pro fide, vel pro Maris Imperio indesinenter objecerant, quam inimico civi parere. Nam discordia volaticum quidem est malum, sed pertinax, & suos utique furentes impetus modo huc,

huc, modo illuc, sed semper in discordes ipsos obstinate convertit: utque aliquando facessisse videatur, tamen usque recurrit, ac validior recrudescit. Siquidem populi, qui dicuntur aquæ multæ, facilius moventur in fluctus, quam redeant ad tranquillitatem; & sæpe, vel finito bello, pax tarde redit. Contra autem concordia vere dici potest spiritus vadens, & non rediens, nisi vehementi Spiritu gratiæ cælestis afflante, quod tandem aliquando Genuensibus benignitate Divina contigit. Siquidem post duo, & ultra, tristia admodum secula, Deus, mala, in quæ Genuenses sese pro sua Ecclesia induerant, miseratus, eis curandis manum admovit; nec alii cuicumque vel Civi, vel extero, rerum potito, curationem mandavit; nolens illos, aut Libertatis jactura, aut alterius partis internecione, proscriptioneque pacem recuperare; imo vincentibus semper dedit calculum candidum, bonam scilicet, piamque mentem erga victos, ne post victoriam, in alicujus necem durarent, firmandæ dominationi: quæ in prosperis moderatio vix de alia Republica legitur: opus omnino miserentis Dei; qui non fecit taliter omni nationi; certe, ut Romana res utcumque maneret, unum imperitare oportuit, omnemque potentiam ad unum conferri pacis interfuit. Ergo anno 1528. Deus, pestilentiæ flagello arrepto, Genuenses ad unici ordinis constitutionem, per quem Respublica administraretur, adduxit.

IV. Mirabile est, in tanta plusquam duorum seculorum jactatione, atque inconstantia, qua tantum civilis sanguinis haustum est, tantumque auri profusum, Genuenses, in Expeditionibus, quæ adversus externos hostes innumeræ contigerunt, tot victorias reportasse, etiam dum Reipublicæ gubernacula sæpe externis Principibus, vel concorditer credita fuissent, vel ab altera factionum, suis viribus diffidente, & externis potius, quam Civibus, cedere volente, tradita.

V. Itidem miraculo esse debet, tanta Genuensium in longinquis Orientis & Septentrionis regionibus dominia, ad tot Reipublicæ mutationes non concidisse, & nullis unquam, nisi Turcarum armis, capta demum Constantinopoli, & nec statim, nec omnino cessisse: nam Chium insulam usque ad annum 1566. tenuerunt, vulgato primum per Genuenses arcano, diremptas immenso mari, atque tanta terrarum distantia gentes, justo imperio regi posse, armisque propugnari.

VI. Vt vel ex his pateat, Exterorum gubernationes semper precarias fuisse, ad quietem Civium, non ad Exterorum dominationem inductas, & ad qualemcumque Civium concordiam semper excussas: nam alioqui minime integrum fuisset Reipublicæ pro arbitrio in regionibus remotissimis, pro suis ditionibus, dominiis, atque commerciis bella gerere; atque omnino oportuisset à propriis ad Exterorum Dominorum (si Domini fuissent) commoda, arma convertere. Quod etiam patet ab Sancti Georgii domo, in quavis Reipublicæ fortuna, ab omni vi semper intacta, quod Romæ, Cajo Julio Cæsare Urbe potito, in æde Monetæ utique non evenit. Itaque omnes, de Reipublicæ mutationibus loquentes, vel scribentes, eas non Dominii, sed Gubernationis mutationes appellaverunt.

VII. Quod etiam aliunde patet expresse; nam quantumvis aliquando Genuenses Exterorum Gubernationi subessent; tamen, de Dignitate contendentibus eorum Legatis cum Legatis Reipublicæ Florentinæ, semper controversia fuit Genuensibus adjudicata; scilicet coram Callisto Summo Pontifice anno 1456. Postea sub Julio II. & Leone X. itidem anno 1526. coram Carolo V. Imperatore; nec non anno 1499. coram Ludovico XII. Rege Francorum. Præterea anno 1493. sub Gubernatore Mediolanensi Respublica, ipsa per se, missis ad Reges Catholicos Ferdinandum & Isabellam Legatis, cum illis pacem iniit. Ulterius anno 1504. sub Gubernatore Franco, Pisani à Florentinis afflicti, totis viribus pluries institerunt, ut Genuenses eos sub eorum dominio reciperent, ut supra retulimus. Ludovicus XII. Rex idem percupiebat: sed Genuenses obfirmato animo renuerunt. Idem Rex non ita multo post enixe petiit, ut Respublica Corsicæ Episcopos mitteret ad Concilium Pisanum, sed frustra, immota semper Republica: & Rex acquievit.

Prima Exterorum Gubernatio obtigit Henrico Lucemburgensi Imperatori, cui concordibus Civium animis delata fuit ad viginti annos. Sed longe brevior fuit ipso Imperatore vita functo. Mox aliæ Exterorum Gubernationes vix inductæ evanuerunt: scilicet Genuensibus nonnisi in Libertatis sinu nactis animi tranquillitatem. Ferale ergo haud dubie Genuensibus fuit bellum pro Ecclesia Sancta Dei cum Friderico II. Imperatore susceptum: sed tanti fuit vel ultima pati pro Deo.

Sectio VII.

De Bellis cum Venetis.

I. Verum enim vero, præ tot variorum armorum strepitu, videbimur fortasse obliti bellorum, quæ Genuenses gessere cum Venetis: sed censuimus incipiendum nobis esse ab antiquioribus: nec Annalium modo res cum aliquo Populo, vel Principe gestas, cum aliis esse confundendas. Bella cum Venetis non adeo antiqua: nam anno 1238. junctis viribus, & communicatis utriusque Civitatis insignibus, in Saracenos Christianorum bono pugnaverunt. Sed circa annum 1258. orto in Palæstina aliquo inter privatos Venetos ac Genuenses jurgio, bellum exarsit. Longum esset omnia eventa recensere multorum bellorum, quæ per annos septuaginta Genuenses ac Venetos exercuerunt varia fortuna, sed plerumque prospera Genuensibus, & numero victoriarum, & magnitudine, & universæ fere Venetorum maritimæ ditionis jactura, & tandem ipsarum Venetiarum, & libertatis summo discrimine: cum è contrario Venetæ classes Liguriam, Ligusticumque mare vix adspexerint, & raro Tyrrhenum, quæ obvia sunt apud illorum temporum Scriptores. Per hæc bella Genuenses aliquando ceperunt oppida maritima Clodiam, Tergestum, Justinopolim, Polam, Insulasque Cretam, Eubœam, Naxum, Andrum.

II. Genuensium Duces, quorum auspiciis magnæ res gestæ, multi fuere: Nicolaus Spinula Dux duodeviginti triremium pugnat fæliciter cum triremibus duodetriginta, earum viginti quinque captis, ac in triumphum ductis. Obertus Doria, Dux ducentarum triremium, in quibus armatorum quadraginta quinque millia, & ex iis octo millia vestibus auro renidentibus, ad pugnam provocatus, hostem apud Siciliam præstolatur, sed frustra. Lamba Doria, alter ex Urbis Capitaneis, cum triremibus duodenonaginta pugnat cum Veneta classe numero majore, eaque profligata septem supra octoginta triremes capit; quarum sexaginta septem incensis, reliquas, cum septem millibus captivorum, & Ducis Veneti cadavere, triumphans ducit in patriam. Paganus Doria, Dux sexaginta triremium, vincit Venetos, Catalanos, & Græcos è conspectu Constantinopolis, captis hostilibus triremibus quadraginta novem, cæsis hominum quatuor millibus; & potitur Tenedo, notissima fama insula. Idem cla-

elapsis annis duobus, iterum vincit pugna magna, capto Veneto Duce, cum aliis quinque millibus quadringentis. Lucianus Doria vicit etiam pugna memorabili, sed gloria posthuma; in ipsa enim pugna jam victor occubuit. Novissime autem Petrus Doria, in ipsa lacuna, post captam Clodiam, victor iterum navali pugna, ac rogatus de pace, nimis superbe agens, & quascumque conditiones respuens, urgensque, ut omnia suo permitterentur arbitrio, meruit à fortuna indignata, vel fatigata destitui. Nam Veneti capto à suæ lacunæ peritia consilio, & aliquibus navibus loco opportuno demersis, Petrum, classemque in Clodiano portu clauserunt, adeoque hujus facti beneficio ex victis victores evaserunt. Ex innumeris pugnis hæ fuere præcipuæ. Alioquin vario Marte pugnatum est, nec unquam Genuenses aliquid de iis, quæ possidebant, amiserunt.

SECTIO VIII.

De Bellis cum Aragoniis.

I. MODO transeundum ad bella Genuensium cum Aragoniis. Bonifacius VIII. Pontifex Corsicam à Genuensibus ad Jacobum Aragoniæ Regem transferre induxit in animum: quo jure, ipse viderit, ac senserit. Ad annum ergo 1332. bellum cœpit. Antonius Grimaldus Dux triremium quadraginta quinque, Majoricam capit, & diripit, & oram maritimam Cataloniæ terret magis, quam damno afficiat. Idem mox anno 1353. Dux sexaginta triremium, apud Sardiniam cum classibus Venetorum, & Catalanorum triremium octoginta congressus, unam supra quadraginta triremes amisit. Anno vero 1420. Alphonsus Rex Calvium ex inopinato intercepit, Bonifacium potenti classe obsedit: sed Genuenses eum post acrem pugnam abscedere coegerunt, & non ita multo post, Francisco Spinula Duce, septem naves Aragonias fugaverunt.

II. Inter hæc, contendente Rege Alphonso cum Joanna Regina de Regno Neapolitano, decreverunt Genuenses Reginæ valida classe opitulari, quæ classis Cajetam deditione recepit, & exinde Neapolim. His cognitis Alphonsus Rex cum maxima, atque instructissima classe festinans advenit, ut Cajetam recuperaret, mox Neapolim: cumque Blasium Axeretum, Genuensium classis Præfectum, minaciter admonuisset, *Ut inde facesseret, neque indignationem suam à Cajeta in se converteret;* respondit Genuensis, *Se advenisse ad Cajetam obsidione liberandam.* Concurrerunt ergo infensæ classes, & victoria contigit Genuensibus, captis Rege Alphonso, & Rege Navarræ, ac Henrico eorum fratre, cum amborum Regnorum nobilitate primaria. Victoria omnino inter maximas recensenda, quæ magnum Duci nomen merito peperit: sicuti etiam Francisco Spinulæ Cajetæ, ejus virtuti commissæ, acerrima & nobilissima propugnatio: qui Franciscus, reversus in patriam, paulo post eidem Patriæ fuit auctor Libertatis, & vindex. Tandem pax convenit, sed brevis, & anno 1458. recruduit bellum, missa ab Rege Alphonso ad Genuam ipsam oppugnandam magna classe: sed Deus bello finem imposuit; ipso Alphonso morte sublato.

SECTIO IX.

De rebus gestis pro tuenda Constantinopoli.

I. NOS quoque juvat, post longam armorum tractationem, quiescere, additis iis tantum, quæ Genuenses pro Constantinopoli conservanda præstiterunt.

Anno 1457. Mahometes, Turcarum Imperator, Regiam Urbem ducentorum navigiorum classe, & trecentorum armatorum millibus stipatus aggreditur. Juxta Constantinopolim sita est Galata, sive Pera, Genuensium vetus Colonia, illis quondam à Michaele Græco Imperatore data, ut dictum est, ob magna ipsorum promerita, & ab ipsis sibimet, adversus aliorum Imperatorum ingratissimos conatus asserta. Prospicientes ergo Genuenses imminentem à Mahomete tempestatem, Galatam (cujus res agenda erat, si Constantinopolis peteretur) valido præsidio firmaverunt, eoque magnum armorum apparatum miserunt.

II. At Galatæi, quamvis adversus Turcam, cum quo pacem habebant, nihil moverent aperte, *agebant* (ut loquitur Leonardus Archiepiscopus Mitylenensis, qui bello interfuit, & fuit captus ab hostibus) *solicitam providendi curam armorum, ac militum.* De propugnatoribus urbis Spondanus, tametsi Genuensibus parum æquus, habet in margine, *Joannes Justinianus* (quem Imperator Constantinus in summum Ducem elegerat) *columen Urbis.* Item, *Stupet Mahometes ad fortitudinem propugnatorum.*

III. In narratione vero, *Qui autem hac præcipue apud Græcos operabatur, Joannes Justinianus erat cognomine Longus, patria Genuensis, navium Ligusticarum, quæ in portu erant, Præfectus: qui Græcorum ignaviam miseratus (ut Zigomalas ipse Græcus ingenue fatetur) accepta ab Imperatore rerum intra civitatem summa, ita sua dexteritate, constantia, ac fortitudine Turcarum conatus elusit, ut quamdiu stetit, steterit etiam Civitas, ubi cecidit, ceciderit & ipsa.*

IV. Genuenses magna pars fuere Exterorum, qui Urbem tutabantur, præcipuis inter illos Paulo, Troilo, Antonioque de Bochiardis fratribus, de quibus idem Leonardus hæc scribit: *Paulus, Troilus, Antonius de Bochiardis fratres, in loco arduo Miliandri, quo Urbs titubabat, ære proprio, & armis, summa cum vigilantia noctu, dieque, & spingardis horrendis, & balistis viriliter pugnam sustinent, qui tanta animositate nunc pedites, nunc equites defendunt, ut Horatii Coclitis vires repulsis hostibus æquare viderentur. Nam, nec muri fracti concussione, nec machinarum turbine territi, æternam sibi gloriam vendicant.* Ab eodem Leonardo recensentur inter defensores insignes Hieronymus Italianus, Leonardus de Langasco, Joannes de Furnariis, Thomas de Salvaticis, Aloysius Gatilusius, omnes Genuenses, & Nobiles. Septem Genuensium naves, inter quas duæ Joannis Justiniani, summi Ducis, portum clauserunt, & egregie tutatæ sunt, ut habet Phranzes, cujus opera & consilio Constantinus Imperator omnia administrabat; qui addit, *Manueli è Liguria regio ad portam, quæ aurea dicitur, cum ducentis sagittariis mandatur.*

V. Insuper Genuenses (dum bellum cum Rege Alphonso Aragonio gerebant, à quo Rege Sancti Florentii in Corsica oppidum captum fuit eodem tempore, quo capta à Mahomete Constantinopolis) Nicolai V. summi Pontificis hortatu, non renuerunt classem in auxilium Constantinopolis adornare: raro utique exemplo: fortasse sine exemplo. Si enim Romani, Annibale Reipublicæ exitium intentante, miserunt sæpe suis per Hispaniam exercitibus supplementa, sua tutabantur. Genuenses Constantinopoli propugnandæ, præter ea, quæ diximus, quæque dicemus, classem parantes, tutabantur aliena, quasi rerum obliti suarum.

VI. Quod

VI. Quod autem omnia supergreditur, omnemque fere fidem excedit, Mauritius Cattaneus, Nobilis Genuensis, trium Genuensium navium Præfectus, aliamque navem onerariam, frumento onustam, è Sicilia ducens, pugnat è conspectu Constantinopolis cum classe Turcica navium ducentarum, ut Leonardus refert, eaque profligata, & duodecim Turcarum millibus cæsis, ipso Mahomete inspectante, ac furente, & nec quicquam trecentûm armatorum millibus stipato; nullo ex suis cæso, paucis sauciis Urbem intrat. Sed hæc omnia frustra sunt acta, & Urbs inclyta, Joanne Justiniano sagitta transfixo, & pugna excedere coacto, expugnata est: mox dedita Galata; exinde paulatim omnes Urbes, Regiones, & Insulæ, quas Genuenses ad fauces Tanais, in Taurica Chersoneso, in Bithynia, atque ad Pontum Euxinum, in Asia minori, in Græcia, atque ad Ægæum mare possidebant, à Turcis subactæ sunt, præter Chium, quæ duravit usque ad annum 1566. quo à Solimano capta fuit. Tunc vero res contigit admirandæ virtutis, quam memorare, in tantarum cladium solatium, opportunum est, atque tacere esset injuriosum.

Sectio X.

De Viris sanctis Genuensibus, vel Illustribus.

I. Chio *capta*, *Solimanus Imperator* (inquit Spondanus anno 1566. num. 8.) *jussit Justinianorum familias Theodosiam in Taurica Chersoneso depositari. Cumque unus & viginti eorum pueri, circiter decennes, ex alacrioribus, & magis vividis, Constantinopolim adducti, inter Solimani Ephebos enutriendi, retenti fuissent, & vi circumcisi; nullus tamen eorum, in tenera illa ætate induci potuit ad fidem abnegandam; unde, virgis dirissime cæsi pene omnes interierunt, quorum unus sub mortem adstrictus digitum attollere in signum abjuratæ fidei, è contra ita digitos ad pugnum strinxit, ut nec vivo, nec mortuo manus amplius aperiri potuerit.* Hæc Spondanus.

II. Grande puerorum facinus antecesserat aliud admirabile, atque insolitum fœminarum, quod idem Spondanus tradit his verbis, ad annum 1301. num. 14. *Memorabile est, quod hoc eodem anno nonnullæ mulieres nobiles Genuenses, ardore fidei ad subsidium Terræ Sanctæ accensæ, dum Reges, & Principes, aliique Dynastæ, ad arma docti, ei succurrere detrectarent, virilem animum induentes, non solum suorum largitione bonorum suppetias ferre decreverunt, verum etiam ipsæmet cum nonnullis suis concivibus, transfretare, ad exhibenda obsequia bellatoribus Christi; quarum laudabilem conatum Bonifacius Pontifex dignis præconiis commendavit, tam ad ipsasmet scribens quam ad Porchetum Spinulam, Ordinis Fratrum Minorum, Archiepiscopum Genuensem, & alios.*

Harum vero Bonifacii Pontificis literarum exempla in Reipublicæ Palatio, una cum earumdem mulierum loricis & galeis asservantur, & sunt hujusmodi:

DILECTO FILIO
FR. PORCHETO SPINULAE,

Administratori Ecclesiæ Januensis.

En quod exspectabamus, invenimus, vidimus, mulieres scilicet fortes, se per pietatis & virtutum opera exercentes, suorum pœnitentiæ, & laborum panem portantes de longe, de exilio, scilicet præsentis peregrinationis, ad patriam, & surgentes de nocte mundialium tenebrarum, ut domesticis fidei Crucis adversarios dent in prædam, & quasi non habentes hic manentem civitatem, futuram inquirant; accinxerunt fortitudine lumbos suos, brachium suum virilibus operibus roborarunt, quorum lucernæ non extinguentur in nocte; manus suas miserunt ad fortia, & palmas suas aperierunt inopibus, impendendo subventionis auxilium exulibus Terræ Sanctæ pauperibus; à frigoribus nivis suis domibus non timebunt, cum sint vestitæ duplicibus; dabitur eis de fructu operum suorum, & in portis earum opera laudabuntur; quæ sunt hæ, & laudabimus eas in vita sua mirabilia facientes? Istæ sunt nonnullæ nobiles Januenses, & ipsarum sociæ, ac sequaces, quæ divinitus inspiratæ, in sexu fragili viriles animos induerunt, exurgentes in dictæ Terræ succursum, ut stent cum Christo constanter in acie adversus malignantes, & adversus operantes iniquitatem, qui, proh dolor, terram inhabitant memoratam. O miracula, ô prodigia, fœminæ præveniunt viros in sæpe dictæ Terræ succursum. Hæ amictæ Sole, temporalia sub pedibus suis sternunt, significata per Lunam. Reges, & Principes mundi succurrere, etiam invitati, effugiunt, fœminæ imbecilles ultro se offerunt. Unde hoc? desursum utique à Patre luminum, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum descendit. Annon in mulieribus istis innovata sunt signa, & mirabilia immutata? Accepimus namque, quod prædictæ mulieres, & ipsarum sociæ, & sequaces, decreverunt suorum largitione bonorum per viam marini Estolii præfatæ Terræ statui subvenire sub ductu dilectorum filiorum nobilium virorum Benedicti Zachariæ, Jacobi Lomellini, Lanfranci Tartari, & Joannis Blanci, civium Januensium, & nonnullæ ipsarum famineos animos supergressæ, ad perfectiora feruntur, disponentes personaliter in particulari quasi passagio transfretare, ad exhibendum obsequia bellatoribus Crucifixi, per quos Christianitatis hostes, auxiliante Deo, poterunt impugnari, & in ipsa terra morari, ad calcandas hujus mundi passiones, potius affligi eligentes cum populo Dei, quam temporalis vitæ jucunditatem habere, aspicientes in remunerationem, quam oculus non vidit, nec auris audivit, & in cor hominis non ascendit. Cum igitur tam luminosa opera non sint ponenda sub modio, sed super candelabrum, ut ea, qui sunt in domo Dei videant, & provocentur ad imitationem ipsorum; discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, congregatis clero, & populo Januensi ad eorum deducas notitiam supra dicta, & ad imitandum tam salubria opera secundum à Deo tibi concessam prudentiam, inducas eosdem, & tam in civitate Januensi quam in ejus Provincia, riparia, & districtu, per te, vel alium, seu alios, ea denunties, & denuntiari facias, prout videris expedire. Cæterum nolumus te latere, quod in adjutorium tam fructuosi negotii porrectæ sunt nobis nonnullæ petitiones pro parte virorum, & nobilium mulierum prædictarum, quas prout expedire ipsi negotio vidimus, duximus liberali-

raliter admittendas, prout in aliis nostris literis continetur; & volumus quod hoc etiam per te, vel alium, seu alios deducas in publicam notitiam, diligenter in præmissis te taliter habiturus, quod exinde retributionis æternæ præmium consequaris à Deo, & nos tuam prudentiam commendare possimus. Qualiter autem processeris in præmissis & utilitatem, & fructus, quos proventuros ex his, Deo auctore, confides, nobis seriosius rescribas. Datum Anagniæ quinto Idus Augusti anno septimo.

NOBILIBVS VIRIS
BENEDICTO ZACHARIAE, LANFRANCO TARTARO, JACOBO LOMELLINO, ET JOANNI BLANCO
Civibus Januen.

Receptis literis vestris per dilectum filium Fr. Philippum Saonen. Lectorem Ordinis Fratrum Minorum, ipsarumque considerato tenore, ac diligenter auditis, quæ dictus Frater nobis exposuit Oraculo vivæ vocis, exultavit cor nostrum in Domino, magna nobis ex iis lætitiæ materia præbita, admirationis, & laudis. Sane attendentes devotionis fervorem, charitatis incendium, sanctumque propositum nobilium mulierum A. de Carmendino, J. de Ghisulphis, M. de Grimaldis, C. Francæ, A. de Auria, S. Spinulæ, S. & P. de Cibo, P. de Caris, & multarum aliarum mulierum sociarum, & sequacium Januen. quæ divinitus inspiratæ ordinaverunt per succursum marini Stolii sub vestro ducatu, Terræ Sanctæ statui miserabili subvenire, per particulare passagium celeriter auctore Domino faciendum, petitionibus quibusdam per eumdem Fratrem pro vestra, & ipsarum nobilium mulierum parte porrectis, sicut decuit, & expedire vidimus tanto negotio, duximus annuendum, prout hoc expressius in aliis nostris literis continetur. Nobilitatem itaque vestram monemus, rogamus, & hortamur, attente obsecrantes in Filio Dei Patris, quatenus cum dictarum mulierum subsidio aperiatis viscera pietatis ad dictæ Terræ succursum, sicut athletæ strenui Crucifixi, ut in præsenti divinam consequamini gratiam, & in futuro gloriam sempiternam, & sic, divina vobis, & mulieribus ipsis assistente virtute, in instanti autumno possit hujusmodi particulare passagium fieri, quod multum nobis esset acceptum. Tu, Benedicte Zacharia, qui fuisti nobis familiarior ab antiquo, cum uno ex prædictis nobilibus tuis consociis, hoc facto, ad præsentiam nostram accedas, præcedens dictum Stolium aliquibus diebus, ut tu, & socius per nos possitis super agendis plenius informari, & circa Romanam, vel Terræ laboris plagiam jungi Stolio memorato. Datum ut supra.

DILECTIS IN CHRISTO FILIABVS,
NOBILIBVS MVLIERIBVS,
A. DE CARMENDINO, J. DE GHISVLPHIS, M. DE GRIMALDIS, C. FRANCAE, A. DE AVRIA, S. SPINVLAE, S. ET P. DE CIBO, P. DE CARIS,
& aliis earum sociabus, & sequacibus, Januen.

Ex vestrarum, & dilectorum filiorum nobilium virorum Benedicti Zachariæ, Jacobi Lomellini, Lanfranci Tartari, & Joannis Blanci civium Januensium literarum tenoribus, & relatione dilecti Filii Fr. Philippi Saonen. Lectoris Ordinis Minorum percepimus, quod vos, & aliæ quamplurimæ mulieres Civitatis Januen. divino spiritu inflammatæ provide attendentes quod Calanus Magnus Tartarorum Imperator cum multitudine sui exercitus, licet Paganus, regnum Hierosolymitanum intraverit ad expellendos de Terra Sancta Soldanum Babylonicum, ejusque sequaces incredulos, ut, ea Christiano cultui restituta, cantica Domini decantarentur in ipsa exultationis, & laudis; quodque Reges, & Principes, & alii Christiani potentes, & ad arma doctissimi, ad subveniendum dictæ Terræ, pietatis quodammodo viscera clausisse videntur, obturantes aures suas clamoribus exulum, qui Terram ipsam hactenus habitarunt, quorum raucæ factæ sunt fauces in expetendo lacrymabiliter Terræ sæpe dictæ illi succurri, induitis mente viros in corpore fragili, decernentes sibi vestrorum largitione bonorum per viam marini Estolii subvenire sub ducatu Nobilium prædictorum, & nonnullæ vestrum, fœmineos animos supergressæ, ad perfectiora feruntur, disponentes in singulari quasi passagio transfretare, &c. ut in Bulla 53. Ut reformato corpore humilitatis earum confirmentur Christi Corpori claritatis secundum operationem, qua post etiam subjicere sibi omnia, qui in Cælis sedens ad dexteram Dei Patris interpellat pro nobis, & exauditur pro sua reverentia. Non enim Pater æternus denegare quicquam potest Filio coæterno. Devotionem igitur vestram, & charitatis incendium, sanctumque propositum dignis in Domino laudibus commendantes, desideriis vestris libenter occurrimus, & nonnullas petitiones ad robur, & juvamen negotii pro parte vestra petitas à vobis, ad exauditionis gratiam, prout decet, & expediens vidimus, liberaliter duximus admittendas, prout in aliis nostris literis super hoc confectis plenius continetur; sperantes in Domino, quod multiplicabit vobis socias, & alia tribuet incrementa, per quæ recuperabitur dicta Terra, & restituetur cultui Christiano, quam Dominus proprio sanguine consecravit, & ipso largiente, qui potest, vobis multiplicabitur gratia, in præsenti, & eo duce, qui novit, pervenietis ad æternam gloriam in futuro. Datum ut supra.

III. Ex eodem Spondano omittendum non est factum cujusdam mercatoris Genuensis, cui nomen Inghetio, quod æstimantibus mirabile, novumque apparebit. Spondani verba sunt hæc: *Eo-*

Eodem hoc anno (1280. *num.* 10.) *quamplurimi Hebræi apud Insulam Majoricam, ut refert Nebiensis, Christianæ religioni nomen dederunt, opera Inghetii, mercatoris Genuensis, qui, cum eo commercii occasione appulisset, & forte cum Judæis in disputationem de fide incidisset, quamquam omnis literaturæ plane rudis, tantum tamen prævaluit virtute Spiritus Sancti, ut Judæorum eruditissimos, etiamque ex Aragonia evocatos, convictos, mutosque redditos, fidem amplecti compulerit.*

IV. Tandem, quando narratio ad singulorum facta devenit, Genua, ejusque Dominium summos viros omnis generis genuerunt: plures Romanos Pontifices; inprimis Innocentium IV. ejusque fratris filium Hadrianum V. Fliscos, inter paucos eximios: Innocentium præcipue, qui Dei Ecclesiam armavit legibus, sapientia rexit, & victricibus ultus est armis; quibus nec defuturus fuit Hadrianus, si vita æque sufficisset, ac virtus. Sixtum IV. & Julium II. fratris filium de Ruvere, Pontifices magni nominis, quibus multum debet Ecclesia. Innocentium VIII. de Cybo, inter hos medium, qui meruit vel à Bajazete, Turcarum Imperatore, coli, atque eo ferro lanceæ donari, quo Christi latus apertum est: imo à Deo ipso augeri titulo Sanctæ Crucis, cum triplici inscriptione, eo Pontifice Romæ invento. Insuper Urbanum VII. Castaneam, qui consumatus in brevi, explevit tempora multa, atque ex iis, quæ non fecit, ea, quæ facturus fuisset, ostendit. Siquidem omnium aliorum propinquiorem consanguineum Petrum Millinum (Joannis Garziæ, postea à Paulo V. creati Cardinalis fratrem natu majorem) electionis suæ tempore in Lusitania spoliorum Ecclesiasticorum Collectorem, quem Aula universa vocabat ad Purpuram dominatricem, quemque ipsius Pontificis fessa senecta, & affecta valetudo, uti necessarium adminiculum flagitabat, vix ad Nuncii Hispanici munus admovit; unico usus ad omnium de purpura sermones responso, *Si mei non dominati fuerint, tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo.* Qua animi firmitudine meruit duodecimo Pontificatus die ab ærumnis vitæ mortalis, ut omnino sperandum est, ad immortalis bona transferri. Omnes hi Christi Vicarii ex familiis patritiis, atque in Genuensi Civitate primariis. Dominium vero Genuense ex Urbe Luna, atque ex Sarzana, duos itidem Romanos Pontifices, Sanctum Eutychianum, Christi martyrem, & Nicolaum V. Pontificem laudatissimum, & omni laudi parem, dedit Ecclesiæ. Liguria Ælium Pertinacem, & Proculum Imperatores dedit Imperio. Genua, atque Liguria, innumeris purpuratis Patribus, iisque egregiis, Ecclesiam auxit. Sed, quod caput est, Genua, post acceptam à Sancto Barnaba Apostolo, Sanctisque Nazario, & Celso Christi fidem, numquam ab Ecclesia Romana descivit, adeoque numquam sanguine Martyrum maculata est; at contra proprio sanguine purpurata, ab Saracenis anno 936. & ab Solimano anno 1566. ut supra retulimus. Sed omnibus annis, omnibusque sæculis

V. Genua pluribus Sanctis Martyribus, & Confessoribus auxit aulam Cælestem: Sanctis quinque Antistitibus suis, suique sanguinis Salomone, Felice, Syro, Romulo, Valentino. Insuper Joanne, agnomine Bono, Antistite Mediolanensi, Desiderio Episcopo Lingonensi, & Christi martyre, Secundino, & Urcisino martyribus, Alberto Monacho, Alexandro Saulio Episcopo Papiensi, Catharina Flisca nupta viro de domo Adurnorum, Beato Jacobo de Voragine: nostra autem memoria Carolo Spinula è Societate Jesu, lento igne in Japonia consumpto. Dedit etiam Genua Sanctæ Ecclesiæ Joannem Augustinum Adurnum nostro seculo Clericorum minorum fundatorem, ex qua religiosorum familia Dei cultus doctrinis, ac vitæ sanctitate, & modo illustratur, & deinceps magis illustrandus speratur.

VI. Ex Genuensi Nobilitate Andronicus, Græcorum Imperator, Argentinam Spinulam Theodoro filio, Montisferrati Marchioni, conjugem adscivit; Constantinus Imperator Æcatharinam Gatilusiam, Principis Lesbii Genuensis filiam, duxit uxorem, qui Princeps per eadem fere tempora Mariam Justinianam, filiam Paridis, qui unus erat ex iis, qui Chium Insulam tenebant, conjugem sumpserat, atque hujus generis connubia multa, æque splendida. Thomas, Sabaudiæ tunc Comes, aliquando cum aliquo equitatu Reipublicæ Genuensi stipendia fecit.

VII. Ex hac Patria Christophorus Columbus dedit innumeris mortalibus, Deum ignorantibus, Cælum novum, imo, juxta sui nominis etymologiam, ipsum Christum Deum, quando ejus remigio alarum Euangelium Regni transmisit Oceanum. Si Alexandro Macedoni Christophorus Dux contigisset, Oceanus, jam inde ab rerum initio parturiens, alterum, occidentalem scilicet Orbem, in Macedoniæ sinum effudisset. Sed digna superbo Regis hiatu ingesta offa, illum quantumvis avidis faucibus, solidum deglutire Orbem veterem non valentem, intercluso vitali spiritu, præfocasset: Monarchia enim Dei solius est.

Andreas de Oria † Tyrrheni maris arbiter fuit, imo fere Mediterranei; à Carolo V. Imperatore patris nomine cohonestatus, patris Patriæ, ac ejusdem liberatoris appellationem merito consecutus, ejusdemque Libertatis Conservatoris gloriam (blandis, sed validis tanti, & sibi indulgentissimi Imperatoris conatibus obfirmato animo resistendo) promeritus; dignus omnino per quem Respublica inciperet, nec desineret.

Postremo Ambrosius Spinula, ab Rege Hispaniarum Dux assumptus in Belgio, mox in Germania, tandem in Italia, ei Ducatum adeo feliciter commodavit, ut multas Urbes munitissimas expugnaverit, integras Provincias in potestatem redegerit, semper victor, certe nunquam victus, triginta ferme annis in illo Duce eximiæ virtuti ancillante fortuna.

Operosum esset, nimis egregios Genuenses Duces omnes, eorumque facta recensere, neque hujus operis; sed ab omnibus traduntur Historicis, & apud Genuenses Scriptores eadem non invenimus magnificentius jactata, quam verius.

VIII. Dignitatem ergo Genuensis Reipublicæ à Dominio, à Gubernatione, à Potentia, à rebus gestis, & auctarii loco à Viris Illustribus nobis commode derivasse videmur. Nec magnifecimus quosdam, qui alienæ gloriæ oblatrare non desinunt, atque Genuensibus, suæ Reipublicæ Regios honores asserentibus, multa vel falsa objiciunt, vel futilia, negantes Corsicam Insulam Regni titulo decoratam, cum unum tantum, præter alias probationes luce clariores, ad hoc probandum sufficiat, nempe Catholici Regis auctoritas, qui in Regnorum titulis Regem se Sardiniæ, Cordubæ, & Corsicæ, hoc omnino verborum ordine, profitetur: negantes itidem eidem Reipublicæ Ligustici maris Imperium,

† Aliis dicitur *Doria*, vel *Auria*.

rium, quod illi omnes historiarum scriptores, omnesque Jurisperiti adjudicant, quodque Genuenses sibi tanto suo, ac Saracenorum sanguine pepererunt. Præterquam quod, si idem Catholicus Rex Regem se fert ejusdem Corsicæ, quam nunquam habuit, si Hierosolymæ, quam nec per se, nec per suos Duces adspexit; si magnæ Britanniæ Rex se scribit Franciæ Regem, quod aliquam ejus partem aliquando occupaverit; si Hungariæ Rex titulum merito conservat Regni, cujus pars longe major possidetur ab Imperatore Turcarum; si denique Sabaudiæ Dux Cypri Regium titulum præ se tulit, quamvis Regno numquam potitus sit; multo magis Genuensis Respublica, quæ Cyprum cepit, mox Regi, tributario sibi constituto, restituit, Fama-Augusta retenta, ac nonaginta annis possessa, quæ cepit Cretam, Sardiniam, Majoricam, Minoricam, Eubœam, Lesbum, Melitam, quæ Chium, Smyrnam, Achajam, Teodosiam, atque ad Pontum Euxinum, Mæotidemque Paludem, Urbes, ac Provincias, quas retulimus, diutissime possedit, atque pluries adversus Imperatorum, Regumque maximos conatus asseruit; Regios honores jure optimo sibi quæsivit, & jam in pluribus Aulis Regiis est adepta.

FINIS.

PETRI BIZARI,

SENTINATIS,

PERBREVIS DISSERTATIO

DE VNIVERSO

REIPVBL. GENVENSIS

STATV ET ADMINISTRATIONE.

PETRI BIZARI,

SENTINATIS,

PERBREVIS DISSERTATIO DE VNIVERSO REIPVBL. GENVENSIS STATV ET ADMINISTRATIONE.

Haud absurdum me facturum existimo, si summa fide ac diligentia politicum civitatis Genuensis statum quam brevissimis potero verbis persecutus fuero. Ex Veterum quippe libris ac monumentis satis liquet, hanc Rempublicam primo patrium quodammodo jus diu exercuisse & retinuisse: deinde postquam in potestatem Romani Imperii devenit, annuo quodam magistratu per Consules ab ipsa communi plebe creatos, dudum administratam fuisse, & ad multa tempora assidua quadam serie hanc fere administrationis normam retinuisse, temporisque tandem decursu, circa scilicet annum salutis millesimum centesimum primum, bini Consules addi cœperunt; quorum certe magistratus fuit anceps, adeoque non perpetuus, ut pro temporis rerumque conditione interdum adjungerentur, vel removerentur, prout videlicet popularis animus esset comparatus: duravitque hujus ambigui magistratus varietas ad annum usque centesimum undetrigesimum supra millesimum.

Insequenti etenim anno, priori illo instituto immutato, tres electi Consules cum tredecim viris, quibus rerum civilium cognitio permitteretur: fuitque magistratus hic fere duodecim annorum spatii; postea aucta fuit magistratus dignitas decem Consulum accessione, qui in laborum & dignitatum societatem & communionem recepti, paribus studiis Rempublicam gererent & administrarent. Deinde decursis viginti duobus subsequentibus annis, nescio qua ratione factum fuerit, ut iterum hic numerus immutaretur. Quippe abrogata illa multitudine, ad paucos, nimirum quinos, vel senos, ex omnibus Ordinibus rerum summa administratio devenit. Quo in statu sine ulla singulari immutatione aliquamdiu Respublica ipsa ad annum millesimum centesimum nonagesimum permansit: tum primum Prætor institutus, qui una cum ipsis Consulibus toti rerum summæ præesset. Cujus sane instituti pleræque aliæ Italiæ civitates exemplum secutæ, idem postea fecerunt. Et quia magistratus diversimode instituebantur, Resque publica non semper eodem administrationis genere, uti superius commemoravimus, constitit, magnæ exinde, ceu perenni fonte, ortæ sunt civium simultates, atque, ut passim evenire solet, multis intestinis odiis laboratum & certatum aliquandiu fuit, ad annum scilicet supra millesimum ducentesimum decimum septimum. Nonnunquam enim interea per intervalla temporum Prætor externus accersitus fuit, interdum vero omissus: quandoque etiam consiliarii pro temporum conditione Prætori attributi.

Deinde succedente tempore, ad annum fere salutis humanæ millesimum ducentesimum quinquagesimum septimum, novo quodam excogitato instituto, Præfectus populi creari cœptus, qui, ut olim apud Romanos Censores faciebant, severitatem censoriam in populum ipsum distringeret atque exerceret. Proinde ceu collega perpetuus Prætori in societate gubernationis additus: quo instituto annis fere sex civitas ipsa administrata fuit. Deinceps per novem annos continuos Præfectura intermissa est, non secus ac si omnino sublata esset; totiusque Reipublicæ auctoritas in ipsum solum Prætorem reclinata & derivata fuit. Sed demum parvo interjecto tempore, bini Præfecti ex Patriciorum Ordine allecti & conjuncti ipsi Prætori fuerunt, sub quorum auctoritate & administratione ad annum Respublica stetit. Deinde quia temporis conditio ita ferre & expostulare videbatur, iterum Præfectum & Prætorem ab exteris gentibus accersire placuit, quibus etiam ex communi sententia Abbas, ceu custos populi, additus est. Quam administrationis formam civitas ipsa ad annum millesimum trecentesimum ac duodevigesimum retinuit: quo fere tempore Respublica Genuensis in Joannis XXII. Pont. Romani & Roberti Apuliæ Regis potestatem devenit. Sub quorum imperio urbs usque ad annum millesimum trecentesimum trigesimum quintum permansit. Inde repetito iterum veteri instituto, rursus Prætorem, binos Præfectos, Abbatem, & Antianos, quos vocant, cives Respublica sibi legit; sub quibus exacti sunt anni fere quatuor.

Verum cum illa tempestate Genuæ inter Nobilitatem Factiones orirentur, magnis discordiis civilibus Respublica fuit divexata. Nam pulsis ex urbe Spinulis & Auriis, postmodum gravissimæ enatæ sunt tempestates, quæ intestinis contentionibus mutuisque odiis magnam ansam & occasionem præbuere, ita ut post plurimas receptas clades, operæ pretium Patres se facere existimarent, si perpetui magistratus speciem inveherent atque stabilirent; arbitrati hac potissimum ratione pacem & tranquillitatem civitatis parari & conservari posse: habitisque centuriatis comitiis, de communibus omnium suffragiis Simonem Buccanigram longo rerum usu insignem, novo & inaudito ad illa usque tempora titulo, Ducem ac Principem renuntiarunt. De cujus summi Magistratus prorogatione, ceterisque aliis, quæ ad supremam potestatem pertinent, satis luculenter alibi explicavimus, atque etiam præter cetera ostendimus, anno supra mille quingentos

tos septimo ac vigesimo Genuenses ex permissu Francisci primi Regis Galliarum, ac Theodori Trivultii ejus Præfecti, novum Reipublicæ statum constituisse, illumque proximo anno ab iisdem Principis Andreæ Auriæ auctoritate confirmatum. Etsi autem, qualisnam ille exstiterit, non paucis, neque obscuris verbis libro XX. *Rerum Politicarum* ostensum esse arbitror; nihilominus tamen, quo magis de illo constet, quique magistratus eligi soleant, & quamdiu cives in aliqua dignitate constituti, suis muneribus fungantur, plenius elucescat, operæ pretium fore putavi, si ea omnia hic breviter ac summatim explicarentur; ne quid ab industrio & sollerti Lectore, hac quidem in parte, desiderari possit.

Ex omnibus igitur civitatis Ordinibus, duodecim potissimum cives, quorum nomina ibidem expressimus, in Senatum allecti & conscripti sunt, quorum consilio & auctoritate status Reipublicæ constitueretur. Hi ergo de unanimi voluntate atque consensu diligenter atque accurate omnibus causis perpensis, quæ hactenus illam variis factionibus ac simultatibus involverant, optimum fore censuerunt, ut civilibus odiis extinctis, ac dissensionibus è medio sublatis, quædam gubernationis forma & ratio institueretur: cujus sane quilibet civis nobilis ac virtute præditus, alternatim particeps fieret. Proinde statim abrogarunt decretum diu antea promulgatum, ne quispiam scilicet suprema dignitate fungeretur, nisi esset popularis, & Gibellinarum partium studiosus: itemque multa alia decreta circa magistratuum distributionem lata. Et præter cetera sanxere, ut quicumque in civitate sex domos apertas, & à civibus suæ familiæ inhabitatas haberent, hi vicissim in Magistratuum distributione alternatim succederent. Quæ vero essent minori numero, sed tamen alicujus dignitatis ac existimationis, nec apertas domos haberent, in aliquam earum ex illis duodetriginta, quibus eas habere contigisset, adscriberentur, prout ipsi magis omnino expedire videretur. Nomina vero earum familiarum, quæ octavum ac vigesimum numerum explebant, infra scripta sunt: Auriæ, Calvi, Catanei, Centuriones, Cibo, Cicadæ, Flisci, Franchi, Furnarii, Gentiles, Grimaldi, Grilli, Justiniani, Imperiales, Interiani, Lercarii, Lomellini, Marini, Nigrii, Nigrones, Palavicini, Pinelli, Promontorii, Spinulæ, Salvaghi, Saulii, Vivaldi, Ususmarii. Et quia jam longo usu in urbe receptum erat, ut aliqua insignis & ampla familia ultro sibi alteram cooptaret; eamque quo magis opibus viribusque floreret, in nomen ac societatem reciperet; minime alienum atque absurdum videbatur, publico decreto sanciri, quod prius speciali quadam & privata auctoritate decernebatur.

Deinde placuit, ex illis viginti octo familiis, quarum mentionem fecimus, quotannis Senatum quadringentorum civium haberi, quibus una cum Duce ac Præfectis, totius Reipublicæ cura & administratio committeretur. Ab hoc Senatu Principem, & octo Gubernatores eligi, qui biennio rebus gerendis præessent, & quæcumque ibi forent præcipua, quæque ad Reipublicæ decus atque amplitudinem pertinerent, ex unanimi consensu & voluntate decerni, hosque ipsos una cum Duce constituere ac designare Senatum. Verum si aliqua de re, quæ licet haud minimi ponderis ac momenti esset, non tamen hujusmodi, ut de illa, ceu omnium summa & præcipua, habenda esset consultatio, Senatum debere interponere operam alterius minoris Senatus, suffragiis centum Nobilium, qui numero quadringenti esse solent, delecti.

Caput itaque illius Reipublicæ Dux censetur, quoniam is titulos & honores huic dignitati quam maxime conformes & consentaneos gerit & obtinet; estque antiquus gradus illius urbis, ad quem variis temporibus variæ ac diversæ familiæ, licet diversis & quandoque illegitimis studiis, atque artibus contenderunt. Principatus vero bimulus est; & quamdiu eo munere & honore fungitur, publicas ædes, quas Palatium vulgo vocant, inhabitat, ejusque custodiæ præsidiique causa, quingenti stipatores ac satellites Germanicæ nationis adhiberi solent, in hoc ferme liberi absolutique Principis imaginem ac dignitatem exprimens. Postquam vero Princeps renuntiatus est, à purpura ceterisque Ducum & Principum ornamentis imperium auspicatur, totumque biduum se paludatum conspiciendum publice exhibet: deinceps ad togam coccineam à ceteris Senatorii Ordinis forma haud ita multum absimilem delabitur; retinetque sane in ipso Senatu non mediocrem vel exiguam auctoritatem, quippe cum nullum citra ejus suffragium Senatusconsultum fieri vel sanciri in ipso Ordine Senatorio possit vel debeat, adeo ut, si aliqua Reipublicæ formula inducenda, vel vetus aliqua institutio innovanda sit, omnes consilii rationes, sententiarumque summæ ad ipsum Principem deferri & rejici debeant, nihilque citra ejus auctoritatem constabiliri.

Solet autem Princeps hoc fere pacto constitui & designari. Tertio Nonas Jan. omnes Ordines, qui plerumque communem Senatum constituere solent, in curiam sine prioris Ducis interventu convocari, & convenire moris est; nimirum cum priori Duci post biennii muneris sui defunctionem vacatio plerumque constitui soleat, & ad privatas suas ædes deduci; ea tamen lege, ut inter Ordinis procuratorii viros reliquum vitæ suæ cum summa dignitate, ceu in otio & tranquillitate transigere possit. Coacto Senatu communibus omnium suffragiis duodetriginta Nobiles pro totidem familiarum numero designantur, qui omnium consiliorum socii ab ipsis consiliariis, quorum magistratus biennio definitur, in ordinem cooptari solent, justumque Senatum una cum ipso scilicet Principe constituere: quorum tamen singulorum auctoritas ita ab ipso Principe dependet, ut nihil seorsum, quacumque in re, licet etiam minima, sancire vel præstare possint; quippe cum in gravioribus causis, & quarum consultatio perplexior esse videtur, totius negotii difficultas ipsi majori Senatui communicari soleat, & plerumque reservari, adeo ut sine consilii communicatione & sententiarum rogatione, nihil temere de iis decernatur. Ex his vero consiliariis, duo alternatim unoquoque semestri eliguntur, eorumque electio in hunc fere modum fieri consuevit. Cogitur universus Senatus, cui ipse Princeps una cum suo Ordine patricio interest, iterumque communibus suffragiis viginti octo deliguntur, habita scilicet familiarum, ut antea etiam diximus, ratione, quorum judicio duodecim, vel quatuordecim cives ampliori Senatui proponuntur, ex quorum numero successive, & quasi, quod dicunt, per vices, in purpuratorum numerum adscribuntur & cooptantur. Proximo die par in electione secundi cooptandi in numerum habetur ratio. Nam minor, ut ipsi vocant, Senatus, alios duodetriginta ex omnibus Ordinibus deligit, ex quibus reliquorum Ordinum & magistratuum faciunt supplementum, & absolutam quandam bene institutæ Reipublicæ formam, adeo ut elapso Magistratus tempore, illi, ex his octo, quos Gubernatores vocavimus, vacatione quodammodo impetrata, etiam in Ordinis procuratorii viros transscribantur, & in collegio Procuratorum semper adesse consueverint, qui prius principalioribus Reipublicæ functionibus & partibus admoti fuissent, penesque eos, & ipsum Principem, sit

sit totius Reipublicæ administratio, ita ut etiam ex ipsis, quos diximus, Gubernatoribus, ipsi Principi in eodem prætorio, iisdem fere tectis convivere, & recipi soleant: reliquis ejusdem Ordinis in propriis ædibus habitare permissis, permutatione tamen habitationis ad singulos exacto per vices trimestri transeunte.

Et quia superius satis fuse Procuratorii Ordinis meminimus, operæ pretium me facturum putavi, si aliquantulum clarius rem ipsam pertractavero, potissimum cum in omnibus civitatibus diversæ soleant esse Reipublicæ imagines & formæ, nullæque fere reperiantur, quæ non aliqua ex parte ab aliis, sibi licet vicinis, pro morum studiorumque varietate differant atque dissentiant, sic ut difficile omnino dictu pronunciatuque sit, penes quos hactenus citra aliquam controversiam melior & probatior sit administrationis forma. Nam cum omnis Respublica soleat vel Aristocratiam, vel Democratiam, nunquam vero Monarchiam sequi; fit plerumque, ut aliæ magis hanc, vel illam, amplectantur: qua certe in re cum plures sint, qui ex omni ferme memoria optima quæque in literas contulerint, eamque Reipublicæ imaginem delineaverint, quæ suo judicio perfectissima esse videatur; tamen meo judicio multum inter se dissentiunt. Nam dum quisque quod sibi placet, tuetur & defendit, vel Principum voluntati atque arbitrio inservit; in hoc fere omnes labuntur, ut non satis quid ex communi usu petendum sit definiant. Nec mirum me hercle, cum hujus rei difficillimæ tractatio me de illa scribere volentem, haud parum deterreat, ne judicii rectitudine, quod quam exiguum sit, facile intelligo, destitutus, à vero aberrem: hoc tamen dicere mihi absurdum non videtur, eas Respublicas optime institutas esse, quæ ex Aristocratia & Democratia justo quodam temperamento, hoc est, geometrica quadam proportione, ita sunt constitutæ, ut in illis etiam Monarchiæ ratio penitus non negligatur.

Sed me aliquanto latius forsitan ab instituto evagantem, revocat suscepti sermonis series, quæ, ut de Procuratorii Ordinis viris & institutis paulo fusius edisseram, admonet. Proinde, quo magis hujus Reipublicæ institutionis forma elucescat, non absurdum fuerit, si de Senatorio Ordine seorsum, & ceu per certos gradus dixero. Nam cum in hac Republica multa sint ab ipsa antiquitate petita, singula majori quodam lumine indigent, quam ut in ipso primo aditu prorsus percipi & investigari queant; nimirum cum pleraque videantur à pluribus bene institutis Rebuspublicis petita, sic proculdubio, ut faciles negligenti Scriptori relinquantur lapsus. Quocirca de Procuratorio, ut ipsi vocant, Ordine, exordium mihi distinctionis fecero: estque fere talis, ut nemo in eum recipiatur, nisi prius Principis, & octo Gubernatorum personam sustinuerit, ac supremum illum Magistratum gesserit. Nam nisi Gubernatorum officio functi fuerint, ab hoc Ordine omnino excluduntur, & id quidem non sine summo maturoque consilio: quippe cum his potissima Reipublicæ administratio incumbere soleat, utpote quibus solis proventuum, censuum, & vectigalium cura & administratio relinquatur.

Ceteri vero Magistratus tantummodo circa Reipublicæ civilem gubernationem occupantur. Solet namque tribunalibus & foris judiciariis, præsertim in criminalibus, Prætor extraneus proponi, qui moderatione judicii, summaque rerum cognitione sese æquum & justum judicem præstet. Nam nisi exploratæ fuerit eruditionis, Doctoratusque gradu insignitus, nunquam ad hanc sublimitatem dignitatis assumitur, habitatioque in Palatio, ceu publicis ædibus, adsignatur, quasi ipsi Senatui, totique Ordini Senatorio individuus & collateralis constitueretur comes, præsertim cum Reipublicæ multum intersit, habere virum fide cognitioneque rerum præstantem, qui judicii gravitate summaque diligentia in sontes inquirat, superque omnibus maleficiis strenue cognoscat; licet tamen de capite hominis nihil per se possit statuere, vel sine consensu ipsius Senatus pronunciare. In summa, solet haberi in Prætore designando accurata quædam ratio. Priusquam enim huic officio præficiatur, usu jam receptum est, tres in ordine esse externos Doctores, quibus seorsum judiciarii fori summa & cognitio permittitur. Nam ex tribus, unus ad Præturam, uti diximus, evehitur. Secundus vero, Quæsitoris titulo (vulgo *Judicem maleficii* vocant) insignitur. Tertius autem, Fisci sibi locum vendicat: horumque sententiis & judicio instituuntur processus, nec non causæ ac lites definiuntur; eorumque etiam cognitio maxime ad eos pertinet: Prætorque ipse solet sibi habere subdelegatum, quem ipsi Vicarium nominant; cujus potissimum opera circa res civiles utitur.

Alia Magistratus classis à Romano illo Septemviratu abhorrere non videtur. Cum enim qui huic Ordini præsunt, septem numero esse consueverint, ea etiam dignitate pollent, ut personam Principis publicis negotiis distenti & occupati, repræsentent, ea sane cura, ut omnis eorum administratio & munus sit, ut forenses lites & controversiæ, illorum auctoritate interposita, aut prorogentur, vel absolvantur: pupillis vero, & minorennibus, tutores & curatores assignent. Nam cum lege cautum sit, ne imbecilliori à potentiori vis inferatur, hoc Magistratu commode utitur ipse supremus Senatus, ut, consopitis jurgiis & contentionibus, partes ipsæ altercantes ad gratiam & concordiam redeant: finiturque hujus Magistratus functio plerumque semestri spatio.

Est & alius præterea Magistratus ex quinque potissimum viris, quos ipsi supremos Syndicos vocant, constitutus; videturque Syndici vox tracta esse à Græca appellatione, quasi apud Latinos *Recognitorem* sonet, novo fortasse vocabulo, sed satis ad hujusmodi munus explicandum idoneo; quibus hæc permittitur potestas, ut æque in Principes, ac ipsos Gubernatores, postquam sese suis muneribus abdicaverint, si propter aliquem incidentem casum, puta, si contra legum sanctiones aliquid commiserit, statuere & pronunciare possit, adeo libera & absoluta potestate, ut etiam Princeps ipse, illique octo, quos diximus, Præsides, amoto Magistratu, horum arbitrio, si quid ab illis, dum Magistratum gererent, peccatum & delictum sit, permittatur & subjiciatur. Publicatur enim eorum edictum, quo omnibus injuria & contumelia affectis, jus & integritas contra eos qui Magistratibus functi sunt, servatur: ejusque rei gratia per totum octiduum tribunalibus præsidere, deque injuriis & contumeliis illis illatis, penitius cognoscere & pronunciare solent. Sin vero innocentia vitæ, morumque integritate culpa vacare inveniantur, statim, edito diplomate, absolvuntur; & si incontaminatis moribus, inculpatæque vitæ esse reperiantur, ad procuratorium Ordinem admittuntur. Nam alioquin, nisi horum quinque virorum diplomate probentur, ab ipso procuratorio munere prorsus rejici consueverunt. Fitque nonnunquam, ut ab aliis ejusdem Reipublicæ Magistratibus, ad hos fiat provocatio, ita profecto, ut hujus, cujus nunc mentionem facimus, Magistratus tanta sit amplitudo & dignitas, ut Andreas Auria Reipublicæ liberator & assertor, in hunc Ordinem Plebiscito cooptatus sit: eorumque electio propemodum semper

per per viros Senatorios, qui in minori Senatu selecti fuerunt, fieri solet; habentque juxta Senatum in ipso prætorio locum.

Et quamvis de supremis rerum capitalium judiciis & cognitionibus, satis fuse superius dictum esse videatur; tamen quo magis planum fiat, quo modo hujus Reipublicæ Magistratus instituantur, non alienum fuerit, de singulis officiis, collegis, & tribunalibus, ceu membris, separatim dicere. Quandoquidem cum, sicuti antea diximus, hujus Reipublicæ forma à diversarum sit petita rerum publicarum institutionibus; difficile fuerit, nisi continua quadam serie ob oculos ponantur, omnia intelligere. Proinde deinceps aliquid de civilibus istis politicisque rationibus observandum erit. Cum enim magna in parte Reipublicæ administratio extraneis permitti & concredi consueverit, usitatum quoque est, ut unoquoque biennio de omnium Ordinum consensu v. Doctores jurisperiti, & in foro judiciali non mediocriter versati, à finitimis civitatibus petantur & accersantur, amplo illis constituto stipendio, ut v. viratum hoc scilicet numero instituant, quem ipsi patrio idiomate Rotam nuncupant; quorum præcipua cura & administratio circa res civiles & politicas versatur: quarum ut faciliorem habeant cognitionem, in ipso Ducali prætorio, vel palatio, plerumque habitare solent; causarumque omnium, quarum ipsi notitiam habent, tractatio & judicium, secundum Imperialium legum receptum usum & consuetudinem formantur & deciduntur. Processus vero causarum forensium juxta Ordinem judicialem earum urbium & oppidorum, sub quibus litium initia orta sunt, plerumque judicari & consopiri videmus.

Quod vero ad artium mechanicarum & opificiorum rationem & institutionem attinet; moris est, ut instituantur Censores aliqui, quorum opera, industria, & judicio utantur in observando & perspiciendo, ut forum rerum venalium, atque alii, qui opificia exercent, habeant mensuras, pondera, & alia hujus generis, ad æqualitatis & isonomiæ stateram, & ad justam trutinam, expendantur & examinentur. Sed & præter hos, quos diximus, v. viros, unicuique opificio seorsum aliqui ex Consulum numero præfici, & ab ipsis artificibus cum pleno jure & potestate eligi consuevere; ut ea quæ ad ipsorum opificia & artes pertineant, absolutam quandam rationem habeant, adeo ut horum judicio & auctoritate de alicujus capite pronuncietur, hoc est, de aliquo possit haberi quæstio, plecti exsilio, ad remos & transtra transscribi, aliave pœna & supplicio puniri, prout uniuscujusque meritum & culpa promeruerit.

Et ne aliquid in hac Republica negligatur, cujus ratio à bene instituto Magistratu haberi & expendi debet, exactam quandam militaris disciplinæ curam & rationem omni fere tempore observavit, prout etiamnum retinet. Siquidem distributa civitate in quadraginta decurias, singulis decuriis Præfecti ex patricio Ordine electi, quotannis præponuntur; quorum singulis singulæ centuriæ, ex ipsis, ut vocant, popularibus, militent & subjiciantur: & ita ex universo populo quatuor millia hominum in cohortes militares transscribuntur, ut scilicet ad omnem repentinum casum & incidentem occasionem Respublica non sit inermis & imparata: sed horum opera & strenuitate, ad omnem temporum occasionem utatur. Proinde suspectis ac dubiis temporibus, si Senatui in publicum prodeundum sit, ab ipsis Centurionibus honorifice & eleganter, Nobilium scilicet more, ornatis deducitur & constipatur; urgenteque necessitate, quicquid fuerit suburbani civis & juventutis, armis & militiæ aptum, his præfatis Centurionibus militare & nomen dare, ac illis, omnibus in rebus, dicto audiens esse cogitur. Ceterum, habet ut plurimum Respublica suum generalem, ut vocant, Prætorem, cui suprema militaris disciplinæ cognitio atque tractatio permittatur, adeo ut si aliqua suscipienda sit expeditio, & manus cum ipso hoste conserendæ sint, ipsius ductu & auspiciis omnia administrentur & prospiciantur.

Est & alius præter eos, quos diximus, Magistratus, quem ipsi D. Georgii vocant. Hunc à multis annis, scilicet ab annis septem supra millesimum quadringentesimum institutum, adeo florentem, atque summa dignitate subnixum, omni memoria conspeximus, ut non mirum sit, si hac potissimum tempestate ad supremum honoris apicem devenerit. Nam cum exacto præstantium virorum judicio ad omne laborantis Reipublicæ subsidium excogitatus & institutus esse videatur, ejus certe beneficio Respublica jamdudum stetit, & hoc assecuta est, ut semper rebus dubiis, prosperis & adversis incolumis quasi hoc fundamento constiterit, & ad illum, ceu ad firmissimam ancoram, semper confugerit; vocatusque est D. Georgii Magistratus, eo quod plerumque in ædem D. Georgio sacram P. C. qui huic scilicet Magistratui præsunt, convenire soleant. Habet enim hæc Respublica inter cetera bene institutæ & moratæ civitatis ornamenta, ut licet multis vitæ subsidiis, propter sterilitatem agri urbani, asperitatemque naturalem ipsius soli, destituta, semper tamen viros gravissimos, ingenio, industria, & animi magnitudine excellentes, in lucem protulerit, ac ceu ex perenni fonte, ad utilitatem & salutem posteritatis, multa bene excogitata atque instituta defluxerint; quibus Reipublicæ dignitas potissimum continetur. Namque inter reliqua, non parvum magnæ prudentiæ specimen est, quod Reipublicæ status necessitate belli, vel quavis de causa, in aliquam angustiam conjectus, paratum habeat cogendæ & expediendæ pecuniæ modum, adeo ut superioribus temporibus hic fere instruendi ærarii publici inventus fuerit potissimum modus, scilicet ut qui publico ærario præessent, à privatis civibus pecuniam mutuo sumerent: quod sane ut felicius faciliusque impetrarent, neve hanc subsidii publici rationem aliqua de causa remorarentur, versuram facienti fructus pecuniæ suæ ratione decem, novem, octo, & quandoque septem aureorum pro centenario, ut vocant, prout scilicet temporis ratio ferret, recipiebant; quo sane artificio mirum in modum ad utilitatem publicam excogitato, nervus ipsius Reipublicæ supra modum crevit & auctus est, ita ut dum cives propensione quadam nullo impendii metu deterriti, saluti publicæ consulunt, hoc videantur assequi, ut etiam cum lucro privato commodum publicum haud parum juvent. Ad majorem tamen versuram facientibus præstandam cautionem interdum vectigalia publica, puta vinorum, portoriorum, reique frumentariæ ad tempus elocare ac permittere solent, quod ipsi novo, sed patrio idiomate, *Pedagium Gavi* vocant; cujus certe vocis etymologia cum perobscura sit, haud facile hoc loco explicavero: satis est me declarasse, quibus modis conventiones & contractus inter Rempublicam ipsam & privatos cives fiant & sanciantur.

Quandoquidem tanta in cavendis publicis damnis religio habetur, ut elocationes publici juris, tanquam privatæ emptiones & venditiones forent, mutua adstipulatione obstringantur: & Senatusconsulto cautum & sancitum est, ut quicumque Rempublicam centum libris juvaret, haberet locum in elocationibus vectigalium publicis unum: qui vero ducentis adjuvisset, pari numero duos locos sortiretur,

retur, & sic deinceps, pro scilicet quantitate pecuniæ parem in publico jure rationem, ut superius retulimus, assequeretur. Itaque factum est, ut ejusmodi emptiones miris incrementis augerentur, adeo ut, tanquam per classes, certis distinctæ nominibus distribuantur. Aliæ namque emptiones Capituli, aliæ D. Pauli, nonnullæ salis, prout scilicet cujusque esset ratio & usus, dicebantur: summaque cura & fide à pluribus civibus singulæ procurabantur; quorum videlicet integritate fidei, & prudentia sedulo providebatur, ut fides publica, propter subsidium ærarii privatis istis civibus oppignorata, publica etiam pecunia ex jure pacti & constitutionis, per eos liberaretur; ac reliqui proventus, & pecuniæ publicæ bona fide in ærarium importarentur. Inde autem successu temporis in usum receptum est, ut propter numerum emptionum indies magis atque magis miris incrementis per externas quoque nationes adaugescentem, ad hujus Magistratus (cujus quidem numerus pari modo in immensum excreverat) stabiliendam rationem, accurata quædam deberet adjungi prudentia & cautio, ne quavis de causa propter exterorum inquilinorumque cum civibus ipsis communionem, aliquæ subinde perturbationes confusionesque orirentur, ita ut ad præscindendam futurarum controversiarum ansam, Senatusconsulto decretum sit, ut omnes emptiones, qualescumque etiam essent, & quovis nomine dicerentur, in unicam emptionem, ceu ad quandam particularem massam, redigerentur.

Quæ quidem unica emptio ab hoc S. Georgii instituto Magistratu denominata emptio S. Georgii fuit: cujus quidem emptionis cognitio, regimen & cura, ad octo cives prudentia & dignitate conspicuos, ut versuram facientibus ex vectigalibus publicis satisfieret, delata, & summa cum religione demandata fuit: videturque hic Magistratus hinc initium atque originem traxisse. Et quoniam successu temporis, diligentique observatione minime obscure deprehensum est, hujus præfati Magistratus singulari æquitate & prudentia potissimas partes Reipublicæ gubernari & administrari; non mirum si variis atque diversis temporibus, summæ rerum difficultates & necessitates, hujus consilio superatæ fuerint. Postquam enim numerus, ut ante diximus, locorum mirum in modum augeri cœpit, factum est, ut pecuniæ publicæ, in ærarium publicum conferri consuetæ, valde fuerint diminutæ: sed hac difficultate Reipublicæ laboranti solida cura & fideli administratione hujus Ordinis semper occursum fuit, ea certe felicitate, ut temporis progressu multas circumvicinas civitates atque oppida suo imperio adjiceret. Proinde, ne Patres Conscripti supremi Senatus aliquo modo horum exactam diligentiam & fidem negligere vel præterire viderentur, eos privilegiis donarunt, quæ multis summorum Pontificum, Cæsarum, atque aliorum Principum diplomatis confirmata sunt, adeo, me hercule, ut quamvis hoc munus Georgianum potiori sui parte pendeat à Senatu, minime tamen ipsi subjiciatur. Nam quotiescumque aliqui in supremi Senatus Ordinem cooptantur, jurejurando interposito, dataque fide, summa religione pollicentur, se privilegia Georgiani Magistratus summa cura & animi integritate conservaturos.

Verumenimvero, quia sic naturali quodam nexu comparatum esse videmus, ut omnium rerum nascentium primordia sint per se exigua & infirma; & nisi sensim, ac quasi per gradus dilatentur, donec ad integram & absolutam quandam perfectionem deducantur, non mirum, si in constituendo hoc Magistratu, successu etiam temporis, multæ adinventæ fuerint rationes, quæ ad hunc perpetuandum & adornandum non parum facerent, sic sane, ut hac tempestate minori negotio, sed longe majori cum utilitate, quam antea, ineatur & regatur. Quapropter cum justorum consiliorum ratio ægre in omni Republica, vel etiam aulis Principum inveniatur, & sæpius magnis periculis implicetur, ad Deum ipsum veris gemitibus, meo equidem judicio, confugiendum semper esse censeo, ut bonos Gubernatores rerum gubernaculis admoveat. Nam nisi fidelitatem ipsam in multis proculdubio malis, in ipsius Reipublicæ oculos subinde incurrentibus, opponamus; & nisi multarum rerum cognitionem ad clavum Reipublicæ afferant, ipsam multis malis & periculosissimis involucris involvi aliquando necesse est.

Nam, ut in lege Aquilia videre licet, in Reipublicæ administratione duo sunt potissimum exitiosæ pestes, nempe negligentia & ignorantia; cum hæ duæ conjunctæ, summas contentiones, imo exitium ipsis civitatibus & imperiis nonnunquam afferre soleant, ita profecto, ut, cum multi negligentes in discendo hac nostra tempestate sint, qui, postquam beneficio fortunæ vel plebis suffragiis, potius quam rectitudine judicii, negotiis & consiliis publicis adhibentur, quia ipsorum fontium scaturiginem ignorant, sæpe in dicenda sententia, vel ferendis suffragiis hallucinantur, & magna cum pernicie Reipublicæ, ut ante diximus, insanabiliter peccant: & cum multos passim reperire liceat, qui confisi qualicumque dicendi genere, se haud raro ad Principum voluntatem inflectant; non mirum, si verborum lenocinia, & prætextus quærant, ad ea scilicet negotia ornanda, quæ grata sunt ipsis Principibus, quibus operam & labores suos elocarunt. Inde fit, ut, cum veritas & justitia sophisticis præstigiis opprimantur, multæ & infinitæ postmodum calamitates in ipsas Respublicas introducantur: qua in re essem prolixior, nisi existimarem, omnes bonos indubitata fide intelligere, stationem illam, in quam Deus ipse Gubernatores collocavit, non otiosam & ludicram quandam palæstram, sed veram speculam generis humani esse, ex qua Deus religionem, justitiam, legum & disciplinæ severitatem retineri vult & commonstrat.

Hæc ideo pro mei tenuitate ingenii circa Magistratus & judiciorum tractationem allata sunt, quia longo usu, & magna observatione jam non semel deprehendi, in multis Rebuspublicis, præsertim vero in hac, quam describimus, multas accessiones, & incrementa, non aliunde, quam à maturitate consilii promanasse, & cum publico bono ad posteritatem felici quodam successu provenisse. Nam in primis puto factum esse, ut prudentia hujus honorifici Magistratus multa instituta fuerint, quæ, ut sæpe dictum est, hanc Rempublicam, non semel in summa omnium rerum ac temporum difficultate versantem, conservarunt; cum subinde ex hujus judicio pro temporum conditione sint institutæ sanctiones, novæque præscriptæ leges non solummodo circa causarum cognitionem, & fontium pœnas, verum etiam circa rationem politicam, populos ipsos ac clientes Reipublicæ subditos concernentem, sic sane, ut minime dubitandum sit, rem aliquantulum penitius introspicienti, quin ratione hujus officii corpus civitatis in duas veluti divisum partes, æquabilitate tamen & concinnitate quadam illæsum & incolume retentum & reservatum semper fuerit: quarum certe partium ea major esse videtur, quæ principalem dignitatem, supremumque illum Senatum cum aliis decuriis & Ordinibus conjunctum, continet & denotat: altera vero minor & inferior ea de causa censetur, quia hunc dumta-

dumtaxat Magistratum repræsentat, potissimum cum prior ab ipso prætorio, vel, si mavis, supremo tribunali regatur, universamque urbem complectatur; posterior, Georgiani Senatus beneficio & munere omnino contineatur. Proinde, cum Respublica in duas tantummodo partes dividatur; prior, ut est præstantior, quia communitatem ipsam complectitur, sic certe periculosior, quo magis variis fortunæ casibus & tyrannicæ oppressioni ex Principum licentia & gubernatione pateat. Posterior vero, cum magna ex parte hoc periculo careat, tanto admiratione dignior est, quanto nunquam hactenus à Philosophis, vel aliis de Rerumpublicarum institutionibus scribentibus, animadversa, vel delineata fuerit; præsertim cum eodem circuitu atque ambitu unius civitatis, eodemque etiam tempore possit per partium factiones & studia esse imperii formula quam tyrannidem intelligo, ac libertatis etiam aliqua imago, corrupta tamen, & ad civilem societatem inidonea: cum neminem lateat, in distracta, inæquabili, & bipartita civitate, ipsam justitiam exsulare, vel civium animos in vera communione & consensione coalescere nequire: à quibus vitiis justa hac distributione & isonomia quam longissime semper hæc Respublica abfuit, & in posterum, Deo favente, in perpetuum aberit.

Deinceps vero de hujus collegii Georgiani octoviratu dicemus. Solent nimirum ex Ordine lectissimorum virorum octoviri, quos ipsi Protectores vocant, huic potissimum collegio præfici; quorum scilicet consilio & auctoritate omnis ejus administratio & cura geratur: estque hujus muneris præfectura unius tantummodo anni spatii. Unoquoque siquidem semestri quatuor fere ex omni creditorum civium numero eliguntur, quorum electio hoc fere modo instituitur, ut sortitione ex omni civium creditorum numero facta, octoginta ex urna educantur, quibus statim coeuntibus, iterum de ipsis suffragia habentur, adeo ut octoginta globulis in urnam conjectis, prima sortitione viginti quatuor eductis, confestim perlectis eorum nominibus, in certum conclave seorsum convocentur, in eoque tantisper, nulla exeundi facultate data, permaneant, donec ex omni illo viginti quatuor numero octo Protectores creati & renunciati fuerint, sic ut nemo in hujus octoviratus Ordine recipiatur, nisi sexdecim civium prædictorum suffragatione. Ceterum, cum multa vel necessitate temporis, vel etiam longa consuetudine soleant immutari; non mirum, si & huic collegio non semper idem tenor & ordo constiterit. Nam anno salutis humanæ supra millesimum quadringentesimum quadragesimo quarto huic magistratui aliud collegium paris numeri à Patribus ipsis Conscriptis communibus suffragiis adjunctum fuit; quod quidem ut auctoritate & dignitate priori est inferius, ita etiam appellatione differt, quippe munus viginti quatuor vocari solet: & videtur non sine gravi consilio evenisse, ut hoc, de quo nunc agimus, collegium priori adjungeretur: quoniam cum collegium Georgianum successu temporis, ac fere triginta septem annorum decursu mirum in modum esset auctum & amplificatum, ita ut non nisi cum summis molestiis atque perenni cura isti octo Protectores ipsi collegio præpositi, propter summas ingruentes occupationes negotiorum molem & onus sustinere & absolvere possent; factum fuit, ut summa necessitate adducti, subsidium à subdelegatis requirerent, qui sibi operam & industriam fidelem omnibus in rebus præstarent, potissimum cum emolumenta & reditus illorum sapienti administratione in immensum excrevissent, adeo ut thesaurus publicus horum beneficio majori sui parte continetur: & ab eo tempore perpetua quadam serie hoc inferius collegium inde semper in hunc usque diem quotannis institutum est: cujus certe Magistratus auctoritas tanta est, ut in potestate ac ditione Cyrnum insulam, multasque alias urbes, & non minimi momenti municipia habeat; quorum locorum reditus & vectigalia plerumque ad tuendam amplitudinem Senatus conferuntur.

Satis ampliter puto superius ostensum esse, quænam hujus Reipublicæ forma & institutio pro temporum varietate ac vicissitudine subinde fuerit; ac quo in statu ad annum usque vigesimum septimum supra millesimum quingentesimum constiterit; quo exacto, Principis Andreæ Auriæ auctoritate, propter præclara gesta, summamque in patriam fidem & indefatigatum laborem, communi omnium consensu in Republica florentis, confirmata, & publicis suffragiis corroborata fuit; ac sollemni Senatusconsulto sancitum, ut ex eo præscripto ac instituto omnia deinceps consisterent atque constabilirentur. Proinde cum incredibili totius urbis lætitia & voluptate huic rei applausum atque assensum fuit, adeo ut, sublata omni seditionum ac simultatum ansa, universa civitas in animorum quadam consensione coaluerit: in eaque tranquille ac pacifice perseveratum est, usque ad annum ejusdem sæculi quadragesimum septimum; quo quidem tempore commissum fuit, ut propter novi decreti promulgationem, multis motibus & periculosis conversionibus summa occasio in posterum præberetur, donec tandem quorundam optimorum juxta & potentissimorum Principum, de Reipublicæ salute & tranquillitate solicitorum cura & diligentia, & in primis quidem Cardinalis Moroni Pontificii Legati, viri, præter natalium splendorem, præstantissimis animi corporisque dotibus insigniti, singulari prudentia, industria, & auctoritate, ac immensa rerum gerendarum peritia effectum est, ut civium animi diversis studiis distracti, necnon gravissimis dissensionibus laborantes, consopitis controversiis, obliteratisque privatis contumeliis, ad pristinam concordiam, ac mutuam benevolentiam redirent: & mox Reipublicæ administratio iis præcipue commissa fuit, qui legitimum magistratum gerere solent, ac debent. Hæc postrema reconciliatio incidit in annum ejusdem ævi septuagesimum sextum.

Ceterum non me latet, multos fore, qui hanc meam historiam, ceu imperfectam, damnare, vel saltem merito accusare posse sibi videbuntur, quod scilicet ad calcem, continuata perpetua rerum gestarum serie ac enarratione, non perduxerim. Non inficior sane, haud exiguam subesse severioribus æstimatoribus querimoniæ ansam, si horum ultimorum motuum causas, atque decursus, ceu extremum hujus operæ nostræ laborem, exacte à me desiderent. His non habeo equidem quod fortius opponam, quam modestiam, & animi candorem, omnia benigne atque sincere interpretantis: ideoque merito excusabor, si hujus nostræ Reipublicæ ultimo subsecutam conversionem, singulatim, & prout quæque res gesta fuerit, assiduo contextu non explicaverim; præsertim cum viderem, me diligenti inquisitione nihil, præter meras conjecturas, deprehendere potuisse. Proinde satius esse duxi ab his, quæ mihi essent ambigua, supersedere, quam temere historiæ nostræ seriem turpi mendacio adspergere.

Interim tamen id unum, quod hac in parte præstare potuimus, nullo modo neglexinus, ut scilicet ultima Reipublicæ constitutio certis Senatusconsultis, ceu diversis capitibus delineata, his nostris laboribus conjungeretur. Ex hac nimirum, ceu ex limpido speculo, videre cuivis licebit, quam gravi

gravi consilio, post tot longas deliberationes, à Senatu aliisque Patribus Conscriptis, allaboratum fuerit, ut Reipublicæ status emendaretur, & tranquillitatis constituendæ causa antiquatis multis legibus atque Senatusconsultis, superioribus temporibus pro illorum conditione & diversitate sapienter excogitatis & latis, nova Reipublicæ forma induceretur; ad quam deinceps, tanquam ad filum Ariadnæ, mores & disciplina Reipublicæ duceretur & attemperaretur. Hinc etiam omnibus rectis ac bene institutis ingeniis manifestum clarumque, uti arbitror, fiet, quanta prudentia, rerum difficultates interdum superantur; quanta denique sollertia adhiberi oporteat, ut, collapso rerum statu, Reipublicæ dignitas restituatur, & amputatis atque recisis ex eadem omnibus contagiosis membris, ejusdem corpus curetur, sic me hercle, ut in posterum non citra injuriam temporum similis Reipublicæ pestis verenda sit. Hoc si præstiterit amplissimus hujus Reipublicæ Senatus, testes illi, quorum judicium longo usu atque rerum experientia est probe informatum: Ego, absit omnis assentatio, nihil unquam vidi præstabilius, nihil dico cum majori sapientia conjunctum, quam illam Reipublicæ formam, quæ nunc in manibus hominum est, & exempli petendi causa ab omnibus cordatioribus evolvitur. Faxit Deus Opt. Max. ut correctum atque egregie emendatum Reipublicæ statum, posthac magis atque magis concordia fulciat, & perpetuis, rectis, atque sanis consiliis ad sui gloriam, religionisque Christianæ propagationem stabiliat atque conservet. Ita fiet, ut florentissima Respublica cum maximis quibusque civitatibus non solum se exæquare, sed jure multas multis parasangis superare possit.

F I N I S.

REIPVBL. GENVENSIS
LEGES NOVAE,

A LEGATIS SVMMI PONTIFICIS, CAESARIS, ET REGIS CATHOLICI,

In quos per Rempublicam collata fuerat auctoritas,

CONDITAE,

ET GENVAE DIE XVII. MARTII M. D. LXXVI. PVBLICATAE,

Ac in lucem editae

A

PETRO BIZARO.

PROOEMIVM.

POST restitutam Genuensi Reipublicæ Libertatem, quæ Andreæ Principis Auriæ, civis optimi, ac de Patriæ dignitate, & salute potius, quam de propria solliciti, virtute, & beneficio donata, ac recuperata fuit: cœperunt paulatim, ac sensim in animis Ligurum serpere tacitæ simultates, ac occulta dissidia, quæ postmodum tractu temporis, crescente hominum cupiditate, & ambitione, florentibusque divitiis (ut opulentiæ comes est superbia) ita exarserunt, ut natæ continuo ex nimia felicitate intestinæ seditiones, publicos in civitate tumultus, & civilia bella excitarint. Jamque eo ventum erat, ut omnes Italiæ Principes ex his rerum initiis, supremas ac miserabiles periclitantis Reipublicæ clades ominarentur, atque inde timerent, ne bellum in Italia omnibus exitiabile, nec facile extinguendum exardesceret: quando Gregorius Decimus tertius Pontifex Maximus, Maximilianus Cæsar Secundus, & Philippus Secundus Hispaniarum Rex, de Reipublicæ Genuensis salute anxii, ac Italicæ quietis studiosissimi, singulari clementia, ac pietate permoti, Legatos ad Rempublicam miserunt; qui eorum auctoritate, & prudentia, tumultibus, dissidiis, & controversiis sedatis, restitutaque pristina quiete, Italicis tumultibus jam pullulantibus occurrerent. Hi fuere Joannes Episcopus Ostiensis Cardinalis Moronus, Sacri Collegii Cardinalium Prior, Legatus è Latere, &c. Petrus Faunus Costachiarius, Acquensis Episcopus, ac Imperii Princeps, Oratorque & Commissarius Cæsareus: Don Carolus à Borgia Gandiæ Dux, ex primariis Hispaniarum Proceribus, & Don Joannes de Idiaquez, Catholici Regis Consiliarius, & apud eosdem Genuenses Orator. Expositis autem Principum suorum mandatis, & obtentis à Republica, pro ea reformanda, amplissimis facultatibus, nihil habuerunt antiquius Legati, quam Rempublicam male compositam, ac proinde fluctuantem, sanctissimis Legibus, & Decretis instituere, ac stabilire: Ligurumque ingenia nimia felicitate lascivientia, & inter se dissidentia componere. Id, quod DEO *optimo maximo bonorum omnium auspice, & auctore, fuerunt consecuti. Quod igitur felix, faustumque sit, prodeunt in lucem sacrosanctæ Leges pro Genuensis Reipublicæ reformatione, sub felicissimis tantorum Principum auspiciis conditæ, quibus posthac in ea civitate vivendum erit. Quæ uti à prudentissimis viris, & suapte natura, & ingenio, quam maxime ex Principum suorum jussu, Genuensis libertatis studiosissimis, summa diligentia, & studio compilatæ sunt; ita ab omnibus istius Reipublicæ civibus alacri, & prompto animo recipi, admitti, & tamquam sola, & unica salus labentis, & cadentis Reipublicæ, & Libertatis observari debent.*

IN

IN NOMINE SANCTISS.^MAE^ ET INDIVIDVAE TRINITATIS.

JOANNES EPISCOPVS OSTIEN. CARDINALIS MORONVS, SACRI COLLEGII PRIOR, SANCTAEQ. SEDIS APOSTOLICAE DE LATERE LEGATVS, &c.

PETRVS FAVNVS COSTACHIARIVS, SACRI IMPERII COMES, ET PRINCEPS, EPISCOPVS ACQVENSIS, CAESAREVSQVE ORATOR, ET COMMISSARIVS, &c.

DON CAROLVS A BORGIA GANDIAE DVX, &c. ET DON JOANNES DE IDIAQVEZ, SACRAE CATHOLICAE MAJESTATIS CONSILIARIVS, ET APVD GENVENSES EJVSDEM ORATOR, AMBO MINISTRI CATHOLICI REGIS, &c.

CAP. I.
De Religione.

ADMONENT nos & sacrosanctæ Leges, & Prudentum responsa, ut, antequam de formanda Republica, & de humanis Legibus condendis cogitemus, ad Christianæ Religionis cultum respiciamus. Adducimur etiam exemplo nonnullarum Provinciarum, quæ statim atque à Religione Christiana deviarunt & declinarunt, ipsæ etiam declinare ac demum ruere cœperunt. Propterea prospicientes Rempublicam Genuensem semper, & omni tempore Christianæ Religionis cultricem fuisse, existimavimus illud tantum esse providendum, ut illustrissimus Dux, & Gubernatores statim atque petitum fuerit à reverendissimo Antistite, in causis, quæ ad forum suum spectant, & à reverendo Inquisitore, pro coercendis, & castigandis Hæreticis, & suspectis, brachium, & auxilium suum prompte concedere debeant. Insuper advertent, & cavebunt, ne aliquid contra clericorum personas, bonave Ecclesiastica, eorumve immunitates, aut adversus Ecclesiasticam libertatem aliquid committant, aut à Magistratibus committi permittant. Et quoniam Principis, & supremorum Magistratuum mores in civitate maxime observantur, & spectantur, excitanturque populi, & subditi majorum exemplis ad eorum imitationem; ut cultus divinus principaliter observetur, hortamur excellentissimum Ducem, Magnificos Gubernatores, & Procuratores, ceterosque in civitate Magistratus, ut diebus saltem Paschatis, & Nativitatis Domini, in Ecclesia Archiepiscopali à reverendissimo Præsule sanctissimam Eucharistiam publice, & reverenter sumant; diebus sollemnibus in Ecclesia majori mane conveniant; ibi divina, Verbumque Dei audiant, & tempore Quadragesimæ prædicationibus frequenter intersint.

CAP. II.
Constitutio unici Ordinis, & de reassumendis naturalibus familiis.

AD Reipublicæ Genuensis instaurationem, aut potius institutionem manum apposituri, juxta Principum nostrorum facultatem, & auctoritatem, illud primo ante oculos habuimus, nihil esse quod recte institutam Rempublicam facilius labefactare, ejusque radices, ac fundamenta radicitus, & funditus exstirpare, atque evellere possit, nihil quod ejusdem vitalem spiritum penitus extinguere valeat, quam ordinum, nominum, colorumve divisio, & disparitas, ac perniciosæ in civitate civium factiones. Neque enim dubitandum est, quin statim atque abominanda hæc pestis in Republica fundamenta jecerit, cives omnes, posthabito publici, ac communis boni, & commodi studio, ac desiderio (quod in libero cive præcipuum esse deberet) ad proprii coloris augmentum, & ad contrariæ factionis oppressionem temerario impetu ac cursu impellantur: quæ postmodum futuræ & proximæ Tyrannidis speciem aut imaginem referunt. Id, quod in hac potissimum Genuensi Republica proprium, & præcipuum esse, tum prisca, & vetera, tum etiam nova exempla (quod summæ miserationis est) clarissime demonstrant, & oculis nostris subjecerunt. Hisce igitur exemplis, imo certa ratione commoti (quod instaurandæ hujus Reipublicæ caput, & basim existimavimus) hac perpetua, & inviolabili Lege sancimus, & decernimus, tollendas esse omnes divisiones, quæ hactenus in hac civitate malo suo exstiterunt, tam quæ nomina, aut cognomina personarum, quam quæ ordinum, colorum, factionum, aut locorum denominationem concernunt; atque ita tollendas, ut & radicitus exstirpatæ, & à memoria hominum deletæ, & abolitæ penitus, & in totum esse censeantur. Et ut facilius hoc animi nostri propositum executioni demandari possit: volumus, & expresse mandamus, abroganda, & antiquanda esse nomina Nobilium Veterum, & Novorum, seu Aggregatorum, aut Popularium, eorumve, qui intus, forisve sunt, Porticuumque sanctorum Petri, & Lucæ, & omnia alia nomina, cognomina, appellationes, & denominationes, tam personarum, quam colorum, aut factionum, familiarumque, aut (quod dicitur) Albergorum, necnon locorum, & porticuum, quæ hactenus in usu, aut potius ab usu fuerunt; & omnia alia, quibus inter cives divisio induci, aut conservari possit; ita ut qui posthac hasce abominabiles recordationes, aut quamlibet earum renovare, aut instaurare ausus fuerit, aut de eis contentiose loqui, omnibus honoribus, & commodis Nobilitatis ipso jure, & facto privatus censeatur. Declarantes insuper pro bono, justo, quieto, & pacifico Reipublicæ regimine, omnes, qui nunc in libro Civilitatis descripti sunt, & qui in futurum juxta Legum nostrarum formam describentur, & omnem earum dispositionem explebunt, ita

ita in ipsa Reipublicæ administrandæ jurisdictione, & auctoritate esse pares, & æquales, ut nulla penitus disparitate, aut inæqualitate discernantur, & non minus, ac si eadem die, & hora omnes ad moderandæ Reipublicæ facultatem promoti, aut evecti fuissent. Volumusque nunc, & perpetuo adesse unum, solum & singularem, nullisque terminis, aut numeris divisum Nobilitatis, & civium Rempublicam administrantium ordinem.

Insuper cum usus ipse plane docuerit omnes hasce privatas simultates, civiliaque, ac intestina dissidia originem, fomentum, ac incrementum habuisse ab his assumptionibus alienarum familiarum, & insignium, quæ per eos, qui Nobilitati adscribebantur, hactenus factæ fuerunt; volentes hanc malorum omnium radicem, & caput tollere, & exstirpare, Mandamus, & enixe injungimus omnibus, & universis civibus in libro Civilitatis descriptis, & qui ab anno 1528. citra alicujus familiæ nomen, & stemmata assumpserunt, ut in futurum, & perpetuo ipsi, ac eorum descendentes propriæ, ac naturalis familiæ insignibus, cognomine, & denominatione tam in voce, quam in quacumque publica, aut privata scriptura utantur, dimisso penitus nomine, & appellatione cognominis assumpti, & insignibus. Non obstantibus quibuscumque Statutis, Legibus, Decretis, aut consuetudine, in contrarium disponentibus. Idem intelligatur in omnibus, & per omnia in his, qui in futurum in Ordinem Nobilitatis cooptabuntur.

Cap. III.

Declaratio Artium Mechanicarum.

Angustiae loci, & hominum multitudini, ac regionis sterilitati compatientes, ipsius denique civitatis antiquum morem mature considerantes, Declaramus artes infra scriptas, si modo quæ infra exerceantur, nihil præjudicare Nobilitati; artes scilicet Serici, Lanæ, & Pannorum, quas vulgus Seateriam, Lanariam, Pannariam & Draperiam vocat. Eademque ratione artem eam, qua quis merces omnium rerum in magna quantitate, & non minutatim vendendas in officina aliqua retinet, qui lingua materna *Fondaghieri all' ingrosso* nuncupantur; dum tamen Nobiles ipsi neque eas propriis manibus exerceant, neque in apotheca resideant.

Notarios insuper, qui instrumenta, & ultimas hominum voluntates domi suæ, vel in infirmorum ædibus conficiunt; dum tamen nec scamnum, seu apothecam privatim, aut publice retineant, nec præcepta scribant, minusque apud aliquod tribunal actuarii exsistant; dignitati suæ, ac Nobilitati nequaquam derogare decernimus.

Nobiles præterea, qui rei nummariæ, ac cambiorum negotiationi operam dant, dummodo contractus fœneraticios, & cambia illicita, & à sanctionibus Pontificiis damnata non exerceant, ad Magistratus, & alias ipsius civitatis dignitates admitti possint. Si secus fecisse legitime damnati fuerint, ultra alias pœnas à jure inflictas, omnibus Magistratibus, ac dignitatibus, & in administratione Reipublicæ honoribus ipso jure privati sint.

De his vero Nobilibus, qui publica vectigalia, quas gabellas passim nuncupamus, & publicos redditus emunt, conducuntve; illud statuendum esse duximus, ut inter Nobiles censeri valeant, si à mercenariis, & exploratorum officiis hoc in negotio abstinuerint, & præsertim si nec ad portas, pontesve in spectandis mercibus, nec in lustranda regione pro explorandis fraudibus, vel mercede conscribendis licentiis, aut libris, aut aliis hujusmodi operam suam impenderint.

Eos quoque summa ratione à Nobilitate non esse excludendos arbitrati sumus, qui navigationi egregie operam dant: quod antiqui Genuenses his artibus magnum Patriæ, & sibi nomen compararunt, posterisque suis gloriam propagarunt, indeque quotidie Urbi ipsi maxima commoda proveniant. Itaque Navarchos, quos vulgus magnarum Navium, & Triremium Capitaneos, & Patronos vocat, nequaquam Nobilitati suæ derogare decernimus.

Ceteras autem omnes alias artes, in quibus manuum artificium versatur, & præsertim quando res emuntur, ut in aliam formam manuum opera mutentur, & vendantur, Mechanicas, & Nobilitati repugnantes declaramus.

Cap. IV.

De Nobilibus nunc, & quotannis creandis.

Cupientes Rempublicam hanc quotidie magis augeri, & florescere, existimavimus nihil esse quod ei majus incrementum afferre possit, quam si bonis civibus, & qui in Rempublicam propenso sunt animo, quorum numerosa est in hac civitate copia, consequendæ Nobilitatis præmia proponantur: hoc enim pacto fiet, ut multi hac spe gloriæ, & honoris allecti, ad virtutem, ac ad de Republica benemerendum accendantur.

Nobiles pro hac prima vice quomodo creandi.

Hi igitur, qui hodie ad Nobilitatem adspirant, vel eam quovis jure, aut decreto sibi deberi prætendunt, describi se curabunt apud quem Senatus decreverit. Mox ex illustrissimis duobus Collegiis quinque sorte extrahentur, qui pro hac vice Magistratus officio fungentur. Jurabunt isti in primis in manibus Ducis se legaliter, & fideliter, ac secreto munus suum expleturos. Habebit hic ordo notulam omnium prætendentium, seu candidatorum, & omni diligentia, fide, ac silentio sine scriptura aliqua singulorum qualitates inquiret, receptasque uniuscujusque informationes Senatui, duobus Collegiis, ac minori Concilio simul coactis fideliter referet. Quibus mature perpensis, si quis eorum duas partes ex tribus suffragiorum feret, adscriptus Nobilitati censebitur; qui vero secus, pro ea vice à Nobilitate exclusus erit. His, qui hac prima vice inter Nobiles assumi cupiunt, si Genuæ, vel in Dominio fuerint, statutum intelligatur tempus sex mensium à die promulgatarum præsentium Legum, intra quod assumi curent; his vero, qui absentes erunt, anni unius. Quod si in dicto tempore non assumentur, sciant se omnino, & prorsus exclusos esse à sua prætensione. Non obstantibus quibuscumque Decretis, sive generalibus, sive particularibus, aut descriptionibus quibuscumque; quæ omnia penitus, & in totum irritamus, & annullamus. Declarantes hisce salvum esse jus tantum, hanc assumptionem obtinendi in numero eorum, qui quotannis ad Nobilitatem evocandi sunt: si modo servarint ea, quæ in præsenti Sanctione sancita sunt. Ceterum his, qui hac prima vice ad Nobilitatem adspirant, non oberit Artes Mechanicas exercuisse, modo eas omnino dimittant ante assumptionem. Aliis autem qualitatibus, quas in his, qui jure ordinario & in singulos annos cooptandi sunt, requisivimus, nullo pacto careant. Filii, quos Nobiles isti postmodum de legitimo matrimonio suscipient, & ipsi Nobiles intelligantur.

In Nobilium numero descripti, qui hactenus Artes Mechanicas Nobilibus præsentium Legum vigore interdictas & exercuerunt, & exercent, intra annum à promulgatione præsentium, vere, & cum effectu eas dimittant. Interim vero privilegiis Nobilitatis non careant. Quod si intra alium annum, quem ex post ex gratia indulgemus, intra quem

quem tamen perfrui Nobilitate non licebit, omnino Artes Mechanicas non reliquerint, statim ipso jure, & facto perpetuo à Nobilitate ejecti censeantur: & uti Legum, & Nobilitatis contemptores, non possint amplius ad eam restitui. Horum filiis, dum pater inter Nobiles erat, natis non oberit paterna ejectio, modo ipsi à Mechanicis Artibus abstineant, nec aliud privatione dignum committant. Post vero ejectionem, & ante adeptam Nobilitatem nati non censeantur Nobiles; sed virtute ad instar ceterorum viam sibi ad parandam Nobilitatem sternant.

Insuper statuimus, ut singulis annis in ipso Januarii mensis initio illustrissima Dominatio, cum duobus Collegiis, ac minori Concilio diligenter consideret, ac perpendat, an eo anno aliqui sint inter Nobiles adscribendi: quod si visum fuerit aliquos cooptandos esse, non possit ultra decem, ex civitate scilicet septem, ex Ripariis vero tres, Nobilitate insignire. Cum igitur de assumendis Nobilibus decretum fuerit, illustrissima Dominatio, descriptis omnibus utriusque Collegii nominibus, curabit diligenter, ut sorte quinque extrahantur, qui omni diligentia, fide, silentio, & prudentia, & sine ulla prorsus scriptura informationes universaliter sumant, quinam illi sint in civitate, & Ripariis, quos magis Nobilitatis splendore dignos, & Reipublicæ profuturos existimarint; ut suo tempore in Senatu, & minori Concilio distincte, & sine ulla fraude referre valeant. Quod ut melius & salubrius efficere possint, coram excellentissimo Duce juramentum præstabunt, quod eorum munus fideliter explebunt. Et nihilominus qui vota dare debebunt, ipsi quoque norint, se ceterorum diligentia à propria negligentia non esse excusatos.

Hos autem, qui hoc splendore Nobilitatis cohonestari cupiunt, convenit bonæ vocis, & famæ esse; ex legitimo matrimonio natos; ab omni Arte Mechanica per triennium ante abstinuisse; omnique hæreticæ pravitatis, seditionis, aut criminis infamiam irrogantis labe mundos esse; civitatemque Genuæ, vel Riparias (debite referendo) cum vitæ integritate, morumque honestate diutina, majorum habitatione incoluisse oportet.

Qua ratione ipsis civibus sit vivendum, & ad regimen Reipublicæ accedendum.

CIVES ipsi, postquam Nobilitate modo, quo supra insigniti fuerint, non possint amplius in futurum aliquam artem Nobilibus prohibitam exercere; alias ipso jure, & facto privati Nobilitate perpetuo exsistant.

Ad Concilium autem majus non prius admittantur, quam per quatuor annos Legem Nobilitatis servarint. Ad minus Concilium, ac Magistratus, tam in dominio, quam in civitate, dempto Senatu, Procuratoribus, ac supremis Syndicatoribus, non prius promoveantur, quam sex anni fluxerint à die cooptationis in Ordinem Nobilitatis. Inter Senatores, & Procuratores non describantur, nisi lapsis annis decem ab adepta Nobilitate. Ad supremum vero Ducatus culmen, non nisi annis quindecim elapsis, evehi possint. In reliquis vero aliorum Nobilium commodis perfruentur.

CAP. V.

De conficiendo libro Civilitatis.

CUM administratio Reipubl. Genuensis his tantum civibus credita sit, qui in libro Civilitatis descripti sunt, & pro tempore legitime describentur, existimavimus convenire, quod liber hic certa aliqua cum ratione, & lege compiletur, & regatur, conscriptusque diligenter custodiatur. Propterea volumus quam primum in libro egregie compacto, & consuto, & numeris suis in unaquaque pagina distincto, describi per Cancellarium, aut Scribam ab illustrissima Dominatione deputandum, præsentibus tamen illustrissimo Duce, & duobus ex Magnificis Gubernatoribus sorte extrahendis, omnia nomina eorum civium, & Nobilium Genuensium, qui in libro Civilitatis nunc descripti reperiuntur, cum eorum nominibus propriis, ac patrum suorum, & cognomine propriæ ac naturalis familiæ suæ, dimissa assumpta, si quam habent. His addi volumus nomina omnium, quos ex his, qui descripti sunt, legitime natos esse constiterit: etiam quod absentes à civitate sint. Alios vero, si quos describi continget, non nisi servata forma à nobis præscripta, in eo libro referri volumus.

CAP. VI.

De libris Nobilitatis diligenter custodiendis.

POSTQUAM Nobilitatis liber modo, quo jam sanximus, completus erit, volumus ejus exemplar fideliter, & ad verbum expleri. Horum alterum illustrissima Dominatio, alterum magnifici Procuratores perpetui servabunt. Nemo audeat super aliquo eorum scribere, nec novum aliquod nomen, aut familiam addere, aut jam inscripta nomina, aut familias delere, aut in eis, eorumve aliquo quicquam penitus, nec syllabam immutare, nisi Cancellarius ad id per illustrissimam Dominationem deputandus; atque id, non nisi præsente, & mandante illustrissimo Duce, & duobus ad id muneris nominandis: nec super aliquo eorum aliquid inscribat, aut aboleat, nisi etiam super altero itidem perficiat. Et hæc omnia observari volumus sub pœna falsi. Statim autem ac omnia inscripta erunt, quæ illustrissimus Dux, & duo deputandi ut supra mandaverint, libri in locis jam destinatis reponentur. Quod si in aliquo horum aliquid abrasum, aut additum, quod suspicionem pariat falsi, comperietur, sciant hi, quorum fidei librorum custodia commissa est, se hujus temerarii facti, aut negligentiæ suæ rationem reddituros.

CAP. VII.

Compositio urnæ pro Seminario majorum Magistratuum.

CONSCRIPSIMUS centum & viginti Patres ex toto Reipublicæ corpore, summo studio & diligentia selectos, qui prudentia, virtute, rerum experientia, & in Patriam meritis visi sunt præstantiores. Qua in re illud tantum in animo habuimus, ut Reipublicæ conservationi, & publicæ quieti hac optimorum virorum electione consuleremus. Eorum autem nomina in urna reponi jussimus; ut majorum Magistratuum, quorum consilio hæc Respublica in futurum moderanda erit, celebre, atque elegans sit Seminarium. Verum non videtur plene satisfactum nostris mentibus, nisi etiam provideatur, quo pacto Seminarium hoc, tanta cum ratione constitutum, à fraudibus, quæ contingere possent, sartum, tectumque conservari debeat; qua item ratione extrahendorum deficientium, aut ejiciendorum (si qui erunt) numerus singulis annis suppleri possit. Sancimus igitur in primis horum nomina cum familiæ, & patris denominatione in membranis, seu chartulis ejusdem materiæ, formæ, ac magnitudinis describi; easque uniformi ratione complicatas in capsula ferrea reponi debere; quæ sine trium clavium diversarum ministerio aperiri non possit. Harum unam excellentissimus Dux, aliam Procurator natu major, tertiam vero Cancellarius ab illustrissima Dominatione deputandus servabunt. Claudetur capsula

la hæc ita firmata in alia ferrea, quæ excellentissimi Ducis fidei committetur. Clavium autem duarum, & diversarum, quarum opera capsa hæc major reseranda erit, altera apud unum ex supremis Syndicatoribus, qui alios ætate præcellat; altera apud unum ex Legum Conservatoribus custodietur.

Ad hæc volumus præcipuum librum confici, in quo uti diligenter & fideliter eorum civium nomina, prout in membranis, & chartulis, quæ in capsula conduntur, jacent, descripta erunt, ita deficientium extrahendorum, nec non eorum, qui tamquam facti indigni ejicientur, nomina, & ex adverso nomina eorum, quos in talium locum subrogari continget, indices referri debere decernimus. Hujus autem libri custodiam, & rationem Conservatoribus Legum committendam duximus.

Ubi electio aliqua facienda erit Gubernatorum, & Procuratorum; quæ in singulo semestri medio mense Junio, & medio Decembri fiet coram duobus Collegiis, ac Concilio minori, adsistentibus etiam Conservatoribus Legum; illustrissimus Dux capsam deferri mandabit, & per puerum annorum ad summum decem ab illustrissima Dominatione vocandum, quem tunc publicis impensis vestiri volumus, aperire, ab eaque per eundem puerum quinque nomina, aut chartulas, quæ prius sedulo commixtæ sint, extrahi; ex quibus, tres, quorum nomina primo loco educentur, Gubernatores, & duo postremi Procuratores constituantur: si tamen prius Conservatores Legum eos superstites esse, & præsentes, vel non distantes à civitate centum millibus passuum, ita ut termino quindecim dierum vocati ad Magistratum accedere possint, nec ex Legum nostrarum serie aliquo modo factos indignos recognoverint. Si ex his, qui forte extracti erunt, aliqui mortui sint, aut postquam in urna conditi sunt, facti indigni ex Legum nostrarum norma; nulla harum chartularum ratio habeatur: sed alii eorum loco statim educendi erunt per puerum. Quod si in eis aliqui erunt absentes ultra centum milliaria, eorum nomina in urnam, aut capsulam reponentur, aliis extractis. Si vero ex his, quos puer primo educet, reperiantur duo, aut tres unius familiæ, ita existimavimus convenire, ut primus in Gubernatorum numerum electus intelligatur; secundus in Collegium Procuratorum cooptatus; tertii vero nomen, seu chartulam in urnam reponi mandamus. Si vero ex ultimo extractis ambo reperiantur ejusdem familiæ, postremum in urnam conjiciendum esse, altero educto, volumus. Eorum munus biennio duret, quo lapso, omni Magistratu vacent.

Ubi supplendus erit numerus extractorum, mortuorum, & eorum, qui uti facti indigni, ejicientur, quem omnino in fine cujuslibet anni suppleri volumus; eliget mense Decembri Concilium minus, concurrentibus tribus partibus ex quinque suffragiorum, ex universa Nobilitate duplicatum numerum eorum, qui reponendi sunt in urnam; qui tamen requisitis qualitatibus non careant. Horum nomina ad Concilium majus mittentur; quod, sumptis de more suffragiis, frequentiori calculo eliget eos, qui ad complendum urnæ numerum necessarii sunt; & ubi paribus votis contendatur, nec contentio bis sumptis suffragiis tolli posse videatur, tunc sorte ex eodem Concilio quinque eligantur, qui paritatis contentionem votorum imparitate tollent. Si de aliquo, qui præsens sit, suffragia ferenda erunt, ipse omnino à voto abstinebit, ne in propria causa judicium ferat. Idem intelligatur sancitum ubi de patre, filio, fratre, socero, aut genero suffragia ferenda erunt. Licebit unicuique in Concilio minori unum tantum omnium votis discutiendum nominare; modo nec patrem, nec filium, nec fratrem, nec socerum, aut generum nuncupet. Horum, qui Concilii majoris judicio aptiores fuerint existimati, nomina in chartulis, seu membranis conformibus, & paribus, ut dictum est, conscribantur, & in capsula recondantur, necnon in librum diligenter referantur.

CAP. VIII.

Firmatio numeri Gubernatorum, & Procuratorum.

SANCIMUS in posterum, Collegium Gubernatorum ex duodecim civibus consistere: Procuratorum vero ex octo, ultra perpetuos.

CAP. IX.

Quod in Collegio Gubernatorum, nec Procuratorum non possint duo ex eadem familia esse.

UT autem unusquisque in partem munerum & Magistratuum se vocatum esse sentiat; volumus geminos ex eadem familia in Gubernatorum, nec Procuratorum Collegio eodem tempore positos esse; unum vero in singulo Collegio concedimus, ultra Ducem, & perpetuos.

CAP. X.

De qualitatibus, quæ in Magistratibus civitatis requiruntur.

NULLUS ad Magistratus, nec ad aliqua ex Conciliis assumatur, nisi habeat in civitate Genuæ domicilium, aut in ea habitet. Habitare autem, & domicilium habere quis intelligatur, si cum parentibus, aut in domo conducta in urbe majori anni parte vivat.

De majori Concilio.

CONSILIARII majoris Concilii, quod Principis, seu Reipublicæ personam refert, minores annis viginti quinque ne sint: liceat tamen his, quibus creandi hujus Consilii auctoritas data est, usque ad sexaginta eligere, qui vigesimum secundum annum excesserint: si ita eis expedire videbitur. Artem aliquam Nobilibus non concessam per triennium ante non exercuerint. Excipiuntur ab hac sanctione hi, qui vigore præsentium Legum in termino anni, aut biennii, Artes Mechanicas deseruerint.

De Concilio minori.

QUI ad Concilium minus evocandi sunt, pro medietate annorum sint non minus triginta: pro alia vero ad minus viginti septem, (Doctoribus, & Medicis exceptis) qui, si reliquis qualitatibus non carebunt, biennio ante recipi poterunt. Sint civitatis habitatores, commodum habeant in civitate, aut dominio patrimonium. Artem aliquam Mechanicam, & Nobilibus non concessam, per quinquennium ante non exercuerint.

De Magistratibus civitatis.

QUI in civitate Magistratum aliquem obire sperat, sit Nobilis, & major annorum viginti septem, artem aliquam Nobilibus interdictam per annos octo non exercuerit. Ad duos Magistratus obeundos eodem tempore nemo admittatur; quod si quis ad secundum eligatur, possit, primo retento, alterum repudiare; ubi vero rejecto primo, secundum maluerit, disponatur de primo juxta Legum decreta.

CAP. XI.

De electione triginta Electorum.

IN fine Decembris cujuslibet anni coram illustrissimis Collegiis conveniet Concilium minus in nume-

numero à nobis præſcripto; ibique licebit unicuique eorum civem unum, modo non ſit pater, filius, frater, ſocer, aut gener, nec à civitate abſit: ubi tamen in eo concurrant qualitates, quas in Concilii minoris Patribus requiſivimus, ex univerſo Nobilium cœtu nominare; & concurrentibus tribus partibus ex quinque, ſeliget triginta cives optimos: quibus electio majoris, & minoris Concilii commiſſa erit. Quod ſi de aliquo, qui Concilio interſit, aut ejus patre, aut filio, fratre, ſocero, aut genero ſuffragia ferantur, advertent Conſervatores Legum, & auctoritate excellentiſſimi Ducis providebunt, ut ille omnino à voto abſtineat: eademque auctoritate providebunt, ne Conſiliarii, etiam ex cauſa neceſſaria, à Prætorio recedant, niſi perfecto opere quod cœperunt.

CAP. XII.
De electione majoris Concilii.

HORUM triginta civium, qui Electores vocantur, munus erit eadem die, ubi id fieri poſſit: ſin minus, immediate ſequenti ſummo mane, auditis prius divinis, coram illuſtriſſimo Duce, & Gubernatoribus in Prætorio convenire; ibique ex univerſa civium Nobilitate, demptis abſentibus, hiſque, qui tunc Conſiliarii munus obeunt, & quibus qualitates à Lege requiſitæ deficiunt, quadringentos Patres eligere; qui futuro anno Concilium majus, & perſonam Principis, ſeu Reipublicæ referant; concurrentibus tamen tribus partibus ex quinque ſuffragiorum. Inter hos autem licebit eis uſque ad ſexaginta cives in eo ordine referre, qui annum vigeſimum ſecundum tantum exceſſerint: ſi ita eis expedire videbitur.

CAP. XIII.
De electione Concilii minoris.

CONSCRIPTA hac electione Patrum, ex eis ſeligent eodem ordine, & numero ſuffragiorum centum viros, qui qualitatibus à Lege requiſitis non careant. Hi autem ita electi Concilium minus conficiant. Quod ſi numeroſæ hæ electiones prima die abſolvi non poterunt, redibunt Electores ſequenti die; nec à Prætorio diſcedere audebunt, niſi perfecto negotio. Confidimus autem Electores pro eorum virtute, & prudentia, poſthabitis omnibus affectibus, aptiores, & digniores ad unumquodque munus nuncupaturos, & familiarum omnium congruam rationem habituros.

CAP. XIV.
De tollendis controverſiis, quæ in electione triginta Electorum oriri poſſent.

LICET, ſublatis antiquis Legibus, quæ quandoque in Republica diſcordiis, & ſimultatibus inter cives cauſam aut occaſionem præbuerunt, introductiſque novis Legibus, ac conciliatis civium inter ſe animis; auxiliante DEO optimo maximo bonorum omnium auctore, nobis jure ſperandum ſit, Rempublicam hanc optimorum civium conſilio, & auctoritate, ſemotis penitus omnibus ſimultatibus, ac diſſidiis, adminiſtratum iri, & omnium Magiſtratuum electiones ſumma cum animi temperantia, & moderatione fieri debere; nihilominus ad ea etiam proſpicientes, quæ vix accidere poſſe confidimus, exiſtimavimus non eſſe ab re, ſi certam aliquam formam hiſce Magiſtratuum electionibus præſcriberemus: ubi aliquas earum in controverſiam deduci continget. Iccirco ubi Concilium minus in legitimo numero coactum pro ſeligendis triginta civibus, ad quos paullo ante diximus pertinere jus conſtituendi Concilium majus, item minus, id operis termino horarum octo non perfecerit; Volumus ex numero Gubernatorum, & Procuratorum, qui præſentes erunt, educi ſorte quatuordecim, qui, juncti Concilio minori, concurrentibus tribus partibus ex quinque, ex his omnibus, qui prius per Concilium minus nuncupati fuerunt, tot eligant, quot ad implendum numerum triginta neceſſarios eſſe cognoverint: quod ſi hi omnes, modo quo ſupra, non poterunt numerum triginta electorum ſex horarum ſpatio implere, termino horarum duarum cum frequentiori ſuffragiorum numero implere electorum numerum conabuntur. Quod ſi id aſſequi non poterunt; ex hoc corpore (nempe Concilii minoris, & adjunctorum) volumus ſorte undecim Patres tolli, qui voto careant: reliquos vero ex iiſdem nuncupatis, concurrentibus pluribus votis, eos eligere debere, qui ad implendum numerum triginta Electorum defuerint.

CAP. XV.
De tollendis controverſiis, quæ in electione majoris Concilii oriri poſſent.

POSTQUAM triginta, quos Electores diximus, de univerſo Nobilium cœtu, demptis inhabilibus, & aliis, quos ſupra diximus, ſumptis de more ſuffragiis, periculum fecerint; nec reperti fuerint tot cives, qui, concurrentibus decem & octo votis, pro implendo Concilio, idonei judicati fuerint; iterum per eoſdem Electores de his omnibus, qui prius integrum & præſcriptum ſuffragiorum numerum non retulerunt, vota ferantur. Et ubi ſecunda hac vice nec dum opus perfici poſſit, mandamus decimari numerum Electorum ſorte; ita ut vacantibus tribus à ſuffragio, cum frequentiori reliquorum voto deficiens Concilii majoris pars ſuppleatur.

CAP. XVI.
De tollendis controverſiis, vel in eligendo Concilio, caſu ſubortis.

QUOD ſi in eligendo minori Concilio, ſumptis ſuffragiis ſuper univerſo Concilio majori prima vice, numerus impleri non poſſit; volumus iterum ſumi ſuffragia de his, qui, licet habiles ſint, tamen integrum, & legitimum numerum non retulerunt; & ubi, concurrentibus tribus ex quinque votorum partibus, non poſſit centumviralis ordo compleri, tunc cum majori ſuffragiorum numero deficiens Concilii minoris pars eligatur: quod ſi adhuc difficultate paritatis laboretur, mandamus ſorte decimari numerum triginta Electorum; ut ejectis tribus votis, paritate omnino ſublata, major ſuffragiorum frequentia Concilium minus impleat.

CAP. XVII.
De tollendis diſſidiis, quæ in eligendo duplicato numero pro implendo Seminario oriri poſſent.

SI vero in electione duplicati numeri per Concilium minus eligendi, eorum, qui quotannis ſubrogandi ſunt, ut in urnam, aut Seminarium eorum nomina conjiciantur, aliquæ emergant difficultates; illud, pro eis ſuperandis, ſervare mandamus, quod ſupra, in creandis per minus Concilium triginta Electoribus, ſancivimus.

CAP. XVIII.
De ſubrogationibus Magiſtratuum, aut Officialium.

UBI vel morte, vel abſentia, vel alia ex cauſa Magiſtratum aliquem, aut Conſiliarii munus vaca-

vacare contingat; hi, quibus subrogandi auctoritas demandata est, alterum in ejus locum quamprimum eligant, qui eas qualitates, & conditiones habeat, quæ Legibus nostris præscriptæ sunt; serventque eosdem modos, & formam, quæ in principalis delectione servata fuit. Auctoritatem vero supplendi deficientes in utroque Concilio, duobus Collegiis, ac minori Concilio præsentium vigore demandatam esse voluimus.

Cap. XIX.

Quot vota requirantur in decisionibus Collegii Gubernatorum.

Ea, quæ à Gubernatorum Collegio, & tractanda, & stabilienda erunt, si octo suffragiis concurrentibus approbata fuerint, decreta & sancita intelligantur, & exsecutioni mittantur: salvis tamen, & exceptis his casibus, in quibus certa Lege majorum suffragiorum concursum requisivimus.

Cap. XX.

De tollendis contentionibus, quæ in dicto Collegio oriri possent.

Qvod si aliquæ suboriantur contentiones, atque ea ratione negotia expediri non possint; Volumus Collegium Procuratorum vocari, ut collato simul negotio, interveniente legitimo suffragiorum numero, quod justum, & conveniens fuerit, sanciatur. Sed si nec dum ingenia hominum convenerint, (quod tamen speramus non futurum) mandamus acciri Consilium minus, ut prudentia, & æquitate sua, rejectisque animorum affectibus, frequentiori calculo controversum negotium concludendo pertinaces hasce contentiones, & maxime indignas tollat.

Cap. XXI.

Quot vota requirantur in decisionibus Collegii Procuratorum.

Ea vero, quæ à Procuratorum ordine sunt terminanda, nonnisi concurrentibus duabus partibus ex tribus suffragiorum valide poterunt deliberari.

Cap. XXII.

De controversiis Collegii Procuratorum casu exortis tollendis.

Si autem inter Collegas nata contentione, impediantur rerum exitus; sancimus adeundum esse Collegium Gubernatorum; ut junctis votis, & trutinato negotio, conformibus animis, quod æquum fuerit decidatur. Si vero etiam labor iste sit infructuosus; volumus per Consilium minus modo, quem paullo ante formavimus, omnem hanc indignam, & maxime vitandam controversiam præcidi, ac dirimi.

Cap. XXIII.

De modo tollendi controversias in duobus Collegiis ortas.

Eadem ratione volumus præcidi contentiones, quæ casu oriri possent in terminandis his caussis, & negotiis, quæ sui natura ad duo Collegia simul juncta pertinent.

Cap. XXIV.

De legitimo numero Consilii majoris, & minoris.

Vbi cogendum erit Consilium majus, non intelligatur esse plenum, & legitimum, nisi, computatis illustrissimis Collegiis, impleat numerum tercentum. Consilium vero minus, nonnisi convenerint octoginta, ultra duo Collegia. Excipitur tamen à præsenti Sanctione casus ille, quando Consilium minus, pro eligendis his, qui in locum demortuorum, vel absentium subrogandi sunt, vocabitur; licebit enim tunc temporis, cum minori numero, & intervenientibus tantum his, qui poterunt convenire, Consilium minus legitime congregare: modo adsint duo collegia.

Cap. XXV.

De qualitatibus in Duce requisitis.

Suprema est in Republica Genuensi Ducatus dignitas; proinde convenit eum, qui ad tantæ dignitatis culmen evehendus est, uti auctoritate omnibus præstat, ita animo, virtute, consilio, ac rerum omnium experientia, pollere; ut dignitati, & auctoritati, quam præ se fert, virtutes animi egregie respondeant. Sancimus igitur neminem ad id muneris assumendum, nisi ita cum Nobilitate splendorem animi conjunxerit, ut à quacumque arte Nobili viro interdicta per quindecim annos omnino abstinuerit; de legitimo matrimonio, civitatisque habitatorem, majoremque annis quinquaginta esse oportet. In publicis vero Conciliis, vel Magistratibus, aut legationibus, Reipublicæque administratione ita versatum esse cupimus, ut tanti ponderis molem feliciter ferre valeat: ita lautum ei sit patrimonium, quo tanti muneris auctoritatem, & dignitatem, commode sustinere possit.

Cap. XXVI.

De forma servanda in electione Ducis.

Qvo sublimius est Ducalis dignitatis culmen, eo optatius etiam, ac magis ambitiosum videtur. Proinde existimavimus rectæ administrationi maxime convenire, si perplexa quadam electionis ratione, immoderatæ hominum cupiditati, quantum fieri possit, in hoc comitiorum genere occurramus, curemusque quantum fas est, ut civium vota libera sint. Ubi igitur de eligendo Duce agendum erit, conveniet Consilium majus; ibique allatis decem pillulis auratis, quæ diversis litterarum notis inscriptæ sint, ita ut una cum altera nullo modo conveniat, sorte educatur ex urna, in qua prius recondantur, una ex pillulis, cujus nota, seu inscriptio nemini, nisi Conservatoribus Legum pandatur: mox juxta Principis suggestum statuatur urna, in qua quinquaginta globuli aurati condantur, qui eam litterarum notam inscriptam habeant, quæ paullo ante sorte educta fuit: his addantur tot globuli argentei, nulla litterarum nota inscripti, qui junctis quinquaginta auratis, Consiliariorum numerum æquent; quique auratis & magnitudine, & pondere, & forma, & materia sint omnino similes, seduloque commisceantur. Ex his unusquisque Consiliarius, demptis tamen duobus Collegiis, unum sorte, & sine fraude educet. Is, cui auratus obvenerit, confestim Censoribus, qui urnæ assident, conspiciendum, & recognoscendum tradet; mox occulte nomen alicujus civis, quem tanto munere dignum judicaverit, ex toto Nobilitatis corpore, & iis qualitatibus, quas requisivimus, præditum, conscribet in chartula; deinde è comitio exibit; ita ut nec vota ambire, nec cum aliquo colloquia miscere possit. Eductis omnibus auratis pillulis, illustrissima Collegia nomina omnium, qui in chartulis descripti fuerint, legent, & in numerum redigent: quod si nominati ad vicenarium numerum non adscenderint, eorum nomina, quibus aurata sors cecidit, in urnam conjiciantur, & iterum extrahantur; ut repetita per eos nuncupatione,

tione, numerus ille vicenarius impleatur; quem ita terminavimus, ut non minor sit viginti: ultra autem esse possit usque ad quinquaginta. Horum nomina quotquot fuerint, vocatis etiam illis quinquaginta, quos nuncupatores auratos diximus, per Concilium majus discutientur; quindecim vero ex his, qui plura retulerint vota, intelligantur ad Ducatum propositi. Horum autem quindecim nomina ad Concilium minus discutienda mittentur; & sex, qui majorem suffragiorum partem, quæ tamen minor non sit, quam tres ex quinque, retulerint, iterum ad postremam Concilii majoris discussionem remittentur. Ex his unus, qui in votis hominum prævaluerit, pro Duce renuntiabitur. Quod si vota paria fuerint, iterum ferenda erunt suffragia; si vero eadem paritate contendatur, tunc, sorte prius è Concilio ejectis quinque & repetita votorum collectione, omnino tolletur paritas.

Cap. XXVII.
De pyxide.

Vt liberiora sint uniuscujusque vota, liceatque cuilibet in suffragiorum collectione ex animi sui voluntate, & prout conscientiæ suæ stimulus, vel ratio suggeret, votum, aut nigrum, aut album dare, absque eo quod timeat, ne assidens aut vicinus, cui forte promissa fuit suffragii gratia, cognoscat pollicitationem non esse observatam; voluimus formari novum pyxidis genus, qua cum in futurum suffragia danda esse decernimus: & non alio modo, aut forma. Erunt igitur geminæ pyxides, seu urnulæ simul junctæ, & undequaque clausæ; diversis coloribus ita distinctæ, ut una earum affirmativam, altera vero negativam demonstret, quæ affirmativam designat, posterior sit; quæ vero negativam, prior: in hac adsit ita latum foramen, ut immissam manum, & usque ad ingressum secundæ pyxidis tendentem, facile admittat. Qui favorabile votum ferre intendit, immissa manu in foramen, & in secundam usque urnulam extensa, pillulam seu globulum dimittat in vas annexum, quod facile, obducta manu, divelli à superiori pyxidis parte poterit: qui vero contrarium votum ferre voluerit, manum pariter usque in secundam urnulam extendet; verum pillulam, vel immittendo, vel retrahendo, in priorem urnulam, aut pyxidem, quæ negativam refert, dimittet: omnibusque votis collectis, subductisque vasibus geminis, quæ conjunctæ pyxidi subsunt, videri facile poterit ex quantitate pillularum, quæ in nigrum, aut in album vas ceciderunt, quæ pars prævaluerit.

Globuli, quorum usus in hoc opere necessarius est, lanei, aut linei, aut serici sint oportet; ne cadentes, aut dimissi, strepitu suo vicinis qualitatem voti demonstrent, sintque ejusdem coloris; cum non color eorum, sed locus, seu vas, in quod immittuntur, voluntatem votum dantis denotet.

Cap. XXVIII.
De habitu Ducis, & Magistratuum.

Dvx, Gubernatores, Procuratores, ac Magistratus, quibus justitiæ civilis, & criminalis administratio commissa est (quod maxime ad Magistratus dignitatem pertinere videtur) togati incedant, juxta formam ex antiquis Legibus præscriptam.

Cap. XXIX.
De syndicatu Ducis, Gubernatorum, & Procuratorum.

Nihil est quod optimos quosque viros in fide & officio facilius contineat, quam virtutis amor, gloriæque & honoris præmium: malos vero, timor Legum, & pœnarum. Propterea optimo jure constitutum est, ut Magistratus omnes, finito eorum munere, syndicatui subjiciantur; ut mali, debitas pœnas subeundo, aliis sint exemplo: qui vero laudabiliter & fideliter se gesserint, debito commendationis & laudationis præmio non defraudentur. Quare laudabilem morem Reipublicæ approbamus; ut non modo Gubernatores, & Procuratores, verum Dux ipse, finito munere, Supremorum inquisitioni, & notioni subsint: qui tamen non nisi respectu eorum, quæ ab unoquoque eorum in Magistratu commissa sunt, eos inquirere, aut coercere possint: ratione vero eorum, quæ per Collegium Gubernatorum, aut Procuratorum, aut per ambo Collegia simul juncta fuerint contra Leges, decreta, aut ordinata, æquum non est eos singulariter teneri. Licebit tamen Supremis, ubi aliquid tale commissum cognoverint, Consilium minus vocare; quod, audita causa, quod justum, & conveniens fuerit, frequentioribus votis decernet. A sententiis per Supremos ferendis in causis syndicatuum, ubi de privatione vitæ, honoris, aut inhabilitatione ad Magistratus agatur, appellari possit ad Consilium minus; hujusque judicii instantia sexaginta dies non excedet.

Cap. XXX.
De Gubernatoribus, & qualitatibus, quæ in eis requiruntur.

Qvi ad Reipublicæ gubernacula sunt promovendi, eos non modo claritate Nobilitatis splendere decet, verum etiam prudentia, rerum experientia, ac fide præditos esse. Proinde sancimus ad hoc munus eligendum, & Nobilem esse; ac civitatis habitatorem; & ab artibus, quæ Nobilibus interdictæ sunt, per decennium abstinuisse: ad hæc annorum sit ultra quadraginta; conveniens dignitati habeat patrimonium; & ubi decoxerit, non admittatur, nisi prius integre suis creditoribus satisfecerit: in Consiliis autem, & aliis Reipublicæ muneribus ita se gesserit oportet, ut apud omnes non mediocrem sui spem, & opinionem concitaverit. Unus tantum ex eadem familia in eo Gubernatorum ordine exsistat, ut supra.

Cap. XXXI.
De qualitatibus, quæ in Procuratoribus requiruntur.

Qvas in magnificis Gubernatoribus qualitates requisivimus, easdem in magnificis Procuratoribus necessarias esse decernimus.

Cap. XXXII.
De Præfecto generali triremium, & de Præfecto triremis, & quæ in eis concurrere debent.

Grave est admodum pondus, quod fidei, & prudentiæ Præfecti triremium committitur. Propterea convenit eum, qui huic muneri præficiendus est, Nobilem esse; ab omni arte Mechanica saltem per annos octo prorsus abstinuisse; nec minorem annis triginta esse; Magistratumque aliquem, aut Consiliarii munus feliciter obiisse, aliis item qualitatibus, quas in Gubernatoribus requisivimus, nequaquam carere oportet. Triremis autem Præfectum, & Nobilem, & annorum viginti quinque esse necesse est.

Cap. XXXIII.
De Gubernatore Corsicæ, & ejus necessariis qualitatibus.

Corsica nobilissima est Genuensis Dominii pars. Quare decet eum, qui ad moderandam

Ccc cc eam

eam insulam mittendus est, & Nobilem esse; & omnibus his qualitatibus præditum, quas in Gubernatoribus requisivimus.

Cap. XXXIV.

De Commissariis cum suprema auctoritate deputandis.

Commissarii in Dominio cum suprema auctoritate deputandi nonnisi Nobiles, & annorum ad minus quadraginta eligantur; sed & qui Mechanicas artes per annos octo non exercuerint, & Consiliarii munus, & alterius in urbe Magistratus personam sustinuerint; sciantque maxime eis convenire, ut suprema auctoritate, quæ eorum prudentiæ commissa est, mature & consulto utantur. Quod si secus fecerint, sciant se Syndicatoribus per illustrissimam Dominationem ex laudabili more deputandis, ultra alia inquiri, & coerceri solita, se barattariarum, concussionum, extorsionum, violentiarum factarum exactam, & severam rationem reddituros.

Cap. XXXV.

De Oratoribus, & Legatis ordinariis.

Oratores, & Legati, qui per illustrissimam Dominationem ad supremos Principes transmittuntur, ut ibi resideant, non possint ultra triennium in ea Legatione esse, neque id temporis aliquo modo prorogandum est, nisi ex gravissimis causis, judicio eorum, ad quos eorum electio pertinet: neque id ultra annum fieri conceditur.

Cap. XXXVI.

De electione nonnullorum Magistratuum.

Postquam judicio duorum Collegiorum, & Consilii minoris, concurrentibus tamen tribus partibus ex quinque suffragiorum, nuncupati fuerint duo, aut ad plus quatuor cives; pro unoquoque infra scriptorum officiorum, qui qualitatibus requisitis in his, qui ad minus Consilium promovendi sunt, non careant; omnia eorum nomina ad Consilium majus transmitti volumus, ut judicio suo, aptiorem unicuique muneri calculorum frequentia declaret.

Quorum Officiorum nomina sunt hæc:

Praetor Savonæ.
Commissarius, aut Capitaneus Clavariensis.
Commissarius, aut Capitaneus Spediæ.
Commissarius, aut Capitaneus Sarzanensis.
Gubernator Corsicæ.
Locumtenens ultramontanus, seu Capitaneus, aut Prætor Ayacensis.
Commissarius Bonifacii.
Commissarius Calvæ.

Alia vero munera, quæ per duo Collegia, & viginti octo cives conferri solebant, in futurum per duo Collegia, & Consilium minus, concurrentibus plusquam tribus ex quinque omnium suffragiorum, conferri volumus. Quibus addere voluimus eadem ratione conferenda, Præfecturam triremium; Legationes ad Principes destinandas extra Dominium; Præfecturas militum prætorianorum, qui forum, & prætorium, & urbem custodiunt, Præfecturam Arcis Savonæ, & Sinus Spediæ.

Cetera vero officia, quæ per illustrissimam Dominationem solam, aut per illustrissima duo Collegia tantum, aut per Collegium Procuratorum simpliciter conferri solebant (demptis tamen supra exceptis) eadem ratione in futurum conferenda esse censemus.

Cap. XXXVII.

De Præfectorum nonnullarum arcium qualitatibus.

Maxima est habenda ratio arcium, & munitorum locorum, quæ Reipublicæ propugnacula sunt. Iccirco decernimus arces infra scriptas nullius fidei committendas esse, nisi Nobilium, qui annum excedant trigesimum, & per annos octo aliquam artem Mechanicam non exercuerint; quique in Consiliis versati quandoque fuerint; aliisque virtutibus præditi sint, quæ ad obeundum tale munus necessariæ sunt.

Arces omnes, & munitiora loca illustrissimæ Dominationi subjecta, his tantum exceptis, quæ & quas non descriptis committendas, & committenda esse duximus.

Cap. XXXVIII.

De officiis conferendis in cives non descriptos.

Conveniens est eorum etiam rationem habere, qui in libro Civilitatis descripti non sunt: nam cum & ipsi Reipublicæ onera subeant, & patiantur; æquum est etiam eos Reipublicæ commodis, & fructibus perfrui, & gaudere. Sancimus itaque infra scripta officia, quum primum vacaverint, in cives non descriptos, & non in alios, omnino conferenda esse. Ea tamen lege adjecta, quod ubi in aliquo eorum agatur de tractanda publica, vel aliena pecunia, non prius ad illud obeundum admittantur, quam idoneam cautionem præstiterint.

Omnia officia Scribarum, & Notariorum, tam eorum, qui à Secretis sunt illustrissimæ Dominationis, quam qui Collegio Procuratorum, Officio S. Georgii, Supremis, Prætorii, Rotæ, tam civili, quam criminali, omnibusque Magistratibus, tam in civitate, quam in Ripariis, in insula, & demum in universo Dominio assident.

Officia omnia Consulum rationis.

Omnia officia Receptorum pecuniarum, quos vulgus Capserios appellat, tam apud Officium S. Georgii, quam apud licitatores vectigalium, & omnium redituum publicorum.

Officium unum inter Censores: inter Conservatores Sanitatis unum: inter Præfectos annonæ unum.

Praturas insuper infra scriptorum locorum.

Tabiae.	Vultabii.
Rapalli.	Costæ vadorum.
Castrinovi.	Varaginis.
Gavii.	Stellæ.
Framuræ.	Castilioni.
Montis rubei.	Rimazorii, & Manarolæ.
Vernatiæ, & Corniliæ.	Portus Veneris.
Sigestri.	Corvariæ.
Trioriæ.	Carri, & Castelli.
Moneliæ.	Godani.
Vuadæ.	Arculæ.
Cerianæ.	Vezzani.
Recchi.	Præfecturas arcis Lericensis.
Petræ.	Arcis Sarzanellæ, & arcis Gavii.
Cervii.	
Andoriæ.	

Et omnia alia officia jam dictis inferiora, quæ aliàs per illustrissima duo Collegia conferri solebant. His addere voluimus infra scripta alia officia, in quibus cives etiam non descripti participare poterunt.

Officia Vicariatus.

Savonæ.	Novarum.
Clavari.	Spediæ, & Bastitæ in Corsica.

Omnia

Omnia autem ſupra dicta officia, & quæque alia, quæ tam deſcriptis, quam non deſcriptis conceduntur, gratis conferri mandamus: excepta tamen Gabella, quam Stagii vocant; cui nullum afferre præjudicium intendimus.

CAP. XXXIX.

De Scribis, ſeu Secretariis.

JUSTIS rationibus moti, noluimus officium Scribarum, qui excellentiſſimo Duci, ac Gubernatoribus à ſecretis inſerviunt, perpetuum eſſe, ſed quinquennii curriculo præſcribi debere; neque prorogari poſſe ultra triennium, ſi ita è re ipſius Reipublicæ eſſe, hi, quibus hujus electionis auctoritas demandata eſt, concurrentibus duabus partibus ex tribus ſuffragiorum, arbitrati fuerint. Horum electio excellentiſſimo Duci, duobus Collegiis ac minori Conſilio credita eſt: qui ex omnium civium non deſcriptorum numero, virtute, probitate, moribus, prudentia, continentia, ac fide inſignes, & huic muneri aptiores, quique ætatis ſuæ annum vigeſimum quintum expleverint, eadem votorum frequentia, quam in prorogatione requiſivimus, ſeligent. Hoſce, ubi munus ſuum fideliter, & legaliter expleverint, voluimus Nobilitate donare, quam ipſo jure, & facto ſtatim ac ab officio cum commendatione dimiſſi fuerint, adipiſcentur; ut tam inſignis præmii, & gloriæ deſiderio victi, ad bene de Republica merendum accendantur.

Horum, qui nunc in officio hoc ſerviunt, cum virtus, fides, probitas omnibus ſatis perſpecta, & cognita ſit, munus quinquennio adhuc durabit: ſi ita hi, qui eligendi eos jus habent, arbitrati fuerint; ſine ſpe prorogationis. Lapſo autem tempore, vacabunt, & omnia acta, ſcripturas, litteraſve, quæ ad eorum munus pertinent, ſucceſſoribus ſuis in officio integre conſignabunt: quas in publico Archivo recondi, & diligentiſſime conſervari volumus. Non intendimus tamen hac Lege tollere laudabilem morem ipſius Reipublicæ: quinimo decernimus teneri eos ſingulo anno ab illuſtriſſima Dominatione litteras confirmatorias obtinere, in fidem, & teſtimonium bene geſti muneris ſui: quas ſi impetrare non poterunt, à ſuo munere ceſſent. Non obſtantibus quibuſcumque decretis, Legibus aut ſtatutis in contrarium exiſtentibus, ſi quæ ſunt.

CAP. XL.

De Conſervatoribus pacis.

POSTQUAM Dei optimi maximi beneficio, novis Legibus promulgatis, & æquo animo receptis, ac inter cives ſincera & inviolabili pace ſancita, amplius de bello agendum non eſt, cum maxime ejus Magiſtratus jam ſublatus ſit; viſum fuit conſtituere ordinem civium, quos Conſervatores pacis appellamus. Horum præcipua cura erit, matrimonia tractando, & ſtabiliendo, civium animos, quoad fieri poterit, vincire, & conjungere. De ſimultatibus vero, & rixis, quas indies inter cives oriri contingет, ſedulo inquirent, eaſque, quam citius fieri poterit, (ne morbus iſte, in Republica adeo exitioſus, altius ſerpat) conciliatis hominum animis, tollere, & radicitus exſtirpare conabuntur. Contumaces, & eorum dicto non audientes, ad illuſtriſſimam Dominationem deferent, quæ cauſa cognita, opportune providebit: non retardato tamen curſu juſtitiæ. Pro horum electione, ex illuſtriſſimis Collegiis tres ſorte eligentur, quorum ſinguli duos ad hoc munus idoneos nuncupabunt. Horum autem tres, qui frequentiori calculo recepti fuerint, pacis Conſervatores erunt: eorum munus biennale erit.

CAP. XLI.

De Legum Conſervatoribus, & juramento dando.

NIHIL prodeſſet Leges compilaſſe, ac Rempublicam bene inſtituiſſe, niſi etiam provideretur, quod Sanctiones iſtæ ſuum ſortirentur effectum, ac exſecutioni mitterentur. Hac ratione erigere voluimus ordinem duorum civium graviſſimorum, quos Legum Conſervatores appellavimus. Horum præcipuum munus erit electionibus Ducis, ac Magiſtratuum omnium, & præcipue triginta Electorum, qui Conſilii majoris & minoris creandi jus habent, & quibuſcumque electionibus aſſiſtere; curareque, quod antequam ad id manus apponatur, Lex ſuper ea electione, de qua tunc agetur, condita, publice alta & intelligibili voce omnibus legatur; & ſollemnitas, & forma, quæ in eis comitiis ſervanda eſt, non modo ad memoriam reducatur, verum omnino obſervetur. Juramentum civibus his, quibus jus eligendi demandatum eſt, dari curabunt in manibus illuſtriſſimi Ducis in forma infra ſcripta. His, qui ad aliquod munus aſſumpti fuerint, aliud juramentum in forma pariter infra deſcripta, antequam ad Magiſtratum accedant, dari curabunt. Fraudibus, quæ in comitiis quibuſcumque fient, & quæ prævideri per nos non potuerunt, occurrent; & ſi quem in fragranti crimine deprehenderint, ad illuſtriſſimum Ducem ſtatim deferent, qui eum utriuſque voti impotem declarabit; prout nos tenore præſentium declaramus; & pro modo culpæ graviori etiam pœna mulctabit. Biennale erit hoc munus; horumque electio ad duo Collegia, & Conſilium minus pertinebit.

Forma juramenti eligere debentium.

JURO ego N. ad ſancta Dei Euangelia manibus corporaliter tactis Scripturis, & in animam meam, me in electione, quam hodie facturus ſum de . . . . remoturum ab animo meo iram, amicitiam, amorem, odium, proficuum affectum ad quemcumque colorem, & factionem: ſed Deum tantum ante oculos habiturum; & hujus Reipublicæ, & libertatis noſtræ, publicæve quietis conſervationem, daturumque ſuffragium meum illis tantum, qui mihi virtute, prudentia, fide, & integritate præſtantiores videbuntur. Ita me Deus optimus maximus adjuvet, & hæc ſancta Dei Euangelia.

Forma juramenti jam Electorum.

JURO ego N. ad ſancta Dei Euangelia, manibus corporaliter tactis Scripturis, & in animam meam, me munus hoc mihi demandatum legaliter, & fideliter obiturum; & hujus Reipublicæ libertatem, publicamque quietem, quantum in me erit, curaturum, & defenſurum. Ita me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Euangelia.

CAP. XLII.

De electione Conſervatorum Legum.

EREXIMUS officium, quod Conſervatorum Legum appellatur; atque id ſumma cum ratione: cum, ſublatis Legibus, aut eis nequaquam obſervatis, neceſſe ſit Rempublicam, uti anima carentem, omnino perire, ac ruere. Proinde volumus per duo Collegia, & Conſilium minus medio menſe Januario, concurrentibus tribus partibus ex quinque ſuffragiorum, duos cives optimos eligi debere, qui in Rempublicam propenſo ſint animo & qualitatibus, quas in Gubernatoribus requiſivimus, non careant. Horum ita Electorum pietati & prudentiæ per biennium Legum conſervationem, imo Reipublicæ ſalutem, & vitam eo, quo poſſumus, ſtudio & ardore commendamus. Quod ſi medio hoc tempore Conſervatores iſti, aut alter eorum deceſſerit, vel recedat, non rediturus brevi, ſtatim mandamus ſuppleri numerum; ne Magiſtratus, adeo in Republica neceſſarius, aliquo tempore vacet. Pro hac prima vice eligimus in Conſervatores magnificos Dominos Lucam Juſtinianum, & Nicolaum, aliàs Nicheroſum Pallavicinum.

Cap. XLIII.

De vacationibus Magistratuum.

Ne cives hi, qui elato animo suapte natura sunt, primariorum Magistratuum frequentia elatiores fiant, atque inde in tyrannidem declinent, quod maxime fugiendum est in Republica; Sancimus eum, qui Ducalis dignitatis munere semel functus fuerit, non posse iterum ad ejusdem dignitatis culmen evehi: nisi prius lapsis quinque annis, à fine officii numerandis. Qui item semel Gubernator fuerit, non posse pariter, nisi lapso quinquennio ut supra, iterum ad eundem Magistratum promoveri. Eum autem, qui Procurator semel electus fuerit, vacare debere ab eo munere per quadriennium. Qui vero in altero Consiliorum fuerit, per annum. Non prohibendum tamen existimavimus, quin Gubernator, aut Procurator, ubi omnibus qualitatibus, quas dignitas suprema expostulat, præditus sit, in Ducem eligi possit. Ceteras vero vacationes, tam munerum, quam familiarum, uti non necessarias, tollendas esse arbitramur.

Cap. XLIV.

De provisionibus, quæ fieri debent suprema auctoritate.

Licet eo quo possumus studio, & fervore administrationem justitiæ criminalis juxta Legum, statutorumque formam Prætori, & Rotæ ita commendaverimus, ut nemo possit nec cumulative, nec privative eorum jurisdictionem impedire; Non ignoramus tamen quandoque non modo in civitate, verum in dominio evenire posse subitos quosdam, & repentinos casus, in quibus servata, & non servata forma juris, & suprema auctoritate, ac regia manu providendum est; ne publica quies, ac pacificus Reipublicæ status perditum eant, cum vel populus insanit, vel seditiosi tumultuantur, vel perditorum & flagitiosorum hominum turmæ vias publicas hostili more invadunt, agrosque, & ditionem Genuensem depopulantur. Hisce casibus, & aliis hujusmodi, quibus ad illustrissimam Dominationem pertinet auctoritate sua omnia sedare, excellentissimus Dux, junctis duobus Collegiis, vocatoque Prætore, quatenus expediat, & Rota, ut auctoritati etiam consilium jungatur, & nulla interposita mora, scelerum auctores debitis pœnis affici curabit: mox participes, & suspectos detineri faciet; veritatem criminis inquiret, ut pro modo culpæ quisque debitas luat pœnas.

Quod si aliqui Commissarii delegandi erunt, qui Provinciam lustrent, & facinora compescant, nonnisi hi, qui graves aliquos Magistratus gesserunt, eligentur; ut suprema auctoritas gravissimis tantum viris & prudentibus committatur.

Cap. XLV.

De gratiis & forma, in illis concedendis, observanda.

In concedendis gratiis delictorum, quarum auctoritas apud illustrissimum Ducem, ac duo Collegia residet, concurrentibus votis duarum partium ex tribus, illud advertendum duximus non licere, quod absque legitima partis offensæ remissione in his casibus, in quibus requiritur, aut ea exstincta, hæredis sanguinis & bonorum, Princeps suam exerceat clementiam. In casibus vero criminis læsæ Majestatis, & seditionum, in quibus Principem decet quasi esse inexorabilem, non esse concedendam gratiam, nisi ex magna causa, & ob bonum publicum, & intervenientibus omnibus votis, & utriusque Collegii, ac minoris Consilii. In infra scriptis vero casibus, qui gravissimi, & atroces sunt, scilicet homicidii animo deliberato patrati, parricidii, assassinii, mandati ad occidendum, secuto tamen effectu homicidii in officialem, robariæ in strata publica, fabricationis falsæ monetæ, raptus Monialium, aut mulierum honestarum, nonnisi intervenientibus duabus partibus ex tribus, & utriusque Collegii, & minoris Consilii litteras gratiæ, aut restitutionis esse concedendas.

Cap. XLVI.

De Procuratoribus perpetuis syndicandis.

Qui cum honore, & commendatione Ducatus munus obierunt, in præcedentis dignitatis honorem, perpetui Procuratoris munere, antiquarum Legum beneficio, funguntur; id quod & nos laudamus. Verum ne horum animi ex perpetui officii auctoritate elatiores, quam par est, fiant, volumus eos singulo biennio Syndicatui supremorum, & aliorum quinque ex Consilio minori tunc sorte eligendorum, subjicere, qui diligenter eorum acta in officio, & administratione revideant. Et si quid per eos contra Leges commissum fuisse compererint, debitis pœnis afficiant.

Insuper nolumus Procuratores perpetuos in electionibus Prætoris, auditorum Rotæ criminalis, nec civilis, Advocatisve fiscalis aliquo modo votum suum dare posse.

Cap. XLVII.

De condendis Legibus.

Si in aliquo mature, & prudenter est agendum, aut graviori cum consilio, id in materia Legum condendarum agendum est; sunt enim firmamentum, & basis totius Reipublicæ; cum ipsis vivendum sit: nec contra eas aliquo modo eundum. Et propterea universi populi (si commode fieri posset) consensus requirendus esset, cum vel de nova Lege condenda, vel de aliqua abroganda tractatur. Verum consulentes & utilitati, & necessitati; Sancimus nullo modo novas Leges condi, quæ præsentibus, quibus nunc vivitur, & quæ à nobis aut conditæ, & condendæ, aut approbatæ fuerunt, contrariæ sint; neque jam conditas, ac condendas, & approbatas abrogari, aut corrigi, sive emendari, nisi coactis prius Collegiis, mature consulatur; & si quatuor partes ex quinque non approbaverint, nihil actum censeatur: ubi vero approbaverint, deferantur omnia ad Consilium minus discutienda; cujus nisi quatuor ex quinque consenserint, nihil conclusum intelligatur: ubi vero consentiant, denuo omnia mature Consilii majoris consultationi subjaceant; & nisi frequentiori eorum voto approbetur, nihil pariter actum existimetur.

Alias vero Leges, quæ non contrariantur ut supra, nonnisi per duo Collegia, & Consilium minus, concurrentibus duabus partibus ex tribus, fieri posse declaramus.

Cap. XLVIII.

De pace, bello, fœdere, & adhærentia.

Ubi majus periculum est, ibi cautius, & maturius esse advertendum existimavimus. Propterea quotiescumque tractandum erit de bello ineundo, vel de pace, aut tregua sancienda, aut adhærentia stabilienda, sive fœdere cum aliquo Principe, aut

aut Republica iciendo; aut si aliquid aliud simile, & grave, quod statum Reipublicæ tangat, decernendum erit; nolumus aliquid sanciri, aut exsecutioni mitti, nisi prius mature, & modo, ac ordine, quo infra, consulatur. In primis igitur coram illustrissimis Collegiis id omne plene trutinabitur; & nisi quatuor ex quinque partibus consenserint, nihil actum intelligatur: ubi vero conveniant, convocato Consilio minori, idem proponatur, & diligenter discutiatur; & nisi quatuor ex quinque illud approbaverint, nihil conclusum, nec sancitum intelligatur.

Cap. XLIX.

De pedagiis, collectis, & vectigalibus de novo non imponendis, nec impositis tollendis, nisi servata forma.

Nemo est qui non intelligat novas pedagiorum, collectarum, vectigaliumve impositiones populis esse admodum graves. Proinde mandamus nemini licere in Republica Genuensi de novorum onerum impositione decernere, nisi Consilio majori, quod Principem ipsum, & Rempublicam refert; neque id fieri posse volumus, nisi prius illustrissima duo Collegia, & Consilium minus mature consuluerint, ac concurrentibus duabus partibus ex tribus, declaraverint non modo necessitatem subesse, verum etiam nullam neque meliorem, nec æqualiorem formam inveniri, qua opportunius Reipublicæ necessitati consuli possit. Idem intelligatur sancitum, ubi agendum erit de tollendis jam impositis.

Cap. L.

De Doctoribus, & Medicis.

Doctores tam Legum quam Artium, & Medicinæ talari veste utantur; nec sine ea incedant. Contrafacientes, privilegiis, & immunitatibus suis biennio carebunt; Jureconsulti postulare, Medici vero cum collegis suis de communium infirmorum cura conferre per triennium non poterunt, & in eorum collegiis utriusque voti impotes erunt.

Hisce, quod maximo usui sunt in Republica, nec mediocre ei ornamentum afferunt, volumus omnino observari privilegia, & immunitates, sublatis fraudibus, si quæ sunt.

Ratio eorum dignitatis postulat, & ita observari volumus, ut ab omnibus Magistratibus, excepto illustrissimo Duce, & Gubernatorum Collegio, sedentes, & tecto capite & audiantur, & excipiantur, possintque ad omnes in Republica dignitates promoveri, etiam quod Consiliarii majoris, vel minoris munus, aut alios Magistratus numquam obierint, suprema excepta.

Collegium Jureconsultorum tenebitur in futurum quotannis duos sui Ordinis subministrare, qui pauperes, & miserabiles personas tam in foro civili, quam criminali gratis, & pietatis ergo tueantur, & protegant.

Præterea Medicorum Ordo duos ex collegis suis singulo anno nuncupabit, qui gratis pauperibus, & miserabilibus personis in medendo diligentem, & piam operam præstent.

Hebræi à postulatione, & medela omnino abstineant, & quicumque alii, qui doctoratus diplomate caruerint.

Cap. LI.

Procuratores, & Præfecti annonæ non participent in commodis sui muneris.

Quo magis graviora negotia fidei suæ commissa esse quis perspicit, eo magis intelligere debet, sibi elaborandum, ut fidei, quæ de eo concepta est, rerum exitus egregie respondeant. Id autem facile unusquisque consequetur, si illud unum ante oculos habuerit, homini libero nihil patria ipsa carius esse debere. Iccirco Procuratores tam perpetui, quam temporales, quibus patrimonii, ac publicorum reddituum, qui nervi Principis dicuntur, cura demandata est, sciant, sibi maxime cavendum, ut mundas ab omni avaritiæ labe habeant manus, & (quod caput omnium est) ne in licitationibus, emptionibus, aut conductionibus publicorum reddituum aliquo modo directe, aut indirecte participent, neve publica pecunia aliquo modo, nec etiam minima in parte, aut brevissimo tempore pro rei privatæ commodis utantur, aut gaudeant. Præfecti item annonæ caveant, ne in comparanda re frumentaria, aut in ea ad Urbem traducenda aliquid commodi privatæ rei adscribant, aut publicam hanc administrationem cum privata, aliquo modo commisceant. Quod si secus fecisse compertum fuerit, sciant se, uti indignos, inhabiles ad Magistratus factos esse, & pœna pecuniaria arbitrio supremorum plectendos.

Cap. LII.

Quod dotes anteriores tempore præferantur Officio S. Georgii posteriori.

Intelleximus inolevisse consuetudinem in civitate Genuæ, aut Lege aliqua, aut ritu firmatam, qua mulieres, quæ pro dotibus suis bona mariti obligata habent, si concurrant cum Officio S. Georgii etiam posteriore creditore, ab earum tamen juribus excluduntur; quod & juri, & omni æquitati maxime adversatur. Huic igitur abusui providere volentes, publicæque honestati, & utilitati consulentes, ne mulieres indebite indotatæ remaneant, edicimus, & hac præsenti Lege decernimus, quod si in futurum concurrat Officium S. Georgii cum mulieribus dotem suam repetentibus, dispositionem juris communis servari debere; sublatis quibuscumque Legibus, statutis, aut consuetudinibus, etiam immemorabilibus in contrarium facientibus.

Cap. LIII.

De seditiosis.

Nihil est quod publicam quietem, quæ in Republica summopere conservanda est, facilius perturbare, ac subvertere possit, quam seditiosorum pravæ & iniquæ voluntates, ac temerarii ausus. Ideo sancitum est, quod si quis aliquo modo in hoc crimen inciderit, si auctor sceleris fuerit, bonorum publicatione mulctetur, & ulterius capite puniatur: quod si non auctor, sed complex fuerit, ultra jam dictam pœnam confiscationis, perpetuo remiget. Contra hoc genus hominum adeo Reipublicæ exitiosum judices procedent non modo ad accusationem partis, verum etiam ex officio. Accusatores occulti tenebuntur, & quartam partem bonorum ejus, qui accusatus fuerit, & de hoc crimine legitime damnatus, in præmium consequentur.

CAP. LIV.

De gladiatoribus, & sicariis, quos Bravos vulgus appellat.

NULLUM est hominum genus, quod in Republica, aut alia civitate recte instituta, sit adeo abominabile, quam gladiatores, & sicarii, quos vulgus *Bravos*, seu *Scavezzos* appellat; qui juventutem omnem bene compositam ad seditiones, rixas, & digladiationes promovent, & excitant, subortas casu contentiones fovent, & nutriunt; ut ab imprudentibus adolescentibus pecunias extorqueant. Hanc igitur pestem ab hac Republica eradicare volentes, mandamus hoc genus hominum statim è civitate ejiciendum esse; sub pœna triremium triennalium.

CAP. LV.

De Conventiculis.

COMPOSITIS jam rebus, & stabilito quieto statu Reipublicæ, nihil reliqui est, nisi eam intra cancellos, qui præstituti sunt, continere. Id autem, ut facilius fieri possit, dedimus opportunas Leges ac instituta, quæ si observentur, (ut confidimus) speramus futurum, ut Respublica quotidie magis florescat, & augeatur. Ad majorem vero securitatem, sancimus per illustrissimam Dominationem providendum esse, ut conventicula, quæ sub imagine boni, aut privatæ hilaritatis, iniquis consiliis, ac perfidis tractatibus viam aperuerint, omnino tollantur.

CAP. LVI.

Confirmatio Privilegiorum, & immunitatum illustriss. Joannis Andreæ Auriæ, prout hactenus observata fuerunt.

DONAVIT Andream Principem Auriam civem suum optimum, ac de ea optime meritum, Respublica Genuensis nonnullis immunitatibus, privilegiis & exemptionibus; memor tam insignis, ac præclari ab eo beneficii accepti; utpote qui patriam, multis rebus præclare gestis insignem, sed alieno jugo suppositam, incredibili erga eam pietate ductus, abjecta prorsus ab animo omni ambitione, pristinæ restituit libertati. Ejus etiam indelendam ab animis hominum memoriam, erecta statua marmorea, ac publico lautæ domus dono illustravit. Hæc, & alia virtutis, & gloriæ condigna præmia Joanni Andreæ Nepoti, & avitarum virtutum, tam in conservanda libertate patriæ, & ejus dignitate amplificanda, quam in bellicæ, & navalis militiæ gloria hæredi, & vero successori, prout hactenus observata fuerunt, ac ejus familiæ omnino observari volumus.

CAP. LVII.

De eligendis Magistratibus pro nunc per illustrissimos Ministros.

ANIMADVERTIMUS Magistratus, qui pro nunc moderandæ Reipublicæ Genuensi præficiendi sunt, nequaquam secundum modum, & formam in Legibus, quas nuper compilavimus, præscriptam, eligi posse, nisi prius jactis fundamentis, & constitutis ordinibus Magistratuum, ex quibus successores postmodum prosilire, atque insurgere debent, juxta ea, quæ per nos accurate fuerunt sancita: neque expedire, aut decere, quod secundum antiquarum Legum normam; quas in hac parte nunc abrogamus, atque abolemus, promoveantur. Minus etiam convenire existimavimus relinquendum hoc esse arbitrio civium, qui sine certa Lege inter se conflictantes, novos possint in civitate tumultus excitare, nondum integre veteribus exstinctis. Proinde necessitati ipsi cedentes, & facultate, ac bailia nobis attributa, pro bono, justo, ac pacifico ipsius Reipublicæ regimine utentes, menti etiam Principum nostrorum inhærentes, qui post maturam harum omnium sanctionum nostrarum considerationem, & discussionem, & quibus de jure Italiæ, & totius Christiani orbis pax, & quies commendata est, eam nobis litteris suis amplissime declaraverunt; omnique meliori modo, via, & forma, qua possumus, & nobis tributa est; Hac præsenti Lege inviolabiliter observanda sancimus, & statuimus, Magistratus majores, videlicet Gubernatores, qui his nostris Legibus supplendi sunt, Consilium majus & minus, administrationi criminalis justitiæ præficiendos; nec non Magistratuum Seminarium, quod nostris Legibus erigendum esse duximus, pro hac prima vice à nobis eligendos, & statuendum esse; eosque ita electos, & constitutum ad Reipublicæ regimen, & justitiæ administrationem recipi, & admitti debere, & in suo officio manuteneri, donec integre muneris sui cursum peregerint, juxta nostrarum sanctionum seriem, & tenorem. Ceteros vero Magistratus, quos in futurum creari contingit, nonnisi servata ad unguem forma nostrarum Constitutionum, eligi, aut creari posse decernimus.

CAP. LVIII.

Electio Magistratuum, & Consiliorum, ac Seminarii.

PROVIDERE igitur volentes novæ Magistratuum, & Consiliorum electioni juxta ea, quæ per nos sancita fuerunt; eligimus ex universo Nobilitatis ordine infra scriptos, quos graves, aptos, & de Republica bene meritos, rejectis prorsus ab animis nostris omnibus aliis respectibus & causis, existimavimus, eosque singulis Magistratibus (debite referendo) modo quo infra addiximus.

In primis pro Gubernatoribus tum subrogandis in locum cedentium, tum supplendis usque ad numerum duodenarium juxta per nos ordinata Magnificos Dominos, videlicet;

Hectorem Fliscum, usque ad medium Junium anni præsentis;

Octavianum Saulium, usque ad medium Decembrem anni 1577.

Franciscum Spinulam, quon. Baptistæ, quon. Antonii, usque ad medium Decembrem anni 1577.

Silvestrum Cattaneum, usque ad medium Junium anni 1577.

Joannem Baptistam Pallavicinum, quon. Damiani, usque ad medium Decembrem 1576.

Bartholomæum Lomellinum, usque ad medium Decembrem anni 1577.

Pro Procuratoribus vero in locum cedentium Magnificos Dominos, videlicet;

Lucam de Nigronibus, &

Hieronymum Canevarium: ambos usque ad medium Decembrem anni 1577.

Pro Consilio majori magnificos Dominos, videlicet:

FRANCISCUM Salvaigum, quon. M. Ambrosii.
Octavianum Arquatam.
Joannem Baptistam de Cavo.
Julianum Salvaigum, q. Lucæ.
Paulum Salvaigum, q. Leonardi.

Petrum

Petrum Vernatiam, q. Bernardi.
Andream de Ecclesia.
Stephanum Confortum.
Joannem Marinum, q. Laurentii.
Julianum Marinum Marrosellum.
Gregorium de Turri.
Vincentium Riparoliam, q. Petri.
Octavium Riparoliam, Juris Doctorem.
Hieronymum Marinum, q. Pauli.
Dominicum de Turri.
Nicolaum de Marco.
Pelegrum de Palio.
Joannem Pansanum Marinum.
Joannem Antonium Marinum, q. Jacobi.
Stephanum Davaniam.
Percivalem Cattaneum, q. Accelini.
Franciscum Cattaneum, q. Stephani.
Simonem Olivam.
Alexandrum Cattaneum, D. Silvestri.
Cæsarem Cattaneum Vescontis.
Joannem Baptistam Zerbinum.
Hieronymum Cattaneum, q. Philippi.
Ambrosium Cattaneum, q. Baptistæ.
Dominicum Cattaneum, q. Baptistæ.
Franciscum Zoalium.
Edoardum Cigalam.
Alexandrum Squarciaficum Cigalam.
Vincentium Bondinarium.
Alexandrum Cigalam, q. Nicolai.
Nicolaum Cigalam, q. Vincentii.
Octum Cazerium.
Urbanum Fliscum, D. Hectoris.
Laurentium Fliscum, q. Stephani.
Nicolaum Paxerium.
Joannem Baptistam Ragium, q. Jo. Baptistæ.
Raphaelem Ragium.
Joannem Salvaigum, q. Benedicti.
Augustinum Salvaigum, q. Ambrosii.
Hieronymum Marinum, q. Francisci.
Augustinum Marinum, q. Donaini.
Petrum Baptistam Cattaneum, Juris Doct.
Bartholomæum Lazaniam.
Gasparem Olivam.
Baptistam Bavam.
Franciscum Taliacarne, Juris Doct.
Antoniotum Cattaneum, q. Stephani.
Stephanum Cigalam, q. Bartholomæi.
Antonium de Brignolis.
Emanuelem Fliscum, q. Petri.
Petrum Baptistam Fliscum, q. Gregorii.
Damianum Fliscum, q. Lucæ.
Marcum Antonium Ravaschierium.
Federicum Fliscum Laurentii.
Franciscum Fliscum, D. Hectoris.
Benedictum Canevarium.
Joannem Stephanum Moronum.
Joannem Marruffum.
Joannem Baptistam Lercarium, q. Stephani.
Baptistam Buronum.
Baptistam Camillam.
Nicolaum Serram.
Jacobum Lercarium, q. Francisci.
Jacobum de Salvo.
Benedictum Pernicem.
Augustinum Gurlerium.
Angelum Lercarium, q. Lucæ.
Nicolaum Lercarium, q. Francisci.
Camillum Lercarium Camillam.
Octavianum de Albara.
Jacobum de Nigro, q. Joannis.
Stephanum Pasquam.
Edoardum de Nigro Physicum.
Dominicum de Auria, q. Stephani.
Antonium Inuream.
Nicolaum de Auria, q. reverendiss.

A Silvestrum Inuream.
Georgium de Auria, q. Melchioris.
Augustinum de Auria, q. Jacobi, q. Augustini.
Joannem Baptistam de Auria, q. Dominici.
Jo. Hieronymum Lercarium, D. Jo. Baptistæ.
Stephanum Buronum.
Hieronymum Gallum, q. Dominici.
Nicolaum Lercarium, q. Francisci.
Joannem Franciscum de Nigro, q. Benedicti.
Nigronum de Nigro, q. Philippi.
Ambrosium Carmagnolam.
Baptistam Groppalum.
Lucam de Prato.
B Philippum de Nigro, D. Joannis.
Laurentium de Nigro, q. Nicolai.
Joannem Franciscum Pasquam.
Bernardum Castaneam.
Dominicum Grillum.
Franciscum Vignolum.
Laurentium Nigronum, q. Petri.
Baptistam Nigronum, q. Baptistæ.
Paulum Vivaldum, q. Antonii.
Hieronymum Axeretum.
Antonium Sophiam.
Christophorum de Judicibus, Juris Doct.
Jacobum Vivaldum, q. Baptistæ.
C Paulum Grimaldum, q. Augustini.
Vincentium Duratium.
Joannem Baptistam Groppalum.
Gasparem de sancto Petro.
Nicolaum de Nigro, q. Pauli.
Angelum de Majolo.
Silvestrum Ususmaris.
Baptistam Majolum.
Paulum Delphinum.
Raphaelem Olivam.
Augustinum de Judicibus.
Herculem Castilionum.
Jacobum Robertum.
D Alexandrum Rubeum.
Joannem Baptistam Grimaldum, q. R^mi^.
Bartholomæum Ritium.
Augustinum Grimaldum, q. Jo. Baptistæ.
Lucam Grimaldum, q. Francisci.
Paulum Spinulam, q. Stephani.
Philippum Spinulam, q. Ambrosii.
Benedictum Spinulam, q. Pauli.
Baptistam de Turri, q. Leonardi.
Danielem Spinulam, q. Nicolai.
Jo. Baptistam Spinulam, q. Antonii.
Nicolaum Spinulam, q. Lucæ.
Jofredum Spinulam, M^ci^. Lucæ.
E Nicolaum Spinulam, q. Steph. Juris Doct.
Jacobum Spinulam, q. Federici.
Jo. Baptistam Gentilem, q. Jacobi.
Raphaelem Odonum.
Joannem Odonum.
Joannem Senaregam.
Jo. Baptistam de Auria, D. Antonii.
Paganum de Auria.
Joannem de Regibus.
Franciscum Clavexanam, Juris Doctorem.
Clementem de Ruere.
Nicolaum de Auria, q. Jo. Jacobi.
Marcum de Auria, q. Stephani.
F Nicolaum de Auria, q. Jacobi, q. Petri.
Prosperum de Auria, D. Dominici.
Baptistam de Ricardis.
Marcum Fociam.
Franciscum de Auria, q. Nicolai.
Baptistam Garbarinum.
Stephanum Gentilem, q. Constantini.
Bartholomæum Coronatum.
Georgium Gentilem, q. Constantini.
Stephanum Pinellum, q. Augustini.

Jo.

Jo. Franciſcum Balbum, q. Nicolai.
Michaelem Adurnum.
Paulum Adurnum.
Thobiam Pallavicinum.
Galeatium de Auria.
Caſtellinum de Auria.
Jo. Philippum de Auria, q. Lambæ.
Hieronymum de Auria, D. Pauli.
Nicolaum Cornerium.
Hieronymum de Nuce.
Benedictum de Auria, q. Jo. Baptiſtæ.
Adrianum de Auria.
Pelegrum de Auria, D. Joannis.
Alaramum de Auria.
Ludovicum Interianum, q. Oberti.
Nicolaum Gambaruttam.
Baptiſtam Parriſolam.
Ambroſium Interianum, q. Bartholomæi.
Franciſcum Groſſum, q. Laurentii.
Silveſtrum de Paſſalio.
Joannem Antonium Baſſadone.
Lucam Sivori.
Franciſcum Pallavicinum, q. Babilani.
Felicem Pallavicinum.
Andream Centurionum, D. Benedicti.
Jacobum Seneſtrarium.
Jacobum Moneliam, q. Mag. Benedicti.
Jo. Baptiſtam Salutium.
Hieronymum Lumellinum, q. Auguſtini.
Franciſcum Lumellinum, q. Baptiſtæ.
Joannem Baptiſtam Seſterium.
Hieronymum de Clavaro, q. Lucæ.
Andream Pedralues.
Joannem Lumellinum, q. Antonii.
Antonium Balianum.
Alexandrum Imperialem, q. Auguſtini.
Michaelem Portam.
Franciſcum Terrilem Phyſicum.
Nicolaum Balianum, Juris Doct.
Joannem Baptiſtam Mercante.
Joannem Jacobum Imperialem, q. Vincentii.
Baptiſtam de Terrili.
Nicolaum Sangninetum Phyſicum.
Hieronymum Marinetum.
Jo. Baptiſtam Joardum, q. Benedicti.
Auguſtinum Lumellinum, q. Jacobi.
Angelum Lumellinum, q. Auguſtini.
Philippum Lumellinum, q. Franciſci.
Andream Picchenotum.
Lucam Juſtinianum, q. Vincentii.
Petrum Joſephum Juſtinianum.
Hieronymum Juſtinianum Roccataliatam.
Stephanum de Franchis, q. Nicolai.
Hieronymum de Franchis, q. Chriſtophori.
Auguſtinum Mulfinum.
Auguſtinum Garbarinum, q. Bartholomæi.
Davidem Vaccarium, Juris Doct.
Baptiſtam de Ferrariis, q. Galeoti.
Lucam de Fornariis, Juris Doct.
Leonardum de Multedo.
Franciſcum Sauli, q. Dominici.
Philippum Sauli.
Antonium Gualterium.
Joannem Grillum, D. Lucæ.
Paulum de Cattaneis.
Gotardum Biſcottum.
Petrum Cantellum.
Nicolaum Vignolum.
Joannem Griffum.
Stephanum Doxium.
Alexandrum de Vultabio.
Jo. Baptiſtam Nigronum, q. Petri.
Raphaelem Merellum Phyſicum.
Jo. Auguſtinum Airolum.
Jacobum Nigronum, q. Simonis.

A Melchionem Nigronum, q. Silvagii.
Leonem Merellum.
Bernardum Bancherium.
Stephanum Vivaldum, q. Franciſci.
Julianum Benigaſſium.
Lazarum Vivaldum, q. Hieronymi.
Antonium Vivaldum, D. Pauli.
Antonium Cebam Grimaldum, q. Bernardi.
Bartholomæum Feretum.
Hieronymum Mulaſanam.
Anfreonum Cebam Grimaldum.
Hieronymum Zinum.
Angelum Ritium, q. Petri Pauli.
B Jo. Franciſcum Grimaldum, D. Baptiſtæ.
Auguſtinum Grimaldum.
Andream de Ferrariis.
Auguſtinum Cebam Grimaldum, q. Antonii.
Laurentium Buzalinum.
Gerardum Cebam Grimaldum.
Joannem Baptiſtam Petrarugiam.
Hieronymum Grimaldum, D. Lucæ.
Joannem de Ferrariis, q. Blaxii.
Lazarum Grimaldum, q. Auguſtini, Juris Doct.
Gregorium Spinulam, q. Jo. Franciſci.
Laurentium de Ferrariis.
Dominicum Spinulam, q. Jacobi.
C Gaſparem Franſonum.
Andream de Benedictis.
Paulum de Benedictis.
Ambroſium Spinulam, q. Franciſci.
Auguſtinum Pinelum.
Joannem Auguſtinum de Raviolis.
Julianum Spinulam, q. Accelini.
Joannem Baptiſtam Spinulam, q. Stephani.
Jo. Auguſtinum Juſtinianum, q. Nicolai.
Dionyſium Spinulam, q. Hieronymi.
Thadæum Spinulam, q. Jacobi.
Ludovicum Spinulam, q. Franciſci.
Franciſcum Murchium.
D Hieronymum Spinulam, q. Philippi.
Laurentium Spinulam, q. Quilici.
Antonium Argiroſſum.
Stephanum Spinulam, q. Pauli.
Ambroſium de Eccleſia.
Matthæum de Ponte.
Dominicum Spinulam, q. Stephani.
Jo. Baptiſtam Spinulam, q. Bernardi.
Antonium Roccataliatam, q. Hieronymi.
Paulum Spinulam, q. Gregorii.
Urbanum Cavaturtam.
Stephanum Spinulam, q. Ambroſii.
Hieronymum Spinulam, q. Gregorii.
E Pelegrum Rebuffum.
Jo. Dominicum de novis, Juris Doct.
Thomam de Turri.
Nicolaum Parriſolam.
Carolum Spinulam, q. Pauli.
Cattaneum Spinulam, q. Simonis, Juris Doct.
Jo. Baptiſtam de Blaxia.
Lucam Spinulam, q. Jacobi Mariæ.
Jo. Paulum Juſtinianum.
Hectorem Spinulam, q. Auguſtini.
Sebaſtianum Spinulam, q. Gregorii.
Petrum Baptiſtam Cavanam, D. Joan. Mariæ.
Obertum Spinulam, q. Franciſci.
F Hieronymum Spinulam, q. Gregorii, Juris Doct.
Franciſcum de Luciano.
Francum Spinulam, q. Gaſparis.
Jo. Baptiſtam Calvum.
Oratium Spinulam, q. Jo. Mariæ.
Simonem de Jugo.
Joannem Mariam Spinulam, D. Lucæ.
Conradum Spinulam, q. Panthaleonis.
Gregorium de Monterubeo.
Antonium Bonam.

Philip-

Philippum Juſſanum.
Antonium Mariam Spinulam, q. Jacobi.
Lazarum Spinulam, q. Jacobi Mariæ.
Paulum Baptiſtam Spinulam, q. Simonis.
Vincentium Carpeninum.
Damianum Spinulam, Juris Doct.
Bernardum Peliſonum.
Joannem Franciſcum de Franciſcis.
Marcum Gentilem, q. Jacobi.
Nicolaum Gentilem, q. Ambroſii.
Dominicum Gentilem, q. Jo. Baptiſtæ.
Paulum Gentilem, q. Gaſparis.
Jo. Andream Coſtapelegrinam, Juris Doct.
Panthaleonem Gentilem, q. Simonis.
Thomam Gentilem, q. Benedicti.
Baptiſtam de Canali.
Vincentium Adurnum.
Demetrium Pinellum.
Jo. Andream Pinellum, D. Jo. Pauli.
Raphaelem Pallavicinum, q. Marci Antonii.
Nicolaum Pallavicinum, q. Jo. Franciſci.
Benedictum Sivorium.
Gotardum Coronatum.
Innocentium Pallavicinum, q. Nicolai.
Andream Pallavicinum, q. Ludovici.
Jacobum Mariam Pallavicinum.
Carolum Pallavicinum, q. Vincentii.
Benedictum Rotulum.
Auguſtinum Pallavicinum, q. Philippi.
Laurentium Capellonum.
Bartholomæum Calvum, q. Hieronymi.
Auguſtinum Seneſtrarium, D. Jacobi.
Andream Centurionum, q. Dominici.
Laurentium Piccalugam.
Barnabam de Illice.
Sebaſtianum Centurionum, q. Jacobi.
Manfreonum Centurionum.
Benedictum Centurionum, q. Luciani.
Federicum Centurionum, q. Pauli.
Thomam de Calanis Phyſicum.
Stephanum Centurionum, q. Dominici.
Auguſtinum Centurionum, q. Jacobi.
Auguſtinum Centurionum, D. Hieronymi.
Joannem Baptiſtam Farinanti illuſtriſſimi.
Joannem Centurionum, q. Franciſci.
Leonardum Lumellinum, q. Hieronymi.
Auguſtinum Lumellinum, q. Philippi.
Jacobum de Alegro.
Benedictum Lumellinum, q. Jo. Baptiſtæ.
Andream Lumellinum, q. Panthaleonis.
Joſephum Stratam.
Nicolaum Lumellinum, q. Jo. Baptiſtæ.
Jo. Baptiſtam Lumellinum, q. Babilani.
Nicolaum Saulium, q. Antonii.
Vincentium de Plebe.
Jo. Baptiſtam Lumellinum, q. Panthaleonis.
Laurentium Saulium, D. Octaviani.
Benedictum Lumellinum, q. Germani.
Jo. Baptiſtam Lumellinum, D. Benedicti.
Jo. Baptiſtam Paſſanum, q. Bartholomæi.
Auguſtinum de Facio.
Ambroſium Lumellinum, q. Philippi.
Chriſtophorum Axeretum.
Ambroſium Lumellinum, D. Hieronymi.
Auguſtinum Lumellinum, q. Baptiſtæ.
Baptiſtam Spinulam, q. Hieronymi.
Benedictum Argiroffum.
Anſaldum Juſtinianum, Juris Doct.
Baptiſtam Juſtinianum, q. Urbani.
Carolum Spinulam, q. Luciani.
Jo. Paulum Juſtinianum, q. Nicolai.
Auguſtinum Spinulam, q. Stephani.
Anſaldum Grimaldum, Jo. Baptiſtæ.
Gaſparem de Franchis, q. Antonii.
Joannem Jacobum Grimaldum, q. Pauli.
Balianum Fornarium.
Victalianum Fornarium.
Joannem Spinulam, q. Nicolai.
Vincentium Fornarium, q. Jo. Baptiſtæ.
Gaſparem de Fornariis.
Joannem Hieronymum de Bene.
Joannem Baptiſtam Compianum.
Jo. Baptiſtam Fornarium, q. Bartholomæi.
Vincentium Ritium, q. Jo. Matthæi.
Chriſtophorum Spinulam, q. Georgii.
Baptiſtam Lumellinum, q. Baptiſtæ.
Bendinellum Saulium, q. Sebaſtiani.
Thomam Saulium, q. Juliani.
Franciſcum Unciam.
Joſephum Stratam Phyſicum.
Bernardum de Sopranis.
Paulum Vincentium Lumellinum.
Jacobum Guiſum.
Julianum Donatum.
Raphaelem Spinulam, q. Auguſtini.

Hi ſunt numero quadringenti.

Pro Conſilio minori magnificos Dominos, videlicet:

JOANNEM Salvaigum, q. Benedicti.
Auguſtinum Salvaigum, q. Ambroſii.
Hieronymum Marinum, q. Franciſci.
Auguſtinum Marinum, q. Donaini.
Petrum Baptiſtam Cattaneum, Juris Doct.
Bartholomæum Lazaniam.
Gaſparem Olivam.
Baptiſtam Bavam.
Franciſcum Taliacarne, Juris Doct.
Antoniotum Cattaneum, D. Stephani.
Stephanum Cigalam, q. Bartholomæi.
Antonium de Brignolis.
Franciſcum Fliſcum, D. Hectoris.
Benedictum Canevarium.
Joannem Stephanum Moronum.
Joannem Marruffum.
Jo. Baptiſtam Lercarium, q. Stephani.
Baptiſtam Buronum.
Baptiſtam Camillam.
Nicolaum Serram.
Jacobum de Nigro, q. Joannis.
Stephanum Paſquam.
Edoardum de Nigro Phyſicum.
Dominicum de Auria, q. Stephani.
Antonium Inuream.
Nicolaum de Auria, q. Reverend.
Silveſtrum Inuream.
Georgium de Auria, q. Melchionis.
Auguſtinum de Auria, q. Jacobi, q. Auguſtini.
Jo. Baptiſtam de Auria, q. Dominici.
Bernardum Caſtaneam.
Dominicum Grillum.
Franciſcum Vignolum.
Laurentium Nigronum, q. Petri.
Baptiſtam Nigronum, q. Baptiſtæ.
Paulum Vivaldum, q. Antonii.
Hieronymum Axeretum.
Antonium Sophiam.
Chriſtophorum de Judicibus.
Jacobum Vivaldum, q. Baptiſtæ.
Paulum Grimaldum, q. Auguſtini.
Vincentium Duratium.
Alexandrum Rubeum.
Jo. Baptiſtam Grimaldum, q. Reverend.
Bartholomæum Ritium.
Auguſtinum Grimaldum, q. Jo. Baptiſtæ.
Lucam Grimaldum, q. Franciſci.
Paulum Spinulam, q. Stephani.
Philippum Spinulam, q. Ambroſii.
Benedictum Spinulam, q. Pauli.
Baptiſtam de Turri, q. Leonardi.

Danielem Spinulam, q. Nicolai.
Jo. Baptiſtam Spinulam, q. Antonii.
Nicolaum Spinulam, q. Lucæ.
Jofredum Spinulam, Mag. Lucæ.
Nicolaum Spinulam, q. Stephani, Juris Doct.
Jacobum Spinulam, q. Federici.
Jo. Baptiſtam Gentilem, q. Jacobi.
Raphaelem Odonum.
Joannem Odonum.
Joannem Senaregam.
Baptiſtam Garbarinum.
Stephanum Gentilem, q. Coſtantini.
Bartholomæum Coronatum.
Georgium Gentilem, q. Coſtantini.
Stephanum Pinellum, q. Auguſtini.
Jo. Franciſcum Balbum, q. Nicolai.
Michaelem Adurnum.
Paulum Adurnum.
Thobiam Pallavicinum.
Jo. Antonium Baſſadone.
Lucam Sivorium.
Franciſcum Pallavicinum, q. Babilani.
Felicem Pallavicinum.
Andream Centurionum, D. Benedicti.
Jacobum Seneſtrarium.
Jo. Baptiſtam Salutium.
Hieronymum Lumellinum, q. Auguſtini.
Franciſcum Lumellinum, q. Baptiſtæ.
Jo. Baptiſtam Seſterium.
Hieronymum de Clavaro, q. Lucæ.
Andream Pedralues.
Jo. Lumellinum, q. Antonii.
Auguſtinum Lumellinum, q. Jacobi.
Angelum Lumellinum, q. Auguſtini.
Philippum Lumellinum, q. Franciſci.
Andream Picchenotum.
Lucam Juſtinianum, q. Vincentii.
Petrum Joſephum Juſtinianum.
Hieronymum Juſtinianum Roccataliatam.
Stephanum de Franchis, q. Nicolai.
Hieronymum de Franchis, q. Chriſtophori.
Auguſtinum Mulſinum.
Auguſtinum Garbarinum, q. Bartholomæi.
David Vaccarium, Juris Doct.
Baptiſtam de Ferrariis, q. Galeotti.
Lucam de Fornariis, Juris Doct.
Leonardum de Multedo.
Franciſcum Saulium, q. Dominici.
Philippum Saulium.

Et hi ſunt numero centum.

Seligimus inſuper centum & viginti Patres, viros omni virtutum genere cumulatos, & publicæ quietis ſtudioſos. Horum nomina in urnam, ſeu capſulam, modo & forma à nobis deſcripta, conjici mandamus; ut primo quoque tempore ſorte educti Reipublicæ ſerviant, juxta Legum noſtrarum formam.

Horum autem nomina ſunt hæc, videlicet magnificos Dominos.

AVGVSTINVM Salvaigum, q. Ambroſii.
Joannem Salvaigum, q. Benedicti.
Bartholomæum Salvaigum, q. Benedicti.
Lucam Juſtinianum, q. Vincentii.
Petrum Joſephum Juſtinianum.
Franciſcum Saulium, q. Dominici.
Philippum Saulium, q. Alexandri.
Petrum Baptiſtam Cattaneum.
Franciſcum Fliſcum, D. Hectoris.
Bendinellum Saulium, q. Sebaſtiani.
Laurentium Saulium, D. Octaviani.
Stephanum Cigalam.
Joannem Auguſtinum Juſtinianum.

A Joannem Paulum Juſtinianum.
Cattaneum Marinum.
Auguſtinum Marinum.
Hieronymum de Franchis, q. Chriſtophori.
Stephanum de Franchis, q. Nicolai.
Hieronymum de Franchis, q. Petri Baptiſtæ.
Jacobum Lercarium, q. Franciſci.
Franciſcum Lercarium, q. Nicolai.
Ambroſium de Nigro.
Franciſcum de Nigro, q. Bonifacii.
Balianum de Fornariis.
Vincentium de Fornariis, q. Jo. Baptiſtæ.
Nicolaum de Auria, q. R^{mi}.
B Nicolaum de Auria, q. Mag. Jacobi.
Georgium de Auria, q. Melchionis.
Chriſtophorum de Fornariis.
Lucam de Fornariis, Juris Doct.
Nicolaum de Auria, q. Jacobi, q. Petri.
Dominicum de Auria, q. Stephani.
Paulum Adurnum, q. Baldaſaris.
Michaelem Adurnum.
Auguſtinum de Auria, q. Mag. Jacobi.
Vincentium Adurnum, q. Juliani.
Paulum Baptiſtam Interianum.
Jacobum Seneſtrarium.
Jacobum Vivaldum, q. Baptiſtæ.
C Dominicum Grillum.
Laurentium Nigronum, q. Petri.
Bendinellum Nigronum.
Vincentium Zoalium.
Stephanum Pinellum.
Raphaelem Odonum.
Joannem Odonum, q. Joannis.
Jo. Baptiſtam Grimaldum, q. R^{mi}.
Bartholomæum Ritium, q. Stephani.
Antonium Grimaldum Cebam.
Auguſtinum Grimaldum, q. Jo. Baptiſtæ.
Gaſparem Olivam.
Lucam Grimaldum, q. R^{mi}.
D Nicolaum Paxerium.
David Vaccarium, Juris Doct.
Andream Picchenotum.
Paulum Spinulam, q. Stephani.
Nicolaum Spinulam, q. Stephani, Juris Doct.
Benedictum Spinulam, q. Pauli.
Baptiſtam Garbarinum.
Auguſtinum Garbarinum, q. Bartholomæi.
Jo. Baptiſtam Spinulam, q. Antonii.
Jofredum Spinulam.
Danielem Spinulam.
Franciſcum Zoalium.
Baptiſtam de Turri, q. Leonardi.
E Petrum Benigaſſium.
Nicolaum Spinulam, q. Lucæ.
Jacobum Spinulam, q. Federici.
Jo. Baptiſtam Gentilem, q. Jacobi.
Ambroſium Bondinarium.
Joannem Marruffum.
Bartholomæum Lazaniam.
Nicolaum Gentilem, q. Ambroſii.
Baptiſtam Bavam.
Franciſcum Pallavicinum, q. Babilani.
Thobiam Pallavicinum.
Franciſcum Taliacarne, Juris Doctorem.
Nicolaum Pallavicinum.
F Antonium Inuream.
Jo. Baptiſtam Ragium.
Baptiſtam Buronum.
Andream Centurionum, q. Dominici.
Federicum Centurionum, q. Jacobi.
Chriſtophorum Centurionum.
Andream Centurionum, D. Benedicti.
Franciſcum Inuream.
Silveſtrum Inuream.
Baptiſtam Monſiam.

Silve-

Silvestrum Passalium.
Franciscum Lumellinum, q. Baptistæ.
Joannem Lumellinum, q. Antonii.
Antonium Sophiam.
Paulum Vincentium Lumellinum.
Hieronymum Lumellinum, q. Augustini.
Marcum Rubeum, D. Alexandri.
Vincentium Duratium.
Hieronymum Clavarum, q. Lucæ.
Benedictum Canevarium.
Augustinum Lumellinum.
Marcum Moronum, Juris Doctorem.
Gregorium de Turri.
Jacobum de Salvo, q. Pelegri.
Nicolaum Serram D. Pauli.
Baptistam Camillam.
Silvestrum Ususmaris.
Stephanum de Mari.
Alexandrum Imperialem, q. Augustini.
Benedictum Pernicem.
Ambrosium Carmagnolam.
Nicolaum Piccamilium.
Michaelem Portam.
Joannem Griffum.
Julianum Marosellum.
Jo. Baptistam Cesterium.
Franciscum Montebrunum.
Stephanum Squarciaficum, q. Hilarii.
Jacobum Moneliam, q. Benedicti.
Vincentium Costam.
Clementem de Ruere.
Bernardum de Sopranis.

Hi sunt numero centum viginti.

Hos autem, & quoscumque alios Magistratus per nos electos volumus Reipublicæ subjectos esse, eique parere debere; servata tamen forma constitutionum nostrarum, & non aliter.

Omisimus autem nonnullos in hac nostra electione ex proposito æque bonos, aptos, & in Rempublicam propenso animo, ac sunt jam per nos nuncupati; ut electis cedentibus, hi quoque possint Reipublicæ inservire.

Eligimus insuper infra scriptos Jureconsultos, quorum virtus, probitas, & litterarum scientia nobis probata, & perspecta est; qui triennio hoc proximo Rotæ criminalis, & Advocati fiscalis munus obibunt; cum honoribus, auctoritate, salariis, & præeminentiis à nobis eisdem, & successoribus suis assignatis. Horum primus (cum secundum ætatis gradum descripti sint) primo anno Prætor erit; mox alii suo ordine cursum Præturæ implebunt.

Hi sunt magnifici Jureconsulti:

Petrus Antonius Vicedominus.
Blasius de Losso, & Hieronymus de Gerardis.

Pro Advocato fiscali:

Magcus. Paulus Albutius.

CAP. LIX.

De restitutione spoliatorum.

NON ignoramus in hisce bellicis tumultibus, qui in hac Republica exarserunt, multas hinc & inde intercessisse, jure quodam belli, aut potius injuria, direptiones, depopulationes, & deprædationes, quæ subditis, ac aliis non levia incommoda attulerunt. Ut igitur, quantum fieri potest, ab animis hominum flebilis hæc memoria successuum funestorum deleatur; Volumus omnia hinc & inde occupata, direpta, aut deprædata tam in Dominio, quam extra, tam in mari, quam in terra, & ubique locorum tam subditis, quam aliis omnino, & cessante prorsus omni exceptione restitui debere. Hujus vero Decreti, & Legis exsecutionem demandamus Prætori, qui sine strepitu, & figura judicii, solaque facti veritate inspecta, provideat, ut statim, remotaque omni appellatione spoliatis ablata restituantur.

CAP. LX.

Declaratio conservationis libertatis.

INSVPER ad majorem potius Reipublicæ securitatem, quam quod necessarium existimemus, declaramus mentis nostræ, Principumve nostrorum non fuisse, nec esse, quod per harum Legum conditionem, aut quamcumque Magistratuum electionem, aut alia quæcumque, quæ per nos facta sint, aliquod censeatur, nec sit illatum præjudicium libertati Reipublicæ Genuensis; nec quod ea in controversiam deducta sit; quam Principes nostri omnino illibatam, atque intactam, & conservatam esse volunt.

CAP. LXI.

Abrogatio omnium Legum, quæ præsentibus contrariantur, & innovatio aliarum.

CVM opportune providerimus tum Magistratuum electionibus, tum etiam nonnullis abusibus, qui imperfectam admodum Reipublicæ institutionem reddebant, censuimus necessarium tollere omnia impedimenta, quæ harum Legum plenam, & integram exsecutionem aut impedire, aut offuscare potuissent. Quare præsentium tenore Leges omnes antiquas, Decreta, Statuta, aut Consuetudines etiam immemorabiles, quæ præsentibus nostris aliquo modo contrariantur, etiam quod de eis specialis, & individua mentio fienda esset, abrogamus, annullamus, & irritamus: his quæ non contrariantur, sive Reipublicæ administrationem, sive justitiam civilem respiciant, sive conventiones cum finitimis quibuscumque initas, & hucusque observatas, concernunt, innovatis, ac confirmatis.

ERECTIO ROTAE CRIMINALIS.

CAPVT I.

CVM nihil magis necessarium sit pro conservanda quiete in Republica, quam justitiam fovere, & eam illa qua decet auctoritate, omnibus æqua lance administrare: Proinde sancimus in urbe Genuæ erigendum esse tribunal trium Jureconsultorum exterorum; qui judicio, auctoritate, integritate, & rerum experientia polleant; quique nulla cum civibus Genuensibus affinitate conjuncti sint; tribunalque hoc Rotæ Criminalis nomine appellari debere.

CAP. II.

De electione Rotæ criminalis, & fiscalis.

Eos qui administrandæ justitiæ præficiendi sunt, convenit & integritate vitæ, & morum honestate, & litterarum scientia ceteris omnibus præcellere. Quare ubi de eligendis Rotæ auditoribus agendum erit, curabit illustrissima Dominatio, ut super vita, moribus, doctrina & peritia non modo eorum, qui ad id muneris adspirant, verum eorum etiam quos, uti idoneos, proponi continget, secretæ informationes per duos ex magnificis Gubernatoribus sorte extrahendis assumantur; quibus omnibus fideliter coram Senatu, Procuratoribus, & Consilio minori relatis, nomina eorum, qui majorem partem suffragiorum retulerint, in urnam ab illustrissimo Duce custodiendam, conjici mandamus; ut suo tempore Rotæ auditores ex ea sorte eliciantur, ejectis his, qui interim mortui fuerint. Quod ita tempestive fieri volumus, ut sorte educendi per trimestre, antequam ad munus accedant, præmoneantur. Idem servari volumus in electione Advocati fiscalis.

CAP. III.

Distinctio officiorum Rotæ, & electio Prætoris.

Ex hoc Magistratu, qui triennium non excedet, singulo anno unus, inchoando à seniore, & post eum sequentes, secundum ætatis gradum, in Prætorem electi intelligantur, anno tantum hoc munere functuri; ita ut finito triennio, singuli hoc munere anno fruentur. Præeritque Prætor aliis Rotæ auditoribus durante officio, aliisque honoribus, commodis, & præeminentiis, quæ huic muneri adjectæ sunt, perfruetur.

CAP. IV.

De salario Prætoris, & auditorum Rotæ.

Salarium hisce auditoribus Rotæ criminalis persolvatur sexcentorum aureorum annuorum, in singulo trimestri pro rata erogandum ex ærario publico; & hoc ultra habitationem, emolumenta, regalias, immunitates, exemptiones præstari solitas, & consuetas. Cum vero munere Prætoris fungentur, ultra sexcentos scutos aureos, (ut dignitatem officii sui tueri decentius possint) alios ducentos aureos, pro eo anno tantum, habeant.

CAP. V.

De justitia fideliter administranda.

Cum autem maxime conveniens sit, ut qui alios auctoritate sua in officio & fide continet & coercet, ipse aliis præstantior sit; sciant Prætor & auditores sibi maxime cavendum, ne immundas habeant manus; sed suis stipendiis, & legitimis honorariis contenti sint. Ad hæc se æquales, & justos omnibus præbeant, nullam penitus personarum acceptionem habeant: sed omnibus, & contra omnes, æqua lance justitiam administrent. Quod si secus factum fuerit, ultra quod Deum optimum maximum occultorum scelerum gravissimum ultorem & vindicem experientur, severe etiam in syndicatu rationem reddent, in quo nulla habebitur ratio, quod aut metus reverentialis, aut majorum jussiones intervenerint, aut impedimento fuerint.

CAP. VI.

De officio, & salario Fiscalis.

Assistat Rotæ criminali Fiscalis unus Jureconsultus, quem & exterum, & versatum in causis criminalibus esse decet, & nulli civi Genuensi affinitate conjunctum, ut libere, & sincere munus suum obire valeat; habeatque pro salario annuo scuta auri trecenta in singulos quatuor menses ex ærario publico eroganda, ultra habitationem, & alia commoda, præeminentia, & immunitates per suos antecessores percipi solitas, & consuetas. Durabit ejus munus triennio: eligetur, ac syndicabitur non aliter ac Rotæ criminalis auditores. Sciatque nihil magis muneri suo convenire, quam processuum, & causarum celerem expeditionem instare, omnique studio, & diligentia curare, ut rei debitas delictorum pœnas luant. Advertet insuper, & invigilabit, ne fiscus in multis, & condemnationibus pecuniariis, aut bonorum confiscationibus, quæ in dies fiunt per Magistratus, damnum, aut illusionem patiatur.

CAP. VII.

De Militibus, sive Allabarderiis Prætoris.

Decet eos, qui administrandæ justitiæ præsunt, non modo auctoritate pollere, verum etiam pro ea adversus temerariorum impetus, & ausus tuenda, ac conservanda, viribus præstare. Proinde habebit Prætor sex Germanos milites Allabarderios nuncupatos, illustrissimæ Dominationis impensis, & auctoritate ei subministrandos, qui & domi suæ pro foribus resideant, & eum egredientem continuo publice, & reverenter comitentur. Mandabit insuper illustrissima Dominatio Præfecto cohortis Prætorianæ, ut pro defensione, & fortiori auctoritate justitiæ, subministret Prætori eam militum manum, quam ipse postulaverit, usque ad centum, & ultra: si ita illustrissimæ Dominationi expedire videbitur.

CAP. VIII.

De electione, & salario Baricelli, & satellitum.

Eliget sibi Prætor Baricellum unum practicum, & virilem, cum octoginta strenuis satellitibus, qui ei præsto sint, ejusque jussa diligenter, & fideliter observent, & exsequantur, nulla habita prorsus personarum acceptione. Huic illustrissima Dominatio scuta quindecim, illis vero scuta tria auri in singulos menses ex publico ærario erogari mandabit: ultra regalias, & emolumenta per eos legitime percipi solita, & consueta. Caveat autem Prætor, ne aliquid muneris, aut præmii, etiam sponte oblati, capiat à Baricello per eum eligendo, occasione hujusmodi electionis.

CAP. IX.

De juramento per Prætorem exigendo à Notariis Rotæ criminalis.

Exiget Prætor à Notariis maleficiorum in principio muneris sui juramentum de dolo non committendo, ac fideliter, & legaliter exercendo munere, & quod nemini prorsus, nec prece, nec pretio, nec amicorum, Principumve rogationibus, aut jussis commoti, secreta processuum pandent, nec pandi permittent, ante eorum publicationem, sub pœna perjurii, falsi, & infamiæ, & ulterius sub

ſub pœna pecuniaria arbitrio Prætoris imponenda, & fiſco applicanda.

CAP. X.

Quod Notarii, & alii Officiales Rotæ non excedant taxas ſuarum mercedum.

CURABIT omni ſtudio, & diligentia Prætor, ut tam Notarii, & Scribæ, quam nuntii, & curſores, Baricelli, ſatellites, cuſtodes carcerum, & omnes alii in dicto Magiſtratu ſervientes taxas mercedum ex ordinibus unicuique eorum præfixas obſervent; neque aliquo pacto directe, aut indirecte excedant. Quod ſi contingat aliquos palam, vel ſecreto à clientelis, aut aliis eorum nominibus plus debito extorquere, aut indirecte, expeditiones differendo, vel moras ponendo in ſui muneris expletione, ita concutere litigatores, ut tædio affecti, majorem, quam par ſit, mercedem ſolvere cogantur: eos pro prima vice in quadruplum ejus, quod ſibi per ſtatuta debetur, quoties deliquerint, mulctet. In futurum vero ita ſevere, & graviter plectat, juxta facti qualitatem, ut ceteris ſint exemplo. Advertet inſuper, & providebit, ne aliquid penitus à pauperibus, aut à miſerabilibus perſonis accipiant: ſed Notarii omnia acta, & ſcripturas gratis conficiant, & expleant. Alii vero munera ſua, nulla penitus petita, nec exſpectata mercede exſequantur, ſed à Deo optimo maximo hujus pii laboris cumulatam exſpectent.

CAP. XI.

De Denuntiatoribus delictorum.

EXPEDIT maxime, pro juſtitia recte, & diligenter adminiſtranda, adeſſe in civitate Denuntiatores criminum. Ideo ſancitum eſt in unaquaque parochia per vicinos ſingulo triennio eligi debere duos Officiales, qui teneantur omnia delicta, quæ in ſua parochia committi continget ea quæ diurno tempore, ſaltem in die immediate ſequenti, quæ vero noctu, ſaltem intra biduum Prætori denuntiare; exprimendo delicti tempus, locum, delinquentes, offenſi nomen, & cognomen, & teſtium qui adfuerint, vel ſciverint, aliaſque circumſtantias omnes, quas de his acceperint. Qui omiſerit, vel minus fideliter denuntiaverit, ſubeat pœnam ducatorum decem auri, & ultra, arbitrio Prætoris, pro modo culpæ, & negligentiæ; niſi cauſam attulerit, quare arbitratu Prætoris jure veniat excuſandus. Non excuſentur tamen ex hoc Medici, & Chirurgi, quin teneantur juxta Statuti tertii diſpoſitionem lib. primo Criminalium omnes ſaucios, ſeu percuſſos, quibus medebuntur, apud acta D. Prætoris deferre.

CAP. XII.

De auctoritate, & juriſdictione Rotæ criminalis.

APUD hoc tribunal reſideat omnis auctoritas, & juriſdictio cauſarum criminalium, reſpectu eorum delictorum, quæ in civitate, & tribus curiis Biſamnienſi, Porciferana, & Vulturenſi committentur, tam in procedendo, quam in decidendo. Verum reſpectu eorum delictorum, quæ in univerſo Dominio, comprehenſa etiam Provincia Corſicæ, fieri continget, ſinguli Provinciarum, & locorum Prætores, & Juſdicentes (demptis tamen locis exemptis, & ſeparatis, ſi quæ ſunt) proceſſus legitime inſtruent, & decident. Et ubi agatur de crimine, quod habeat pœnam mortis naturalis, mutilationis membri, & triremium etiam temporalium, non prius manum ad deciſionem cauſæ admovebunt, quam Rotæ fideliter, & ad amuſſim ſtatum cauſæ, & proceſſus, cum eorum voto retulerint, ac reſponſum deciſivum habuerint; quod ad unguem ſervari, & exſequi teneantur.

CAP. XIII.

De modo procedendi per Prætorem, & Rotam in delictis.

PROCEDET Prætor Genuæ in omnibus delictis, non modo ad partis inſtantiam, ſive accuſationem, verum etiam ex officio; & non ſolum per capturam, & inquiſitionem, ſed etiam præceptis pœnalibus: ubi ita aliis Rotæ auditoribus convenire videatur, juxta juris, & ſtatutorum formam. Et ubi de crimine publico agi contingat, parte etiam non inſtante, teneatur ex officio procedere, ac omni ſtudio & diligentia veritatem criminis inquirere, cogendo etiam teſtes de delicto informatos omnibus juris remediis, etiam per quæſtiones & tormenta ad veritatem dicendam; & pro modo culpæ, & juxta ſtatutorum, & Legum ſanctiones, reos punire.

CAP. XIV.

Quod juriſdictio Rotæ non poſſit per aliquem impediri.

NEMO poſſit cognitionem, & juriſdictionem D. Prætoris, & auditorum Rotæ cumulative, aut privative impedire, nec cauſarum, & proceſſuum criminalium curſum, nec earum deciſionem retardare, minimeve ſuſpendere; ſublatis etiam Statutis, & Decretis incipientibus. Liceat prætereа prædictis Procuratoribus, & Incipient. Item declaraverunt ad abundantem potius cautelam: quæ magnificis Procuratoribus, & illuſtriſſimæ Dominationi notionem criminalem hactenus dederunt; ceteriſque Legibus, aut Statutis in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Curabit tamen illuſtriſſima Dominatio, ut Prætor, & auditores Rotæ juſtitiam fideliter, & viriliter exerceant. Excipitur tamen caſus criminis læſæ Majeſtatis, & ſeditionis, in quibus illuſtriſſima Dominatio, quæ ex his criminibus de facili labefactari poſſet, unum, vel duos Gubernatores, vel Procuratores deputare valebit, qui cauſis hujuſmodi cum Prætore, & Rota ſimpliciter aſſiſtent, & curabunt, ut hujuſmodi proceſſus, ea, qua decet in tam gravibus delictis, diligentia perficiantur, & pro juſtitia à Prætore, & Rota expediantur. Adjungendo etiam, ubi ita eis conveniens videatur, duos ex Rotæ civilis auditoribus.

CAP. XV.

De reis temere in carceribus non retinendis.

NIMIS durum viſum fuit eos, qui in carceres truduntur, relaxari non poſſe, niſi cauſa, propter quam detenti fuerint, non modo cognita, ſed etiam deciſa ſit. Ideo rigorem Statuti XXVI. lib. I. Criminalium temperare volentes, ſancimus id remittendum eſſe arbitrio D. Prætoris, & auditorum Rotæ, qui ſecundum qualitatem facti, & perſonarum, necnon & indiciorum, quibus unuſquiſque detentus gravabitur, quod juſtum, & conveniens eis viſum fuerit, ſtatuent.

CAP. XVI.

Quod in sententiis per Rotam ferendis duo vota sufficiant.

CVM voto aliorum auditorum Rotæ criminalis, Prætor causas expediat: duorumque vota, reluctante etiam Prætore, vim habeant sententiæ, tam in definitivis, quam interlocutoriis.

CAP. XVII.

De appellationibus rejiciendis, & sententiarum exsecutione.

A SENTENTIIS per Prætorem, & Rotam ferendis, sive definitivæ sint, sive interlocutoriæ, nec non à sententiis per Prætores, & Magistratus universi Dominii Genuensis in causis criminalibus de voto Rotæ ferendis non liceat cuiquam provocare, appellare, nec de nullitate dicere: sed ipsæ prout latæ fuerint, exsecutioni mittantur. Verum ubi agatur de pœna mortis, aut mutilationis membri, si in civitate, & districtu agatur, per triduum; si in insula Corsicæ, per dies viginti; si vero in aliis civitatibus, & terris Dominii, per quindecim dies ab exsecutione supersedeatur.

CAP. XVIII.

De litteris Principis ad novas defensiones.

VSV sæpe compertum est, multos ob paupertatem, nonnullos vero inimicorum suorum malignitatem, aut etiam Judicum injuriam, timentes, cum in judicium vocati essent, etiam quod innocentes forent, non fuisse ausos in judicio comparere, maluisseque sententiam in contumaciam pati, quam evidens vitæ periculum subire. Horum indemnitati consulentes, sancimus hosce in contumaciam bannitos, aut condemnatos admitti posse ab illustrissima Dominatione ad novas defensiones, modo litteræ petantur intra biennium: eoque casu habenda erit relatio à magnifico Prætore, & intelligendum utrum ex præsumptionibus, & indiciis tantum, an vero ex legitimis probationibus damnati sint; quo casu nullo modo concedantur. Qui hujusmodi litteras impetraverint, teneantur intra decem dies immediate secuturos se in carceribus publicis personaliter constituere; alias litteræ sibi non suffragentur. Sciantque sibi onus incumbere docendi de innocentia sua, absque eo quod fiscus aliquid probet. Quod si intra annum se constituerint, & innocentiam suam demonstraverint; non modo à pœna capitali, verum etiam à mulcta pecuniaria, & bonorum confiscatione liberari valebunt; si post annum eo casu à pœna corporali, & capitali tantum liberari possint.

CAP. XIX.

De Syndicatoribus Rotæ criminalis, & instantia syndicatus.

FINITO officio, statim sorte eligantur per illustrissimam Dominationem unus ex supremis Syndicatoribus, duo de minori Consilio, unus Rotæ civilis auditor, & unus de Collegio Doctorum, & qui omnes, vel eorum filii lites non habuerint coram syndicandis: qui Prætorem, & Auditores, Fiscalem, Notarios, Baricellum, & familiam syndicent, querelas audiant, processus instruant, libros criminales revolvant, diligenterque advertant, num aliquid dolo, injuste, supinave negligentia actum sit, quod jura fisci, aut tertii offendat; & omnibus perfectis, justitiam faciant: Instantiaque syndicatus quadraginta dies non excedat.

CAP. XX.

Quod officium auditorum Rotæ criminalis triennale sit.

QVI per triennium hoc Magistratu Rotæ perfunctus fuerit, non possit confirmari, vel prorogari, nec ad idem officium assumi, nisi lapso triennio integro, à die functionis sui muneris.

CAP. XXI.

De Protectoribus pauperum carceratorum.

MAXIME refert pauperum, & miserabilium personarum, qui omnium ope destituti, aut in carceribus marcescunt, aut à potentioribus oppressi injuste, & longius fortasse, quam par sit, detinentur, & quandoque etiam injustas pœnas subeunt, rationem habere. Proinde officium, quod Protectorum carcerum appellatur, à nobis erigendum esse censuimus. Constabit hic ordo ex duobus civibus Christiana pietate insignibus, quos illustrissimus Dux, & Gubernatores eligent; ex duobus item Jureconsultis, quos Collegium singulo biennio nuncupabit; duobus item Causidicis, quos eorum ordo peritiores singulis duobus annis huic muneri deputabit. Hi postquam electi erunt, nulla admissa excusatione, onus impositum subibunt; carceres adibunt; notulam carceratorum, qui propter paupertatem defensore indigent, habere curabunt; titulum, & causam eorum detentionis à Notariis, vel à Prætore, aut aliis Judicibus intelligent; convenient in domo senioris Jureconsulti, aut ubi eis opportunius videbitur; de defensione eorum diligenter, & accurate tractabunt; munera inter se partientur. Doctores, & Causidici in videndis processibus, parandis legitimis defensionibus, disputandis causis incumbent. Cives vero frequentiores erunt in Prætorio, carceratos sæpe invisent, & intelligent, utrum in aliquo à custodibus carcerum, vel ab eo, qui alimenta subministrat, graventur; & ubi opus fuerit, omni studio curabunt, ut ab offensis opportune eis fiant remissiones. Protectoribus (cum opus adeo pium exerceant) Prætor, & auditores tam civiles, quam criminales facilem aditum, benignasque aures præbebunt. Notarii processus (si publicati fuerint) prompte exhibebunt videndos, & explebunt gratis acta, & eorum defensiones eadem pietate gratis recipient: cumulatam mercedem à Deo exspectaturi. Horum officium biennale erit. Sciant tamen, lapso biennio, adstrictos etiam fore pro hoc munere, ut successores suos diligenter instruant. Doctoribus illustrissima Dominatio scuta quinquaginta pro singulo, Causidicis vero viginti quinque erogari mandabit; ut operam suam pauperibus gratis præstent.

CAP. XXII.

De visitatione carceratorum.

HORTAMVR insuper illustrissimam Dominationem, quam huic pietati Christianæ addictam esse confidimus, ut semel in mense per duos ex magnificis Gubernatoribus, vel Procuratoribus carceres visitari curet; pauperum, & miserabilium carceratorum causas intelligat; indeque provideat, ut celeriter, & favorabiliter, & prout opportunum esse judicaverit, expediantur.

CAP.

CAP. XXIII.

De abrogatione Statutorum, quæ libertati matrimonii, & immunitati ecclesiasticæ adversantur.

MAXIME nefarium existimantes matrimonii libertatem vel violare, vel aliquo modo impedire; Censemus Statuta in lib. Crimin. II. cap. 7. & 93. quæ libertati matrimoniorum non leviter adversantur, abolenda, & irritanda esse, prout per præsentem sanctionem abolemus, & irritamus. Eadem auctoritate Statutum lib. II. Crimin. cap. 71. §. si quis autem sacris initiatus, tamquam immunitati, & libertati ecclesiasticæ, ac sacris Canonibus contrarium, tollimus, & abrogamus.

CAP. XXIV.

De abrogatione Legum, & Statutorum, quæ præmissis Legibus adversantur, & de innovatione aliarum non obstantium.

ALIAS vero Leges, Statuta, & Decreta criminalia civitatis Genuensis, uti & rationi, & juri consentanea, innovamus, eorumque exsecutionem D. Prætori, & Rotæ, sedulo injungimus: his, quæ præsentibus nostris constitutionibus, aut alicui earum aliquo modo adversantur, abolitis, & antiquatis.

QVAE superius descriptæ sunt Leges, Statuta, Decreta, Ordinationes, atque Electiones, & paullo ante publice recitatæ fuerunt, eas, & ea Nos Joannes Cardinalis Moronus, sacri Collegii Prior, sanctæque Sedis Apostolicæ de latere Legatus; Petrus Faunus Costachiarius, sacri Imperii Comes, & Princeps, Episcopus Acquensis, Cæsareusque Orator, & Commissarius; Don Carolus à Borgia, Gandiæ Dux; & Don Joannes de Idiaquez, sacræ Catholicæ Majestatis Consiliarius, & ejusdem Orator apud Genuenses, ambo Ministri Catholici Regis, Deo optimo maximo annuente, concordibus votis, & nemine nostrûm penitus discrepante, facta prius per nos, & quemlibet nostrûm Principibus nostris plena, & integra omnium relatione; & de eorum omnium communi, ac penitus concordi voto, & mandato, pro reformatione Genuensis Reipublicæ, ac ejusdem bono, justo, quieto, & pacifico statu condidimus, ac compilavimus. Et in fidem præmissorum manu propria subscripsimus, & nostris sigillis sigillari, & à Secretariis nostris subscribi jussimus.

Dat. Casali Montisferrati, die Sabbati, decima Martii, anno à partu Virginis, M. D. LXXVI.

Joannes Episcopus Ostiens. Cardinalis Moronus, Legatus è Latere, &c.
Petrus Faunus Costachiarius, Episcopus Acquensis, Orator, & Commissarius Cæsareus, &c.
Don Carolus à Borgia, Gandiæ Dux, &c. Et Don Joannes Idiaquez Orator, Ministri Catholici, &c.

CONDIDIMVS Legem, in qua decrevimus, officia Scribarum, qui à Secretis sunt illustrissimæ Dominationis, in futurum singulis lustris conferenda esse per duo Collegia, & Consilium minus. Verum voluimus hos, qui nunc Reipublicæ serviunt, in munere suo per quinquennium perseverare debere: si ita hi, qui eligendi eos jus habent, arbitrati fuerint; sed inde dubitatum fuit, quod statim, acceptatis Legibus, nec accedente consensu & duorum Collegiorum, & Consilii minoris, exstincta esset horum facultas; id quod nos existimavimus indubitatum esse, cum nullo verbo, aut sensu Legis caveatur, quod hi debeant à munere vacare præsenti tempore: quinimo decreta sit certa, & expressa continuatio, & perseverantia officii usque ad quinquennium; nec eligere debentibus reservata sit alia facultas, quam arbitrandi, an perseverantia hæc debeat usque ad quinquennium currere, an minori tempore. Verum ad majorem declarationem, & ad tollendas etiam superfluas dubitationes, edicimus mentis nostræ non fuisse, quod horum, qui nunc serviunt, munus exstinctum esset, nisi & duo Collegia, & Consilium minus contrarium fuerint arbitrati. Verum id voluisse, præsentes Scribas in suo munere perseverare debere usque ad quinquennium: ubi ab illustrissima Dominatione habeant litteras confirmatorias, quas singulis annis impetrandas esse duximus: nisi & duo Collegia, & Consilium minus quinquennalem hanc continuationem auctoritate sua præciderint. Verumtamen hoc præsenti anno litteras confirmatorias minus necessarias esse censemus; sed munus Scribarum sine aliqua difficultate durare; & ita observari debere volumus. In quorum fidem, &c.

Dat. Casali Montisferrati, die 18. Martii, M. D. LXXVI.

Joannes Cardinalis Moronus, Legatus Apostolicus, &c.
Petrus Faunus Costachiarius, Episcopus Acquensis Orator, & Commissarius Cæsareus:
Don Carolus à Borgia, Gandiæ Dux: Et Don Joannes Idiaquez Orator, Ministri Catholici, &c.

DEDIMVS formam in Legibus nostris, qua Officiales, & Magistratus in Republi-

publica Genuensi in futurum eligi debeant; & omnium qualitates, quas in eligendorum personis desideravimus, suis in locis descripsimus; & officiorum, quæ aliàs per duo Collegia, aliosque viginti octo conferebantur; nonnullis exceptis, eisdem duobus Collegiis, una cum minori Consilio eligendi in futurum facultatem dedimus, & contulimus. Verum quia de infra scriptorum Officiorum, & Magistratuum electione distinctam mentionem non fecimus, cum hujusmodi Magistratus, & Officia in civitate Genuæ exerceantur, & magnam auctoritatem, atque jurisdictionem administrent: Nos, ne deinceps dubium aliquod oriri possit, hac nostra præsenti Lege decernimus, & sancimus electionem Officiorum, & Magistratuum Extraordinariorum, Corsicæ in civitate Genuæ, Terræ-firmæ, Patrum communis, Annonæ, Censorum sive Magistralium, & Monetæ de cetero ad duo Collegia, & Consilium minus pertinere, cum eisdem suffragiis, modis, & formis, quas in aliis similibus eligendis præscripsimus, & desideravimus: Non obstantibus quibuscumque Legibus, Statutis, Decretis, Ordinationibus, vel Consuetudine etiam immemorabili in contrarium facientibus: quibus omnibus expresse derogamus. Et nihilominus cetera per nos in Legibus nostris sancita, & præsertim circa præmissa, inviolata, & intacta esse, & remanere decernimus, sancimus, & censemus. In quorum fidem, &c.

Dat. Casali Montisferrati, die XIX. Martii, Anni M. D. LXXVI.

FINIS.

INDEX COLONIARVM,

Urbium, Virorum Domi Militiæque illustrium, ut & Rerum terra marique gestarum, maxime memorabilium, quæ hoc in Volumine continentur.

A.

ABBATES Tilietus & Gorgonius *quæ consilia de pace inter Genuenses & Pisanos componenda ineant.* 300. D.
Aborigines *quando & quo Duce Italiam incoluerint.* 5. B.
—— *Janigenæ quare immixti Insularibus Mediterraneisve Coloniis.* 23. B.
—— *Unde oriundi.* 216. B.
Aboriginum *Urbes quot Plinius & Strabo memorent.* 7. E.
Acaron *Oppidum in Syria à quibus expugnatum.* 245. C.
Acedum *Oppidum.* 98. D.
Acerræ *Urbs.* 96. A.
—— *A Romanis obsidentur.* 135. B.
Acerris *Pagus & Acerrina Regio quæ?* ibid. C.
Aconia *Fluvius.* 111. E.
Aconis *seu* Ptolemaidis *situs, & inter quos dividatur.* 363. B.
Actiaci *Oppidi situs.* 179. E.
—— *Unde ita dictum.* ibid. F.
Accurtius Lancia vecchia *Alexandrinus Genuæ Prætor sub Capitaneis.* 377. E.
Adamus Centurio *unde clarus.* 872. F.
Addua *Fl. unde ita dictus.* 93. D. 114. A.
Adolescentes *tres Neapolitani Nobiles quare in Carcerem conclusi, ibique occisi.* 913. F.
Adolescentis *cujusdam quæ virtus & constantia.* 676. C.
Adornii *fratres quam spem populo Genuensi fecerint.* 659. B.
—— *Genua quare excedant.* 674. E.
Adria *Urbs cui Sinui nomen dederit.* 104. C.
Advocatorum *familiæ Genuensis ambitio quas discordias civiles ibi creet.* 270. C.
Ægidius Buccanigra. 799. F.
—— *Classem auxiliatricem ad Alphonsum Castellæ Regem ducit contra Mauros.* 441. E.
—— *Quos honores inde adipiscatur.* ibid.
Ægidius Andrado *quo à Classe Christiana missus.* 1033. B.
Æliorum *Familia Mediolani quam antiqua.* 90. B.
Ælius Pertinax *Dux Genuensis unde oriundus, & à quibus interfectus.* 769. E.
Æmulatio *Genuenses inter & Venetos quanta.* 1433. D.
Æolus *ventorum Rex & Pater quis.* 42. C.
Æsculum *quorum Colonia.* 36. D.
Agapitus Columna *Cardinalis quare missus ad Genuam Legatus.* 481. A.
Ager *Reatinus à quibus depopulatus.* 25. C.
—— *Vestinus unde dictus.* 9. E.
Agilulphus *Longobardorum Rex Romanos quomodo vincat, Cremonam, Mantuamque vi capiat.* 81. B.
Aitonus Auria *Fanum Romuli pro quibus in Guelphos recuperet.* 425. F.
Alamanus Costa *Comes Syracusarum Genuensium fiduciarius à quibus captus.* 305. A.
Alassium *Oppidum unde insigne.* 1419. B.
Alba Pompeja. 99. F.
Albarum *usus in Ecclesia unde oriatur.* 28. A.
Albericus Cibo *unde clarus.* 856. A.
Albertus Clavarus *unde insignis.* 848. C.
Albertus Malavolta *Bononiensis Prætor Genuæ.* 355. E.
Albertus Mandellinus *Mediolanensis Prætor Genuæ.* 296. B. 353. C.
Albertus Maurocenus *Venetus Prætor Pisanorum.* 388. D.
—— *Capitur à Genuensibus.* 394. B.
—— *Nullo pretio Venetias remissus.* 395. B.
Albii Intimelii *Genuensibus rebelles denuo quomodo subjiciantur.* 266. A.
Albingauni *Oppidi situs.* 1310. E. 1419. B.
—— *A Parvulo frustra obsidetur.* 1310. D. 1312. A.
Albintemelienses *à Gallis stantes Genuensibus sese dedere quomodo cogantur.* 534. D.
Albintemelii *discordia quæ Præturæ causa.* 376. D.
Albintimelium *frustra à Jo. & Lud. Grimaldi quomodo tentatum.* 507. B.
—— *A Carolo Lomellino quare occupatum.* 560. B.
Albion Intemelium *à quibus celebratum.* 106. C.
Albisola *Oppidum Genuensibus se dedit.* 316. C.
Albizatum *Pagus quomodo aliter dictus.* 173. A.
Albricus Barbianus *quis?* 116. E. 117. A.
Albuciorum Familia. 79. A.
—— *Monumenta innumera de ea Mediolani quæ?* ibid. B.
—— *Ut & in Vico Clivii.* 191. C.
Albumingaunum *unde nobile.* 55. B.
—— *A Quibus expugnatum.* 273. B.
—— *Unde dictum.* 217. A.
Album Intemelium *unde dictum.* 217. C.
Albumtimilii *situs.* 54. E.
Alciatum *unde dictum.* 93. F.
Alexander V. *ubi & à quibus Pontifex creatus.* 531. C.
Alexander VI. *Pontifex Romæ quando electus.* 661. E.
Alexandri Donati *quanta ignavia & quomodo punita.* 1025. E.
Alexandri Fulgosii *Episcopi Abintemeliorum factum proditorium quod?* 708. B.
Alexandria *A quo ita dicta.* 100. E.
Alexandria Urbs *quid olim fuerit.* ibid. D.
Alexandrini *Capriatam quomodo occupent.* 317. F. 318. A.
Alexius *Græci Cæsaris filius quam uxorem ducat.* 286. E.
Alginum *unde clarum.* 98. D.
Alista *Metropolis Aboriginum à quibus diruta.* 22. E. 25. A.
Allabardarii *Prætoris Rotæ Genuensis qui & quot?* 1506. C.
Allobrogum *sedes quæ.* 73. A.
Almeria *ubi sita.* 255. D.
—— *A Genuensibus quomodo expugnata.* 257. F.
Alpes *unde ita dictæ.* 106. A.
—— *Feræ quæ in illis occurrant.* 1116. C.
—— *Fauces earum quare militum stationibus variis communitæ.* 174. E.
—— *Græcis quomodo dictæ.* 105. C.
—— *Olim quomodo nuncupatæ.* 217. C.
—— *Quæ Regiones per illas divisæ.* 105. C.
Alpium *varia Nomina.* 106. A.
—— Cornicæ. 111. A.
—— Cottiæ. 107. A. 108. A.
—— *Earum longitudo & latitudo.* 156. B.
—— Grajæ. 106. F.
—— *Earum situs.* 183. A.
—— *Unde ita dictæ.* ibid.
—— Juliæ. 110, F. 158. C.
—— *Saltus.* 107. E.
—— Leopontiorum. 110. A.

Alpes Maritimæ *quæ?* 106. B.
—— Penninæ. 108. C.
—— *Unde ita dictæ.* ibid. F.
—— Rhoetiæ. 110. B.
—— Sallyes. 106. E.
—— Tridentinæ. 110. B.
—— *Ubi sic dici incipiant.* 217. B.
Alphonsus *Aragoniæ & Siciliæ Rex Genuensibus quare bellum inferat.* 548. D.
—— *Bonifacium Oppidum in Corsica Ins. frustra obsidet.* 549.--553.
—— *Calva munitissimo Oppido in eadem Insula quomodo fruatur.* 549. A.
—— *Genuam terra marique obsidet.* 605. A.
—— *Jacobus Justinianus quomodo sese dedere cogatur.* 581. B. 1302. A.
—— *Massiliam capit & diripit.* 1279. B.
—— *Mors ejus.* 605. D.
—— *Neapolim qua via invadat.* 597. B.
—— *Oratio ejus Mediolani ad Philippum.* 585. C.
—— *Petrum Fulgosium Genuæ Ducem quomodo vexet.* 603. D.
—— *Regno cessit Filio Ferdinando successore relicto.* 666. B.
—— *Rex Neapolis à quibus acceptus.* 569. A. 1275. C.
Alsa *Fluvius.* 115. F.
Altinum. 104. C.
Alvarus Sandius *quam fortem & fidelem operam præstiterit Carolo V. & Philippo II.* 1101. A.
—— *Consilium quod sibi datum rejiciat.* 1102. A.
—— *Dux auxilii in Melitam Ins. missi à quo constitutus.* 1172. F.
—— *Ejus sententia quæ, de ratione Melitæ subveniendi.* 1161. E.
Ambigatus *Celtarum Rex.* 140. A.
Ambrosii Grimaldi *somnium futuræ mortis prænuncium quod?* 565. C. 1290. B.
Ambrosius *quarum Regionum Ecclesiis præfuerit.* 156. C.
Ambrosius Nigrius. 817. D.
Ametes *quomodo à Turcis captus.* 1122. D.
Amicus *Grillus.* 784. E.
Amidas *Rex quis fuerit.* 1113. B.
Amiterni *Reatem diruunt.* 22. F.
Amiternorum *Insignia militaria quæ?* 32. F.
—— *Senatus quas urbes condi jussit.* 37. D.
Amiternum *unde dictum.* 5. C.
Amiternus *Ager.* 38. B.
Amoris & Iracundiæ *in eodem simul subjecto quis effectus.* 1339. E.
Ananes *qui populi, quæque eorum sedes.* 99. E. 165. D.
Anastasii IV. *Pont. Max. ad Regem Hierosolym. & Principes Syriæ quid & quare scribat.* 262. B.
Anaxus *Fluvius.* 115. F.
Andalo *Genuensis quanta Doctrina celebris.* 59. A.
Andalous Nigrius *unde clarus.* 868. C.
Andevartorum familia *Mediolani quam antiqua.* 88. B.
Andoria. 55. A.
—— *situs ejus.* 1419. C.
Andorium *oppidum à quo emant Genuenses.* 357. F.
Andreæ Auriæ *egregium facinus quodnam?* 720. D.
—— *Expeditio pro Gallis in Ins. Sardiniam quæ.* 732. A.
—— *Oratio ad Cives Genuenses qua de re.* 1336. B.
Andreæ Cortesii *Epirotæ fortitudo quæ.* 975. D.
Andreæ Mugnatonii *Signiferi Hispani in Ins. Melitæ quod eximium factum.* 1156. D.
Andreas Auria *quare statim opprimere noluerit Jo. Lud. Fliscum.* 1394. F.
Andreas Auria, *vel Doria.* 822. C.
—— *A Rege Galliæ quare animum suum avertat.* 734. C. 885. E. 886. A.
—— *Ad Pontificis stipendia quomodo transierit.* 728. D.
—— *Africam cujus jussu petat.* 1352. B.
—— *Carolum V. quo comitatu & quare Barcinonem conveniat.* 1349. B.
—— *Censor Genuæ perpetuus.* 1342. A.
—— *Classem Genuensem quomodo ceperit.* 729. F.
—— *Dux Genuæ quando creetur.* 1377. F.
—— *Gallorum ad stipendia quomodo revertatur.* 729. C.
—— *Genua Urbe quomodo potiatur.* 1335. E.
—— *Genuæ quibus laudibus exceptus post expeditionem anni* M.D.XXXVI. 1356.
—— *Genuam quomodo à Dominatu externo liberaverit.* 735. A. 736. A.
—— *Laudes ejus.* 1346. D.
—— *Melphii Princeps à quo fiat.* 1354. D.
—— *Præmium virtutis quod retulerit.* 1348. D.
—— *Qualis Vir fuerit.* 734. A. 1334. A.
—— *Victoria ejus in Classem Caroli V.* 733. F.
Andreas Centurionus Petra Sancta *Dux Genuæ.* 1381. D.
—— Mergus *quare id cognominis adeptus.* 1274. B.
—— Zoalius *quare obtruncatus.* 521. C.
Andreolus à Mari, *sive* Marius, *Genuam bis quomodo lacessat.* 354. A. 787. D.
Andronicus *quibus auctoribus in patrem suum conjuret.* 462. B.
—— *Imperio Constant. potitus Genuenses quo beneficio sibi confirmet amicos.* ibid. C.
Angelerius *unus ex Consulibus Genuensibus à quibus obtruncatus.* 287. B.
Angelus Justinianus *unde clarus.* 860. F.
Angleriæ *oppidum unde nobile.* 85. A. 112. D.
—— *Nomen illi unde.* 175. B.
—— *Præfectura olim Alpinarum gentium.* 112. E.
—— *Vetustatis monumenta quot demonstret.* 175. A.
Angleriates *quomodo Mercurium coluisse pateat.* 113. B.
Angustiæ *in quas varii Genuæ motus Civitatem projecerunt.* 519. 520.
Anni *qui debeant esse Consiliariorum majoris & minoris Genuæ Concilii.* 1478. D.
Annibalis Bozuti *Oratio contra Inquisitionem Neapoli admittendam.* 909. A.
—— *Exilium voluntarium.* 928. E.
Annibalis *Castra ubi credita.* 80. E.
Annonæ *magna Venetiis deficientia.* 476. F.
—— *Procuratores & Præfecti Genuæ quibus adstringantur legibus.* 1492. A.
Annus *qui dici possit altera Genuæ Origo.* 433. C.
Anomus *Fluvius.* 117. A.
Ansæ *quid sint.* 11. E.
Ansaldi Grimaldi *præstantissimum quod in Remp. Genuensem meritum.* 1369. D.
Ansaldus Grimaldus *Quis & quantus Vir ille fuerit.* 1370. B.
Ansaldus Auria *unde insignis.* 775. D.
—— & Hugo *Embriaci qui.* 773. D.
Ansaldus Marius *cujus fortunæ Vir.* 787. B.
Ansaldus Pizo *unde clarus.* 775. D.
Ansaldus Scalia *Genuensis Rerum Forensium Consul.* 266. E.
Ansaldus *Bononiensis Genuensis Prætor.* 310. A.
Ansaldus Soldanus. 788. D.
Ansaneti *Vallis descriptio.* 11. D.
Anselmus Garrius *Conf. Genuens. quæ Pisanorum loca depopuletur.* 282. F. 283. A.
Antiliæ *Urbis ruinæ, ubi* 101. A.
Antiochia *expugnata primum opus belli Sacri.* 237. D.
Antipatris *à Christianis quando expugnata.* 21. F.
Antistites & Legati *complures ex Longobardiæ Civitatibus Genuam quare venerint.* 330. C.
—— *A Pisanis quomodo capti.* 333. A.
—— *Plerique eorum quomodo mortui.* ibid. D.
Antoniottus *Adornius quare Genua excedere coactus.* 484. B.
—— *Captus quare & turri inclusus.* 504. D.
—— *Civitatis Principatum invadere quomodo conetur.* 489. E.

Antoniottus *Consilium de Genua Regi Galliæ tradenda quare ineat.* 507. E.
—— *Conspiratio in eum à quibus.* 506. C.
—— *Copias in Nobiles quare mittat.* 497. B.
—— *Ditionem Genuensem quomodo augeat.* 494. C.
—— *Dux creatur.* 490. F. 491. A.
—— *Ejus laudes.* 494. D.
—— *Fugit.* 498. A.
—— *Genuam quare revocetur.* 489. B. 504. E.
—— *Guarci & Montalti quid in eum moliantur, dum est Vicarius Galliæ Regis.* 510. E.
—— *Insidiæ in eum quibus auctoribus.* 491. E.
—— *Iterum Dux creatur.* 495. D. 496. A.
—— *Litteris Ludovici* XII. *Vicarius Genuæ renunciatur.* 712. C.
—— *Magistratum quare abdicat?* 510. C.
—— *Obit.* 512. C.
—— *Principatum & Patriam quare relinquat.* 495. A.
—— *Quartum Dux creatur.* 506. B. 726. B.
—— *Repetere Genuam quo hortante conetur.* 499. C.
—— *Repetit Civitatem, Duxque creatur.* 496. A.
—— *Simulatio ejus in sua cum Montalto reconciliatione.* 505. B.
—— *Vicarius Regis Galliæ per interim declaratur.* 510. C.
—— *Urbe quare excesserit.* 501. F.
Antoniottus Auria *Genuensis Classis Præfectus quare Genuæ honorifice exceptus.* 537. A.
Antoniottus Cucurnus *Nobilis Factionis Gibellinæ captus, quare & ad mortem damnatus.* 512. A.
Antoniottus Guarcus *Dux Genuæ quomodo factus.* 504. A.
—— —— *Civitate quare excesserit.* ibid. F.
—— —— *Ditionem Genuensem quoties sine fructu repetierit.* 506. F.
—— —— *Insimulatus consiliorum contra Res Regias, quomodo interficiatur.* 528. A.
Antoniottus Palavicinus *Cardinalis unde clarus.* 834. C.
Antonii Balbi *turpe factum quomodo punitum.* 1026. B.
Antonii Rosselei *Dalmatæ Sacerdotis egregium in Remp. Venetam promeritum quale.* ibid. B.
Antonii Teupoli *Venetorum Legati ad Philippum II. postulata quæ.* 1079. D.
Antonius Auria *unde insignis.* 825. D.
Antonius Ferrerius *Cardinalis unde clarus.* 845. C.
Antonius Grimaldus *quare notabilis.* 800. F.
Antonius Justinianus *Genuensis unde insignis.* 62. C.
Antonius Justinianus Longus & Georgius *quare* Priores *creati.* 521. E.
Antonius Montaltus adolescens XXIII. *annorum Genuæ Dux quomodo creatus.* 498. A.
—— *Initium ejus Principatus quale.* ibid. B.
—— *Insidiæ illi à quo structæ.* 499. A.
—— *Perpetuus Dux unde iterum creetur.* 502. A.
—— *Principatu & Urbe quare sponte cesserit.* 503. A.
Antonius Perenottus *Cardinal. Granvellanus Philippi II. ad Pontificem Legatus.* 961. A.
—— *Certamina inter Fœderis sacri Procuratores quomodo renovaverit.* 1007. A.
Antuates *Populi.* 183. D.
—— *Eorum Regio quomodo hodie dicta.* ibid.
Appellationes *quomodo rejiciendæ.* 1509. B.
Apenninus Mons *quomodo Italiam secet.* 7. F.
—— *Apex quomodo dictus.* 21. E.
—— *Exordium ejus.* 100. C. 105. C.
—— *Fugientes à vorticibus Diluvii excepit.* 8. C.
—— *Unde dictus.* 13. C. 105. D.
Apia, *vid.* Avia.
Apicna *vel* Apicena *à quibus condita.* 39. D.
Apius Collis *insigne quid habeat.* 54. F.
Aprusæ *Mare unde dictum.* 39. E.
Apuani Ligures *quem olim Lacum incoluerint.* 53. D.
Apuanis Liguribus *arma à quibus inferantur.* 225. E.
Apuanorum *Civitas.* 217. B.
Aqua *Statiellorum.* 99. F.
Aquæ-Ductus *Genuæ ad finem quando perductus.* 404. E.
Aquarum *subita & mirabilis illuvio.* 193. E.
Aquila *Urbs quomodo creverit.* 38. F. 39. A.
Aquileja. 98. E.
Arabum *Mahumitarum sedes.* 1094. E.
Aranus Cibo *unde insignis.* 854. F.
Arausio *quare dicta* Urbs Secundanorum. 185. E.
Arbisola *Pagus unde clarus.* 1418. E.
Arbor *Medica quæ.* 1230. F.
Archiepiscopus *Genuensis quam dignitatem ab Alexandro Pont. in perpetuum acceperit.* 267. B.
Arcisate *Oppidum unde clarum.* 189. A.
—— *A Priscis quomodo vocatum.* ibid. 190. E. 191. C.
Arcula *Oppidum à quo expugnatum.* 380. D.
—— *A Dominis suis ceditur Genuensibus.* ibid. E.
Ardoinus *Eporrhediensis Marchio à quibus Italiæ Rex coronetur.* 117. F.
Arelate *quare dictum* Urbs Sextanorum. 185. E.
Arenzanum *Oppidum ex mediocri quid factum.* 1418. E.
Arctia *Jani uxor Mater & Regina Janigenarum.* 5. D.
Argentina Spinula *unde clara.* 873. D.
Ariminum *à quo conditum.* 40. A.
—— *Quarum Regionum terminus.* 104. B.
Ariminus *Fluvius.* 117. C.
Aristocratia *quænam Regiminis species.* 140. D.
Arlunorum Familiæ *antiquitas.* 89. D.
Armeni *Janigenæ quare præcipue dicti.* 6. B.
Arnus *Fluviolus quam amœnam vallem perfluat.* 173. A.
Ars Palantica *quæ.* 42. A.
Artes *quibus Aborigines Indigenæ reputantur.* 7. E.
—— *Rhodiæ quæ dictæ.* 28. D.
Artium *mechanicarum quæ Genuæ institutio.* 1459. C.
Aruntini *unde dicti.* 21. E.
—— *Apud eos quid contigerit.* 45. E.
—— *Vicus eorum à quibus* Camillarius *dictus.* 45. D.
Arx S. Angeli *Pisanorum in Ins. Corsica à quibus expugnata.* 251. A.
—— Castelleti *à Genuensibus quomodo capta.* 1310. A.
—— Castellioni *in Agro Pegiensi frustra à quibus tentata.* 425. B.
Arx Guletana *à quo custodita.* 1115. C.
—— *A quibus obsessa.* 1116. C.
—— *Capitur.* 1122. C.
Arx S. Hermi *in Ins. Melita quomodo à Turcis oppugnata.* 1134. D.
—— *Prælium ad eam quam Turcis infaustum.* 1139. D.
—— *Quomodo tandem capta.* 1142. A.
Arx S. Michaelis *in eadem Insula à Turcis quomodo oppugnata.* 1146. C.
Arx Nova *Capitis Phari à quibus in Gallos obsessa.* 709. E.
—— —— *Obsidio quomodo solvatur.* 712. B.
—— —— *Neapoli à quo obsessa & expugnata.* 1315. C.
Arx Plombini *à Genuensibus quomodo capta.* 251. C.
Arx Vulturis *munitissima à Guelphis in Gibellinos occupata.* 425. A.
Ascanius Cornius *quare à carceribus liberatus.* 1160. E.
—— *Ejus sententia de ratione Melitæ subveniendi.* 1163. C.
Asprenates *unde dicti.* 15. D.
Assani *Ahenobarbi filii Oratio pro prælio cum Classe Christiana committendo.* 1052. A.
Astoris Balionii *summi Venetorum Ducis in Ins. Cypro quanta negligentia.* 974. D. 976. C. 978. A.

Astoris Balioni *quanta ad Famagustam vigilantia.* 1024. B.
Astus *Turcarum quis in obsidione Melitensi.* 1166. A.
Atavus *unde.* 26. C.
Atelte *oppidum.* 98. D.
Athesis *Fluvius unde derivetur.* 115. E.
Athus *Rex Mæoniæ sua Filio suo Tyrrheno jura in Italiam resignat.* 24. C.
Atra *Fluvius.* 9. A.
—— *Quomodo aliter dictus.* ibid.
Atria *Urbs à quibus condita.* 35. A.
Auctoritas *Rotæ Criminalis Genuæ quæ sit.* 1507. F.
Audemarus *primus Genuæ Comes à Quo constitutus.* 235. A.
Aventinus *Mons unde Remuria dictus.* 23. F.
—— *A Thioræ Oraculo quod nomen habuerit.* 29. B.
Avexa *Fluviolus.* 117. B.
Aufidena *Urbs unde dicta.* 36. F.
Augusta *Bacienorum Pagus.* 100. E.
Augusta *Taurinorum.* 77. B.
—— *Ab Annibale Pœno deleta.* 78. A.
—— *Prætoria quare ibi stabilita.* 174. F.
Augusta *Prætorum à Quo ampliata.* 78. B.
Augusti Trophæa, *vide* Trophæa Augusti.
Augustinus Adornus *Vicarius Sfortianus Genuæ in decennium quomodo factus.* 657. E.
Augustinus Barbarinus *cui à Venetis Legatus datus.* 998. F.
—— *Quomodo occubuerit.* 1065. C.
Augustinus Folieta *unde insignis.* 862. C.
Augustinus Granarius *cujus sceleris pœnas dederit.* 1359. D.
Augustinus Justinianus *unde clarus.* 869. A.
Augustinus Spinula. 825. F.
—— *Cardinalis.* 836. A.
Avia & Apia *quæ, & unde dicta.* 13. E.
—— *Venus quare eadem dicta.* ibid.
—— *Urbs unde dicta.* 35. C. 37. D.
Aureæ *Ætatis securitas quomodo conservata.* 8. F
Aurelius Fulgosius *unde clarus.* 821. A.
Aureolus *quis fuerit.* 92. E.
Auria (Antonius) *hostis Patriæ quare declaratus, ejusque bona omnia publicata.* 438. D.
Aurieta Auria 800. C.
Aurius Lamba *Genuensis unde celebris.* 59. B.
Aurunus *quis dictus Sagis.* 21. E.
Avus *unde.* 26. C.
Auxilia *Genuensium quæ in Bello Sacro?* 375. B.
Ayraldus Guaracchus *Genuæ Episcopus quando factus.* 238. C.

B.

BACHILIO *Fluvius.* 115. F.
Bæbius *Prætor à quibus circumventus & fugere coactus.* 221. D.
Bagantianus *Torrens.* 116. C.
Bagnacavallum *Oppidum.* 117. A.
Bajæ *à quibus primo habitatæ & auctæ.* 43. B.
Balbus *vocabulum unde oriatur.* 32. E.
Balduinus Genuensis *unde insignis.* 775. D.
Balduinus *Imperator Constantinop. Genuensibus quomodo & quare infensus.* 334. A.
Balduinus *Rex Hierosolymæ.* 241. A.
—— *Quibus adjuvantibus Ptolemaidem expugnat.* 245. D.
Balearica Minor *à Genuensibus quare direpta & occupata.* 254. B.
Balneus *Vicus ubi situs.* 33. D.
Balthasar Biassia *unde insignis.* 816. A.
Baptista Buccanigra *in locum Vicarii Regii quare & quomodo suffectus.* 519. B.
—— *A Bocicardo capite quare damnatus.* 522. B.
Baptista Francus Luzardus *Rector Genuæ & Regiæ custodiæ Capitaneus creatur.* 520. C.
—— *A Magistratu quare abire jussus.* 521. E.
—— *Apparitorum ex manibus quomodo sese eripiat.* ibid. C.
—— *Immodicæ linguæ quomodo pœnas dederit.* 525. A.
—— *Principatum Genuæ quibus auctoribus ambiat.* 532. D.
Baptista Fulgosius. 809. B.
—— *Dux Genuæ quomodo creetur.* 648. B.
—— *In eum quare à quibusdam conjuretur.* 649. E. 650. A.
—— *Sese Ducatu quomodo abdicet.* ibid. F.
—— *Unde insignis.* 867. D.
Baptista Justinianus *unde clarus.* 814. B.
Baptista Lomellinus *Dux Genuæ creatus.* 1357. A.
Baptista Pinellus *unde Insignis.* 856. C.
Baptista Spinula *quando Dux Genuæ renunciatus.* 1353. B.
Barbianorum *Familiæ quantum debeat Italia omnis.* 85. B.
Barisso *Judex Præfecturæ Alborensis in Inf. Sardinia Genuensibus submissus.* 269. E.
—— *Ope Genuensium Regnum in Sardiniam ambit.* ibid.
—— *Rex Sardiniæ ab Imperatore creatur.* 270. A.
—— *Traditus quibusdam Genuensium primariis in custodiam quare.* 271. F.
—— *Trajicitur in Sardiniam honorifice.* 284. E.
Barnabas Adornius *frustra Genuam invadere tentat.* 560. E. 561. B.
—— *A. N. Piccino capitur.* 563. D.
Barnabas Guanus *Dux Genuæ creatur.* 543. B.
—— *Prætorio & Ducatu quare exire cogatur.* 544. D.
Barra *Oppidum, & qui populi ex eo oriundi.* 96. B.
Bartholomææ *mulieris quod sagax factum.* 623. C.
Bartholomæus Buccanigra *Dux belli contra Vicecomites.* 455. C.
Bartholomæus Cucurnus *Cardinalis unde clarus.* 846. D.
Bartholomæus Facius *unde commendandus.* 866. F.
Bartholomæus Fallamonica *unde insignis.* 868. C.
Bartholomæus Vicecomes *Prætor Ingauni quare à Genuensibus comprehensus, ac candentibus forcipibus laceratus.* 463. F.
Basiæ Visires *Cypriacum bellum administrantes qui?* 999. D.
Bassignana *Municipium quod?* 100. E.
Battinus Bacigalupus *quis & quomodo juste perierit.* 1362. A.
Bebriacum *Vicus unde insignis.* 96. E.
Bedesis *amnis.* 117. B.
Bella *Genuensium cum Aragoniis.* 1441. C.
—— —— *cum Pisanis.* 1436. D.
—— —— *cum Venetis.* 1440. C.
Belli *inter Hispanos & Genuenses quæ origo.* 1269. D.
—— *Ligustici finis.* 229. C.
—— *Tertii cum Venetis quæ causa.* 447. D.
Bellizoni *Oppidi nominis disquisitio.* 186. E.
Belloardua *quodnam munimenti genus.* 449. D.
Bellobrunus Castellius *Classis Genuensis in cujus gratiam Præfectus.* 291. D.
Bellorum *diuturnorum Venetos inter & Genuenses semina quare & quomodo jacta sint.* 362. E. 363. D.
Bellovesus *laudatus.* 140. F.
Beltramus Calcanus *Mediolanensis Genuæ Prætor quando electus.* 396. D.
Beltramus Christianus *Papiensis Genuæ Prætor.* 296. E.
Beltramus Ricinus *Bergomas Genuæ Capitaneus.* 400. D.
Bellum *Alexandrinum quare renovetur.* 318. A.
—— *A Genuensibus Catalano & Balearico Regibus quare indictum.* 429. A.
—— *Catalanos inter & Genuenses quando & unde ortum.* 400. C.
—— *Clodianum quod unquam cum quibuscumque Populis longius Veneti habuerint unde ortum.* 459. B.
—— *Cum Intemeliis.* 306. C. 307. A.
—— *Finariense.* 601. B.

Bellum *Gallorum contra Julium II. Pontif. & Venetos.* 707. B.
—— *Genuensium cum Friderico II. & Pisanis.* 326. D.
—— —— *cum Florentinis quomodo turpe & probrosum Genuensibus.* 651. C.
—— —— *Quare repetatur.* 653. D.
—— *Gibellinos inter & Guelphos Genuenses.* 414. D.
—— *Maritimorum & Longobardorum Populorum in Genuenses.* 310. A.
—— *Mediolanense quomodo meditetur Franciscus I. Galliæ Rex.* 717. C.
—— *Medium quod dictum est unde ortum.* 540. C.
—— *Pisanorum & Genuensium majus quam unquam aliàs à quibus & quomodo Machinatum.* 269. D. 271. F. 272. A. 381. D.
—— *Pisanos & Lucenses.* 284. A.
—— *Sacrum.* 237. D. 238. A.
—— *Terrestre inter Genuensium & Venetorum Fœderatos.* 463. E.
—— *Venetorum cum Genuensibus ubi primo inceptum.* 363. E. 364. A.
—— *Renovatum.* 381. A. 401. B. 402. A. 562. D.
Bellunum *Oppidum.* 98. C.
Belzojozum *Oppidum à quo conditum.* 94. E.
Benacus *Lacus.* 98. B. 115. E.
Bendinellus Saulius *Cardinalis unde clarus.* 835. D.
Benedictus Gentilis *Dux Genuæ quando creatus.* 1398. A.
Benedictus Lomelinus *Cardinalis unde insignis.* 840. A.
Beneficia *quæ Tripolitani Comitis in Genuenses?* 299. F. 300. A.
Beneventum *Urbs quomodo prius dicta.* 38. D.
Berengarius II. *à Quo Regni Insignia acceperit.* 118. D.
Berengarius III. *Genuensium Magistratus, Leges, Instituta, Diplomata comprobat.* 235. E.
Bergomum *à Gotthis quare dirutum.* 84. C.
Bernardinus à Curte *Arcem Mediolani Ludovico XII. quomodo tradiderit.* 674. E.
Bernardus Abbas Clarevallensis *Genuensium Episcopus à Civitate Electus.* 249. A.
—— *Electionem hanc quare non probet Romanus Pontifex.* ibid.
Bertenorum, *vide* Triennorum Forum.
Bertolottorum *Familia quæ, & quomodo tum ante Dominatum Regium, tum sub illo Genuæ se gesserit.* 511. F. 512. A.
Berythus *Oppidum quomodo à Christianis expugnetur.* 247. D.
Besuntium *Burgundionum Metropolis olim quomodo dictum.* 183. C.
Besutiorum *illustris Familia unde oriunda.* 184. A.
Bevanus *fluviolus.* 117. B.
Biblius *Urbs expugnata à Genuensibus cui fiduciaria data.* 247. B.
Binæ *Oppidum vetustissimum quod?* 92. C.
—— *Quomodo aliter dictum.* ibid.
Biserta *Urbs quomodo Hispanis se dederit.* 1113. C.
—— *Quare ab iis deseratur.* 1114. F.
Bisnatum *Oppidulum.* 173. F.
—— *Inscriptio quæ in eo.* 174. A.
Biterra *quare dicta Urbs Septumanorum.* 185. E.
Blasii *colloquium quod cum Pandonio Alphonsi Legato.* 578. D.
—— *Axareti quanta victoria in Regem Alphonsum.* 1300. A.
Blasius Axaretus *quantum hostem vicerit.* 783. B.
Blasius Marcus Barbavarius *Præfectus Classis Genuensis pro Cajetanis contra Alphonsum.* 573. E.
—— *Pisanam Triremem quomodo vicerit.* 1296. D.
Bobii *Oppidi situs.* 77. F. 99. F.
Boemundus *Antiochiæ Princeps electus.* 237. E.
—— *Quam uxorem ducat.* 247. A.
Boji *in deditionem Populi Romani venire quomodo coacti.* 134. E.
Bojorum *Regio quam ampla.* 99. F. 101. C.
—— *Eorum sedes.* 165. D.
Bolionius *quomodo Dux factus in Obsidione Hierosolymæ.* 239. B.
—— *Lotharingus Rex Hierosolymæ creatus.* 240. C.
—— *Ex pestilentia decessit.* ibid. F.
Bombardæ *quando primum visæ in Italia.* 476. A.
Bonifacium *Oppidum à Pisanis conditum à quibus expugnetur.* 294. C.
—— *Frustra ab Alphonso Aragoniæ Rege obsessum.* 549, 553.
—— *& à Petro ejus fratre* 557. D. 1270. 1274. A.
—— *Pisani frustra recuperare illud tentant.* 295. D.
Bonifacius *Archidiaconus Laurentiæ Ædis Genuæ Archiepiscopus eligitur.* 288. A.
Bonifacius Cariosa *ex Regio Lepidi Genuæ Prætor.* 374. F.
Bononia *Civitas.* 99. F. 101. C.
Bonus *quando Dux Genuæ creatus.* 233. F.
Borbonii *quomodo olim aliter dicti.* 101. C.
Borbus *Torrens unde oriatur.* 116. A.
Bossiorum *Familia.* 179. E.
—— *Insignia de ea Monumenta ubi visantur.* 180. F.
Bozolum *Oppidum à Genuensibus quomodo expugnatum.* 303. C.
Brachius Perusinus *quis, & quomodo occubuerit.* 1280. D.
Bragadinus *Famagustæ Præfectus qua inhumanitate à Mustapha Turca habitus.* 1030. C.
Brancaleus Bononiensis *Prætor Genuensis unde clarus.* 310. F.
Brancus Auria *unde insignis.* 790. E.
Brebia *Vicus.* 91. D.
—— *Oppidum unde insigne.* 186. D.
—— *Quid in eo memorabile.* ibid. E.
—— *Unde dictum.* ibid.
Brebiorum *Familia illustris Mediolani unde oriunda.* 186. F.
Brembius *Fluvius unde oriatur, & ubi irrumpat.* 115. C.
Brennus *quomodo celebratus.* 140. F.
—— *Ubi secundum quosdam natus.* 167. F.
Brenta *Fluvius.* 115. F.
Breuni *Populi qui.* 198. A.
Brigantia *unde dicta.* 158. A.
Brinniatum *Sedes.* 228. A.
Brixellum *à quo fere vastatum.* 103. A.
Brixia *à quibus condita.* 96. C. 123. F.
—— *Occupata.* 560. F.
—— *Venetorum in Ditionem quando redacta.* 1285. B.
Brocchus *Fluvius.* 115. E.
Bugaciacum *Pagus pro quo dictus.* 180. E.
Buguntæ *Populi qui.* 183. C.
Bulgarus à Tolentino *Genuæ Gubernator à quo & quare Neapolim missus.* 431. B.
Buliascus *Vicus.* 56. B.
Burgum *Francum.* 116. D.
—— Lavizairum, *vide* Forum Lebuorum.
Burgundi *quam Galliæ Provinciam invaserint.* 183. C.
—— *Quibus characteribus usi sint.* 184. B.
Burri *unde dicti.* 195. A.
Burrorum *Familia quam antiqua Mediolani.* ibid.
Bustium Arsium *Vicus pro quo & unde dictus.* 172. D.
Butrium *quid fuerit.* 104. C.

C.

CACTIACUM *villula pro quo dicta.* 180. E.
Cadi *qui dicebantur.* 45. C.
Cæcilia Gens *unde dicta.* 9. A.
—— *Inscriptio de ea, & Inscriptionis declaratio.* ibid. C.
Cælestinus III. *Pontifex Rom. Henricum Cæsarem, qua lege Regem Siciliæ nuncuparit.* 291. C.
Cælestinus IV. *Mediolanensis Pont. Max. quando eligatur.* 333. F.
Cæsar Brumanus *Pontificis, Vicariique Regni Neapolit. gratiam quomodo sibi conciliarit.* 1277. E.

Cæsar Contardus *unde insignis.* 827. B.
Cæsar Fulgosius *unde clarus.* 869. B.
Cæsar Mormilius *quis, & quomodo sese cum aliis Inquisitioni Neapolitanæ opposuerit.* 910. E.
—— *In exilium quare mittatur.* 928. E.
Cæsar Tienius *quantæ Vir virtutis & audaciæ.* 979. A.
—— *Quomodo occidatur.* Ibid. E.
Cæsaria *Palæstinæ obsessa.* 242. A.
—— *Expugnata.* 244. B.
Cæsarianæ *munificentiæ quod illustre testimonium.* 183. B.
Caffa *Urbs, vide* Theodosia.
—— *Novo muro à quo munita.* 455. D.
—— *Quomodo & à quo in Genuenses occupata.* 626. C.
Caffarus *Genuensis unde insignis.* 784. C.
Caji & Cajæ *figuræ rectæ vel obversæ quid notaverint.* 10. C.
Caidatum *Oppidulum quod.* 173. E.
Cajeta *à Genuensibus quomodo capta.* 557. A.
—— *Genuensibus sese dedit pro Henrico Rege Siciliæ electo.* 292. D.
—— *Præsidium ab iisdem quare petat.* 1296. A.
Cajetæ *situs Descriptio.* 570. F.
—— *Sese Genuensibus dedit expulsis Hispanis.* 1279. E.
Cajetani *Legatos Genuam quare mittant.* 569. D. 1305. F.
—— *Obsessi ab Alphonso.* 571. B.
—— *Sed frustra.* 583. C. 1300. A. 1304. A.
Cajetanorum *libera ad Philippum quæ Responsio.* 587. F.
Calovius *Fluvius.* 115. F.
Calvum *Ins. Corsicæ Oppidum quomodo ab Alphonso occupatum.* 549. A. 1270. A.
—— *A Rege deficiens quomodo ad suos Dominos revertatur.* 553. F.
Camesanus *Umbros quomodo corruperit.* 8. D.
—— *Ex tota Italia quare pellatur.* ibid.
Camillarii *qui pueri nobiles dicti.* 45. E.
—— *Quomodo diversi à Sacerdotum Ministris.* ibid.
Camilli *Monecæ virtus & audacia quæ.* 919. D.
Camplia *Gens à quo dicta.* 22. F.
Camponiscus *Vicus.* ibid.
Camulius *Vicus.* 56. B.
Camulus *quale nomen.* 17. D. 27. D.
—— *Quæ de eo Inscriptio.* 45. D.
Camuni *qui Populi.* 197. B.
Candia *locus Galliæ Cisalpinæ, ubi excavatur album marmor.* 130. A.
—— *Oppidum Candii Agri in Locmellino tractu.* 182. C.
Cantalium *oppidum à quo originem duxerit.* 47. B.
Canthium *unde dictum.* 93. E.
Canthurium *unde sic nuncupatum.* ibid.
Capella *Familia ad quem Genus suum referat.* 90. C.
Capha *quid olim, quid nunc.* 60. C.
Capita *regionum quot sint Neapoli.* 912. B.
Capitanei *Genuenses qua voce perculsi.* 435. D.
Capitaneis *Genuensibus quare Imperium in tres annos prorogatum, potestasque amplificata.* 432. F.
Capitaneus Justitiæ *quis in Urbe Genua Magistratus.* 511. E.
—— *Summus peregrinus cum summo Imperio Genuæ quare decretus.* 399. B.
Capitolium *a quo ita appellatum.* 29. E.
Capitones *quid sint.* 32. D.
Capracorita *quodnam Apennini Montis jugum.* 35. F.
Capracorum *militia à Quo & Quare instituta.* ibid. C.
Caprarola *qui locus dictus* 36. A.
Capriatæ *Dominium à quibus Reip. Genuensi adjudicatum.* 318. D.
Capriliorum *Familiæ quis meminerit.* 90. D.
Capua *à quo & quomodo expugnata.* 666. C.
Caput Reipub. Genuensis *quod censeatur.* 1455. F.
Caracenorum *Sedes quæ.* 10. E.
Caragealis Turcæ Speculatoris *audax quod facinus.* 1051. A.
Carbunculi *ubi in Cisalpina Gallia effodiantur.* 129. E.
Cardinales *captivi à Friderico liberi quomodo dimittantur.* 333. F.
—— *Quinque saccis involuti, quare jussu Urbani VI. Pontificis in mari demersi.* 491. C.
Careadinus *Mitylenæus maria Ligustica quare ingressus.* 1360. B.
—— *Milites fugientes quomodo exceperit.* 1368. B.
Carna Helerna *quibus Populis à Jano præfecta.* 8. E.
Carnagum, *vide* Carnutum.
Carnia & Crania, *vide* Cranus Crana.
—— *Quæ hac voce significentur.* 31. A.
Carnutum *Oppidum unde dictum.* 171. E.
Carolus Dominicus Carrettus *Cardinalis unde insignis.* 843. B.
Carolus V. *Romanorum Imperator quomodo electus.* 721. E.
—— *Africam quare Duce Andrea Doria petat.* 1364. D. 1365. A.
—— *Conjurationi contra Pet. Lud. Farnesium quomodo adhæreat.* 931. B.
—— *De Rege Galliæ ubi & apud quem conqueratur.* 1371. A.
—— *Expeditio ejus in Africam quam infausta.* 1380. E.
—— *Genuæ quomodo exceptus.* 1349. F. 1357. B. 1373. F.
—— *Placentiam quomodo invadat.* 932. E.
—— *Romæ ad Veterum Imperatorum exemplum triumphat.* 1370. E.
—— *Subalpinos quare petat.* 1371. B.
—— *Ubi à Pontifice coronetur.* 1350. D.
—— *Victoria ejus in Fœderatos contra se quæ fuerit.* 670. D.
Carolus VI. *Galliæ Rex quo hortante expeditionem in Africæ Mauros susceperit.* 492. B.
Carolus VII. *Gal. Rex suis in Arce Genuensi obsessis auxilia quomodo ferat.* 615. E.
Carolus VIII. *Italiam quando & quomodo petierit.* 663. D.
—— *Fines Regni Neapolitani quomodo ingrediatur.* 666. C.
—— *Neapoli quomodo exceptus.* ibid.
—— *Reditum suum in Galliam quare meditetur.* 668. D.
Carolus IX. *Galliæ Rex quod consilium aperiat Alexandrino Pontificis Pii V. Legato.* 1038. E.
Carolus Magnus *Romanorum & Occidentis Imperat. quando creatus & inauguratus.* 234. F.
—— *Italiæ Regnum quomodo instituat.* 235. A.
Carolus Malatesta *à quo in prælio captus.* 1282. E.
Carolus *Siciliæ Rex frater Lud. Regis Francorum Tunetum quomodo appulerit.* 375. D.
—— *Mercatores Genuenses, eorumque Res in Sicilia quare detineat, illosque detinendos etiam curet in Syria.* 378. A.
—— *Urgetur à Guelpha Factione ad Civitatis Genuensis accipiendum Imperium.* ibid. D.
Carolus Spinula *Præfectus Classis Genuensis.* 480. F.
Carolus Zenus *Dux Venetorum quando.* 489. E.
Carpenses *quare ad Florentinos defectionem meditentur.* 537. A.
Carrarii *sapiens consilium ad Ducem Genuensem, quare ab eo contemptum.* 478. C.
Carrettani *Marchiones Ditionem Genuensem quo tempore infestent.* 260. E.
—— *In gratiam Civitatis quomodo redeant.* 264. B.
Carthaginis *ruinæ ubi cernantur.* 1112. C.
Casale *Oppidum à quibus direptum.* 1374. A.
Casale Sancti Evasii *quæ Urbs.* 99. F.
Casentini *Vici Etymon quod.* 34. F.

Casilinum *Vetus & Novum.* 80. E.
Castella *duo in faucibus Sinus Corinthiaci à Quo expugnata & diruta?* 1356. A.
Castelletum *Arx vetus Genuæ à Quo in Gallos expugnatum?* 709. E.
Castelliorum *Genuensis Familiæ ambitio quas discordias civiles ibi crearit.* 270. C. 309. E.
Castellum Novum *Arx Neapolis fortissima à quo sub Renato Rege expugnata.* 595. C.
—— Ovi *ejusdem Vrbis quomodo sese dederit.* ibid. D.
Castillioneæ *Familiæ magnificentia quæ?* 177. C.
Castillionum *Oppidum.* 90. F. 177. C.
—— *Monumenta in eo vetera quæ.* 178. A.
Castrucius Castracanis *à Cæsare Pisarum Vicarius quare creetur.* 424. D.
—— *Hæredes ejus Dominatu Pisarum & Lucæ quam ob causam expulsi.* 425. E.
—— *Liguriam quare ingrediatur, & quo animo.* 419. A. 424. A.
—— *Potentia ejus quomodo creverit.* 423. E.
Castrum Cariatis *Oppidum unde dictum.* 169. B.
—— *Monumenta quæ in eo.* ibid. C.
Castrum *Novum quorumnam opus.* 101. A.
—— *A Careadino in Genuenses quomodo recuperetur.* 1377. F.
Castrum Turbinis. 170. B.
Casus *inopinatus quis Classis Christianæ Ducum concordiam, imo & ipsum Sacrum Fœdus contra Selimum pene solverit.* 1056. D.
Catalani *unde oriundi, idque nominis habuerint.* 1276. A.
—— *Genuenses bello imparatos quare adoriantur* 427. E.
Catiorum *Novariensium Familia, vetusque de ea Monumentum.* 79. B.
Cavalcabus *Medicus Papiensis, Prætor Genuæ.* 381. A.
Cavra *vox Italica quomodo pronunciata à Genuensibus.* 482. B.
Causæ *potentiæ Reip. Genuensis quæ.* 1430. A.
Causarum *genera quot sint in Rebus gerendis, hominumque affectionibus.* 1196. D.
Celtæ *cur Galli appellentur.* 121. E.
Celtarum *Gens ponitur in Italia.* 123. B.
Cenomani *unde oriundi.* 96. B. 125. A.
—— *& dicti.* ibid.
Cenomanorum *Sedes quæ?* 165. D.
Censores *Genuenses qui, post formam Reip. de novo constitutam.* 1341. F.
Census *Genuæ quando habitus.* 398. A.
Centa *Fluvius quare hodie ita dictus, & quomodo olim.* 106. D.
Centurionis *cujusdam Corsi fortitudo quæ?* 1372. C.
Ceraunia *Vrbs in Cypro Insf. quare à Turcis prima expugnata.* 973. F.
Ceres *quæ dicta.* 26. D.
Certamen *Minervæ & Arachnes ubi contigerit.* 45. E. 46. A.
—— *Acre & longum inter Classis Christianæ Proceres de quærenda Turcica.* 1058. B.
—— *De Hoste ad necessitatem pugnæ adigendo.* 1060. B.
Cervum. 55. A.
Cesena *Vnde nobilis.* 104. B.
Ceva Doria *quare ad Cæsarem legatus.* 1398. C.
—— *Marchionatus.* 77. F.
Cherusa *Amnis.* 55. D.
Cheruscorum *Sedes.* 74. A.
Chiamontius *à Ludovico XII. Vicarius Genuam quare missus.* 695. D.
—— *Mandata à Rege quæ acceperit.* 697. A.
Chio *Insf. à Genuensibus quomodo occupata.* 446. D.
—— *Vrbs frustra à Venetis obsessa.* 563. E.
Chones *Populi à Quo sic dicti.* 22. C.
Christiani *Principes quomodo ad Bellum Sacrum se separent.* 288. B.
—— *Tot quare Sectæ Mahumetanæ nomina imponant.* 1209. F. 1214. F.
Christiano *Nomini annus infelix qui.* 287. D.
Christianus *Archiepiscopus Moguntinus Germaniæ Cancellarius per totam Italiam Cæsaris Legatus.* 284. D.
Christophorus Columbus *unde oriundus.* 1448. B.
—— *Ejus Elogia.* 770. C.
—— *Quo Anno Novum Orbem invenerit.* 662. E.
Christophorus Grimaldus Roscius *Dux Genuæ quando electus.* 1363. F.
Christophorus Palavicinus *unde insignis.* 824. D.
Cicchus Simoneta *quis fuerit.* 640. F.
Circellæ *qui fontes appellati sint.* 43. E.
Circellum *in Africa Oppidum à Quo oppugnatum & captum.* 1352. B.
Cisalpinæ *Galliæ situs.* 74. D. 142. F. 143. A.
—— *A Quibus Gallia dicta.* 165. C.
—— *Duplex; Transpadana & Cispadana.* 74. E.
—— *Ejus fœcunditas.* 75. B.
—— *In Quibus sita.* 128. D.
—— *Gotthi regunt.* 84. A.
—— *Hodie quomodo dicta.* 165. B.
—— *Liguriæ tempore Ambrosii nomen habuit.* 156. D.
—— *Marcomanni eam depopulantur.* 111. B.
Cispadanæ *Galliæ Descriptio.* 99. E.
—— *Flaminius eam aggreditur.* 134. F.
—— *Flumina ejus quæ.* 116. A.
Citrium Pomum *describitur.* 1231. B.
Cives *Genuenses quot & quales ex omnibus Ordinibus in Senatum allecti qui Remp. constituant.* 1455. B.
Civibus *Genuæ quomodo vivendum ut ad regimen Reip. accedant.* 1475. D.
Civis Genuensis *perpetuo Civitatis Archiepiscopus eligendus.* 320. F.
—— *Quomodo laudabatur à vetustissimis Romanis.* 26. D.
Classes *Christiana & Turcica pugnam quare utrinque declinent.* 1081. E. 1082. 1085. 1086.
Classis *Caroli V. Africam petentis quot Navibus & Triremibus constiterit.* 1365. C.
Classis *Christiana quando ad Messanam convenerit.* 1033. A.
—— *Error ejus nocturnus quis.* 1084. C.
—— *Quot Triremibus constiterit.* 1043. B.
—— *Re infecta discedit.* 1088. F.
Classis *Christianæ frustranea expeditio quæ.* 993. D.
—— *Ditissima ex oriente feliciter Genuam quo tempore appellat.* 334. D.
—— *Expeditionis in Tripolim quot Navibus composita fuerit.* 1092. E.
—— *Gerbim Insf. quare petierit.* 1095. F.
—— *Quomodo tota fere à Turcis capta.* 1100. E.
Classis *Genuensis Ditionem Bonjacobi Garborum Regis quomodo vastet.* 442. B.
—— *Fugat Cæsarianam.* 335. C.
—— *Quam frustra insequitur.* 343. D.
—— *Venetam quandiu, sed frustra, ad Oram Siciliæ expectarit.* 404. D.
Classis *Guelphorum à Gibelllinis quomodo fugata.* 419. F.
—— *Gibellinam quo stratagemate deludat.* 426. A.
Classis *Nobilium Genuensium Exulum à Philippo Gall. Rege quare conducta.* 445. C.
Classis *Triremium* LVIII. *ab hora tertia ad vesperam deducta, & quomodo tam cito omnibus necessariis instructa.* 390. C.
—— XXIX. *tam à Nobilibus quam à plebe quare instructa.* 445. A.
Classis *Turcica à Buccanigra ubi victa.* 441. D.
—— *E manibus Christianorum quomodo evaserit.* 1084. D. 1088. D.
—— *Navibus longis quot constiterit.* 1033. B.
—— *Post tantam cladem acceptam à Christianis quot navibus seque nti anno constiterit.* 1081. C.
—— *Vincitur à Joan. Austrio.* 1070. D.
Clastidium *Oppidum unde insigne.* 101. B.
—— *A quibus Insularibus obsessum.* 135. B.
Claterna *vetus oppidum quod.* 116. D.
Clavarum *Oppidum unde clarum.* 56. C.
—— *A quibus captum, direptum, & mox recuperatum.* 380. D.

Cla-

Clavarum *oppidum quam insigne.* 1420. B.
Claudiæ *sive* Clodiæ *Gentis origo.* 34. B.
—— *Urbis situs & descriptio.* 471. C.
Clemens Roborejus *Cardinalis unde insignis.* 842. B.
Clemens Dolera *Cardinalis unde conspicuus.* 847. A.
Clemens Franciscanus *Religione quidam quare in carcerem missus.* 1409. A.
Clivium *vicus unde conspicuus.* 191. B.
Clodia *Gens, vide* Claudiæ.
—— *Urbs à Genuensibus in Venetos quomodo expugnata & dedita.* 482. B.
Clodiani *Belli antecedentia quæ?* 462. B.
Cloniola *Villula pro quo dicta.* 185. B.
Collardus Callevilla *Vicarius à Rege Galliæ Genuam missus.* 515. E.
Collegia *Genuæ quot?* 1422. F. 1423. B.
Collegium VIII-Virorum *qui pauperibus alendis Genuæ præsint quando constitutum.* 1378. D.
Collis *in Obelisci formam ubi.* 181. D.
Coloni *juniores quo habitu novas adierint Colonias.* 30. F. 31. A.
—— *Deducendi quibus auspiciis.* 36. B.
—— *Quid agant, ubi ad locum exoptatum deventum est.* ibid.
Colonia *Eburiorum.* 36. D.
—— *Firmum.* 37. B.
—— *Forum Julii.* 73. A.
Colonia *perseverabat in Familiæ clientela à qua deducta fuerat.* 40. C.
Coloniæ *dispositio qua de causa celebraretur.* 30. E.
—— *Nomen à quo imponeretur.* 36. C.
Coloniæ *Sabatiæ à quo positæ.* 30. D.
Coloniarum *quot sint genera.* 101. F.
Colonias *trans Alpes qui primus ex Italia deduxerit.* 23. E.
Colloquium *quod inter Francisc. Pandonem Campanum & Blasium Genuens. Classis Præfectum.* 1300. B.
—— *Nicææ inter quos à Pontifice indictum.* 1376. E.
Columna *sepulchro imminens quare olim erigeretur.* 20. C.
Coma *quid Antiquis.* 45. B.
Comerus *Dux Aboriginum qui?* 5. B.
—— *Cognomen fuit Galli Jani successoris.* 125. A.
Comerus *Vicus & ejus Descriptio.* 39. D.
Comes Provinciæ Narbonensis *Nicæam Urbem in quos occupet.* 318. C.
Comes Tripolis *in cujus oppidi obsidione occidatur.* 987. C.
Comini *à quo Numine sic dicti.* 45. B.
Comitas *Judex ac Princeps Præfecturæ Abboreensis in Sardinia ad quos confugiat.* 252. E.
Comites *Lavaniæ Arcem Frascarii quibus restituere cogantur.* 283. D.
Comitium *pro* Conitium *Romani quare olim dixerint.* 20. B.
Comius Castromius *quarum Coloniarum Dux.* 47. D.
Commercia *& negociationem quam late extenderit Genua.* 297. B.
Comminia *familia unde oriunda.* 29. C.
Commissarii *cum suprema auctoritate deputandi quales esse debeant.* 1485. A.
Commitiæ Nymphæ *unde dictæ juxta Varronem.* 12. F.
Comum *oppidum à quibus & unde ita nuncupatum.* 45. B. 93. D.
Comus *à quibus Deus factus.* 45. B.
Concha *Fluvius.* 117. C.
Concilium Majus *Genuæ qui constituant.* 1422. F.
—— Minus *qui.* 1423. D.
Concilium *Lugduni Coactum sub Innocent. IV. contra Quem?* 351. F.
—— *Pisis quare indictum.* 531. C.
Concilium *quod sub Innocentio III.* 303. E.
Conciones *rectæ, an obliquæ in Historiis ferendæ num sint?* 1199. F.
Concordia *inter Genuenses Cives, eorumque factiones cujus consiliis suscepta & ad finem perducta.* 883. D. 884. A. 1332. A. 1337. A.
Concordiæ *conciliandæ necessitatem quid inter Genuenses promoverit.* 427. D.
—— *fructus & Laudes.* 1340. E.
Conditiones *quæ Genuensibus à Rege impositæ sint.* 704. C.
—— *Sacri contra Selimum fœderis quæ.* 1001. A.
—— *sub quibus Genuenses se & Remp. suam Regi Galliæ dediderint.* 510. A.
Conelia *quod Castellum.* 56. F.
Confessio *& Martyrium qui locus dicitur.* 21. A.
Congressus *peramantissimus Regum Ludovici* XII. *Gall. Regis, & Ferdinandi Hispaniæ ubi & quando.* 705. D.
Conissa *ubi sita.* 46. D.
Conitum *Libaminis genus quod & unde ortum.* 32. A.
—— *Oppidum à quibus conditum & repletum.* 46. C.
Conjuratio *Florentiæ contra Medicios quibus auctoribus.* 643. E.
—— *Joan. Ludov. Flisci in Patriam.* 886. D. 1385. E. 1386--1396.
—— *Ejus exitus quis.* 898.
—— *Quæ in Petrum Luysium Farnesium.* 1402. A.
Conjurationum *quam incerti ac parum explorati sint exitus.* 896. F.
Conius *Vicus ubi conditus.* 32. B.
—— *Coloniæ quæ ex eo ortæ.* 33. C.
—— *Excretus in latissimam Urbem quomodo.* 38. A.
—— *Vicani ejus quomodo dicti.* 33. A.
Conradoli Stangæ *summa quæ fuerit prudentia.* 658. F. 670. A.
Conradus Auria *unde conspicuus.* 789. E.
—— *Capitaneus Genuæ cum summa potestate in locum patris sui suffectus.* 395. D. 405. A.
—— *Magistratum cum Collega suo quare abdicet.* 399. A. 407. A.
—— *Præficitur Classi Genuensi.* 405. F.
—— *Res Genuenses jam compositas sub quo turbare satagat.* 515. F. 516. A.
Conradus Concessius *Genuæ Prætor.* 339. D.
—— *Oratio ejus ad Genuenses pro tuenda libertate & Religione.* 340. C.
Conradus Nepos *Henrici quomodo favente Honorio Pontifice Rom. Imperatorem se dixerit, sceptraque Imperii acceperit.* 118. E.
Conradus *Romanorum Rex Genuensibus jus Nummi signandi quando concesserit.* 253. C.
Conradus Spinula *una cum Auria fit Genuæ Capitaneus cum summa potestate.* 405. A.
—— *A Petro Aragonio Rege Siciliæ evocatus, ejus Classis Præfectus creatur.* 407. A.
Conradus Suevus *Imperator Imperialia ubi signa acceperit.* 118. B.
Conservatores *Pacis Genuæ qui dicti.* 1487. D.
—— *Legum & Juramenti dandi qui?* ibid. F.
Consilia *de Genua prodenda Principibus Mediolani quomodo inita & punita.* 438. E.
—— *& Causæ quando occultentur, quando aperiantur.* 1197. F.
—— *Procerum Galliæ de Genua & Ditione ejus à Rege accipienda.* 509. D.
—— *Romæ inter Exules de Patria sua Carolo Siciliæ Regi tradenda.* 377. E. 378. A.
Consilium *fallax Pauli Fulgosii Prospero Adornio quare datum.* 616. F.
—— *Pauli Fulgosii Cardinalis Alphonso Neapolitano Regi quodnam.* 663. F.
—— *Pii V. Pontificis ad Philippum II. Hispaniæ Regem quale.* 1037. F.
—— *Sapientius quis dare possit.* 1197. E.
Conspiratio *in Remp. Genuensem à quibus initium ceperit.* 323. C.
—— *Quomodo castigata.* ibid. F.
Constantia *Rogerii Regis Siciliæ filia Henrico Cæsari Ahenobar-*

nobarbi filio qua lege desponsata & Siciliæ Regina à Pontifice Cælestino declarata. 291. C.
—— XXI. *Puerorum ex Justinian. familiis, quæ?* 1443. C.
Constantinopoli *quanta consternatio post cladem Classis Turcicæ à Joan. Austrio acceptam.* 1072. B.
Constantinopolis *à Turca quando expugnetur* 602. E.
Constitutio *humani generis quænam à Deo facta.* 6. F.
Consules Genuensium *per omnes Hispaniæ Urbes sparsi quibus Consulibus obedire teneantur.* 374. E.
—— *Per Syriæ Urbes sparsi quibus Consulibus parere jussi sint.* ibid.
—— Romanorum *qui omnium primi nullo bello gesto triumpharint.* 226. A.
Consulum Genuensium *Imperium quadriennale quando factum.* 245. C. 247. C.
—— *Deinde Biennale.* 248. F.
—— *Postea Annuum.* 250. B.
—— *Numerus ad XIV. quando auctus.* 252. B.
—— *Ad XVI.* 253. B.
—— *Ad V.* 278. B.
—— *Orationes de sedendarum Civilium Discordiarum ratione.* 279. A. 280. A.
—— *Regimen mutatur in Prætorem Peregrinum.* 290. E.
—— *Restituitur.* 300. B.
Contarenus *Dux Venetorum quando ipse Classis Reip. Præfectus.* 477. E.
—— *Fugere quomodo à Genuensibus coactus.* 478. B.
Contentio *de primo honoris loco inter Nobilium & Popularium Adolescentes quando primo Genuæ exorta.* 677. D.
—— Adorniorum & Fulgosiorum *pro Ducatu in familiis suis retinendo.* 543. E.
—— *Genuenses inter & Pisanos de Sardinia Insula.* 236. A.
—— *A quo & quomodo composita.* 249. C.
—— *Frustra componi tentata à Concilio Romæ sub Calisto Pontifice.* 250. C.
Contentiones *in Collegio Gubernatorum Gen. ortæ quomodo tollantur.* 1481. E.
—— *& Procuratorum.* ibid.
—— *Majores quam unquam fuerint Genuæ quibus de causis.* 685. E. 690. A.
—— *Novæ Constantinopoli Genuenses inter & Pisanos quomodo ortæ.* 380. A.
—— *Quantæ inter Classis Christianæ Præfectos contra Turcas.* 991. A. 992. A.
—— *Romæ quantæ inter Fœderis Sacri contra Selimum Procuratores.* 1002. A. 1003. A.
Contiaci *Dominus à Rege Galliæ in Liguriam quare missus.* 506. D.
Continentiæ vis *in quot partes fundetur.* 1257. E.
Controversia *in Rep. Genuensi inter Sacrarum & Prophanarum rerum Capita unde orta.* 308. C.
—— *Quomodo sopita.* ibid. F.
Controversiæ *Genuenses à Quo & quibus conditionibus compositæ.* 444. B.
—— *In Electione 30. Electorum quomodo tollantur.* 1479. E.
—— *casu suborta in eligendo Concilio quomodo sublata.* ibid. D.
—— *Majoris Concilii.* 1480. B
Controversiæ *Senenses inter & Genuenses de primo honoris loco.* 1350. E. 1351. A.
Convalles Ansacii. 8. E.
Conventicula *quæ Genuæ interdicta.* 1493. C.
Conventus *generalis Ordinis Minorum ubi habitus.* 1316. D.
Copa *Torrens ubi.* 116. B.
Corbeta *oppidum.* 172. D.
Corcianicus *à Doria in mare quare depressus.* 1359. E.
Corcyra Nigra *oppidum quare captum & conflagratum à Genuensibus.* 406. B.
Corfinium *ubi situm.* 11. E.
Cornisonus *à Garsia Toleto in Melitam Insulam quare missus.* 1554. E.
—— *In Melitam penetrare cum non posset quo tendat.* 1160. A.
Corone *Urbs Peloponesi maritima à quo obsessa & capta.* 1855. A.
—— *eam Quis ab obsidione Turcarum liberaverit.* 1357. E. 1358. A.
Corsa *Insula unde dicta.* 231. B.
Corsæ *mulieris Liguris Historia.* ibid.
Corsica *Insula Gen. quando subjici cœpta.* 235. C. 1434. A.
—— *Iis à Pisanis quando adempta.* 249. B.
—— *Loca per bellum Pisanum amissa Genuenses quomodo recuperent.* 296. F.
—— *per quos administrata.* 1425. C.
Corsicæ *Insulæ Descriptio.* 1421. D.
Corsorum *animi Qui?* 1270. A.
Cortegalis Pirata *quis?* 719. D.
Cottorum *Familia Mediolani quam celebris.* 81. D.
Cotyla *Insula innatans quibus concessa.* 12. A. 42. A.
Crana *est ipsa Ops.* 13. D. 32. B.
—— *Nomen ejus quid in populo designarit.* 10. C.
Cranæ *Regia ubi condita.* 9. F.
—— *potestas ejus in ventos.* 42. C.
—— *Successit Jano.* 19. B.
—— *Qui ei successerit.* ibid.
—— *Venus quomodo dictitari cœperit.* 11. A.
—— *Urbes quas condiderit.* 19. B.
Crania *quare dicatur.* 9. D.
—— *à pueritia ad quod dedicata, & quæ deinde facta sit.* 15. D.
Cranium humanum *olim quare deauratum.* 10. C.
—— *Capitis ossium unde ita dictum.* 13. E.
Cranius *Mons unde ita dictus.* ibid. C.
Cranui *Montis varia nomina quæ?* 9. D.
Cranus & Crana *qui & quomodo aliter dicti.* 5. F. 6. D.
—— *Eorum posteritas quomodo nobilissima Gentium.* 6. C.
—— *Occupationes eorum.* 10. C.
—— *Quos advenas exceperit, ubique eos collocarit.* 21. E.
Crema *à Quo condita.* 96. E.
Cremona *quare condita.* 75. C.
—— *Colonia vetus Romanorum.* 96. D.
—— *Ejus historia.* ibid. E.
Grena *Pagus unde insignis.* 173. A.
—— *Quæ Inscriptio novelliorum ibi videatur.* ibid. B.
Crustulus *Torrens.* 116. C.
Crustumius *Fluvius.* 117. C.
Cubiculariorum Collegium *quod & à quo excogitatum.* 35. D.
Cunium *quale olim Oppidum.* 116. E.
Cupra *quod Templum Urbi Aquilæ proximum.* 33. E.
—— Montana *quid in ea celebre.* 36. D.
Cura disciplinæ Militaris *penes quos Genuæ sit.* 1459. E.
—— *Optimi Regis quæ olim.* 10. E.
Cures *quorum populorum Colonia.* 26. B.
Curetes *populi à Quo sic dicti.* 5. C. 27. C.
—— *Ceremoniarum Sacrarum Ritus invenerunt.* 28. B.
—— *Limites eorum Qui?* 16. A. 17. E. 30. B.
—— *Majestas eorum unde nata.* 48. D.
Curiæ *solers consilium.* 1068. E.
Curtiorum Familia, *& de ea quæ Inscriptio.* 87. C.
Curzola, *vide supra* Corcyra Nigra.
Cybeles *quæ dicta.* 31. A.
Cyprianus Pallavicinus *ad Cæsarem in Germaniam quare Legatus.* 1404. B.
Cyprius *Vicus unde sic dictus.* 36. E.
Cypro *Insula quomodo Turcæ potiantur.* 1030. F.
Cyprus *Ins. in potestatem Gen. à Quo redacta.* 461. C.
—— *Regi præter Famagustam quare restituta.* ibid. D.

D.

DALMATIA *incursionibus, cædibus, rapinis à Turca quando & quomodo lacessita.* 970. B.
Damiata *à Genuensibus expugnatur.* 306. A.
—— *à Ludovico Galliæ Rege.* 356. A.
Danduli *in Bello Cypriaco quanta ignavia.* 977. E.
—— *& inscitia.* 979. E.
Danubii *Fontes ubi.* 160. B.
Daphnes *Virginis Apollinem fugientis unde nata Fabula.* 18. E.
Dardanus *Romanessæ filius quare in Samothraciam aufugerit.* 24. B.

Dardanus *ab Athu in Regni Mœonii partem adſcitus.* Ibid. C.
Daverii *Vicus.* 181. D.
—— *Vetuſtas ejus unde probetur.* 184. C.
Davides Imperialis *unde clarus.* 873. C.
Decumæ *vectigalium ſacerdotorum Ditionis Venetæ à Pontifice Venetis quare conceſſæ.* 960. F.
Defunctis *qui honores fuerint olim decreti.* 19. C.
Delphinus Portus *quomodo hodie ab incolis dictus.* 56. C.
Democratia *quænam Principatus ſpecies.* 140. D.
Denunciatores Criminum *quomodo Genuæ ſeſe gerere debeant.* 1507. D.
Derthona. 99. F.
—— *A Rubrobaro in quorum gratiam vaſtata.* 100. F. 261. C.
—— *Colonia Romana.* 100. F.
—— *Eo quare deducta.* 174. F.
—— *Quando & à quibus reparatur.* ibid.
Derthuſia *Hiſpaniæ à quibus obſeſſa.* 258. D.
—— *Et expugnata.* 259. C.
—— *Syriæ à quibus expugnata.* 245. C.
Deſertor *Chriſtianæ Religionis pœnitens Magnum Melitæ Magiſtrum qua de re monuerit.* 1145. F.
Deſiderius Genuenſis *unde clarus.* 58. D. 237. C. 264. C.
Dianum *Oppidum.* 55. A.
—— *Unde Inſigne.* 1419. C.
Diligentia *Senatus Genuenſis quanta in Abundantia Civitati procuranda.* 1353. D.
Diſciplina *in Re Militari quanta apud Turcas.* 1213. E.
Diſciplinæ *ſanctitas qua in re ſita apud Turcas.* 1216. E.
Diſcordiæ *Civiles Genuæ quomodo dirimi poſſe cenſeantur.* 281. B.
—— *Ad modicum tempus conſopitæ exſurgunt.* 288. A.
—— *Civiles atrociſſimæ inter Genuenſes, & unde.* 371. A. 372. A.
—— *Genuenſium quam graves omnibus Italiæ Principibus.* 444. B.
—— *Guelphos inter & Gibellinos Genuæ ad aliquod tempus ſopitæ.* 403. B.
—— *Renovatæ.* 404. F.
—— *Fulgoſiorum inter ſe unde ortæ.* 620. C.
—— *In apertum Bellum Civile erumpunt.* 409. E.
—— *Majores Genuæ quam antea, quando?* 442. C.
—— *Sibi ipſis.* 499. B. 500. A.
—— *Urbanæ quando & quomodo ſublatæ.* 287. E.
Diſcordiarum *Genuenſium novæ cauſæ ad veteres unde additæ.* 407. D.
—— *Novæ cauſæ inter Julium II. Pontificem & Gallos quæ?* 707. A.
Diſcordiarum Origo *Genuenſes inter & Galeacium.* 624. E. 625. D. 628. F.
—— *Pontificem Julium II. inter & Gallos.* 707. A.
—— *Venetos inter & Genuenſes.* 300. E. 301. A. 302. E.
Diſputationes *quantæ circa Fœdus Sacrum inter Pontificem, Venetos & Hiſpanos.* 969. C.
Diſſidia *quanta inter Claſſis Chriſtianæ Præfectos.* 1043. F.
—— *In electione numero Senatorum Gen. pro implendo Seminario, quomodo tollantur.* 1480. E.
Diſtinctio *officiorum Rotæ Gen. quæ?* 1505. C.
DO, DICO, ABDICO *Verborum qui uſus olim.* 30. F.
Doctrina *quam Sacerdotibus neceſſaria.* 1186. B.
Dominicus Auria *à Spinulis cæſus.* 412. E.
—— *Eos poſtea in fugam vertit.* ibid. F.
Dominicus Fulgoſius *Genuæ Dux creatur.* 458. D.
—— *Exilio perpetuo quare cum tota gente ſua mulctatus.* 465. C.
Dominicus Saulius *unde conſpicuus.* 864. B.
Dominicus Tauracinus *Inquiſitionis Neapoli admittendæ auctorem quomodo ſe gerat.* 904. B.
—— *Nomen ejus quare ſumma infamia & offenſione apud Neapolitanos.* 913. B.
Dominium *Reip. Genuenſis quantum pateat.* 1415. E.
Domus *publica unde & quare Genuæ exſtructa.* 1370. E.
—— *Privatæ quales?* 1417. C.
—— *Virginum Puellarum Sancti Joſephi, quæ?* 1427. C.
Dona *quæ Paulus III. Pont. Max. Andreæ Doriæ miſerit.* 1364. A.
Dracutius *Quis? & quomodo captivus Genuam ductus.* 1379. E.
—— *A Quo ex captivitate redemptus.* 1382. D.
—— *Quam Navem ceperit.* 1408. C.
—— *Rapallum Oppidum Reip. Genuenſis quomodo occupet & diripat.* ibid. D.
Dragut *Quis? & unde oriundus?* 1092. F.
—— *Auctoritas ejus in exercitu Turcico quanta?* 1134. B.
—— *Mors ejus.* 1143. F.
Drudus Marcellinus *Mediolanenſis Genuæ Prætor.* 294. E.
—— *Elogia ejus.* ibid. F.
Duces *tres eadem nocte Genuæ quomodo creati.* 500. B.
Ductores *Rerum Urbanarum Genuæ qui nuncupati.* 695. B.
Duodecim-Viri *Genuenſes ad Concordiam inter Cives ſtabiliendam qui appellati.* 1332. A.
—— *Rempublicam quomodo conſtituerint.* 1341. C.
Duriæ Fluvii duo *unde oriantur.* 111. D.
Dux Aurelianenſis *Genuam quare petierit.* 664. D.
Dux Borbonius *à Rege Galliæ quomodo deficiat.* 727. B.
—— *Ei à Cæſare ſumma Italicarum Rerum demandata.* 728. E.
Dux Genuæ *quomodo eligatur.* 1423. E. 1456. C.
Dux Genuenſis *Vicecomitibus quatuor Aureorum millia quot annis quare pendere tenetur.* 457. F.
Dux Quidam VII. *M. Mortalium utriuſque Sexus Genuam quare venerit.* 302. F. 303. A.
Dynaſtias *in Tuſcis, Quis conſtituerit.* 24. C.

E.

EANA *canere apud Veteres qui ſolebant.* 30. F.
Ebulius *pro quo Arcem Signii Caſtelli in Genuenſes obſideat & expugnet.* 339. A.
Eburii *Sacerdotes qui?* 34. F.
Eburinæ Regionis *deſcriptio.* 42. E.
Eburiorum Colonia. 36. D.
Eburius *qui Vicus.* 33. E.
—— *Coloniæ quæ inde deductæ.* 35. A. 42. E.
—— *Mons.* 36. D.
Eccleſia *qualibet quomodo Colonia Eccleſiæ Romanæ.* 31. D.
—— *Primativa an Sanctorum memoriam eo modo quo hodie Romana coluerit.* 1247. 1248.
Echinades Inſulæ *unde ſic dictæ.* 1061. D.
Effectus *quis potentiæ Reipublicæ Genuenſis.* 1428. A.
Eganes *Qui?* 99. F.
—— *Eorumque Sedes quæ?* 165. D.
Eguarræ *unius ex Præfectis Arcis S. Hermi in Inſula Melita, virtus quæ?* 1136. F.
Electio *Conſervatorum Legum Genuæ quomodo fiat.* 1468. E.
—— *Nonnullorum Genuæ Magiſtratuum quæ?* 1485. D.
—— *Prætoris Rotæ criminalis.* 1505. C.
—— *Rotæ criminalis & fiſcalis quomodo facienda.* ibid. A.
—— *& ſalarium Baricelli & ſatellitum ejus.* 1506. E.
Electores triginta Ducis *quomodo eligantur.* 1478. F.
Electrum *ubi creſcere creditum ſit.* 76. B.
Eliſabella Fliſca *unde clara.* 873. D.
Elocationes publ. juris *quomodo Genuæ facienda.* 1460. F.
Ellorum Familia, *vid.* Æliorum familia.
Emanuel Caballus *unde conſpicuus.* 710. C. 821. B.
Emanuel Imperator *Conſtantinopolis deſignatus Peram pro Venetis in Genuenſes fruſtra obſidet.* 479. F.
Emanuel Malaſpina *à Quibus contra Piſanos in Sardiniam Inſulam miſſus.* 384. D.
Emanuel Maſius *Brixianus Genuæ Prætor.* 345. F.
—— *Ejus Oratio ad Cives erga Nobilitatem demulcendos.* 348. C.
—— *Summum Claſſis Præfectum ſe ipſum nominat.* 349. A.
Emanuel Palæologus *Genuam quare veniat.* 525. A.
Emanuel Spinula *Epiſcopus Ingaunorum Gibellinis opem ferens, à quibus in pugna occidatur.* 420. B.

Ema-

Emathei *qui Populi ita dicti.* 22. C.
Emptio *quæ sit à Magistratu S. Gorgii Genuæ denominata.* 1461. C.
Epiri *Ora navalibus pugnis omnium maximis & clarissimis quomodo nobilitata.* 1060. F.
—— *Oræ situs & natura describuntur.* 1061. B.
Episcopalis Pileus *unde & quare serto ornatus.* 31. D.
Episcopatus *Genuensis Dominii quot sint?* 1428. B.
Episcopus *Comensis Genuæ Vicarius quare suffectus Prospero Adornio.* 642. E.
—— *Genuensis ab Innocentio Pontifice quando Archiepiscopi titulo decoratus.* 253. A.
—— *Romanus Metropolita quare sit Orbis universi.* 31. D.
Epistola Anastasii IV. *Pont. Max. ad Regem Hierosf. & Principes Syriæ in gratiam Genuensium, quæ?* 262. B.
Epistola Friderici Cæsaris *ad eos Genuenses quos promissis suis corruperat quomodo, intercepta.* 330. E.
Epistola Pii V. *Pont. Max. quæ ad Reges Hispaniæ, Galliæ, & Portugalliæ.* 1021. E.
Equitis *nominis quis novus usus.* 1131. C.
Erasmus Doria *cui Oppido in præsidium relictus.* 1356. A.
Erasmus Tiurceus *à Phil. Genuam quare missus.* 1307. F.
Erix *Oppidum Pisanorum à quibus & quomodo expugnatum.* 360. B.
Eruditioni *quid jure debeatur in rebus humanis.* 1263. C.
Eugenius III. *Romanorum Pont. Max. Genuenses ad expeditionem in Afros quare & quomodo hortetur.* 255. B.
Eugenius IV. *Genuensibus quare infensus.* 1317. D.
Eugium *unde dictum.* 93. E.
Eupilis *Lacus ubi.* 115. D.
Eupylis *unde dicta.* 93. E.
Euripi *duo in Cisalpina Gallia unde & quo deducti.* 130. C.
Europa *quam figuram repræsentet juxta Veteres.* 5. D.
Excusationes *Genuensium, quæ ad Regis Galliæ postulata.* 1382. A.
Exemplum *Insigne fortitudinis Bellicæ in prælio Navali quod?* 964. D.
—— *Navis quænam ederit eximiæ virtutis & fortitudinis.* 649. D.
—— *Primum uxoris exilio mulctatæ, quodnam?* 708. B.
Expeditio *Algeriana à Carolo* V. *suscepta quam infausta.* 1380. E.
—— *Andreæ Doriæ Anno* M. CD. XXXVII. *quæ?* 1375. A.
—— *Corsi Sigismundi Consulis Gen. in Pisanos.* 285. C.
—— *Genuensium in Afros quo hortante.* 255. B.
—— *In Careadinum quam frustranea.* 1377. D.
—— *Cartogolim quæ?* 719. D.
—— *Oranum quo Duce fiat.* 1105. C.
—— *Prima in Pignonum quomodo frustra fiat.* 1107. A.
—— *Secunda.* ibid. C.
—— *Sacra quando intendatur.* 305. B.
—— *Tripolitana cujus jussu, à Quo, & Quibus auctoribus suscepta.* 1091. B.
—— *Interrupta quomodo?* ibid. E.
—— *Mala ejus omina quæ?* 1093. C.
—— *Qui ejus finis.* 1104. B.
—— *Tunetana qualis & quare suscepta.* 1111. B. 1364. D. 1365--1369.
Expeditiones *binæ Genuensium.* 285. F.
Expeditionis *Cypriacæ quæ causa.* 459. E. 460. B.
Exules *omnes Genuensium in Patriam & Jus Civitatis quando restituti.* 357. C.

F.

FABIAE *Gentis primordia.* 27. E.
Fabius *vel* Fovius *unde natus.* ibid.
Fabritius Carrettus *unde conspicuus.* 819. C.
Fabritius Justinianus *unde insignis.* 814. B.
Fabrorum *Præfectus quis olim Magistratus.* 191. E.
Fabula *Daphnes Apollinem fugientis unde nata.* 18. E.
Facinorosi *homines quanta severitate Republica expellendi.* 1363. A.
Facinus *exempli pravi quod Genuæ admissum & impunitum.* 424. E.
—— *Memorabile incredibilis audaciæ à quo editum.* 600. F.
Factiones *Gibellinæ & Guelphæ quæ occasione Genuæ renoventur.* 499. B. 533. C.
—— *Genuæ novæ in Ducem Antonium Montaltum quomodo ab ipso discussæ.* 502. B.
—— *Novæ quæ ibidem post expulsum Philippi Dominatum.* 590. D. 591. A.
Factionum *Gibellinorum & Guelphorum in Urbe Saona quantus furor.* 505. A.
—— *Fulgosiæ adversarum Capita capta & in custodiam data.* 716. D. 717. A.
Factum Andreæ Doriæ *imitandum quod?* 1375. C.
Falconum *Oppidum Genuenses Ditioni suæ quomodo addant.* 259. A.
Fallacia *Genuensium ut copiarum suarum numerus major Gallis videretur.* 1340. E.
Falx Saturni *quid significaverit.* 19. A.
—— *à Quibus facta.* 28. C.
Famagusta *Genuensibus à Qua & quo die tradita.* 461. C.
—— *Consilium de ea per proditionem cui tradenda Regi.* 523. F. 524. A.
—— *Frustra obsessa à Venetis.* 464. B.
—— *Obsidetur à Turcis.* 990. B. 1022. A.
—— *Quibus conditionibus iis dedatur.* 1030. B.
Famagustæ *exactissima Descriptio.* 1022. B.
—— *Quanta victus inopia passa sit.* 1029. A.
Fames *per Europam, & potissimum per Italiam quæ & quanta.* 1378. A.
Familiæ LX. *Venetiis quare Nobilitate decoratæ.* 477. C.
—— *Cybo apud Genuenses antiquitas.* 742. C.
Familiarum IV. *potentiorum Genuæ Exules Nobiles quare & quomodo in Ducem Buccamnigram conspirent.* 439. A.
Fanum Florentii *in Inf. Corsica à qua Classe occupatum.* 602. E.
—— *Fortunæ quæ Colonia.* 105. A.
—— *Giliæ in Sardinia Inf. à Genuensibus in quos occupatum.* 362. D.
—— *Romuli in quo valida Turris à Genuensibus ædificata.* 252. C.
Faventia *à Totila eversa.* 104. C.
Fauni *quibus appareant, quibusque sint molestiores.* 41. A.
Feciales & Feciale jus *quando Romani acceperint.* 25. C.
Fecialis *à Carolo* VIII. *Galliæ Rege Genuam quare missus.* 669. D.
—— *Jani Fulgosii Genuam missus quare jugo non suspensus.* 709. A.
Felicitas *hominis quanta.* 1250. A.
Felix *(Divus.)* 763. D.
—— *Genuensis Episcopus.* 57. F.
—— *Miraculis quam clarus.* 237. C.
Feltrum *Oppidum.* 98. C.
Ferdinandus Aragoniæ Rex *Gallis ejectis Neapolim quomodo intret.* 671. C.
Ferdinandus Gonzaga *Mediol. Vicarius de quibus Pet. Lud. Farnesium apud Carolum* V. *criminaverit.* 930. A.
—— *Ulterior Hisp. Rex à quibus renunciatus.* 1269. C.
Ferio, *seu* Bisamnis *fluvius unde oriatur.* 1277. C.
Ferior Amnis *quodnam oppidum præterfluat.* 56. A.
Ferraria *à Quo ædificata.* 103. E.
Fidentiola *Oppidum à Quo celebre.* 102. B.
Fidii Montis *descriptio.* 36. F.
Figura *quæ Argenteorum quæ Judas accepit à Judæis in mercedem proditionis suæ.* 28. E.
Finarium *Oppidum.* 55. C.
—— *Ejus Situs.* 601. A.
Firma *Gens.* 37. B.
—— *Inscriptio de illa.* ibid.
Firmum *Colonia quæ?* 37. B.
Flagitium *ingens à Genuensibus unde admissum in prælio Navali cum Venetis.* 368. D.
Flavia Augusta Familia *unde oriunda.* 29. C.
Fletibus *& lamentationibus unde & quando impleta Genua.* 423. B.
Flisci *Nobiles Genuenses quomodo Exules cum Civitate conciliare nitantur.* 356. B.
Fliscorum *bona quare publicata.* 898. F.

Fliscorum *Domus quare eversæ.* 1399. A.
Florentiæ *Urbis situs qui?* 138. A.
Florentini *Ditionis Genuensis incolas ad defectionem quomodo sollicitent.* 537. B.
—— *Et Veneti Armorum societatem quare jungant contra Philippum.* 561. F.
—— *Mari quare cesserint.* 1284. B.
—— *Pisas obsidentes iis quomodo potiantur.* 529. A.
Florentinis *quare infensus Carolus Quintus.* 1350. A.
Florentinorum *odium in Ubertos quomodo tandem eruperit.* 357. D.
Focunates *Populi qui?* 198. A.
Fœderis Sacri *contra Selimum Turcarum Imperatorem conditiones quæ?* 1017. F.
—— *Scriptum privatum à quibus obsignatum.* 1019. B.
Fœdus *contra Quos initum Venetiis inter maximos Europæ Principes.* 668. C.
—— *Genuenses inter & Senenses quibus conditionibus contractum.* 1287. D.
—— *Leonem X. Pont. Max. inter & Carolum V. Cæsarem quibus conditionibus.* 721. F.
—— *Quodnam illud ex quo nullus fructus sperandus.* 1078. C.
—— *Sacrum inter Principes Christianos contra Selimum pro Venetis quomodo Pontifex procuret.* 958. F. 1000. A.
—— *In eandem rem separatum fœdus.* 1019. C.
Fons *Bituminosus ubi sit.* 12. D.
—— *Cornelii quomodo hodie dictus.* 104. B.
—— *Livii unde nobilis.* ibid. C.
—— *Miræ virulentiæ in Germania qui?* 73. F.
—— *Plinianus unde insignis.* 95. F.
—— *Sanguineus Genuæ erumpens quid illi præsagierit.* 1434. B.
—— *Solis filia quare dictus.* 43. F.
Forconium *quæ Urbs dicta.* 38. B.
—— *Quomodo postea appellata.* ibid.
Forcus, *vel* Phorcus, *vel* Porrecus *Cados Populos quo duxerit.* 22. D.
—— *Nomen ejus quid notet.* ibid. E.
—— *Posteri quomodo eum appellaverint.* 23. A.
—— *Quas incoluerit Insulas.* ibid. E.
Forma *Juramenti eligere debentium & eorum qui electi sunt in Rep. Genuensi.* 1488. C.
—— *Quæ servanda in electione Ducis Genuensis.* 1482. D.
—— *Reip. Genuensis quando & quomodo confirmata, publicisque suffragiis corroborata.* 1464. A.
Formianus *Sinus quomodo aliter dictus.* 1279. E.
Formigo *fluviolus qui?* 116. D.
Forreca *Aquensis ubi sita, & unde sic dicta.* 22. E.
Forum Brintanorum. 117. B.
—— *Nunc quomodo dictum.* ibid.
—— Diuguntorum. 96. A.
—— Fulvii. 100. E.
—— Gallorum. 103. F.
—— Lebuorum. 79. D.
—— Licini. 95. F.
—— Livii. 117. A.
—— Novum *quæ Urbs à Veteribus dicta.* 9. D.
—— Pompilii. 117. A.
—— Triennorum. 77. F.
Foveæ *vel* Fovissæ *sacræ circa Templa à Quo excogitatæ.* 27. E.
Fovissa *pro quo dicta in Sacris Cæremoniis.* ibid.
Fovius, *vide* Fabius.
Fragor *Tormentorum Bellicorum ad Melitam Oppidum diplosorum quantus.* 1153. B.
Framula *pro quo dicta.* 56. E.
Franci *quomodo prius appellati.* 157. C.
—— *Dicti unde & oriundi.* ibid. D.
—— *Eorum brevis historia.* ibid.
Francisci Guevaræ *quodnam inventum in Insulæ Melitæ obsidione.* 1159. F.
—— *Ejus virtus quæ?* 1167. C.
Franciscus à Monte Claro *Genuam à Quo Vicarius missus.* 520. C.
Franciscus Borbonius *Internuncium Genuam quare miserit.* 1339. C.
—— *Genuam quare non obsederit.* 1340. F.
Franciscus Carmaniola *unde conspicuus.* 1285. F.
—— *Classis Genuensis Dux contra Alphonsum.* 1279. A.
—— *Philippi Vicarius quod stipendium à Genuensibus exigat.* 555. E.
—— *Rei Militari à Venetis Præfectus.* 1284. C.
—— *Venetias vocatus quare occisus* 1285. E.
Franciscus Catalusius *qualis Vir.* 453.
—— *Unde clarus.* 800. B.
Franciscus Cognomento Maurus *unde insignis.* 813. C.
Franciscus Contarenus *Episcopus Paphi dimicando quomodo occisus.* 988. F.
Franciscus Justinianus *quando Dux Genuæ Annuus sit electus.* 500. E.
—— *Principatum quare dimiserit.* 501. C.
Franciscus Marchesius *unde conspicuus.* 852. C.
Franciscus Marchio Piscarius *quibus copiis in Italia Præfectus.* 723. B.
Franciscus Maria Roborejus Feltrius *unde clarus.* 818. E.
Franciscus Mendoza *Dux expeditionis in Oranum à Quo creatus.* 1105. D.
—— *Auriæ consilia pessime quomodo spernat.* 1106. C.
Franciscus Parisottus *Magnus ordinis Hierosolymitani Magister quomodo Expeditionem Tripolitanam juverit.* 1092. D.
Franciscus Roccaiarda *Genuæ pro Rege Vicarius quis Vir.* 706. E.
—— *Genua quare discesserit.* 709. B.
Franciscus Sforcia *Auxilia Genuensibus contra Gallos quare ferat.* 614. D.
—— *Genuæ Principatum quomodo accipiat.* 623. E.
—— *Mors ejus & Elogia.* 624. B.
—— *Oratio ad Milites ante pugnam Navalem cum Venetis.* 150. B.
—— *Saonam quomodo occupet.* 621. D.
Franciscus Spinula *unde clarus.* 812. B.
—— *Cajetanis subsidio quare missus.* 569. F. 1296. B.
—— *Ab iis quantopere laudatus.* 587. C.
—— *Captus à Venetis.* 563. C.
—— *Classis Genuensis Præfectus contra Catalanos.* 555. E.
—— *Liberatur à quibus.* 567. C.
Franciscus Vallesius *Galliæ Rex quomodo Ludovico XII. successerit in Regno.* 717. B.
—— *Ad Papiam à quibus captus.* 728. D.
—— *Et dimissus.* ibid. E.
—— *Mors ejus.* 1399. E.
Franciscus Vinaldus *unde clarus.* 63. B.
Friderici *animus quomodo à Genuensibus elongetur.* 276. F. 277. A.
Friderici II. *facetum dictum quod?* 353. E.
Fridericus *Ahenobarbus Genuenses in fidem & tutelam quomodo acceperit.* 265. E.
—— *Ægre quare ferat Genuenses sibi eligere Prætores ex Urbibus Longobardiæ.* 324. C.
—— *Barissonem Alborensis Præfecturæ Judicem Regem Sardiniæ quomodo constituat.* 270. A.
Fridericus *Cæsar quantas copias in Syriam duxerit, ibique quomodo perierit.* 288. C.
—— *Genuensium jura in Siciliam quare adimat.* 307. A.
—— *Conventus quos habuerit Cremonæ.* 312. C.
—— *Genuenses & Pisanos ad se Augustam Taurinorum quare evocet.* 269. A.
—— *Iniquus ejus erga Genuenses animus unde oriatur.* 315. A.
—— *Ravennæ quare conventum indixerit.* 319. E.
Fridericus II. *Ad Concilium Lugdunense à Quo & quare vocatus.* 351. F.

Fridericus II. *Consilium ejus de Genua perdenda.* 338. B.
— *Hommagium quare velit sibi præstari à Genuensibus.* 324. C.
— *Imperio à quo privetur & excommunicetur.* 352. C.
— *Ingentem plagam à quibus acceperit.* 354. F.
— *Multos ex primariis Genuæ civibus quomodo in partes suas alliciat.* 330. D.
— *Partes ejus quinam in Liguria & Longobardia sequerentur.* 339. D.
— *Primarii Cives, Nobiles, Principes in illum quomodo inducantur.* 324. D.
— *Obit.* 356. B.
— *Quæ inde Genuæ lætitia.* ibid. F.
— *Sub specie Colloquii pro Pacificatione Pontificem quomodo ludificet.* 350. C.
Fridericus Fulgosius *Cardinalis unde clarus.* 832. D.
Fridericus Henrici Cæsaris *filius Siciliæ Rex quomodo Genuæ exceptus.* 302. E.
— *Triremes suas Gibellinorum Triremibus quare conjungat.* 418. D.
Fridericus Marabottus *unde conspicuus.* 795. F.
— *Præfectus Guelphorum Classis Antonium Gibellinæ Classis Præfectum quomodo deluserit.* 426. A.
Fridericus Rubrobarbus *partem Mediolani civitatis quare solo æquaverit.* 84. D. 267. C.
— *Alexandro Pontifici quam inimicus.* 119. A.
— *Ejus ad pedes suppliciter Venetiis quare procubuerit.* 267. B.
— *Genuensium obsequium non servitutem exigit.* 261. C.
— *Indoles ejus quæ?* 119. B.
— *Mediolanenses quare in eum arma capiant.* 149. A.
Frigidum *quomodo vocarent Veteres.* 93. F.
Frumento *Senatus Genuensis quomodo providerit.* 1379. B.
Fulco Castellius *discordias Genuæ sopitas quomodo refocillet & integret.* 286. F.
— *Classis Præfectus quanta detrimenta Pisanis intulerit.* 287. D.
— *Consulem Lanfrancum Piperem quare obtruncet.* 291. B.
— *Legatus quare missus ad Sultanum Memphiticum.* 297. A.
— *Prætor Genuensis eligitur.* 229. A.
Fulco Nigrius *unde insignis.* 868. C.
Fundamentum *obedientiæ & Disciplinæ Militaris quodnam sit.* 1211. B.
Fures *duo insignes Genuæ quomodo deprehensi.* 1353. E.

G.

GABRIEL Adornius *Dux Genuæ quando creetur.* 456. B.
— *Excedere Genua occulte quomodo cogatur.* 458. D.
— *Exilii locus qui ei definiatur.* ibid. E.
Gabriel Serbellonus *à quo Vicarius Regni Tunetani constitutus.* 1113. A.
— *Consilium ejus de copiis in novam Tuneti munitionem contrahendis quomodo à variis acceptum.* 1117. A.
— *Omnibus necessariis quorum vitio ibi caruerit.* 1113. F.
— *Quomodo à Turcis captus.* 1126. A.
Gabriel Vicecomes *Galeacii filius nothus quare à Bocicardo Genuæ capitali supplicio affectus.* 530. E.
Galeatius *à quibus cædatur.* 632. C.
— *Factum ejus apud Genuenses superbum quale?* 625. C.
— *Genuæ servitium quomodo moliatur.* 629. C.
— *Patri suo Francisco Sfortiæ in Genuæ Principatu quomodo successerit.* 624. E.
— *Virtutes ejus & vitia quæ?* 632. D.
Galeatius Justinianus *unde clarus.* 814. B.
Galeatius Pinellus *unde insignis.* 858. A.
Galeottus Roborejus *Cardinalis quomodo conspicuus.* 842. B.
Galeratus *Vicus unde insignis.* 92. B.
Galeria *qui locus & cujus usus.* 36. A.
Gallareatum *oppidum unde dictum.* 171. F.
— *à quibus & quando deletum.* 172. A.
— *Inscriptiones quæ in eo visuntur.* ibid. B.
Galli *à quibus ad Novariam deleti.* 713. A.
— *Arcem Genuæ Genuensibus dedere quomodo cogantur.* 533. E.
— *Cajo Cæsari sævientibus Romanorum Bellis Civilibus quomodo adhæreant.* 135. E.
Galli *cur* Celtæ *appellentur.* 121. E.
— *Eo nomine quare insigniti.* 122. D. 125. B.
Galli Cisalpini *ad Alexandrum M. Legatos quare miserint.* 132. B.
— *Fortiores Romanis fatentibus Cicerone & Sallustio.* 155. A.
— *Genuensium oppida quæ vendant Florentinis.* 536. C.
— *M. Antonio, extincto Cæsare, quomodo adversentur.* 135. E.
— *Principatu Genuæ quomodo dejecti.* 614. C.
Galli Transalpini *unde orti credantur.* 125. A.
— *Romanos vincunt, Romamque vi capiunt.* 132. C.
Gallia *Bracchata.* 73. A.
— *Longitudo & latitudo ejus.* ibid. D.
— *Metæ ejus quinque.* 72. F.
Gallia *quotuplex.* ibid. F.
Gallia Transalpina *quotuplex.* Ibid.
Gallorum *certamen quod cum Romanis in Etruria.* 134. B.
— *Cisalpinorum Elogia.* 73. C.
— *Copiis Cæsar devicit ulteriorem Galliam.* 136. E.
— *Genuensibus eorum mores quare tædio & fastidio* 532. B.
— *Inceptum quod frustraneum in And. Doriam & Genuam.* 1344. A.
— *Mores.* 127. C.
— *Opera ex Pado veluti stagnante illum ad justum fluminis decursum exinanienfium.* 166. D.
— *Res quomodo in insubria ad iniqua inclinentur.* 708. E.
— *Tuguriola quænam.* 166. D.
Gallos *Græci quos appellent.* 121. E.
— *Hebræi.* 167. D.
— *In Græciam & Asiam penetrasse.* ibid. E.
— *Qua eos Lingua usos fuisse asserat Hieronymus.* ibid.
Gallus *Jani successor quomodo cognominatus.* 125 A.
Gambalotum *locus quare Principibus gratissimus.* 80. F.
Gandus Marius *unde conspicuus.* 792. C.
Garsias Toletus *in quam expeditionem à Philippo II. Classium Præfectus creetur.* 1107. C.
— *Ejus in auxiliis ad Melitam mittendis quanta negligentia.* 1147. A.
— *Quare Concilium apud se convocet.* 1161. A.
Gaspar Cossa *Neapolitanus quid Genuæ fecerit.* 515. A.
Gaspar Grimaldus *Bracelius Dux Genuæ electus.* 1408. B.
Gaspar Spinula *unde clarus.* 803. B.
Gavium *oppidum ab Antonio Guasco quomodo receperint Genuenses.* 1343. D.
Gauni *populi qui & unde dicti.* 194. C.
Geniti *ultimo loco quomodo dicti.* 40. B.
Genua *à Piscario quomodo expugnata & à militibus suis direpta.* 725. D.
— *aquarum diluvie quando fœdata.* 380. F.
— *Asylum quorum fuerit.* 1433. B.
— *Cæsarum Græcorum imperio quot annis subjecta.* 234. B.
— *Calamitates quantas per Bellum Civile passa sit.* 428. C.
— *Carolo V. quare sese tradiderit.* 730. F.
— *Celebre Liguriæ Emporium semper habita.* 232. A.
— *Comitibus quandiu subjecta.* 235. B.

Genua *crevit unde?* 234. D.
—— *Fletibus & lamentationibus unde impleta.* 423. B. 655. F.
—— *Frumento per famem unde & quomodo sublevata.* 1380. B.
—— *Gotthis quomodo subdita.* 233. E.
—— *Imperium apud exteros profert, dum apud se libera esse non potest.* 410. F.
—— *Initium Nummi signandi quando fecerit.* 245. B.
—— *Libera ab externo Dominatu quando suis Magistratibus uti cœpit.* 235. B.
—— *Longobardis quando subdita.* 234. E.
—— *Ludovico XII. Galliæ Regi quomodo sese dederit.* 702. A.
—— *Nomen unde habere credatur.* 231. D. 1432. A.
—— *Philippo Mariæ Mediolani Duci se tradit administrandam.* 554. D.
—— *Ab ejus jugo quomodo liberetur.* 589. B.
—— *Religionem & Doctrinam Christianam à quibus acceperit.* 237. B.
—— *Reliquias Joan. Baptistæ quomodo acceperit.* 238. B.
—— *Romanas partes etiam in Bellis cum Liguribus semper secuta.* 219. D.
Genuæ *nomen unde oriatur incompertum.* 231. D.
—— *Agitatio animorum maxima quam ob causam.* 669. E. 670. A.
—— *Annonæ quanta inopia.* 284. E. 729. B.
—— *Auctorem nemo satis affirmare ausus est.* 55. D.
—— *Cives complures ejuratis partibus Guelphis ad Gibellinas transeunt.* 535. D.
—— *Civilis prima Discordia unde nata?* 270. C.
—— *Civitas & Ditio tota quomodo in potestate Guelphorum.* 414. A.
—— *Civitatis miserabilis in primis quis status.* 697. B.
—— *Commutatio magna rerum unde?* 433-435. A.
—— *Conditio Civitatis quæ per discordias Civiles.* 410. D. 686-694. A.
—— *Descriptio.* 1415-1418.
—— *Dignitas unde commendata.* 232. B.
—— *Ditio unde augeatur.* 302. B. 303. B. 305. C. 318. B. 378. F. 380. B. 396. D. 494. C. 529. B.
—— *Dominatus in Carolum VII. Galliæ Regem quare translatus.* 604. E.
—— *Domini mutatio quæ?* 674. D.
—— *Fami urgenti quomodo provisum fuerit.* 1378. A.
—— *Imperium à Nobilibus ad Populum quomodo translatum.* 436. C.
—— *Quomodo proferatur.* 303. F. 557. F. 558. A. 883. A.
—— *Origo quotuplex.* 1431. E.
—— *Altera qui annus dici potest.* 433. C.
—— *Otium à quibus turbetur.* 303. D.
—— *Pomœrium quomodo prolatum.* 447. B.
—— *Principatus in Ducem Mediolanensem quomodo translatus.* 623. B.
—— *Regimen à Consulibus ad Prætorem peregrinum quomodo translatum.* 289. B.
—— *Ad Prætores & Rectores quomodo redierit.* 407. A.
—— *Abrogatur deinde à Bocicardo Regis Galliæ Vicario.* 532. C.
—— *Regionibus septem veteribus una quomodo addatur.* 253. B.
—— *Res à quo & qua conditione composita.* 515. A. 1424. A.
—— *Respublica duæ in una quomodo.* 530. C. 603. A. 1425. A.
—— *Situs & Memorabilia.* 55. D.
—— *Sors quæ Longobardorum tempore.* 234. B.
Genuam *atrox per noctem procella quando afficiat.* 353. B. 673. F.
—— *Duces quando regant.* 233. F.
—— *Galli cujus monitu obsidere aggrediantur.* 1371. D. 1372. A.
—— *Mago Pœnus capit & diripit.* 219. A.
—— *Pestis quando infestet.* 605. E.
—— *Saraceni quando capiunt, diripiunt, incendunt.* 235. D.
—— Torpor & Socordia *quando invaserit.* 259. E.
—— *Qua præcipue de causa.* 260. A.
Genuenses *à Bocicardo Regis Galliæ Vicario quare deficiant.* 532. B.
—— *à Philippo Mediolani Duce deficiunt.* 588. B. 1307 1308. A.
—— *Acone urbe quare excedant.* 364. E.
—— *Amicitiam & fœdus quibus conditionibus ineant cum Alphonso Rege Aragoniæ.* 561. C.
—— *Castellæ Rege.* 355. F.
—— *Emanuele Græcorum Imperatore.* 261. B.
—— *Saladino.* 286. D.
Genuenses Anastasio IV. *Pontifici de Rege Hierosolymitano & Principibus Syriæ qua de re querantur.* 262. A.
—— Arcem Capitis Phari *in quos obsideant.* 713. E.
—— *Et expugnent.* 714. B. 715. A.
—— *Auxilia à quibus petant contra Philippum.* 548. B.
—— *Bellum quare inferant Helimeli Muleassi Mauro Murciæ & Carthaginis Regi.* 319. C.
—— *Venetis quare denuncient.* 1287. D.
—— *Cæsar quantis promissis hortetur ad Bellum Siculum.* 292. B.
—— *Cataloniam quare petant, ejusque oram infestent.* 428. F.
—— *Civem Genuensem perpetuo Genuæ Archiepiscopum eligendum à Pontifice quomodo impetrent.* 320. F.
—— *Civibus quos Mediolani Cæsar dextera & altero oculorum privaverat quid assignent.* 352. F.
—— *Clari & illustres.* 57-64.
—— *Classem haud contemnendam quare in Syriam mittant.* 288.
—— *Concordiæ omnigenæ inter omnes Cives, rationes quomodo tententur.* 731. D.
—— *Curam terrestris Militiæ quare repetant.* 288. E.
—— *Dominium Aconis & Antiochiæ Hugoni & Nicolao Embriacis quomodo concedant.* 259. D.
—— *Emptionem Plumbini quomodo omiserint.* 676. E.
—— *Fecialem Pisas quare mittant.* 268. B.
—— *Fœdus cum Florentinis & Venetis quare ineant.* 592. C. 1309. C.
—— *Gratiam Francisci I. Galliæ Regis recuperare quomodo conentur.* 1359. B.
—— *In Imperia Joannis XXII. Pont. ac Roberti Neapol. Regis quare jurent in Decennium.* 415. C.
—— *In Schismate quomodo se gerant.* 530. E.
—— *Ingenium suum quomodo resumant.* 430. F.
—— *Legatos suos ad Concilium Pisanum mittere Regi quare recusent.* 708. D.
—— *Leges in Hæreticos sancitas à quo in tabulas publicas referre cogantur.* 360. E.
—— *Ludovico Galliæ Regi quare se subjiciant.* 656. D.
—— *Obsessi à quibus in Urbe Clodia.* 480. B. 481. D.
—— *Oratores quare ad Regem Galliæ mittant.* 523. C.
—— *Ostium fluminis Rhodani quare ingressi.* 273. C. 276. E.
Genuenses & *Pisani arma inter se quare vertant.* 247. E. 249. D.
—— *Pisanos quare ad certamen provocent pari utrimque Navium numero.* 268. E.
—— *Prælio Navali victi à Pisanis.* 275. A.
—— *Primi subsidio Christianorum Hierosolym. veniunt in Bello Sacro.* 237. F.
—— *Principem Mediolani orant ut pro se apud Regem Galliæ intercedat.* 520. C.
—— *Regno suo toto quare exterminavit Ludovicus XII.* 674. D.
—— *Rempublicam suam quibus conditionibus Regi Galliæ tradant.* 510. A.
—— *Sanctum Sudarium quomodo recuperent.* 742. A.
—— *Societatem quare inierint cum Ludovico Hungariæ Rege, Patriarcha Aquilejensi & cum Francisco Carrario Patavii Domino.* 462. E.

Genuen-

Genuenses *Toto Cypri Regno quare dissipati.* 460. C.
—— *Virtutis Bellicæ documenta, quæ ediderint in Italia post eversum Rom. Imperium.* 215. A.
Genuensibus *quare deest hodie materia propagandæ gloriæ.* 1346. D.
Genuensibus *solatia quæ & quomodo ipsorum populo data.* 662. B.
Genuensis *Oræ Insulæ quæ?* 58. B.
Genuensium *Amicitia & Armorum societas cum Emanuele Græcorum Imperatore.* 261. B.
—— *Arte & industria Hierosolyma capta.* 239. A.
—— *Auctoritas in Regionibus Transmarinis.* 240. D.
—— *Bellum contra Sabaudium, Saonenses & Ingaunos.* 315. A.
—— *Classis adventus Constantinopoli, ejus Cæsari quomo- acceptus.* 368. E.
—— *Expeditio in Afros quo hortante.* 253. B.
—— *Frustranea in Regnum Neapolitanum pro Ludovico XII. Galliæ Rege.* 676. A.
—— —— *In Turcam Insulam Lesbum occupantem quæ fuerit.* 676. B.
—— *Impensæ quantæ in Neapoli Renato Andegavensi conservanda.* 596. F. 597. A.
—— *Irritatio animi prima in Gallos unde nata.* 666. A.
—— *Jura in Sardiniam Insulam unde pateant.* 276. A.
—— *Laudes.* 1329. 1330. A.
—— —— *Ob matronalis pudicitiæ curam.* 61. C.
—— *Legatio perampla ad Fridericum Ahenobarbum.* 264. D. 267. C.
—— *Odium in Philippum unde.* 1304. E.
—— *Res gestæ pro Friderico Primo.* 1437. D.
—— *Pro tuenda Constantinopoli.* 1441. F. 1442. A.
—— —— *Sancta Romana Ecclesia.* 1438. B.
—— *Siculo cum Rege quomodo compositæ.* 374. F.
—— *Stratagema quo Borbonium à Bello sibi inferendo deterreant.* 740. A.
—— *Veterum præclara facta & laudes.* 1345. C.
—— *Victoria in Mauros Hispaniæ.* 257. A.
—— —— *in Classem Venetam insignis.* 370. C.
—— —— *Memorabilis in Alphonsum Regem.* 1300. 1301. A.
Gens, à Curte *quomodo sese Castelliorum superbiæ opponat.* 287. A.
Georgius Adornius *unde clarus.* 819. F.
—— *Certa dies Magistratu abeundi quare illi dicta.* 542. F.
—— *Dux Genuæ creatur.* 538. B.
—— *Elogia ejus.* ibid. A.
Georgius Marchio *Montisferacis Georgium Adornium custodia quare detineat.* 537. D.
—— *Moxque dimittat.* 538. A.
Georgius Carrettus Marchio Finarii *à Duce Bucca-nigra quomodo domitus.* 437. F. 438. A.
Georgius Fliscus *Cardinalis unde insignis.* 830. F.
Gerardi Appiani *injustum factum quod?* 521. C.
Gerardus Corrigius *Genuæ Prætor.* 356. B.
Gerardus Spinula *quam dives & potens.* 790. A.
Gerbis insula *in Tunetanum Regem à quo expugnata.* 492. A.
Germani *Lucam urbem Gerardo Spinulæ quare vendant.* 425. E.
Germaniæ *fines.* 73. D.
Germanorum *laudes.* ibid. E.
Germiniacum *oppidum.* 188. C.
Gessatæ *Qui populi.* 103. E.
—— *Peculiare quid illis fuit.* ibid.
—— *Unde oriundi.* ibid.
Getæ & Gotthi *unde iidem Populi credantur.* 126. E.
—— *Unde oriundi.* ibid. F.
Getarum *Sedes.* 83. E.
Gibellini *Diplomata Pontificis quare dilacerent.* 420. F. 421. A.
—— *Genuam obsident.* 414. E.
—— *Terra ac Mari.* 416. E.
—— *Naulum urbem obsident & expugnant.* 419. F. 420. A.
—— *Principatum Genuæ invadunt.* 411. F.
—— *Regio sub Dominatu moliri in Ditione Genuensi quid conentur.* 512. C.
—— *Triremes quot mittant in subsidium ad Fridericum Siciliæ Regem.* 425. B.
—— *Urbem Genuam qua mente petant.* 513. A.
Gibellinis *tota Genuensis Respublica quando cesserit.* 436. C.
Gibellinorum *Ædes incendiis Guelphorum horridæ quomodo factæ.* 416. C.
—— *Capita* Auria & Spinula *unde inter se arma vertant.* 412. A.
—— *Factio Genuæ quando prævaleat.* 378. B. 432. B.
—— *Potentia unde creverit.* ibid.
Gibellotum *oppidum fiduciarium à Genuensibus in* XXIX. *annos cui datum.* 259. D.
Gibellum Minus *oppidum à quibus expugnatum.* 245. C.
Gigantes *per universum orbem effervescunt immortales crediti.* 22. B.
Giviratsus Lacus. 178. F.
—— *Quomodo aliter dictus.* 180. B.
Gladiatorum Pœna *quæ Genuæ.* 1493. A.
Globuli *qui adhibiti in Electione Magistratuum Genuensium.* 1483. E.
Gotofredus *Imperator obsidionis Hierosolymitanæ electus.* 239. F.
Gotthi *quinam populi.* 83. D.
—— *Civium quot millia Genuæ obtruncaverint.* 217. F.
—— *Liguriæ partem Romanis quare reliquerint.* 218. B.
—— *Unde oriundi.* 83. A. 84. A.
Gottifredus Puduanus *Genuæ Prætor.* 317. F.
Goverum *oppidum ubi situm, & unde clarum.* 115. E.
Græcæ *tres res quæ in suo quaque loco principem locum obtineant, quænam.* 1230. D.
Græci *aliis omnibus circa Etymologias diligentiores.* 121. E.
—— *Magis quam Latini Res Insubrum declararunt.* 196. D.
—— *Quos Gallos appellent.* 121. E.
Græcus Cæsar *in transmarinis locis Res Genuensium abrogare frustra nititur.* 319. C.
Granatæ Rex *à quo præliis attritus.* 1267. D.
Granatense Regnum *quomodo vastent & depopulentur Genuenses.* 254. E.
Gratiæ *quæ, & forma illarum concedendarum.* 1489. F.
Gratiarum Actiones *Genuensium Regi Gallorum, quare?* 1381. B.
Gregorius V. *à Quo Pontifex creatus.* 117. E.
—— *à Romanis quare ejectus.* ibid.
Gregorius IX. *Bellum Sacrum in Fridericum Cæsarem quare indicat.* 327. B.
—— *Concilium Romæ universale indicere statuit.* ibid. D.
—— *Genuensi populo sacris interdicit.* 379. D.
—— *Obit moerore.* 333. E.
—— Transalpinorum *Regum opem contra quem advocet.* 327. D.
—— *Venetos & Genuenses quomodo pacare contendat.* 324. A.
Gregorius XII. *Genuam venit.* 462. A.
Gregorius XIII. *Pontifex quando creatus.* 1076. E.
Grimaldi & Flisci *adversarios suos Gibellinos Genua quomodo exigant.* 414. A.
—— *Factum eorum improbum quodnam?* 438. E.
Griphonii *unde oriundi.* 6. B.
—— *à quo suscepti.* ibid.
—— *Eorum quæ sedes.* ibid.
Guarci Ducis *imperium quam moderatum.* 485. E.
—— *Oratio quæ ad demulcendum populum.* 487. F. 488. A.
Guarci & Montalti *Genua Regi Galliæ tradita Urbem quomodo redeant.* 511. C.
—— *Cum aliis Exulibus in Ducem Fulgosium quare conjurent.* 546. D.
—— *De Vicario Regio quare querantur.* 512. F. 513. A.
Guar-

Guarcus & Montaltus *fines Genuensium quomodo frustra ingrediantur.* 507. A.
Guastalla *Oppidum insigne quid habeat.* 103. A.
Gubernator Regius *cum Prætorianis suis Genua quomodo illæsus excesserit.* 432. B.
Gubernatores *Genuenses qui post Rempublicam de novo constitutam.* 1341. F.
Guelphi & Gibellini *ab Occidente in Orientem odia sua extendant quomodo?* 422. E.
Guelphi *Florentia exules ibidem quomodo recipiantur.* 357. D.
—— *Genuæ Principatum quomodo occupent.* 413. F. 414. A.
—— *Genuenses à Rege Neapolit. aliisque Civitatibus factionis suæ subsidia quare postulent.* 415. B.
—— *Republica gerenda exclusi quo exulent.* 436. C.
—— *Triremes III. armant prædatrices in Gibellinos.* 518. B.
—— XL. *Auxiliatrices ad Robertum Neapolis Regem quare mittant.* 425. C.
Guelpho *quis?* 1281. F.
—— *Ubi victus & cæsus.* 1282. B.
Guelphorum & Gibellinorum Nomina *in Italia unde.* 118. F. 1281. D.
—— *Renovata.* 355. C.
Guido Corrigius *Parmensis Genuæ Prætor.* 374. E.
—— Spinula *unde clarus.* 789. A.
Guidottus Rodobius *Vercellensis Genuæ Prætor.* 373. F.
Guiscardorum *virtus in Bello Sacro.* 237. E.
Guiscardus *à* Petra Sancta *Mediolanensis Genuæ Prætor.* 357. F.
Guletæ Vallum *quomodo expugnetur.* 1368. A.
Gulielmus *à* Mari *Genuæ Dux novæ Factionis.* 317. B.
Gulielmus *Albintemeliorum Prætor.* 308. C.
Gulielmus Brunus *Hastensis Genuæ Prætor.* 381. A.
Gulielmus Buccanigra *popularis Capitaneus quomodo à Plebe Genuensi Prætor in Decennium creetur.* 363. D.
—— *Potestate paulatim quomodo abutatur.* 366. B.
—— *Tandem quomodo abrogetur.* 368. A.
Gulielmus Castelnovus *Placentinus Genuæ Prætor.* 353. D.
Gulielmus Drudus *Hastensis Genuæ Prætor sub Capitaneis.* 399. B.
Gulielmus Fliscus *Rom. Ecclesiæ Cardinalis unde clarus.* 830. F.
Gulielmus Gabernia *unde clarus.* 788. E.
Gulielmus Gardinus *Hastensis Genuæ Prætor.* 400. D.
Gulielmus Henricus *Genuæ Prætor.* 296. F.
Gulielmus Marchio *à Genuensibus ad Pisanos quare defecerit.* 295. E.
Gulielmus Palavicinus Marchio *Gubernator Genuæ.* 451. C.
Gulielmus Rodoanus *unde insignis.* 870. A.
Gulielmus Sardus *Placentinus Genuæ Prætor.* 326. B.
—— *Oratio ejus contra Mascarados Genuenses.* 331. A.
Gulielmus Scarampus *Hastensis Genuæ Prætor.* 369. A.
Gulielmus Siciliæ Rex *honore & beneficiis Genuenses quomodo afficiat.* 261. F.
Gulielmus Spinula *Consul Genuensis Orator à Sultano Memphitico ultro quare advocatus.* 300. D.
Gulielmus *unus ex Marchionibus Albintemelii contra fidem datam à Genuensium amicitia quare ad Albintelios transeat.* 308. C.
Gulielmus Embriacus *Genuensis unde celebris.* 59. E. 238. D. 240. E. 772. E.
—— *Primus Cæsareæ Palæstinæ muros conscendit.* 243. D.
—— *Prædam dividit.* 244. C.
—— *Vas è prægrandi & solido Smaragdo pro prædæ parte sibi sumit*, ibid.
—— *Eoque Genuam Civitatem donavit.* 245. A.

H.

Habitatio *prima Aboriginum in Italia quæ?* 5. F.
Habitus *Ducis & Magistratuum Genuensium qui?* 1483. E.
Hadria *Urbs à quibus condita, & unde ita dicta.* 45. A.
Hadrianus V. *Genuensis Pont. Max. quando electus.* 379. F. 765. D.
—— *Absens cujus commendatione creetur.* 726. E.
Halis *unus ex Classis Turcicæ Præfectis quomodo occidatur.* 1068. F.
Hasta *Colonia quare à Romanis posita.* 174. F.
Hastatus Jupiter *quis?* 23. E.
Hebræa *Lingua quomodo dicta in Italia.* 14. C.
Helenes *Sidus perniciosum navigantibus.* 42. B.
Helvetii *quibus characteribus usi.* 184. B.
Helvetiorum *Regionis qui situs.* 73. A.
—— *Plurimi Genuæ quare occisi.* 665. B.
Henєti *vide* Venetorum Origo.
Henrici *tres continua serie Romæ Imperatores Mediolani Imperii fasces quare non receperint.* 118. D.
Henrici Cæsaris *ingratus animus & perfidia erga Genuenses.* 293. C.
Henrici Marchionis Carettani *Oratio apud Fridericum contra Genuenses quæ?* 312. E.
Henrico *Cæsari Genuæ Imperium vicennale quare mandetur.* 411. C.
Henricus I. *qua lege Imperator Romanorum electus.* 117. F.
—— *Mediolani coronatus.* 118. A.
Henricus Ahenobarbi filius *nothus Siciliæ Rex quomodo electus.* 291. C.
—— *Legatos ad Genuenses quare mittat.* ibid. D.
Henricus Brusamantica *Genuæ Prætor.* 395. C.
Henricus Confalonerius *Brixianus Genuæ Prætor.* 357. F.
Henricus Guercius *Genuensis ad Cæsarem Græcum quare Legatus.* 266. B.
Henricus Lucceburgensis *Mediolani primum, deinde Romæ coronatus Imperator.* 120. B.
Henricus Marius *unde conspicuus.* 789. D.
Henricus Monsa *Mediolanensis Genuæ Prætor.* 324. B.
Henricus Rex Galliæ *Italiam quare petierit.* 1404. E.
Henricus Secundus Rex Galliæ *quomodo obierit.* 1091. E.
Hepati *in corpore humano quare dominari dicatur Venus.* 31. E.
Heraclea *Civitas à Quo condita.* 98. D.
Hercules Lybius *cujus filius.* 23. C.
—— *Ejus filius quis?* ibid. D.
—— *Italiam quo tempore, & qua via petierit.* ibid.
—— *Unius de nomine omnes prope Heroes antiqui Hercules appellati.* ibid. C.
Hercyniæ Sylvæ *quanta magnitudo.* 74. A.
—— *Alites notandæ quæ in ea videantur.* ibid. B.
Hetrusci *quomodo Universam Italiam premant.* 132. A.
—— *à Quibus Gallis ultra Apenninum expulsi.* 166. A.
Hieraclium *Pagus unde ita dictus.* 173. A.
Hieronymi *Gentilis juvenis Genuensis incœptum pro Patria quale?* 631. D.
Hieronymus Adornius *unde Insignis.* 859. D.
Hieronymus Auria *Cardinalis unde conspicuus.* 837. B.
Hieronymus Bassus *Cardinalis unde clarus.* 845. B.
Hieronymus Fliscus *in Patriam quare conspiret.* 1396. B. 1398. E.
—— *Vitam quomodo finierit.* 1401. C.
Hieronymus Grimaldus *Cardinalis ex quo memorabilis.* 836. E.
Hieronymus Justinianus *Consul unde celebris.* 61. B.
Hieronymus Mendoza *cui Oppido in Morea præfectus.* 1356. A.
Hieronymus Quirinus *quod subsidium Famagustam duxerit.* 997. E.
Hieronymus Riarius *qua re conspicuus.* 818. C.

Hiero

Hieronymus Zanes *Præfectus Classis Venetæ contra Selimum Turcarum Imperatorem.* 963. D.
—— *Mors ejus.* 998. D.
Hierosolyma *à Christianis obsessa.* 238. D.
—— *Expugnata ab ipsis.* 240. A.
—— *Occupata à Tartaris.* 351. E.
Hierosolymæ Rex, & Syriæ Principes *quot injuriis Genuenses insectati sint.* 262. A.
Hippo *Urbs à quo expugnata & direpta.* 1369. B.
Hirpani *vetustiores unde dicti.* 47. D.
Hirpini *unde dicti.* ibid.
Hirpus *Sabinis qui dictus.* 47. D.
Hisarci *Populi qui?* 197. F.
Hispalis *à Rege Castellæ quomodo expugnata.* 355. E.
Hispani *quomodo à Mauris lacessiti dum post expugnatum Pignonum naves conscendunt.* 1110. A.
Hispanis *quantum Christiana Res debeat.* 968. F.
Hispanorum *querimoniæ quæ contra Pontificem Max.* 967. B.
—— *Seditio quæ.* 1092. D.
Historia *Corsæ mulieris Ligusticæ.* 231. B.
—— *Etsi vera non sit, an tamen possit dici Historia.* 1241--1246.
Historiæ *scribendæ qui apti sint.* 1195. F. 1196. E.
Historiam *latine scribi posse.* 1193. F.
—— *Scribenti an causarum explicatio sit necessaria.* 1196. C.
Honoratus *Archiepiscopus Mediolanensis quantæ in Rebus Ligusticis auctoritatis.* 234. C.
Honores *Defunctis decreti qui olim fuerint.* 19. C.
Honoris *locum primum Genuenses in Florentinos quare & à Quo obtinuerint.* 661. E. 674. F.
Hostilia *unde memorabilis.* 103. C.
Hugo *Archiepiscopus Genuensis moritur.* 287. F.
Hydruntem *Urbem in Italia Turca quomodo occupet.* 649. B.
—— *Recuperatur.* ibid. D.
Hyems *quo Anno Genuæ extrema.* 662. E.

I.

JACOBUS Apianus *Plombini Regulus se suaque fidei Genuensium quomodo commiserit.* 1287. C.
Jacobus Balduinus *Bononiensis Genuæ Prætor.* 318. B.
Jacobus Bonfadius *quare & latine scripserit, & Proœmiis libros suos singulos inceperit.* 1405. C.
Jacobus Bracellius *unde conspicuus.* 866. F.
Jacobus Capra *Cremonensis Archiepiscopus Mediolanensis à Quo institutus.* 560. D.
Jacobus Fliscus *unde insignis.* 795. B.
Jacobus Fulgosius *Dux Genuæ creatus.* 495. C.
—— *In carcerem quare missus.* 496. E.
Jacobus Fuscarenus *à Venetis summus Classis ipsorum Præfectus quando creatus.* 1075. E.
Jacobus Janetinus Doria *quomodo interficiatur.* 1394. F.
Jacobus Levantus *unde illustris.* 788. D.
Jacobus Lusignianus *Petro fratri in Regno Cypri quomodo successerit.* 490. F.
Jacobus Marocellus *unde clarus.* 787. F.
—— *Neapolis pro Alphonso Præfectus Urbem quomodo dediderit.* 1280. B.
Jacobus Paludius *Parmensis Genuæ Prætor.* 373. A.
Jacobus Passanus *quantæ Vir virtutis & fidei.* 806. F.
Jacobus Ragazzonus *à Venetis Constantinopolim quare missus.* 1008. B.
Jacobus Tertiagus *Mediolanensis Genuæ Prætor.* 322. E.
Jacobus Varaginensis *Genuæ Archiepiscopus, unde clarus.* 403. C.
Jacobus Vimercatus *Mediolanensis Ducis Genuæ Vicarius quomodo salutatus.* 623. B.
Janigenæ Razenui *in quibus computabantur.* 21. C.
—— *Aborigines quare immixti Insularibus, Mediterraneisve Coloniis.* 23. E.
—— *Qua lingua usi.* 14. C.
—— *Qui præcipue sic dicti.* 5. F. 6. B.
Janigenarum *In Italia Principes qui?* 5. F.
—— *Priores qui in Italia.* ibid. & 6. B.
—— *Senatus præcipua cura quæ?* 23. B.
Janus *Quis?* 5. D. 14. A.
—— *Aborigines Italiam incolere quomodo monuerit.* 5. B.
—— *Annus, quo post Diluvium Italiam petiit.* ibid. D.
—— *Elogia ejus.* 14. A.
Janus & Sabatius *figura felicitatis Ecclesiasticæ prænuncia.* 17. F. 18. A.
—— *Quo anno post Diluvium obierit.* 18. D.
—— *Sedem ubi elegerit.* 5. D.
—— *Senatus ad ejus Aram convenire solitus.* 14. A.
—— *Venti ei subjiciuntur.* 42. C.
—— Vertumnus & Portunus *post mortem appellatur.* 18. E. 23. A.
—— *Uxor ejus quæ.* 5. D.
Janus Fulgosius *unde clarus.* 813. E.
—— *Dux Genuæ.* 601. A.
—— *Genuæ Dux quomodo creatus.* 706. D.
—— *Obit.* ibid.
—— *Quare Genua excesserit.* 712. B.
Janus Lusignianus *Rex Cypri.* 523. F.
—— *Famagustam frustra obsidet.* 525. B.
Japyga *Ventus cujus ominis.* 42. B.
Jasius, *sive* Sospitator *Jupiter*, *Quis?* 23. E.
Jasius & Dardanus *Romanissæ filii.* 24. A.
—— *Filius Corybantus ei apud Tuscos successit.* ibid. B.
Ibletus Fliscus *quis fuerit, & quare Roma Genuam accersitus.* 636. F. 637. A.
Idioma *Cis & Transalpinorum Populorum quodnam fuerit.* 130. F.
Idololatria *ex quibus principiis orta.* 7. A. 19. E.
Ignis Sempiternus *sacrificiorum quibus custodibus creditus.* 5. D.
Ilex *quod Castellum.* 57. B.
Ilua *Insula in Pisanos à Genuensibus quomodo capta.* 398. C.
Imelum *quod Vasis genus.* 11. F.
—— *Ad Sacrificia usitatum.* 15. E.
—— *Fons quare dictus in Ecclesiasticis.* ibid. F.
—— *Nominis Etymon.* ibid.
Imellæ *Fluvii qui Cursus?* 15. E. 16. A.
Imola. 104. B.
Imperatorem Rom. *eligendi facultas à Quibus ad Germanos translata.* 117. F.
—— *In illo coronando qui mos observetur.* 118. C.
Imperatores *in qua Urbe Italiæ coronandi fuerint.* 120. C.
Imperium *Neapolis quantum pateat.* 1234. F.
Incendium *memoratu dignum quod Genuæ contigerit.* 1356. E.
Incinus *Pagus quis.* 96. A.
Incolarum *frequentia quanta Neapoli.* 1234. A.
Incrementa *quæ Reipublicæ Genuensis.* 1435. B.
Indias *patefaciendi via à quibus Genuensibus, & quo tempore suscepta.* 399. D.
Indigetes *quas sedes perpetuo tenuerint.* 7. F.
Induciæ *quæ factæ cum Regibus Aragoniæ & Balearium Insularum.* 432. D.
—— *Inter Ludovicum Andegavensem & Genuenses.* 536. F.
—— *Galliæ Regem & Carolum* V. 1376. D.

Ingauni *Ligures Romanis quando sese dediderint.* 225. B.
—— *Genuensibus sese dedunt, veniamque exorant.* 316. F.
—— *Reconciliantur Genuensibus.* 357. A.
Ingaunorum *Civitas.* 217. B.
Ingenium *Neapolitanorum quod?* 1234. A.
Inghetus Contardus *unde insignis.* 869. B. 1447. A.
Ingo. 775. D.
Inimicitiæ *renovatæ, ut & bellorum causæ Genuenses inter & Pisanos.* 360. C.
Injuria *atrox Nobilitati Genuensi à quibus illata.* 643. E.
Innocentius IV. *Genuensis Pont. Max. quando creetur.* 349. F. 764. F.
—— *Concives suos epistolis hortatur, ut illum è faucibus Friderici Imperatoris eripiant.* 350. D.
—— *Habitus quo & ille & Cardinales se occultarint, ut tutius iter facerent.* 351. C.
—— *Italiam repetere quando decreverit.* 357. B.
—— *Laudes ejus.* 358. C.
—— *Obit Neapoli.* ibid. B.
Innocentius V. *Patria Burgundus Pontifex electus.* 379. E.
—— *Cura ejus quam felix in conciliandis inter se Genuensibus, & cum Rege Neapolitano.* ibid.
Innocentius VIII. *quando Pontifex creatus.* 651. B.
Innocentius Cibo *Cardinalis unde conspicuus.* 833. E.
Inquisitionem *in Civitatem suam populus Neapolitanus quomodo admittere recuset.* 909. A.
Inquisitores *Romani Neapolim Inquisitionem introducere quomodo aggrediantur.* 901. E.
Inscriptio *de Attico Vestino.* 39. C.
—— *Camulo.* 45. E.
—— *Catinio.* 46. E.
—— *Leonissa.* 47. A.
—— *Minerva Curina.* 45. F.
—— *Mutiena.* 46. E.
—— *Serano.* ibid.
—— *Vectia Gente.* 40. F.
Inscriptiones *Saxorum Historiæ quomodo fidem faciant.* 159. C. 160. A.
Insidiæ *in Genuam à quibus molitæ.* 722. A.
Insignia *Urbis & Insulæ Rhodi quæ?* 98. E.
Insubres *Populi quare ita dicti.* 82. C. 123. C.
—— *Annibalem in Italiam quare accersant.* 135. E.
—— *Aureorum millia quot apud eos sine populi querela à Joan. Galeacio exacta.* 145. A.
—— *Celebriores eorum Familiæ quæ?* 84. F. 85. A. 90. A.
—— *Cujus auctoritatis inter Gallos Cisalpinos.* 165. F.
—— *Lacus & flumina quot in eorum Agro.* 115. D.
—— *Pacis quæ olim conditiones eos inter & Romanos.* 123. D.
—— *Romam pro Pace Legatos mittunt.* 135. A.
—— *Romanos à finibus suis irrito conatu propellere tentant.* 134. F.
—— *Unde oriundi.* 82. C.
Insubrium *Sedes quæ?* 81. E. 165. D. 168. F.
Insubrum *vel* Insubrium *Oppidum.* ibid. 169. F.
—— *Solo à Quo æquatum?* 170. F.
Insula & Urbs Chio *à Venetis in Genuenses frustra obsidetur.* 1288. D--1290. A.
Insulæ *Oræ Genuensis quæ?* 58. B.
Intemelii *armant adversus pacta cum Genuensibus, sed veniam suppliciter petere coguntur.* 297. A.
—— *Marchiones in Genuensium fidem se tradunt.* 305. C.
—— *In Genuenses insurgunt.* ibid. F.
—— *Iis postea se submittunt.* 306. D.
Intemeliis *misericordiam petentibus data quibus conditionibus venia.* 309. A.
Intemeliorum *Civitas.* 217. B.
—— *Comes à Genuensibus quomodo deficiat.* 253. D.
Intercessio *Italiæ Procerum apud Legatum Cæsaris pro Lucensibus Pisis captivis.* 284. F.
Interdictum *in Genuenses à Pontifice quomodo sublatum.* 373. F.
—— *Aliud ab ipsis quare contemptum.* 381. C.
—— *In eosdem Genuenses aliud à Bonifacio Pont. sed anno sequenti ablatum.* 407. C.
Joanna *Neapolis Regina quando obierit.* 568. C.
—— *Ludovicum Andegavensem quare accersierit.* 1294. C.
Joannes à Myrto *Dux Genuæ à Quo creatus.* 443. A.
—— *Elogia ejus.* 447. C.
—— *Insignis quæ ejus moderatio.* 443. B.
—— *Mors ejus.* 447. C.
Joannes Andegavensis *à Carolo* VIII. *Galliæ Rege quo Gubernator missus?* 604. F.
—— *Ejus in repetendo Regno Neapolitano quæ fortuna.* 611. F.
Joannes Andreas Auria *unde conspicuus.* 829. B.
—— *A Classe Christiana quare se separet.* 994. E.
—— *Auxilia in Melitam Ins. introducere quomodo suscipiat.* 1148. B.
Joannes Andreas Curtius *quodnam vitæ discrimen Neapoli adierit.* 915. D.
Joannes Antonius Fliscus *in Patriam suam quare & quomodo conjuret.* 886. D.
—— *Oratio ejus quæ ad Conjuratos.* 893. E.
—— *Quomodo perierit.* 897. B.
Joannes Auria *unde clarus.* 827. F.
—— *Quis fuerit.* 886. D.
—— *A quibus interfectus.* 897. B.
Joannes Austrius *Classis Christianæ contra Turcas summus à Quo renuncietur Præfectus.* 1002. A.
—— *Ad Præfectos Pontificiæ & Venetæ Classis quando accesserit.* 1032. B.
—— *Consilium ejus de prælio cum classe Turcica committendo.* 1048. A.
—— *Contra Venerium Classis Venetæ Præfectum irritatus à M. Anton. Columna placatur.* 1057. A. 1084. A.
—— *Dux Expeditionis Tunetanæ.* 1111. C.
—— *Fœderis Sacri socios ad se Messanam quare contrahat.* 1076. A. 1077. A.
—— *Messanæ jussu Philippi* II. *quare subsistat.* ibid. C.
—— *Socios quare non adierit, eos vero se convenire voluerit.* 1083. D.
Joannes Balbus *Genuensis Ordinis Prædicatorii Frater unde insignis.* 59. A.
Joannes Baptista Auria *Dux Genuæ quando creatus.* 1374. C.
Joannes Baptista Cicada *Cardinalis unde illustris.* 838. B.
Joannes Baptista Palavicinus *Cardinalis ex qua re conspicuus.* 834. C.
Joannes Baptista Verrina *quare Perduellionis damnatus.* 898. F.
Joannes Bocicardus *Vicarius Genuam quando à Rege Galliæ missus.* 520. E. 521. F.
—— *Arcem Genuæ quare ædificet.* 522. D.
—— *Elogia ejus.* 523. C.
—— *Genuam amisit ambiens Præfecturam Mediolani.* 532. A.
—— *Litteræ quibus Michaelem Stenum Venetorum Ducem ad quodlibet singulare certamen provocet.* 526. C.
—— *Mediolanum quare accersitus.* 531. F.
—— *Pisanorum seditionem frustra reprimere conatur.* 528. D.
Joannes Cagnatius *unde clarus.* 869. F.
Joannes Cerda *Vicarius Siciliæ pro Philippo* II. *cujus Expeditionis Dux.* 1091. D.

Joan-

Joannes Cerda *Expeditionem tandem quare deserere cogatur.* 1101. E.
—— *Monitis Magni Magistri & Auriæ quare obtemperare noluerit.* 1098. D.
Joannes Franciscus Caracciolus *quomodo se Neapoli cum aliis Nobilibus Inquisitioni opposuerit.* 911. B.
—— *In exilium quare missus?* 928. E.
Joannes Franciscus Commendonus *Cardinalis à Pio V. ad Cæsarem & Poloniæ Regem quare missus.* 1021. A.
—— *A Cæsare quomodo acceptus.* 1041. D.
—— *Ei quid responsum fuerit.* 1042. A.
Joannes Fulgosius *unde conspicuus.* 807. F.
Joannes Galeacius *Vicecomes unde celebris.* 141. A.
Joannes Grimaldus *unde clarus.* 809. C.
—— *Dux Classis Genuensis pro Philippo contra Venetos.* 562. C.
Joannes Hieronymus *de* Bene *unde illustris.* 1428. C.
Joannes Hispaniæ *ulterioris Rex quomodo exanimatus.* 1267. C.
Joannes Jacobus Trivultius *Capuam Carolo* VIII. *quomodo tradat.* 666. C.
—— *Quanto honore apud Regem habitus.* ibid. F.
Joannes Joachimus *Passanus unde conspicuus.* 863. C.
Joannes Justinianus *unde clarus.* 811. D.
Joannes Lucinus *Genuæ Prætor.* 397. F.
Joannes Ludovicus Fliscus *à Mediolanensibus quare oppugnatus.* 641. A.
—— *Genuam quare accersitus.* 644. F.
—— *In Patriam conjurat.* 1385. E. 1386. 1396.
—— *Oratio ejus ad conjurationis socios.* 1392. F.
—— *Quomodo perierit.* 1394. D.
Joannes Maria *cujus ingenii Vir, & quomodo obtruncatus.* 1276. F.
—— *Dux Mediolani.* 531. D.
Joannes Matthæus Gibertus *unde insignis.* 861. D.
Joannes Placentinus *Pontifex Romanus à Quibus electus.* 117. E.
Joannes Roborejus *unde memorabilis.* 818. A.
Joannes Strusius *Genuæ Prætor.* 300. A.
Joannes Suessanus *quam Orationem habeat de Inquisitione Neapoli non admittenda.* 906. D.
—— *In exilium quare missus.* 928. E.
Joannes Valens *Dux Genuæ creatus.* 447. C.
Joannes Valleta *Magnus Magister Hierosolymitani Ordinis obsidioni Melitæ Ins. quomodo provideat.* 1129. A.
—— *Generosus ejus animus quantus?* 1152. F.
—— *Postulata ejus ad Garsiam Regni Siciliæ Vicarium.* 1139. A.
—— *Prudentia ejus quanta?* 1133. E.
—— *Quanta per obsidionem Melitensem virtutis egregia monumenta dederit.* 1155. B.
Joannes Vicecomes *Archiepiscopus ac Princeps Medionlanensis Dominus à Genuensibus quare accitus.* 451. C.
Joannis Andrææ Auriæ *Responsio ad Pontificem quæ?* 980. C.
Joannis Antonii Flisci *querimonia quæ fuerit?* 595. F.
Joannis Baptistæ Furnarii *casus quis?* 1459. A.
Joannis Baptistæ Verrinæ *consilium ad Joan. Fliscum quod?* 888. D. 890. A.
—— *Probatur.* 892. D.
Joannis Fulgosii *mira quæ expeditio contra Aragoniæ Regem.* 550. 553.
Joannis Scipionis Palavicini *consilium Galeacio datum quodnam?* 629. C.
Iria *qui Fluviolus.* 116. B.
Isarsum *Municipium Sedes antiquissimi Populi Alpinarum Gentium.* 191. B.
Isi *vel* Iti *qui dicebantur.* 19. D.
Isnardus Guarcus *unde celebris.* 806. A.
—— *Dux Genuæ quando & quomodo creatus.* 591. D. 1311. B.
—— *Abrogatur.* ibid.
—— *In exilium quare iverit.* 540. A.
Isseus *Lacus.* 115. E.
Istonates *Coloni unde oriundi?* 39. E.
Istonium *Mare quod?* ibid.
Itali *Janigenæ quomodo præcipue dicti.* 6. B.
Italia *Gallia à Quo nominata.* 125. A.
—— *Janicula olim dicta.* 124. F.
—— *Mutatio magna in ea mortuo Friderico Imperatore.* 357. D.
—— *Omnis à quibus Populis flammis consumpta.* 84. C.
—— *Paradisus quare dicta.* 21. B.
Italiæ *Conditores quid præcipue privatim & publice didicerint & docuerint?* 7. B.
—— *Conditorum Sacrificulus quis?* ibid.
—— *Populorum antiquitas & laus.* 25. C.
Judex *maleficii Genuæ qui vocetur.* 1458. B.
Juffredottus Gratsellus *Mediolanensis Genuæ Prætor.* 297. B.
—— *Ejus severitas.* ibid. C.
Julianus Medicius *à quibus Florentiæ occisus.* 643. E.
Julius II. *creatus quando Pontif. Max.* 680. F.
—— *Genuæ contentiones fovere quomodo credatur.* 687. F.
—— *Quam factionem contra Gallos excitet.* 708. E.
—— *Vivere desinit.* 709. F.
Julius III. *Pontifex quando creatus.* 1410. D.
Julius Cibo *Andream Doriam occidere quare velit.* 1403. C.
—— *In Genuensem Rempublicam quomodo conjuret.* ibid. E.
—— *Massam Urbem ejusque Arcem quomodo occuparit.* 1402. F.
—— *Ubi obierit.* 1403. E.
Junius Mensis *unde ita dictus.* 28. F.
Jura *quæ Imperatorum in Galliam Cisalpinam.* 120. A.
Juramentum *quod & à quo exigatur à Notariis, Rotæ Criminalis Genuæ.* 1506. F.
Jurisdictio *Genuæ quinque peregrinis Jurisconsultis quando mandata.* 304. B.
—— *Libera Genuæ quomodo in alienis Regnis, non vero in Urbe sua.* 304. A.
—— *Rotæ criminalis Genuæ quæ?* 1507. F.
—— *Non potest à Quoquam impediri.* 1508. C.
Jurisjurandi *in Bello apud Veteres Romanos observatio quanta?* 1211. F.
Jus *gerendæ Reipublicæ Genuensis quomodo Nobilibus abrogatum.* 487. C.
Justiniana Gens *Chii Insulæ Dominatum quomodo adepta sit.* 581. 582.
Juvenis *elegantis haud ignobile factum quod?* 1408. F.

K.

Kitim *primus trans Alpes ex Italia Colonias deduxit.* 23. D.

L.

Laboria *quæ pars & Regio Regni Neapolitani.* 1230. D.
Lacmellum, *vide* Laumellum.
Lacones *quidam Lycurgi supercilium fugientes à quibus in Italia excepti.* 12. F.
Lacus *Eupilis.* 192. F. 194. E.
—— *Monacii seu Monecii.* 181. C.

Lacus *Pusiani*. 193. E.
—— *Quomodo formentur ex mente Aristotelis*. ibid. B.
—— *Sabatius*. 30. D.
—— *Ternati vel Terlaci, & Marchalli*. 181. C.
Laertes Janigena *quibus præfuerit*. 44. B.
Læstrigon *Gigas à quo Rex constitutus*. 22. C.
Lætitia *Genuæ pro Victoria Navali in Alphonsum Regem quanta?* 583. D.
Lajorum *Sedes quæ?* 165. C.
Lambas Auria *Venetos quomodo vincat*. 779. F.
Lamberti Cibo *opes quantæ?* 784. B.
Lambertus Longus *Genuensis Rerum Forensium Consul*. 266. E.
Lambrus Fluvius *unde oriatur*. 115. D. 193. A.
Lanfrancus Piper *Consul Genuensis à Fulcone Castellio quare & quomodo obtruncatus*. 291. B.
Lanfrancus Suardus *Bergomas Genuæ summus quando Capitaneus*. 399. C.
Lanfrancus Ususinarius *unde conspicuus*. 801. C.
Lanuvium *Curetum opus, & quid in eo ædificaverint*. 30. C.
Lapuanorum *Sedes quæ?* 227. F.
Lares *cujus rei olim Symbolum*. 6. B.
—— *Masculi ambo quare fuerint*. 7. A.
—— *Per illos quid fuerit intellectum*. 6. F. A. 7.
—— *Publici Qui?* 32. B.
—— *Qua littera designarentur*. 30. F.
Larius *Lacus quare &* Sicrenus *dictus*. 93. D. 113. E.
—— *Ejus Deliciæ quantæ?* 114. A.
—— *Unde id nominis sortitus*. 113. E.
Latinæ Linguæ *quoad Orthographiam & pronunciationem monumentum*. 232. F. 233. A.
Latini *Principes Imperium Constantinopolitanum quomodo invadant*. 297. E.
Latinorum *Regnum quibus limitibus comprehensum*. 48. C.
Latium *unde crescere & condi cœperit*. 30. B.
Lavania *Fluvius hodie quomodo dictus*. 56. D.
—— *Oppidum à Genuensibus in potestatem suam quomodo redactum*. 248. C.
—— *Vicus*. 56. D.
Lavaniæ *Comites Frascarii Arcem furto à se occupatam legitimis Dominis restituere quomodo cogantur*. 283. D.
—— *Comitibus arma à Genuensibus quare illata*. 252. F.
—— *Vicus unde clarus*. 1420. C.
Laudare *quomodo se ipsum possit aliquis*. 1195. B.
Laumellum *postrema Lebetiorum Urbs quid hodie*. 81. A.
Laureæ *Symbolum quod?* 18. F.
Laurentius Cibo *Cardinalis unde conspicuus*. 833. C.
Laurentius Folieta *unde Clarus*. 807. B.
Laurentius Medices *Alexandrum Medicem quomodo interfecerit*. 1374. C.
Laurentius Medicius *à quibus Florentiæ ex conjuratione in Medicios servatus*. 643. E.
Laurentius Mutinus *unde insignis*. 815. E.
Laus Pompeja *quod Oppidum?* 94. A.
—— *à quo condita*. ibid. F.
—— *Ejus Historia*. ibid. & 95. A.
Lautrechus *à Rege Galliæ in Italiam quare missus*. 730. A.
—— *Exercitus ejus totius Imperator factus*. 732. D.
—— *Ubi obierit*. 1334. F.
Lazarus Girandonius *Lucensis Genuæ Prætor Genuensibus quid suadeat*. 315. C.
Leazarus Leazarius *Bononiensis Genuæ Prætor*. 368. B.
Lebeteus Lapis *ubi excavetur*. 95. F.
Lebetii, *seu* Lebui *Galli qui?* 78. B.
—— *Eorum Urbes*. ibid. & 165. C.
Legati *a Mauris Granatensibus Constantinopolim quare missi*. 950. F.
—— *Ad Carolum* V. *Neapoli agentem quare mittantur*. 913. A.
—— *Cajetanorum quare Mediolanum accersiti*. 1306. F.
—— *Constantinopolitani Cæsaris ad Genuenses, Qui? & Quare missi?* 284. B.
—— *Genuensium ad Galliæ & Angliæ Reges ab Uxore Marchionis Ancisæ quare detenti*. 288. C.
Legatio Genuensium *ad Cæsarem Constantinopolitanum*. 278. B.
—— *Galliæ & Angliæ Reges operam iis pro Bello Sacro offerentium*. 288. B.
—— *Maroci Regem*. 300. D.
—— *Massemutum in Ora Africæ regnantem*. 302. B.
—— *Nobilium & Popularium ad Regem qua de causa missa*. 696. C.
—— *Populos finitimos in Longobardia*. 278. B.
—— *Pro pace & amicitia ad Mauritaniæ Regem Maroci sedentem*. 266. F.
Legatio *variorum Principum ad Genuam*. 374. F.
Legationis *effectus ad Maroci Regem*. 284. C.
Legatorum Gallorum *ad Alexandrum Magnum audax responsio*. 132. A.
Legatorum Neapolitanorum *apud Carolum* V. *quæ defensiones*. 924. D.
Leges *de Doctoribus & Medicis Genuensibus quæ?* 1491. D.
—— *Factiosæ quæ latæ Genuæ summo cum populi consensu*. 436. B.
—— *Genuensis Reipublicæ quomodo condantur*. 1490. D.
—— —— *Quorum auctoritate confirmatæ*. 1471. C.
—— *In eligendo Duce Genuensi quæ observandæ*. 539. E.
—— *Municipales & Forenses à quibus corrigendæ*. 625. B.
Legio Minervia *ex quibus conscripta*. 40. C.
Legio Stellata *à Genuensibus quomodo victa*. 475. C.
Legio Stellæ *in Italia quænam?* 465. D.
Legium *in Hispania unde dictum?* 185. C.
Legiunum *Oppidum unde ita nuncupatum*. ibid.
Legum Conservatores *Genuæ qui dicti?* 1424. B.
Lentia *fluvius*. 116. C.
Leo Decimus *Pont. Rom. obedientiam Genuensium invitis Gallis quare acceperit*. 716. B.
Leo Rex Armeniæ *quas facultates Genuensibus concesserit*. 297. B. 304. A.
Leonardus Cattaneus *Dux Genuæ quando electus*. 1380. A.
Leonardus Marinus *unde clarus*. 865. D.
Leonardus Montaltus *quis & qualis?* 455. B.
—— *Dux Genuæ creatur*. 490. A.
—— *Elogia ejus & Mors*. ibid. C.
—— *Sudarium Sacrum Reipublicæ testamento legavit* ibid. D.
Leonardus Roborejus *unde conspicuus*. 818. A.
—— *Cardinalis quomodo illustris*. 842. E.
Leoniniani Vici *Qui?* 47. C.
Leonissa Urbs. 46. D.
—— *Etymon ejus*. ibid. F.
—— *Inscriptio de ea*. 47. A.
—— *Quomodo prius dicta*. 46. D.
Lepores *albi in Alpibus*. 111. C.
Levantum *Municipium*. 56. E.
—— *Oppidum unde insigne*. 1420. D.
Leucum *unde dictum*. 93. E.
Libarna *Urbs ubi olim*. 100. D.
Liber *Civilitatis Genuæ quomodo conscribatur & custodiatur*. 1475. F.
Libitii, *vide* Lebui.
Libri *Nobilitatis Genuæ quomodo custodiantur*. 1476. B.
Liburnum *Genuensibus quomodo à Bocicardo dono datum*. 529. D.
Lichinus Vinaldus *Genuensis unde insignis*. 61. F.
Licini Forum *Municipium quam elegans*. 95. F.
Licinoforum *quomodo à plerisque dictum*. 193. A.
Ligures Alpini *qui?* 217. C.
—— *Anni per quos cum Romanis bellum gesserint*. 218, 219, 220. 1432. C.
—— *Annibali quid tradant confirmandæ pacis causa*. 218. F. 219. B.

Ligu-

Ligures, *Annus quo nulla Provincia Consulibus Romanis decreta præter Ligures.* 223. A.
Ligures Campestri *Agrum Coloniamque Mutinensem quomodo populentur.* 226. F.
Ligures Ingauni *Romanis quomodo sese dediderint.* 225. B.
—— *Rebellant.* 227. A.
—— *Romanorum Castra obsident.* 223. D.
—— *Societatem jungunt cum Gallis Cisalpinis.* 219. B.
Liguria *à quo tempore coarctata.* 218. B.
—— *Imperio Romano subjecta usque ad adventum Gotthorum in Italiam.* 233. E.
—— *Nona Italiæ Regio quando facta.* 216. E.
—— *Omnis per quos administrata.* 1425. C.
Liguriæ *corpus in duas partes quomodo distractum.* 353. D.
—— *Facultates quantæ ad armandas Triremes.* 398. A.
—— *Latissimi olim Termini.* 53. D. 216. D.
—— *Urbes nobilissimæ.* 217. A.
Liguriam *quomodo turbent Vallium quarumdam Incolæ.* 321. A.
Ligurum *Origo incomperta.* 216. B.
—— *Cohortibus fortis ac fidelis operæ Romani in Bellis suis continenter usi.* 230. B.
—— *Latrociniis Agri maritimi quomodo infesti.* 223. C.
—— *Montanorum Regio in deditionem Romanis quomodo venerit.* 226. C.
Ligustica Natio *inter fortes & strenuas Italiæ Gentes à Virgilio commemorata.* 231. D.
Ligusticæ Virtutis *in Bello quæ exempla.* 230. B.
Liminius *Fluvius.* 115. F.
Lingua Hebræa *in Italia quomodo dicta.* 14. C.
—— *Ab aliis quomodo aliter nuncupata.* ibid.
Linguarum *confusio quando contigerit.* ibid.
Liquentia Fluvius *quomodo hodie dictus.* 115. F.
Liris Fluvii *Fons & Ostium.* 7. F.
Litaniæ *& Processiones unde originem habuerint.* 31. B.
Litteræ *quæ Bocicardi Vicarii Regis Gall. ad Michaelem Stenum Venetiarum Ducem.* 526. C.
Littora *Neapolitanorum quam pulchra & amœna.* 1230. E.
Longobardi *in Italiam quando venerint.* 38. C.
—— *Unde oriundi.* 127. B.
Longobardos *quomodo excitet Rex Siciliæ ad Genuensem Ditionem invadendam.* 378. D.
Lotaringus Martinengus *Brixianus Civis Prætor Genuensis.* 306. F.
—— *Auxilia fert Genuensibus.* 311. C.
Lotharius Imperator *contemptui quomodo sit Italis.* 118. E.
Lovinium *Oppidum.* 188. C.
Lucanæ *Coloniæ à quo conditæ & ita dictæ.* 47. E.
Lucanum *Oppidum unde dictum.* 194. B.
Lucanus *Lacus.* 188. C. 192. E.
Lucas Cambiasius *unde insignis.* 870. F.
Lucas Facius *Genuæ Ducatum frustra quomodo ambiat.* 447. D.
Lucas Fliscus *unde conspicuus.* 806. D.
—— *Cardinalis unde insignis.* 830. F.
Lucenses *Auxilium à Genuensibus petunt contra Florentinos.* 1286. E.
—— *Quomodo in gratiam Genuensium Pisanos adoriantur & vincant.* 277. D.
Lucensium *ingens quod amicitiæ & fidei erga Genuenses officium.* 366. B.
Luchinus Vicecomes *Mediolanensium Princeps controversiarum Genuensium causas quomodo disquirat & componat.* 444. B.
Luchinus Vivaldus *unde insignis.* 850. F.
Lucianus Auria *Halmirates Genuensis creatus cum summo in cæteros Duces imperio.* 464. D.
Lucianus Aurius *Genuensis unde celebris.* 59. C.
Lucianus Spinula *Genuensis quomodo illustris.* 62. C.
Lucii Flori *quæ in Gallos Cisalpinos oblateratio.* 136. F.
Lucius Æmilius Paulus *de Ingaunis Liguribus triumphat.* 225. C.
Lucius Furius *de Gallis & Liguribus triumphat.* 219. C.
Ludovicus Bavarius *Romani Solii quam acerrimus hostis.* 424. C.
Ludovicus Fliscus *Classis Genuensis Præfectus à Victore Pisano Veneto captivus quomodo factus.* 463. D.
Ludovicus Fulgosius *Genuæ Dux.* 601. E.
—— *Magistratu quare abrogatus.* 602. A. 621. C.
—— *Tertium Dux Creatus.* 620. F.
Ludovicus Sfortia *à Regibus Francorum Genuam Civitatem fiduciariam quomodo accipiat.* 662. A.
—— *Carolum VIII. in Italiam quomodo advocaverit.* 663. D.
—— *Ejus rei quando ipsum pœnitere cœpit.* 666. E.
—— *Genuæ quomodo exceptus.* 673. F.
—— *Helvetii eum quomodo Gallis tradiderint.* 675. E.
—— *Qui eum in Italiam vocarint.* ibid. B.
Ludovicus Valla *Gubernator à quo Genuam missus.* 609. D.
—— *Quare excesserit arce Genuæ.* 619. F.
—— *Renatus Andegavensis illum Urbi Saonæ quare præfecerit.* 620. A.
Ludovicus IX. Galliæ Rex *in Ægyptum à Genuensi Classe trajectus.* 355. F.
Ludovicus Torrius *à Venetis ad Philippum Hispaniæ Regem Legatus quare missus.* 960. D.
—— *Congressus ejus cum Didaco Spinosa Philippi II. Consiliariorum Principe.* 965. B.
—— *Obit pestilentia in Obsidione Tuneti.* 375. D.
—— *Vividus ejus atque invictus animus in Bello Sacro.* ibid. A.
Ludovicus XI. Galliæ Rex *Francisco Sfortiæ sua in Saonam & Genuam jura quare det.* 621. B.
Ludovicus XII. *Contentiones Nobilium & Popularium Genuensium componere quomodo studeat.* 493. F.
—— *Dux Aurelianensis cui in Regno Galliæ successerit.* 674. B.
—— *Genuæ quomodo exceptus.* 677. C.
—— *Genuenses bello persequi quomodo decernat.* 696. E.
—— *Irarum inter ipsum & Pontificem quæ causa.* 697. F.
—— *Mediolanensem Ducatum quomodo occupet.* 674. E.
—— *Ordo quis ab eo Genuæ constitutus.* 704. A.

M.

MACEDONES *dicti etiam Emathei.* 22. C.
Machina *quæ facta ex duabus Triremibus & ad quem usum.* 1086. A.
Macra *Fluvius quam amœnus.* 58. A.
Macreum *unde dictum.* 93. E.
Macrorum *Familia quam antiqua.* 88. B.
Magiorum *Familia unde oriunda.* 87. B.
—— *Inscriptio de ea.* ibid.
Magister justitiæ *quis Genuæ Magistratus.* 486. D.
Magistratus Genuenses. 1422. F.
—— *à Quibus Eucharistiam publice sumere debeant.* 1471. E.
—— *Eorum institutio quæ?* 1459. A.
—— *Subrogatio quæ?* 1480. F.
Magistratus Credentiæ *vulgo dictus quando creatus.* 397. F.
—— *Dictus*, Libertatis Genuensis Præsides, *quinam.* 636. D.
Magistratus Genuensis *negligentia unde oriatur.* 591. C.
—— *Decem-Viralis quare creatus.* 420. D.
—— *Duodecim-Viralis quando & quare creatus.* 410. A.
—— *Misericordiæ à quo Genuæ institutus.* 526. A.
—— *Montis-pietatis unde illustris.* 1427. B.
—— *Novus quatuor Civium quare creatus.* 511. D.

Magiſtratus *Octo-Viralis ex quibus compoſitus.* 537. E.
—— *Quare creatus.* 634. B. 648. B.
—— Pacificatorum *nomine quis, & quare inſtitutus.* 690. E.
—— *Quatuor-Virorum de Plebe quomodo dictus.* 517. F.
—— *Quis à Rege Ludovico XII. Genuæ conſtitutus.* 705. A.
—— *Romaniæ dictus quis?* 1314. B.
—— *Sancti Georgii à quo in Corſica Inſula moleſtia afficiatur.* 654. B.
—— *Ejus origo.* 444. F.
—— *Quando & quare Genuæ inſtitutus.* 529. E. 1460. A.
—— *Quibus rationibus perpetuatus & adornatus fuerit.* 1462. A.
—— *Quodnam Dominium in eum transferatur.* 603. A.
Mago *Annibalis frater Genuam quomodo ceperit.* 1432. B.
Mago Pœnus *Genuam quando ceperit & diruerit.* 219. A.
Mahumetis *Eubœæ Sangiaci Oratio pro prælio cum Claſſe Chriſtiana non committendo.* 1053. F.
Majella *quis locus.* 35. F.
Malaſpinæ *in Genuenſes quare inſurgant.* 286. A.
—— *In amicitiam quomodo recipiantur.* ibid. B.
Malaſpinæ Marchiones *Genuam quare moleſtia afficiant.* 302. C.
—— *Se quomodo in fidem Genuenſium tradant.* 305. C.
Malenatus *Vicus unde inſignis.* 195. D.
Malmiſtra *Oppidum quo adjuvante expugnatum à Chriſtianis.* 247. D.
Malot Tagetes *quando ad Italiam acceſſerit.* 21. F.
Manarola *Caſtellum ubi ſitum.* 56. F.
Mandellorum *Familia quam antiqua.* 89. E.
Manegoldus Tetocius *Brixienſis primus eligitur Genuæ Prætor peregrinus.* 290. F.
Manfredus Apuliæ Rex *Piſanos quare & quomodo in Florentinos incendat.* 358. D.
Mantua *à quibus condita, & unde illuſtris exiſtimata.* 96. B.
Marchio Garettus *Gallos in auxilium ſuum quare ſibi advocet.* 602. D.
—— *Genuenſibus ſe ſubjicit.* 357. A.
—— *Variis moleſtiis eorum Ditionem quare afficiat.* 601. A.
Marchiones { *Caretti* / *Cevæ* / *Montisferacis* } *A partibus Genuenſium à quo abſtracti.* 352. E.
Marcus Antonius Carrettus Auria *unde conſpicuus.* 827. C.
Marcus Antonius Columna *à Pontifice Legatus ad Venetos quare mittatur.* 1008. E.
—— *Claſſis Fœderis Sacri contra Selimum Turcarum Imper. à Pontifice quare præfectus eligatur.* 969. F.
—— *Diſſidia inter Joan. Auſtrium & Præfectum Claſſis Venetæ quomodo componat.* 1057. A. 1084. A.
—— *E Turcarum manibus quomodo elapſus.* 996. A.
—— *Joanne Auſtrio abſente Claſſis Chriſtianæ Præfectus à Quo ſuffectus.* 1002. F.
—— *Quare à Sociis diſceſſerit.* 995. C.
—— *Rationes quibus Venetos in Sacro Fœdere retinere aggrediatur.* 1010. E.
Marcus Antonius Inſuber *unde celebris.* 86. C.
Marcus Antonius Vigerius *Cardinalis unde conſpicuus.* 846. A.
Margareta Comes Tendæ *Domino Petræ-Latæ Genuenſium fiduciario arma quare inferat.* 658. C.
Maris Liguſtici *Deſcriptio.* 1422. C.
Marius Curtius *ab infantia cæcus quantos in Scientiis progreſſus fecerit.* 916. D.
Martinus à Fano Fortunæ *Prætor Genuæ qua conditione electus.* 368. B.
Martinus à Summariva *Laudenſis Genuæ Prætor.* 358. C.
Martinus Zacharias *unde clarus.* 797. C.
Martyres *veritatem Chriſtianam quantum communiverint.* 1256. C.
—— *Et Confeſſores qui Genua oriundi.* 1447. F.
Marzachebiri *Oppidi qui ſitus.* 1104. F.
Maſcarati *Cives Genuæ qui vocarentur.* 330. E.
—— *In exilium quare miſſi.* 331. F. 332. A.
Maſcaratorum *exulum bona quare publicata.* 355. C.
—— *Eorum filii & nepotes à Magiſtratibus & Reip. Honoribus longe quare excluſi.* ibid.
Maſſilia *Colonia Phocenſium.* 73. A. 1279. C.
—— *Ejus qui ſitus juxta Pompejum Trogum.* 53. E. 216. D.
—— *Fruſtra obſidetur à Cæſariano exercitu.* 727. D.
Maſſilienſes *à Genuenſibus pacem in XXI. annos quomodo impetrent.* 302. C.
Mater & Ceres *quare olim* Terra *dicta ſit à Veteribus.* 26. D.
Matildis *quare Regni Italiæ coronam non potuerit aſſequi ex Alciato.* 118. E.
Matris *cujuſdam generoſa quæ Reſponſio.* 106. C.
Matthæus Fliſcus *in Genuam Patriam ſuam quid molitus ſit.* 635. E.
Matthæus Maruffus *Genuenſis unde illuſtris & conſpicuus.* 60. E. 805. C.
Matthæus Senarega *unde clarus.* 870. D.
Mauricius Portus *ubi.* 55. A.
Maurorum *quanta in Genuenſes perfidia.* 322. A.
Mavum *Oppidum Minoris Balearis à quo ex improviſo occupatum & direptum.* 1369. C.
Maximilianus Cæſar *Genuam veniens quomodo receptus.* 673. D. 1404. C.
—— *Mors ejus.* 721. E.
Mazaria *Siciliæ urbs Receptaculum Piratarum à Thoma Murchio Præfecto Genuenſi expugnata & direpta.* 456. F.
Mediolanenſes *alibi quam in ſua Civitate Imperatores coronari quare maluerint.* 120. C.
—— *Florentinos quomodo gloria & dignitate anteeant.* 147. A.
—— *Pro tutela communis libertatis quot perpeſſi.* ibid. B.
—— *Unde inteſtinis malis ac civilibus diſſentionibus laborent.* 529. D.
Mediolanenſis Aeris *temperies quanta?* 84. D.
—— Agri *quanta fertilitas?* 143. C.
—— *Quantus & quam potens?* ibid.
Mediolanenſium *pugna Navalis cum Venetis.* 159. F. 150. A.
Mediolani *Dignitas quæ?* 147. E. 148. A.
—— *Elogia.* 144. B.
—— *Epiſcopus Epiſcopo Eccleſiæ Romanæ quando & quomodo ſe ſubjiciat.* 83. A.
—— *Monumenta quot Antiquitatis illic videantur.* 171. A.
—— *Navales quæ Terreſtreſque Copiæ.* 145. C.
—— *Opes Potentia, &c. quæ & quantæ?* 141. C. 143. D. 144. F.
Mediolano *Gotthorum Rex quam Cladem intulerit.* 83. B.
—— *Secundæ Romæ nomen quare inditum.* 148. E.
Mediolanum *à Friderico Ahenobarbo in deditionem compulſum veniam quo pretio redemerit.* 263. E.
—— *A Quibus conditum & nominatum.* 81. E. 82. A. 140. C. 143. D. 167. B. 168. C.
—— *Cornelius Conſul Romanus quando & quomodo expugnet.* 135. D.
—— *Egregie quam conditum, & in amœno ſitu.* 138. C.
—— *Fruſtra à Gallis obſeſſum.* 727. B.
—— *Galliæ totius Ciſalpinæ Metropolis.* 81. E.
—— *Gotthis rebelle factum, ab iis quo pacto plectatur.* 84. A.
—— *Mercatoribus refertiſſimum.* 144. A.
—— *Peſtilentia graviſſima quando afflictum.* 727. C.
—— *Primo quid fuerit.* 167. C.

Mediolanum *Quid in quaque re valeat.* 144. D.
— *Sedes Consularis Liguriæ, & Antistitis Metropolitæ.* 217. E.
— *Unde celebre.* 82. C.
Medius Fidius *Auctor Matrimoniorum.* 37. A.
— *Quis creditus sit.* 15. C.
— *Varia ejus Nomina quæ?* 41. C.
Medoacus *Fluvius.* 115. E.
Meduna *Fluvius.* ibid. F.
Megolus Lercarus *Genuensis unde illustris.* 803. F.
— *Ejus memorabile quod fortitudinis, audaciæ, magnique animi facinus.* 482. F. 483. A.
Mela *Fluvius.* 115. E.
Melchior à Volta *Consul Genuensis per Discordias civiles interfectus.* 272. A.
Melcium, *vide* Melpum.
Melita Insula *Bellatorum quot numero & genere præsidiis munita.* 1130. F.
— *Facies ejus post obsidionem Turcarum solutam.* 1176. D.
— *Piratarum receptaculum à Thoma Murchio Præfecto Genuensi expugnata & direpta.* 458. F.
— *Situs ejus & forma.* 1130. D.
Meloriæ *Insulæ situs.* 390. C.
Melpum *Oppidum opulentissimum, quo die à flammis consumptum.* 96. A.
Menaboves Turricellus *Genuæ Prætor.* 356. B.
Mentoni *Oppidi quis situs.* 54. E.
Merularum *Familia quantæ olim auctoritatis.* 79. E.
Metamaucum *captum à Genuensibus in Venetos quomodo.* 475. D.
Metaurus *Fluvius.* 117. C.
Metropolis *quid olim fuerit.* 7. D.
Metropolita *Orbis Universi quis?* 31. D.
Michael Bonellus *Cardinalis Alexandrinus ad Reges Hispaniæ, Galliæ, Portugalliæ Legatus à Latere quare missus.* 1021. C.
— *A Philippo* II. *quomodo exceptus.* 1035. A. 1036. A.
— *A Portugalliæ Rege quid obtinuerit.* 1037. B.
Michael Palæologus *Constantinopolitanum Imperium quomodo recuperaverit.* 367. C.
— *Peramplas Venetorum ædes Genuensibus quare tradiderit solo æquandas.* ibid. E.
Michael Salvaticus *ex Oppido Valentia Genuam quando Prætor vocatus.* 381. C.
Michaelis Soriani *ad Pontificem Legati fides unde suspecta fiat.* 1004. B.
Minæ *quæ & quomodo dicantur.* 40. B.
Mincius *Fluvius unde emissus.* 115. E.
Menecia Gens *à quo dicitur.* 40. B.
Minerva Virgo *Dux populi & praitor.* 40. C.
— *Dea prudentiæ juxta M. Tullium habita.* ibid.
Minoritas *in* Minertino *quomodo juxta Festum significata.* 40. C.
Minus *Dux unde ita dictus.* 40. B.
Mirandæ Hispani Magistri *virtus quanta in propugnatione Arcis S. Hermi.* 1143. D.
Miseria *hominis quanta.* 1250. A.
Mithridates *Ponti Rex Romanos quomodo appellet.* 132. B.
Mocitiorum *Familiæ antiquitas quanta.* 89. F. 90. A.
Modestia *quam Sacerdotibus necessaria.* 1185. D.
Modianum *à quibus conditum.* 39. F.
Modœcia, *vide* Moguntiacum.
Mœnium *quotuplici gyro Urbs Genua valletur.* 1416. C.
Moguntiacum *Oppidum unde insigne.* 90. E.
— *Aliter quomodo dictum.* ibid.
— *Regni Italici sedes Henrici Imperatoris privilegio declaratum.* 120. C.
Moles Portus *Genuensis quando inchoata.* 387. A.
Molimansorus *Valesii Gomoræque Rex Genuam Quando & Quare petierit.* 1410. C.
Monacus Portus *Quare à Cæsare Genuensibus concessus.* 54. E.
— *Quomodo olim à Ptolomæo dictus.* ibid. D.
Monacus *seu* Monetius *Vicus à quo sic dictus.* 185. A.
Monasterium *Joannis & Pauli à quo constitutum.* 35. D.
Monichus *Portus Ptolomæo quid?* 54. D.
Monilia, *hodie* Monelia. 56. D.
Monoecum *Oppidum Gibellini in Guelphos occupant.* 424. B.
— *Guelphi tenent, illudque sedem & arcem sibi faciunt.* 432. C.
— *Ludovico Grimaldo à quo ademptum.* 523. E.
Mons Asdravallis. 117. C.
— Asdrubalis *quare ita dictus.* ibid.
— Aventinus *unde sic dictus.* 29. B.
— Mindricius *quomodo aliter dictus.* 192. D.
— *Unde insignis* ibid.
— Orphanus *unde insignis.* 92. D. 93. E.
— Ruber Castellum. 56. F.
Montalti *mors quantum boni Genuæ attulerit.* 514. F. 515. A.
Montanarium *Dertonensium Oppidum à Genuensibus quomodo expugnatum.* 312. A.
Montis Pessulani *Dominus à Genuensibus quomodo in veterem Dominatum restitutus.* 253. E.
Montonus *Torrens.* 117. B.
Montovium *Arx Hieronymi Flisci à Genuensibus quare obsideatur.* 1399. A.
— *Quibus ab ipso conditionibus dedatur.* 1401. A.
Monumenta *vetusta Mediolanensium ubi videantur.* 171. A.
Monumentum *vetus Atticæ Familiæ & Orphitæ quod?* 9. E.
— *De Capracorum Militia quod?* 35. B.
Mophti *quis apud Turcas.* 950. A.
Morasentium *Vicus.* 178. F.
Morbus *Neapolitanus seu Gallicus quando primum visus.* 672. B.
Morgetes *filius Kitim quomodo aliter dictus.* 23. E.
Morgus *Fluvius quomodo aliter dictus.* 111. D.
Morma *quis Fluvius.* 115. E.
Mos *Genuæ quis in initiatione Senatorum.* 1363. F.
Motroni *Turris à Pisanis quare & quomodo diruta.* 284. D.
Motus Genuæ *Urbani post otium ab externis bellis quomodo orti.* 317. B.
— *Iterum quomodo redintegrati.* 323. A.
Motus Novi *contra Ducem Antonium Montaltum.* 502. D.
— *Guelphos inter & Gibellinos unde oriantur.* 431. A.
Motuum *Renovatio à variis Factionibus contra Vicarium Regium.* 519. A.
— *contra Galeacii Vicarium.* 634. C.
Motuum Urbanorum *Genuens. initium iterum à quibus factum.* 411. E.
Muleasses Ametes *quomodo à suis derelictus.* 1116. E.
Muleazanes *Regnum Tunetanum quomodo occuparit.* 1360. B.
— *Carolum V. in Castris quare convenerit.* 1367. B.
Mulieres Nobiles *quædam Genuenses Terram Sanctam quare petierint.* 1443. D.
Mulierum Famagustarum *quæ virtus.* 1028. B.
Multitudinis *mobilitas quanta.* 914. C.
Muri Genuæ *qua occasione reparentur.* 1364. B. 1373. C. 1374. E. 1376. E.
Musio *Fluvius.* 115. F.
Mustapha Bassà *Terrestrium copiarum Dux in obsidionem Melitensem missus.* 1129. F.
Mustapha Damasci Bellerbejus *unde Visir Bassa factus.* 950. A.
— *Belli Cypriaci Dux creatur.* 956. E.
— *Litteræ ejus ad Præsides Venetos in Cypro.* 972. F.
— *Oratio ad Selimum Turcarum Imperatorem pro expeditione Cypriaca.* 950. A.

N.

NARBO *quare Colonia* Decumanorum *dicta.* 185. E.
Naturæ *quod Miraculum in Cotyla Insula.* 12. B.

Nava-

Navales *quæ copiæ Mediolanensium.* 145. C.
Navalis *victoria in Alphonsum Regem quantam lætitiam Genuæ Reipublicæ attulerit.* 583. D.
Navarinum *qua occasione à Christianis obsessum.* 1087. B.
Naves *Aboriginum in Italiam quomodo prætervectæ.* 5. B.
Navilia *locus qui appelletur.* 39. B.
Navium *Turcarum haud exigua pars sese pugnæ totius Classis cum Christiana quare subtrahat.* 1065. C.
Naulensium *quanta fides in Genuenses fuerit.* 315. B.
Naulum *Urbs.* 55. C.
—— *A Quibus obsessum & expugnatum.* 419. F. 420. A.
—— *Quid olim fuerit, quid hodie.* 1419. B.
—— *Rebellat adversus Genuenses.* 608. F.
—— *Recuperatur.* 609. A.
Naules *Populi, vide* Gauni.
Neapoli *Carolus VIII. quomodo exceptus.* 666. D.
—— *Incolarum frequentia quæ?* 1234. A.
—— *Motus repentinus quis contigerit.* 1401. D.
Neapolim *multi cum familia sua quare se conferant.* 1228. E.
Neapolis *ab Alphonso Aragoniæ Rege quomodo capta.* 1318. B.
—— *Cæteris Europæ Urbibus cur anteponenda.* 1229. B.
—— *Genuensibus se dedit pro Henrico electo Rege Siciliæ.* 292. E.
—— *Joanna Regina.* 557. C.
—— *Imperium quantum pateat.* 1234. F.
—— *Littora quam pulchra & amœna.* 1230. E.
—— *Negotia & Commercia quanta?* 1234. D.
—— *Regimen à quibus geratur.* 903. D.
—— *Situs.* 1229. E.
Neapolitani *frumentum dictum* Alicam *quibus rebus in delicias immisceant.* 42. F.
—— *Inquisitionem quantopere horruerint.* 903. A.
Neapolitani Regni *Laboria quæ Regio.* 1230. D.
Neapolitanorum *ingenium quod?* 1234. A.
—— *Quæ eorum apud Carolum V. defensiones.* 924. D.
Nepotes *Mascaratorum Exulum Genuensium à Magistratibus & honoribus Reipublicæ quare una cum eorum filiis etiam exclusi.* 535. C.
Nervius *Vicus quis & ubi situs.* 56. B.
Nicæa *quare se in Ditionem & fidem Genuensium tradiderit.* 303. F. 304. A.
—— *Ubi & à quibus condita.* 54. D.
Nicia *Fluvius Plinio quomodo hodie dictus.* 116. B.
Nicolai Danduli *quanta negligentia in Nicosia munienda.* 949. E. 971. F.
Nicolai Fulgosii *sanum consilium ad Robertum Andegavensem Neapolis Regem quodnam fuerit.* 594. D.
Nicolai Jani *adhuc dum juvenis quodnam memorabile factum.* 60. B.
Nicolai Perusini *cognomento* Parvuli *victoria in Florentinos.* 1287. B.
Nicolai Spinulæ *Genuensis clarum facinus quodnam?* 59. D.
Nicolaus Auria *quomodo primus ex Genuensibus dederit exemplum adversus Magistratum arma ferendi.* 295. B.
—— *Quomodo pacem cum Rege Siciliæ firmet.* 297. B.
—— *Sardiniam jussus petit contra Pisanos.* 300. B.
Nicolaus Fliscus *Cardinalis unde clarus.* 831. D.
Nicolaus Fulgosius *se quomodo commendabilem præstiterit.* 811. A.
Nicolaus Grimaldus *unde conspicuus.* 873. A.
Nicolaus Guarcus *Dux Genuæ quomodo creatus.* 465. B.
—— *A Duce Antoniotto carceri quare inclusus.* 491. A.
—— *Post multa sub suo Principatu egregie gesta urbe excedere quomodo cogatur.* 489. D.
Nicolaus Picininus *à Philippo contra Barnabam Adornium Genua exulem quare missus.* 560. E.
—— *Crudele ejus in oppugnatione Ingauni facinus.* 592. B.
—— *Ditionem Genuensem quare depopuletur.* 589. F. 590. A.
Nicolaus Pisanus *Summus Classis Venetæ Præfectus à quo captivus fiat.* 452. C.
Nicolaus Quidam *nomine* Dux *VII. M. Mortalium utriusque Sexus Genuam quare venerit.* 302. F. 303. A.
Nicolaus V. *Pontifex Romanus unde oriundus.* 765. F.
Nicolaus Rex *ex Popularium corpore Civis Genuensis in Ducem Antonium Montaltum arma quare gesserit.* 502. C.
Nicolaus Rudolphi *Triremium Genuensium Præfectus verba Pisanorum tumida quomodo retuderit.* 277. C.
Nicolaus Roza *Pisanorum Naves Onerarias in qua Ora incenderit.* 288. D.
Nicolaus Zoalius *Dux Genuæ quare creatus.* 503. D.
—— *Factiones in illum unde motæ.* ibid.
—— *Principatum quare abdicet.* ibid. E.
Nicosia Urbs *à Turcis obsidetur.* 974. D.
—— *Angustiæ quibus premitur quantæ.* 985. D.
—— *Prælium quantum in ipsa urbe inter Turcas & obsessos.* 977. A.
—— *Situs ejus.* 949. C. 975. D.
—— *Vi expugnatur.* 988. D. 989. A.
Niger pons *Insula quæ?* 449. B.
Nobiles *Genuæ quomodo creentur.* 1424. C.
—— *Quâ via Exules restitui in Patriam annixi sint.* 456. F. 457. A.
—— *Regem Galliæ in plebem Genuensem acerbum facere quantopere studeant.* 693. A.
Nobilibus Exulibus *Genua quomodo fiat liber in Patriam reditus.* 457. F.
—— *Genuæ residentibus arma quare adempta, cæteris Urbe exulibus.* 443. B.
—— *Genuensibus quare & quomodo abrogatum jus gerendæ Reipublicæ.* 487. C.
Nobilitas *apud Christianos quanto sit in pretio.* 1115. D.
—— *Virtuti non præferenda.* 1215. A.
Nobilitas Genuensis *pristinum suum in Republica locum recuperare quantis conatibus satagat.* 646. D.
Nobilitati Genuensi *quæ Artes ab ipsa exercitæ non præjudicent.* 1413. C.
Nobilitatis *libri quomodo Genuæ custodiantur.* 1476. B.
Nobilium *Domus Neapoli quæ?* 1233. B.
Nobilium Genuensium *ad Regem Galliæ quæ Legatio.* 596. C.
—— *Pars ad populare corpus quare transierit.* 456. D.
—— *Pars pristinæ Dignitatis recuperandæ causa arma quibuscum consocient.* ibid.
Nobilium Neapolitanorum *quæ conditio.* 1234. C.
Noe *unde in Italia Janus appellatus.* 124. C.
—— *Bicipiti fronte quare effigiatus.* ibid. D.
Noeti *ejusque uxori, filiis eorumque uxoribus quomodo Deus benedixerit.* 6. F.
Nomina *Gentibus imponere cujus sit.* 40. A.
—— *Gibellinorum & Guelphorum quando & quomodo renovata in Italia.* 118. F. 355. C. 1281. D.
Nominis *memoriam post mortem curare quam sit inane.* 1258. D.
Nona *Italiæ Regio quæ?* 216. E.
Normanni *quando Italiam primum petierint.* 38. C.
Nosocomium *Genuæ à quibus regatur.* 1426. F.
—— *Incurabilium.* 1427. B.
Notitia *quæ ab initio à Deo hominibus data ne animum plane desponderent.* 1251. B.
Novæ *Oppidum à Genuensibus quomodo recuperatum.* 494. D.
Novaria *à Gotthis quando diruta.* 84. C.
—— *A Quibus condita.* 78. D.
—— *Ejus Fluvioli.* 79. D.
—— *Inscriptio vetusta quæ ibi inventa.* 78. D.
—— *Unde dicta.* 171. F.
Novelliorum *Familia quam antiqua.* 88. C.
Novium *Oppidum Genuenses quomodo recuperaverint.* 1348. F.
Novocomum *Oppidum à quibus dirutum.* 84. C.
—— *Civitas præcipua Orobiorum.* 95. D.

Novocomum. *Mira & incredibilia in Tractu Novocomensi qua Monumenta Antiquitatis.* 194. F.
—— *Pliniorum trium Patria.* 95. E.
—— *Unde ita appellatum.* 217. E.
Novus Magistratus *quatuor Virorum, Genuæ quare, & quando creatus.* 511. D.
Numa *Rex Romanorum secundus quo in loco Romæ consederit.* 29. E.
—— *Circa Sacra quid instituerit & scripserit.* ibid. F. 30. A.
Numen *Trino Capite quodnam fuerit.* 41. C.
—— *Quomodo propter eam figuram appellatum sit.* ibid.
Numerus *legitimus quis Genuæ esse debeat Consilii Majoris & Minoris.* 1481. F.
—— *Quis Gubernatorum & Procuratorum Genuæ.* 1478. A.
Numidæ *Quæ Gens, & Hominum genus.* 1366. D.
Nummi cudendi jus *à quo Genuensibus concessum.* 253. C.
Nura *Fluvius.* 116. B.
Nymphæ Commitiæ *unde dictæ secundum Varronis sententiam.* 12. F.

O.

OBEDIENTIAE *quanta utilitas & necessitas in Re Bellica.* 1214. C.
Obertus Aurius *Genuensis unde se clarum præstiterit.* 59. B.
Obertus Cataneus Lazarius *primus Dux Reipublicæ Genuensis de novo constitutæ* 741. B. 1341. E.
Obolis senis *Consules Genuenses Magistratu abeuntes à Civibus quare corrogari solerent.* 383. B.
Obsidio *Insulæ Chii Genuæ quomodo accepta, eique quomodo provisum.* 1293. D.
—— *Melitensis quot hominum millia ex Christianis consumpserit.* 1176. D.
—— —— *Ex Turcis.* ibid. C.
Ocellum *Oppidum quodnam fuerit.* 199. A.
—— *Probatur ex loci situ esse* Oulx, *seu* Ours. ibid. E.
Ocrea *Promontorium quod, quæque ejus figura.* 33. A.
Octavianus Fulgosius *unde se conspicuum præstiterit.* 820. A.
—— *Dux Genuæ quomodo creatus.* 713. C.
—— *Conditiones quæ, & sub quibus fœdus & amicitiam cum Gallis inierit.* 718. E.
—— *Cura ejus quanta pro Genua Gallis firmiter conservanda.* 723. D.
—— *Ejus Elogia.* 713. D. 715. B. 726. D. 883. D.
—— *Quare ad Leonem* X. *Pontificem Maximum scripserit.* 718. E.
Octavianus Furnarius *unde insignis.* 857. B.
Octoviratus Collegii Sancti Georgii *quis Genuæ Magistratus.* 1463. C.
Octoviri Genuensis Reipublicæ *ex quibus Civibus electi & creati.* 487. C.
Ode *qui locus olim dicebatur.* 33. E. 34. B.
Odia *internecina inter Romanos Pontifices & Fridericum Imperatorem, quæ?* 327. A.
—— *Quot in Italiam mala intulerint.* ibid.
Odia *Gibellinos inter & Guelphos quo Anno paulisper remitti cœpta.* 423. C.
Odia Pisanorum *in Ugolinum, quare & quibus modis accensa.* 396. A.
Odiorum *inter Genuenses ipsos fibræ residuæ, Quomodo extirpatæ.* 283. C.
Oetria *quæ Etruriæ pars, & unde ita nuncupata.* 16. E.
Officia *quæ conferenda in Cives Genuenses non descriptos.* 1486. B.
Officiales *quomodo alii aliis subrogentur.* 1480. F.
Officium Auditorum Rotæ Criminalis *Reipublicæ Genuensis quandiu duret.* 1510. A.
Officium Misericordiæ *Genuæ quid sit.* 1426. E.
—— *Pauperum Genuæ Civitatis quodnam sit.* ibid. A.
—— *Redemptionis Captivorum à quibus Genuæ administratum.* 1427. B.
—— *& Salarium Fiscalis Rotæ Gen. quodnam sit?* 1506. A.
Oggiana *Pagus unde dictus.* 173. A.
Oldradus Grossus à Tresseno *Civis Laudensis Genuæ Prætor quando electus.* 322. F.
Oligocratia *quæ Principatus species.* 140. D.
Ollius *Fluvius unde emissus.* 115. E.
Olympum *circum circa Templum à Quo excogitatum.* 27. E.
Onium *unde dictum.* 93. E.
Opera *Urbis Genuæ publica & privata quam superba & magnifica.* 1416. E.
Opicii Imperium *unde Civibus Genuensibus odiosum.* 408. F.
Opicinus Alfates *à Genuensibus cur obtruncetur.* 1308. B.
Opicius *Barnabæ Collegæ suo Magistratu abrogato Principatum Civitatis Genuæ, summumque in perpetuum imperium quomodo solus obtineat.* 409. C.
—— *Brevi quomodo eo excidat.* ibid. F.
—— *Ex Urbe pulsus Montaldum & Vultabium Opp. funditus evertit.* 410. B.
Opicius Carettus *unde oriundus.* 794. B.
Opicius Mala Spina *ejusque filius à Genuensibus quomodo deficiant.* 285. D.
—— *Genuæ Capitaneus & Rector cum summo Imperio quando creatus.* 408. C.
Opicius Olgiatus *Mediol. Rerum Bellicarum Procurator quare & quando à Phillippo Genuam missus.* 558. C.
Opicius Spinula *quomodo se conspicuum præstiterit.* 791. E.
Opicus Populus *Quis?* 13. D.
—— *Colonia fuit Vestinorum.* 43. B.
Opificiorum *quæ Genuæ institutio.* 1459. C.
Opis *Oppidi quis conditor.* 13. E.
Opitergium *quod Oppidum.* 98. C.
—— *A Quibus eversum.* ibid. D.
Ops, *vide* Crana.
Ora Ligustica *tota Regi Ludovico* XII. *quomodo recuperata.* 698. D.
Oræ Maritimæ Occidentalis *Reipublicæ Genuensis Descriptio.* 1418. D.
Oræ Maritimæ Orientalis. 1420. B.
Oratio *Alexandri Pontificis ad Venetos & Genuenses pro Pace inter se concilianda.* 365. B.
—— *Alphonsi Regis Aragoniæ ad Philippum Mediolani Ducem ubi habita.* 585. C.
—— *Antoniotti Ducis Genuæ de Republica Regi Galliæ subjicienda.* 507. F.
—— *Archiepiscopi Genuensis ad Cives suos pro Concordia inter ipsos concilianda.* 281. D.
—— *Augustini Palavicini pro tuenda libertate civitatis Genuensis.* 739. D.
—— *Baptistæ Grimaldi zini quæ ad* XVII. *Genuæ Duces.* 1347. D.
—— *Barnabæ Guani ad Cives Genuenses pro Pace inter se componenda.* 542. A.
—— *Bendinelli Saulii contra Magistratum Octo-Viralem legibus solutum.* 648. C.
—— *Blasii ad Classem suam ante prælium committendum.* 576. B. 1299. E.
—— *Bonifacii Pontificis ad Venetos & Genuenses pro Pace inter ipsos componenda.* 403. F.
—— *Buccanigræ ad Nobiles Genuæ residentes contra Nobiles Exules.* 439. B.
—— —— *Ejusdem priusquam Ducatum Genuensem abdicaret.* 440. C. 441. A.
—— *Cajetanorum Legatorum ad Genuenses.* 1305. F.
—— *Carettani Marchionis ad Fridericum pro Civibus Longobardiæ & Liguriæ contra Genuenses.* 312. E.
—— *Caroli* V. *qua milites suos ad pugnam contra Afros hortatur.* 1367. E.
—— *Exulum Genuensium ad Cæsarem.* 337. A.
—— *Francisci Marchesii apud Galeacium Genuam sub sua servitute redigere molientem.* 630. C.
—— *Genuensium Civium à Prætore Peregrino abhorrentium.* 289. D.
—— —— *Apud Florentinos de Pisanis injuste de se querentibus.* 358. F.
—— —— *contra Marchionem Carettanum ad Fridericum.* 313. F.
—— —— *Legatorum apud Frider. Ahenobarbum.* 264. E.

Oratio *Pro Pratore eligendo.* 290. A.
—— *Gravis duorum Saracenorum ad Christianos Cæsaream Palæstinæ obsidentes.* 242. B.
—— *Jani Lusigniani Cypri Regis ad Famagustæ Pratorem.* 524. C.
—— *Joannis Andreæ Auriæ ad Classes, Pontificiam, Hispanam & Venetam, simul junctas.* 982. F.
—— *Austrii ad milites ante pugnam Navalem cum Classe Turcica.* 1064. A.
—— *Francisci Commendoni apud Cæsarem.* 1039. C.
—— *Joannis Fulgosii ad Milites ante Prælium Navale contra Alphonsum.* 550. D.
—— *Legati Bonifacio Oppido Genuam missi ad auxilium contra Alphonsum impetrandum.* 1270. D.
—— *Legatorum Venetorum ad Petrum Auriam Classis Genuensis Præfectum pro Pace.* 472. C.
—— *Ad Barnabam Mediolani Principem pro auxilio ipsis in summa necessitate præstando.* 474. A.
—— *Luciani Præfecti Genuensis suos ad Prælium hortantis.* 466. A.
—— *Ludovici Galliæ Regis apud Genuenses.* 656. E.
—— *Nicolai à Ponte pro Fœdere Sacro contra Selimum Turcarum Imperatorem.* 1015. B.
—— *Spinulæ ad Milites ante Prælium cum Classe Veneta sua longe numerosiore.* 402. F.
—— *Nobilium Genuensium pro primo honoris loco contra Popularium Factionem.* 677. D.
—— *Pauli Fulgosii in Prosperum Adornium.* 619. B.
—— *Teupoli ad Venetos in Fœdere Sacro detinendos.* 1013. C.
—— *Pisanorum ad Genuenses in partes Friderici Imperatoris contra Gregorium IX. Pont. Max. alliciendos.* 328. B.
—— *Popularium Genuensium Factionis pro primo honoris loco in Nobiles obtinendo.* 678. F.
—— *Tuneti Præfecti ad Præfectum Classis Genuensis.* 493. B.
—— *Uberti Auriæ Capitanei & Præfecti Classis Genuensis ad Milites antequam Classem Pisanam adorirentur.* 390. E.
Orationes duæ *de Pisanis sub Dominatu Genuæ recipiendis, An non.* 681. E. 683. E.
Orationis *Præfecti Veneti specimen.* 466. E.
—— *Roccabertini Genuenses ad Concordiam hortantis.* 689. E.
Oratores & Legati ordinarii Genuenses *quales esse debeant.* 1485. C.
Orbis Novus *à Christophoro Columbo Genuensi quando inventus.* 662. E.
—— *Universi quis Metropolita.* 31. D.
Orchus *Fluvius quomodo olim dictus.* 111. D.
Ordo aciei Classis Christianæ *cum Turcica Prælium commissuræ.* 1062. D.
Ordo aciei Classis Turcicæ *cum Christiana Prælium commissuræ.* 1063. C.
—— *Itineris & Pugnæ in Classe Christiana sub Joanne Austrio.* 1048. D.
Orientis *quis status, quæque illius Imperatoris ignavia.* 445. E.
Origo *Discordiarum Genuenses, inter & Galeacium quæ fuerit.* 624. E. 625. D. 628. F.
—— *Magistratus Sancti Georgii Genuæ quæ?* 444. F.
—— *Regni Trojani.* 24. C.
—— *Reipublicæ Genuensis.* 1431. E.
Orlandinus Malaprecius *Civis Lucensis Genuæ Prætor quando electus.* 296. F.
Orlandus Carmindinus *Præfectus Classis Genuensis pro Henrico Siciliæ Rege electo.* 291. D.
Orlandus Fulgosius *quare & quomodo trucidatus.* 536. A.
Orlandus Lampugnanus *Archiepiscopus Mediolanensis quando electus.* 566. B.
Orlandus Putagius *Parmensis Genuam Prætor quando vocatus.* 375. A.
Ornarium *Vicus unde dictus.* 29. C.
Ornovascum *locus Cisalpinæ Galliæ unde commendandus.* 130. A.
Orobii Populi *unde oriundi.* 93. D.
—— *Eorum Sedes quæ.* ibid. 95. D.
—— *Præcipua quæ eorum Civitas.* ibid.
—— *Romani eos quare depopulentur.* 134. F.
Orona *Fluvius unde dictus.* 93. D.
—— *altera.* 115. D.
—— *Quam vorticosus amnis.* 195. D.
Orsicum *unde dictum.* 93. E.
Osimum, *vel* Auximum *Colonia à qua Gente oriunda.* 37. B.
—— *Inscriptio quæ de ea Gente extet.* ibid. C.
Osiris Ægyptius *quomodo Gigantes esse mortales & vinci posse ostenderit.* 22. B.
—— *Quare à primis Italis accersitus.* ibid. C.
Otho Carrettanus *in locum defuncti ad Messanam Genuensium Prætoris Præfectus sufficitur.* 293. A.
Otho Episcopus *Bobiensis Archiepiscopus Genuensis electus.* 297. E.
Otho Secundus *Imperator unde Insignis.* 117. E.
Otho Tertius *Imperatori Othoni Secundo quomodo successerit.* 117. E.
Othobonus *Genuensis ad Maroci Regem pro Pace Legatus.* 266. F.
Othobonus Albericus *Consul Genuensis Orator ad Regem Siciliæ quare missus.* 286. B.
Othobonus Justinianus *unde insignis.* 798. C.
Ovedum *Oppidum à Genuensibus quomodo recuperatum.* 1343. C.

P.

P *pro* B. *prisca Lingua pronunciatum.* 9. A.
Pacis *Colloquia Genuenses inter & Pisanos.* 274. F. 277. F.
Padum *Lacus potius quam fluminis effigiem præstantem Galli quomodo ad justum fluminis cursum exinanierint.* 166. D.
Padus *Amnis.* 75. B.
—— *Fluentum ejus quale.* ibid.
—— *Fontes ejus ubi.* ibid.
—— *Immensæ olim circa eum Paludes.* 166. F.
—— *Siccatas eas Paludes fuisse quid demonstret.* 167. A.
Pagani Auriæ *opera & audacia quomodo conspecta.* 1117. E.
—— *A Quibus per proditionem obtruncatus.* 1126. D.
Paganicus *Vicus unde dictus.* 38. C. 39. A.
Paganus Auria *quomodo illustrem se præstiterit.* 780. C.
—— *Classem Venetam ubi invadat & capiat.* 452. A.
—— *Domus ipsi de publico quare paretur.* ibid. D.
—— *Laudes ejus quantæ.* 452. E.
—— *Præfectus dum esset Classis Genuensis Pisanum Classis Venetæ Præfectum quomodo fugarit.* 449. B.
—— *Sinum Hadriaticum ingressus quid egerit.* 451. C.
Pagus Orphanus *Mons unde Insignis.* 92. D. 93. E.
Palantica Ars *quomodo inventa.* 42. A.
Palavicinus *quomodo coram Genuæ Prætore fugerit.* 336. A.
—— *Quas Genuensium Urbes pro Friderico Cæsare obsideat.* 334. E. 336. A.
Palensana *loca quæ & quare ita dicta.* 22. A.
Palmerius *Genuæ Prætor quando electus.* 368. B.
Palphurnius *Orator insignis ex qua familia oriundus.* 87. A.
Panarus *Fluvius.* 116. D.
Panhormus *à Genuensibus quomodo pro Henrico Cæsare obsideatur & expugnetur.* 293. B.
Parabiagum *Vicus unde illustris.* 92. E.
Paradisus Italiæ *ubi.* 21. B.
Paritas, *quæ esse debeat inter Nobiles & Cives Rempublicam Genuensem administrantes.* 1471. F. 1472. C. 1473. A.
Parma *vetus Romanorum Colonia.* 102. B.
—— *Unde nobilitata.* ibid. C.
Parma *Fluvius.* 116. C.

Parmenses *Imperatoris copias quomodo fundant ac profligent.* 355. A.
Patavium *unde dictum.* 97. D.
—— *Unde nobilitatum.* ibid. E.
Patellarii Dii *qui appellati.* 16. E.
Patras *Urbs cui sese dediderit.* 1356. A.
Patres communes *Genuæ qui vocentur.* 706. F.
Patrisfamilias *inter Italiæ Conditores quodnam fuerit officium.* 7. C.
Pauli Interiani *egregium facinus quomodo compensatum.* 534. B.
Paulus Balthasar Spinula *unde conspicuus.* 816. C.
Paulus Centurio *insignem quomodo se apud Genuenses præstiterit.* 858. E.
Paulus Folieta *se quomodo Civibus suis Genuensibus clarum præbuerit.* 874. B.
Paulus Fulgosius *Archiepiscopus Genuensis Dux Urbis creatus quare se statim Principatu abdicaverit.* 620. E.
—— *Illum quomodo iterum invaserit, Genuamque vexarit?* 621. C.
—— *Urbe quare & quomodo tandem excesserit.* 622. E.
Paulus Fulgosius *Cardinalis conspicuum quomodo se fecerit.* 832. A.
—— *A quibus Dux Genuæ creetur.* 650. F.
—— *Cujus indolis & ingenii Vir fuerit.* 658. A.
—— *Odium Civitatis in se & suos quomodo concitet.* 653. D. 654. B.
—— *Quare Genuam Sfortianis tradere molitus fuerit.* ibid. D.
—— *Romam tandem quare se receperit.* 657. F.
—— *Se in Arcem Genuæ recipere unde cogatur.* 655. D.
Paulus Lazania *quis & quam insignis Vir fuerit apud Genuenses.* 897. F.
Paulus Novius *quis Vir & quomodo, quandoque Dux Genuæ creatus.* 699. C.
—— *Mors ejus quæ?* 705. B.
Paulus Pansa *Joann. Ludovic. Fliscum qua Oratione à conjuratione in Patriam dimovere conetur.* 895. C.
Paulus Sylvester *Genuensis unde celebris.* 858. E.
Paulus Tertius *Pontifex Maximus Romæ quando electus.* 1361. B.
Pax Genuensium *cum Alphonso Aragoniæ Rege.* 600. A. 1286. A.
—— —— *Aragoniæ & Balearium Regibus.* 432. D.
—— —— *Dertonensibus.* 305. A.
—— —— *Florentinis.* 538. E.
—— —— *Siciliæ Rege.* 286. B.
—— —— *Tartarorum Principe.* 442. A.
—— —— *Tunetano Rege.* 375. E.
Pax *frustra tentata inter Genuenses, Pisanos & Lucenses.* 282. E.
Pax *inter Alphonsum & Philippum Mariam quibus conditionibus.* 1285. A.
—— *Aurias & Spinulas Genuenses.* 416. B.
—— *Carolum* VIII. *& Italiæ Principes quibus conditionibus.* 671. E.
—— *Genuenses & Pisanos.* 253. A. 287. E. 301. B. 304. E. 358. A. 395. D.
—— —— *Florentinos & Lucenses.* 286. C.
—— *Florentinos solos quibus conditionibus composita.* 652. E.
—— —— *Quo Auctore infracta à Florentinis.* 653. A.
—— *& Venetos.* 305. A. 357. B. 366. A. 406. F. 452. F. 526. B.
—— —— *Regem Hungariæ, Patriarcham Aquilejensem, & Carrarium.* 484. F.
Pax *inter Guelphos & Gibellinos à Pontifice Maximo frustra tentata.* 421. E. 422. A.
—— —— —— *A Quibus sub Vicario Regio composita.* 515. D.
—— —— —— *A Roberto Rege Neapolit. quibus conditionibus.* 428. A.
—— *Ligures & Romanos.* 225. D.
—— *Philippum Mariam, Venetos, Genuenses, Florentinos.* 1317. E.
—— *Saracenos, Tunetanos & Christianos.* 494. B.
Pæana *pro quo dictum.* 30. F.
—— *Canere qui solerent.* ibid.
Pecorarius à Mercato Novo *Veronensis Genuæ Prætor quando electus.* 312. C.
—— *Unde insignis.* ibid.
Pedemontani *olim quomodo dicti.* 107. F.
Pedicinium *unde dictum.* 35. C.
Pegolottus à Gente Girardina *Florentinus Genuæ Prætor.* 320. E.
Pelignorum *Metropolis quæ?* 35. F.
Penelope *unde laudata.* 44. D.
Pera *quondam Tugurium, nunc Urbs clara.* 60. C.
Perfidia *quæ Maurorum in Genuenses.* 322. A.
Pericula *in Conjurationibus Quot & Quanta.* 633. B.
Peripateticorum *sententia quæ de Providentia Divina.* 1212. D.
Pertaus *unus ex Classis Turcicæ Præfectis quomodo è pugna evaserit.* 1069. A.
Pestes *quæ in Reipublicæ administratione.* 1460. B.
Pestilentia *Genuæ quo anno extrema.* 662. E. 677. B. 732. F. 1312. C. 1313. D. 1332. F.
—— *Gravissima Mediolanum quando afflictum.* 727. C.
Petilia *quid Festo significet.* 32. D.
Petra *quodnam Castellum.* 55. C.
Petra Sancta *Oppidum à Quibus Lucensibus venditum.* 673. B.
Petræ Sacræ *Familia quam celebris Mediolani.* 87. F. 88. A.
Petram Bissariam *Genuenses Ditioni suæ quomodo addant.* 250. A.
Petreja *Anus.* 30. F.
Petronia *Familia unde oriunda.* 29. C.
Petrus *Ansaldi filius, Bononiensis Genuæ Prætor unde clarus.* 322. D.
Petrus Antonius Seponus *pro Inquisitione Neapoli admittenda quid differat?* 904. B.
Petrus Aragoniæ *quomodo, & quo jure Siciliæ Regno potitus fuerit.* 400. C.
Petrus Auria *conspicuum se quomodo præstiterit.* 802. D.
—— *Acriter dimicans quomodo exanimetur.* 480. C.
—— *Carrarii sapiens consilium quam pessime spreverit.* 478. E.
—— *Clodiam Urbem quibus copiis obsederit & expugnarit.* 471. C.
—— *Istriæ Oppida quæ expugnaverit.* 470. B.
—— *Navem ditissimam quomodo ceperit & incenderit.* ibid. C.
—— *Ostium Veneti Portus occupat, Venetiasque ipsas obsidet.* 471. B.
—— *Responsio ejus quæ ad Legatos Venetos pacem humillime rogantes.* ibid. F. 473. A.
Petrus Bonus *Gavium Oppidum, quomodo, sed frustra, prodere conetur.* 310. F.
Petrus Carbonarius *Genuæ Prætor unde conspicuus.* 400. E.
Petrus *Cypri Rex à Quibus & Quomodo interfectus.* 459. E.
Petrus *Episcopus Meldunensis Genuam à Rege Galliæ Quare & Quando missus.* 511. A.
Petrus Fulgosius *insignem quomodo se præstiterit.* 781. F.
—— —— *Cujus Expeditionis Dux.* 460. D. 461. B.
—— —— *In carcerem Quare & à Quibus conjectus fuerit.* 496. C.
Petrus Fulgosius *Armorum Urbis Præfectus Dux Genuæ quomodo creetur.* 602. B.
—— —— *Insigne militaris astus specimen quod dederit.* 603. F.

Petrus Fulgosius. *Machinationes ejus in repetendo Ducatu.* 606. B.
——— *Quam fuerint illæ frustraneæ.* 609. E.
——— *Vulneribus acceptis occumbit.* 611. C.
Petrus Lauredanus *Præfectus Classis Venetæ in Quos missus.* 562. E.
——— *Quam modeste victoria sua usus fuerit.* 1288. B.
——— *Venetias redire jubetur.* 1295. A.
Petrus Ludovicus Farnesius *Dux Placentiæ Ducatum suum quomodo gesserit.* 929. A.
——— *In eum à quibus conjuretur.* 931. A.
——— *Occidaturque.* 932. E.
Petrus Mesquita *Urbis Matris in Melita Insula Præfectus quam fœliciter in Turcas irruerit.* 1159. C.
Petrus Pico *Genuensis quæ & quanta cum tribus Triremibus egerit.* 464. E.
Petrus Portucarrerius *quis & unde oriundus.* 1115. C.
——— *Quomodo à Turcis captus.* 1122. D.
Petrus Riarius *Cardinalis unde conspicuum se fecerit.* 844. B.
Petrus Spinula *quomodo se Patriæ suæ utilem & necessarium præbuerit.* 798. E.
——— *Accusatus peculatus quomodo & absolutus & dimissus.* 1294. E.
——— *Præfectus Classis Genuensis contra Venetos.* 566. C.
Petrus Toletus *Nobilitati Neapolitanæ quare invisus.* 901. A.
——— *Perduellionis ream Civitatem quare & apud quem facere contendat.* 913. A.
——— *Quis & quantæ pertinaciæ Vir.* 900. E.
——— *Quomodo Neapoli se gesserit quoad Inquisitionem inibi admittendam.* 902. A.
Petrus Ventus *Genuæ Prætor clarum & illustrem quomodo se præbuerit.* 311. A.
Petrus Vinea *quis & qualis Vir fuerit.* 352. A.
Phaëton *ad Malot Tagetem quando accessit, & quem Agrum occupavit.* 21. F.
——— *Plura de Eo.* 124. A.
——— *Ubi obierit.* 76. C.
Pharao *cum omni exercitu suo à Mari Rubro obrutus.* 24. C.
Phegium *unde dictum.* 93. E.
Philippi *Artes quæ ad Genuæ possessionem sibi firmandam.* 554. F.
——— *Qui doli ac fraudes contra Thomam Fulgosium Genuæ Ducem.* 592. E.
——— *Victoria in Florentinos.* 1282. E.
——— *In Venetos supra Padum.* 1295. A.
Philippi II. *Hispaniæ Regis ad Antonium Teupolum Venetorum Legatum Responsa quæ?* 1080. B.
Philippo Doriæ *Vexillum Genuæ publicum à quo & quomodo tradatur.* 1348. D.
Philippus à Turri *Mediolanensis Genuæ Prætor quando electus.* 359. F.
Philippus Auria *quomodo insignem se præstiterit.* 797. E. 823. D.
——— *Africanos Piratas quomodo ulciscatur.* 453. B.
Philippus Austrius *Genuæ quomodo exceptus.* 1404. E.
Philippus Calandrinus *Cardinalis conspicuum quomodo se præbuerit.* 846. E.
Philippus Clevensis *Ludovici XII. Galliæ Regis Vicarius Genuam quando missus.* 675. A.
Philippus *Galliæ Rex in Syriam quare profectus fuerit.* 288. E.
Philippus Guiringhetus *Mediolanensis Genuam Prætor quando vocatus.* 359. F.
Philippus Longus *clarum quomodo se fecerit.* 775. D.
Philippus Maria *Vicecomes apud Insubres in quibus claruerit.* 145. B. 1277. A.
——— *Adversarii quot in illum insurgant.* 1280. C.
——— *Exules Genuenses quomodo exceperit,* 1277. B.
——— *Genuæ Dominatu quomodo ejectus fuerit.* 589. B.
——— *Genuam quare & quibuscum copiis aggressus fuerit.* 546. E.
——— *Joannæ Neapolis Reginæ partes cum Genuensibus contra quem sequatur.* 555. F.
——— *Odiorum causas inter duos Genuensium Duces quomodo subministret.* 1279. D.
——— *Oppida Corsicæ Insulæ Bonifacium & Calvum quomodo Alphonso tradere meditetur.* 559. C.
——— *Potens quomodo factus.* 528. B.
——— *Quare rejiciat amicitiam Alphonsi, eamque in Andegavenses transferat.* 567. B. 1278. D.
——— *Rempublicam Genuensem quibus conditionibus acceperit.* 554. D. 1277. B. 1278. C.
——— *Thomæ Campofulgoso, non Genuensibus bellum quare indixerit.* 1277. B.
Phocæa utraque *à Genuensibus quomodo occupata.* 446. E.
Phorcus, *vide* Forcus.
Pialis *Classis Turcarum contra Insulam Cyprum Præfectus.* 956. D.
——— *Dux Classis Turcicæ in Expeditionem Melitensem.* 1130. B.
——— *E Cypro Insula in Insulam Rhodum quare contendat.* 980. B.
Picentes *Qui dicti.* 35. B.
——— *Colonias novas quo dimittant.* 41. F.
——— *Picentini Panes qui?* 42. F.
Picenum *quid olim, quid hodie?* 105. A.
Pictæ Curiæ *Oppidum quomodo hodie nuncupatum.* 172. D.
Picumnus & Pilumnus *quid olim designarent.* 7. A. 32. C.
——— *Ejus imago qualis.* ibid. C.
——— *Nomen ejus quid significet.* ibid.
Picus Priscus *Romanesso patri suo quo tempore successerit.* 24. B.
——— *Cultus quo procedere soleret.* 43. F. 44. A.
Pietas *qualis virtus.* 116. E.
Pignatorius *Nomen suum quomodo toti Siciliæ terribile fecerit.* 379. B.
Pignoni Oppidi *situs quis?* 1109. B.
——— *Hispanis sese quomodo dediderit.* ibid. D.
Pileus *Episcopalis unde & quare serto ornatus.* 31. D.
——— *Genuæ Archiepiscopus in solitudinem quare discesserit.* 520. D.
——— *Marinus insignem & illustrem quomodo se præstiterit.* 850. A.
Pilumnus, *vide* Picumnus.
Pini nux *apud quos Insigne Militare fuerit.* 32. F.
Pinnatiaria *quæ loca Curibus olim dicta.* 27. A.
Pinnensis *Civitas quæ?* 39. E.
Pinniæ Familiæ *quod elogium?* 13. A.
Piratæ *insignes ex Ditione Genuensi quomodo capti & damnati.* 318. E.
Piratarum *receptaculum Insula Melita.* 458. F.
——— *Receptaculum quod in Sicilia à quo expugnatum & direptum.* 456. F.
Pisæ *in Liguribus quando conditæ.* 53. D.
Pisani *à Florentinis & Lucensibus quare & quomodo profligati.* 360. A.
——— *Ad iniquas Pacis conditiones descendere quibuscum inducti à Florentinis.* 357. E.
——— *Eorum hac de re apud quem querimoniæ* 358. D.
——— *Bonifacium Oppidum in Insula Corsica quare construant.* 293. D.
——— *Certamen à Genuensibus oblatum quare detractent.* 268. F.
——— *Cui Res tam Urbanas quam Bellicas commiserint.* 388. E.
——— *Et Genuenses arma inter se invicem quare vertant.* 247. E.
——— *Genuensibus Dominium suæ Reipublicæ quare obtulerint.* 681. A.

Pi-

Pisani *Inducias in* XXVII. *Annos à Genuensibus quibus conditionibus redimant.* 407. A.
—— *Legatos Genuam mittunt qui Auxilium contra Florentinos peteterent.* 667. B.
—— *Legatus Imperatoris eos omnino qua in re condemnaverit.* 285. A.
—— *Levanti Oppidi suburbia in Ora Ligustica Orientali quare incenderint.* 273. F.
—— *Obsident Genuam per annum, & qua conditione obsidionem solverint.* 251. D.
—— *Pacem cum Genuensibus quare & quomodo violaverint.* 267. F.
—— *Pacis fidem quare & quomodo infregerint.* 250. B.
—— *Patriam unde repetentes quantum naufragium passi sint.* 274. B.
—— *Rhegium Oppidum in Calabria quomodo expugnarint.* 236. B.
—— *Sardiniam Insulam quomodo recuperaverint.* ibid.
—— *Syracusas in Sicilia Insula quomodo in Genuenses invaserint.* 298. *A.*
Pisanorum *Classis Genuensem quare fugerit.* 386. D.
—— *Novæ offensiones quæ in Genuenses.* 293. D.
—— *Oratio superba & tumida apud Genuenses quæ?* 389. D.
—— *Quorumdam blasphemia.* 392. C.
—— *Seditio quæ contra Gabrielem Vicecomitem Dominum suum.* 528. D.
Pisanus *Classis Venetæ Præfectus quomodo se gesserit.* 448. F.
Pisaurum *Oppidum.* 105. A.
—— *Unde dictum.* 155. B.
Pius II. *Pontifex quando creatus.* 620. F.
—— *Genuam Legatum quare miserit.* 621. A.
Pius V. *Quibus Litteris Reges à Religione Christiana alienos contra Turcam incitarit.* 1038. E.
—— *Mors ejus quantopere consilia Fœderis Sacri removerit.* 1076. A.
Placentia *quare à Romanis veteribus condita.* 75. C.
—— *Romanorum Colonia.* 101. E.
Planus *Fluvius.* 115. F.
Plauti *quæ Patria.* 40. A. 74. E.
Plebis *commotæ furor & insania quænam.* 636. C.
Plebs *in quibus prævalere soleat.* 688. D.
Plebs Genuensis *animum Regis Galliæ quomodo in se magis ac magis irritet.* 698. D.
—— *Consilia ejus salutaria multoties quomodo spreverit.* 699. A.
—— *Mandata Regis quomodo contempserit.* 694. D.
—— *Regis vincendi quam spem concipiat.* ibid. F. 700. A.
Pliniorum trium *quæ Patria.* 95. E.
Plinius *ubi natus.* 195. C.
—— *Ex pluribus testimoniis id unde constet.* ibid.
Pocula Altiosa *quæ?* 93. F.
Pola Urbs *à Quibus expugnata, direpta & incensa.* 482. D.
Pollentiæ *qui situs.* 77. B.
—— *Hodie tantum Pagus exiguus.* ibid.
—— *Lana inde oriunda quantopere commendetur.* ibid.
—— *Victi quomodo Gotthi in ejus Agro.* ibid.
Pompejus Columna *quomodo, sed frustra, Auxilium Melitam introducere tentet.* 1149. D.
Pons *à Magno Melitæ Magistro factus in quem usum.* 1149. F.
—— *A Turcis factus ad Arcem S. Hermi in Insula Melita expugnandam.* 1136. B.
—— *Ab obsessis quomodo combustus.* 1139. D.
—— *Alter à Mustapha Turcarum Præfecto quare constructus.* 1152. A.
Pontifex Romanus *quantopere de Genuensium pacificatione laboraverit.* 444. C.
Pontifices Romani *quomodo contentionem Genuenses inter & Pisanos aluerint.* 249. B.
Pontirolus *rus prope Mediolanum pro quo dictum putetur.* 92. E.
Pontius Pancratius *Classis Aragonensis Præfectus.* 449. C.
Popularium *magnus Genuæ qua de re tumultus.* 517. A.
Populetum *qui Vicus.* 9. D.
Populi *qui utramque Tiberis ripam antiquitus incoluerint.* 25. D.
—— *Qui in Peloponeso, quos Turcæ subjicere nunquam potuerint.* 1081. B.
Populorum *Italiæ antiquitas quanta?* 25. C.
—— *Pater & Rex senissimus quis?* 5. C.
Populus Neapolitanus *Inquisitionem Romanam quantopere horruerit.* 909. A.
Porchetus Salvagus *insignem quomodo se præstiterit.* 849. B.
Porchetus Spinula *conspicuum unde Patriæ suæ se fecerit.* ibid. E.
Porcifera *qui Amnis.* 55. D.
Porrecus, *vide* Forcus.
Portus Finus, *vide* Delphinus Portus.
—— Herculis. 54. D. 106. D.
—— Lunæ. 57. *vide &* Spediæ Portus.
—— Mauricius *unde clarus.* 1419. D.
—— Pisanus *à Genuensibus quomodo expugnatus.* 398. D.
—— Veneris *à Genuensibus quare & quomodo firmetur.* 248. A.
—— *Ejus Ager quomodo à Pisanis vastatus.* 301. D.
Postulata *quæ Galliarum Regis ad Genuenses.* 1381. E.
Potestas *Reipublicæ Genuensis penes quos sit.* 1422. F.
Præfectus Populi *qui olim Genuæ creatus.* 1454. C.
—— *Generalis Triremium Genuensium qualis esse debeat.* 1484. E.
—— *Triremis quis & qualis Vir esse debeat.* ibid. F.
Præitor *quis & quomodo aliter dictus.* 36. B.
Prælia *Genuæ subterranea quæ?* 419. D.
—— *Quam atrocia.* 540. B.
Prælium *atrox Genuæ contra Ducem Antoniottum.* 497. A.
—— *Inter Baptistam Fulgosium & Prosperum Adornium.* 647. B.
—— *Gibellinorum ipsa Capita.* 412. B.
—— *Guelphos & Gibellinos.* 415. F. 416. A. 421. C. 512. E. 513. A. 515. B.
—— *Montaltum & Ducem Antonium.* 500. B. 501. A.
—— *Nobiles & Populares.* ibid. B.
Prælium Gallos *inter & Genuenses ad Rapallum.* 670. F.
—— *Neapolitanos in Liguria.* 664. E.
Prælium Genuenses *inter & Pisanos.* 272. E. 309. A.
—— *Ad parvam Insulam Meloriam.* 333. A.
—— *Sfortianos ad Genuam ipsam.* 639. A. 645. E.
—— *Venetos.* 467. A.
Prælium Hispanos *inter & Mauros quod fuerit in Insula Gerbi.* 1097. A.
—— *Neapolitanos quantum fuerit Neapoli.* 915. A. 919. A.
Prælium Melitenses *inter & Turcas Primum.* 1132. A.
—— *Secundum.* ibid. D.
—— *Tertium.* 1135. D.
—— *Quartum.* 1150. B.
—— *Quintum.* 1157. A.
—— *Sextum.* 1158. A.
Prælium Navale *acerrimum inter Alphonsum Aragoniæ & Neapolis Regem & Blasium Præfectum Genuensem.* 579. D. 1300-1303.
—— *Gallos inter & Genuenses ad Neapolim.* 671. C.
Prætor peregrinus *Genuæ intermissus iterum quare & quomodo resumptus.* 304. E.
—— *Qui in Criminalibus Genuæ proponi soleat.* 1457. F.
—— *Quomodo in delictis procedere teneatur.* 1508. B.
Prætorii *locus ubi olim.* 9. A.
Prætoriola *quæ ædes & unde Galeriæ dictæ.* 36. A.
Prætoris *Regimen quare per tres Annos Genuæ omissum.* 291. F.

Prætoris. *Iterum quomodo recipiatur*. 292. B. 302. B.
—— *Milites & Allabardarii qui?* 1506. C.
Prætorium *Genuæ quando ædificari cœptum*. 399. C.
Prata *Adonidis quæ dicta*. 176. D.
Princeps *Sagis quomodo olim dictus*. 21. E.
—— *Genuæ quomodo eligatur*. 1456. C.
—— *Litteras quomodo det ad novas defensiones*. 1509. C.
Principatuum *secundum Platonem quot dentur species*. 140. D.
Principia *Idololatriæ quæ?* 7. A.
Princivallis Fliscus *unde conspicuus*. 795. D.
Proceres *quidam Hispani quare Carolum V. ne Duce Doria Italiam ex Hispania peteret, dimovere voluerint*. 1349. C.
Processiones Litaniæque *originem unde ceperint*. 31. B.
Procuratores *Genuenses qui post Reipublicæ formam de novo constitutam*. 1341. F.
—— *Perpetui quomodo syndicandi*. 1490. B.
Procuratorii Ordinis *in Republica Genuensi qui Viri, quæ instituta*. 1457. A.
Proditores *quidam Genuenses quomodo habiti*. 1373. A.
Promontorium fructuosum *quod?* 56. B.
—— *Ab Incolis quomodo vocatum*. ibid.
Promontorium Lunense *quod?* 58. A.
Prospectuum *jucunditas quanta in Littore Neapolitano*. 1232. B.
Prosper Adornius *Dux Genuæ quomodo creatus*. 614. C.
—— *Ingentem invidiæ molem sibi ac Genti suæ quomodo conflarit*. 616. F.
—— *Oratio ejus ad Genuenses pro Joanne Galeacio*. 640. B.
—— *Pro libertate tuenda*. 643. B.
—— *Quare Genua excesserit*. 619. E.
—— *Expulsus fuerit*. 648. A.
—— *Rector Genuensium quomodo creatus*. 643. D.
—— *Vicarius Genuæ à quibus creatus*. 638. A.
Prosper Columna *Dux Cæsariani Exercitus*. 722. E.
—— *Genuam quomodo obsideat & deditione accipiat*. 623-626.
—— *Mediolanum contra Gallos quomodo defenderit*. 722. F.
Protectores *domus Sancti Georgii Genuæ qui?* 1424. F.
—— *Pauperum incarceratorum, qui?* 1510. B.
Provisiones *suprema auctoritate factæ quæ?* 1489. C.
Provisores *qui Genuæ Reipublicæ Magistratus fuerit*. 487. C.
Prudentiæ Dea *quæ olim habita*. 40. C.
Psaltrium *Municipium unde celebre*. 191. B.
Pugna *Ingens & diuturna Venetos inter & Genuenses ad Clodiam Oppidum*. 478. F. 479. A.
—— *Navalis Alphonsum inter Hispaniæ Regem & Blasium Genuensis Classis Præfectum*. 1300.-1303.
—— *Classem Christianam sub Joanne Austrio inter & Turcicam*. 1064. F.
—— *Quam varia ejus forma*. 1066. D.
—— *Genuenses inter & Pisanos ad Messanam dum auxilium ferrent Henrico Siciliæ Regi eleto*. 292. E.
—— *Quanta inter Bernardum Centellum & Villaracutam*. 1215. E.
—— *Romanos inter & Ligures*. 228. B. 229. B.
—— *Terrestris & Navalis Venetos inter & Genuenses*. 480. A.
Pulisianus, *vide* Eupylis.
Puteal *laudationum & allocutionum ubi fuerit*. 33. E.
Pyxidis *quod genus adhibitum in electione Magistratuum Genuensium*. 1483. B.

Q.

QUADERNA *Fluvius, & ejusdem nominis Torrens ubi*. 116. D.
Quadringentum *Pagus unde dictus*. 100. E.
Qualitates Magistratuum *Civitatis quæ esse debeant*. 1478. C.
—— *In Duce Genuensi requisitæ, quæ?* 1482. B.
—— *Gubernatore Insulæ Corsicæ*. 1484. F.
—— *Gubernatoribus*. 1482. C.
—— *Procuratoribus*. ibid. E.
—— *Præfectis nonnullarum Arcium*. 1486. A.
Quarentana *munitissima Arx in Ora Africæ à quo expugnata*. 375. C.
Querelæ Militum Turcarum *in Obsidione Melitæ quæ & quare*. 1171. D. 1172. C.
Quies Genuæ *quandiu extiterit*. 1433. B.
Quiricius Spinula *se quomodo insignem fecerit*. 828. C.
Quirinalis *Mons unde dictus*. 29. E.
—— *A Quo intra Muri ambitum inclusus*. ibid.

R.

RAGAZZONVS *Famagustæ Episcopus Venetias quare profectus fuerit*. 996. E.
Raimundus Corvarianus *Classis Alphonsi Regis Hispaniæ Præfectus*. 1227. F.
—— *Baptistam Præfectum Genuensem quomodo vicerit*. 1278. A.
Rainaldus Olivarius *à Rege Galliæ Rector per interim Genuam missus*. 520. E.
Rambertinus Bovarellus *Bononiensis Genuæ Prætor*. 305. A. 354. D.
Rampini *Genuæ Cives qui vocarentur*. 330. E.
—— *Diffidentes inter se quomodo concilientur*. 350. A.
Rapallum *Guelphorum Castellum à Gibellinis quomodo occupetur*. 420. C.
—— *Mox à Guelphis quo pacto recuperatum fuerit*. ibid.
Raphael Adornius *unde conspicuus*. 798. A. 850. C.
—— *Dux Genuæ quomodo creetur*. 599. C.
—— *Ejus suspicienda moderatio qua in Re in primis visa sit*. 600. E.
Raphael Auria *illustrem quomodo se præstiterit*. 739. A.
—— *Siciliæ Halmiras una cum Galeoto Spinula Genuæ Capitaneus & Rector in biennium creatus*. 432. B.
Raphael Montaltus *unde se Civibus suis, aliisque clarum præbuerit*. 810. A.
Raphael Riarius *Cardinalis quomodo se clarum & insignem fecerit*. 844. B.
Raphaelis Salvagi *in Bello Melitensi quanta opera & virtus*. 1136. A. 1145. A.
Ratus *Plinio, quis hodie Fluvius*. 116. A.
Ravastenus *Genuam à Galliæ Rege quare missus*. 691. B.
—— *Genuam ingressus quid egerit*. ibid. F.
—— *Vicariatu Genuæ quare excesserit*. 695. C.
Ravenna *à quibus olim fundata*. 45. A. 104. A.
Razenorum *Sedes quæ?* 10. E.
Reatinus *Ager à Vestinis depopulatus*. 25. C.
Rechus *qui Vicus & ubi?* 56. B.
Recuperus *Pisanus pirata à quo interfectus*. 298. A.
Regia Vestinorum *quomodo dicta*. 5. C.
—— *Cranæ quo in loco condita*. 9. F.
Regimen Genuæ *antiquum quod fuerit*. 1453. 1454.
—— *Inter Gibellinos & Guelphos quomodo divisum*. 413. B.
—— *Nobiles & Populares*. 410. A.
Regiminis *mutatio quæ & quando facta in Republica Genuensi*. ibid. F.
—— *Reipublicæ Genuensis forma quarta quæ?* 436. D.
—— *De novo institutæ quæ Memoria*. ibid. F.
Regni Trojani *Origo*. 24. C.
Regnum Neapolitanum *Carolus VIII. quomodo obtinuerit*. 666. D.
Rei Militaris Disciplinæ *usus & utilitas quotuplex?* 1213. F.
Reipublicæ Christianæ *qui finis*. 1249. D.
—— *Auctor & Institutor*. 1251. F.
—— *Præmia*. 1258. A.
—— *Rerum gestarum magnitudo & gloria*. 1252. F.

Rei-

Reipublicæ Genuensis *Forma tertium mutata.* 361. A.
— *Quæ forma quarta fuerit.* 436. D.
— *De novo instituta quæ Memoria superfit.* ibid. F.
Reipublicæ Societatisque humanæ Dignitas *unde ponderanda.* 1249. C.
Rei *temere in Carceribus quare non retinendi.* 1508. F.
Religio *quas partes obtineat ad Regna & Respublicas extollendas.* 1210. D.
— *Quæ Genuæ constituta.* 1471. C.
Religioni *quantum tribuerint Veteres Romani.* 1211. C.
Remedius Rusia *Novocomensis Genuæ Prætor, unde clarus.* 321. B.
Renatus Andegavensis *à Joanna Regina Neapolitani Regni hæres quomodo nuncupatus.* 568. C.
— *Ejus adventum quare tantopere sollicitent Neapolitani Proceres.* 593. B. 1312. F.
— *Mariam Uxorem suam Neapolim quare præmittat.* 1309. A.
— *Pecuniæ inopia quanta laboraverit.* 593. B. 595 D. 1316. C.
— *Quibus faventibus Neapolim appulerit.* 593. D.
Renatus Cotta *Mediolanensis Genuæ Prætor unde conspicuus factus.* 302. C.
Renatus Dandulus *Dux Venetorum qua in occasione captus à Genuensibus.* 300. F.
Renatus Grimaldus *quomodo se conspicuum omnibus præstiterit.* 793. C.
Res *quomodo expediantur in Republica Genuensi.* 1424. A.
Responsio *Augustini Palavicini ad Internuncium Regis Galliæ quæ?* 1339. F.
— *Generosa Matris cujusdam.* 106. C.
— *Genuensium ad Legatos Pisanos de adjuvando Gregorio IX. adversus Imperatorem.* 329. D.
Respublica Christiana *quot & quanta ab Hæreticis passa sit.* 1256. B.
— *Pœna & præmio quomodo contineatur.* 1215. C.
— *Utrum unius Consilio & authoritate, an plurium arbitrio aptius regatur.* 140. D.
Retimum *Urbs in Candiæ Regno à Turcis quomodo captum & direptum.* 1025. A.
Rex *in populo quid?* 10. A.
— *Algerii Legationem ad Henricum II. Galliæ Regem quare miserit.* 1410. D.
— *Galliæ & Imperator Turcarum conjungunt animos ut Italiæ bellum inferant.* 1374. D.
Rhaudium. 79. F.
— *Cimbri in ejus Campo quando & quomodo profligati & deleti.* ibid.
Rhegium *à quo expugnatum.* 1381. D.
Rhegium Lepidi *cujus Rei monumentum.* 103. B.
Rheni *Fons ubi oriatur.* 183. E.
Rhodiæ *Artes quæ?* 28. D.
Rhodum *qui condiderint.* ibid.
— *Insignia illius quæ?* ibid. E.
Rhodus *à quo & quando expugnata.* 726. F.
Rhœti *unde originem duxerint?* 159. A.
Rhœtia *inter Italiæ Regiones an sit connumeranda?* 158. E.
Richardus Gambafiesa *quando à Neapolis Rege Genuæ Gubernator constitutus.* 416. D.
Richardus Angliæ Rex *in Syriam quando & quare profectus fuerit.* 288. E.
Riccius *Genuam à Rege Galliæ quare missus.* 694. C.
Rivus Major *quod Castellum.* 56. F.
Roberto *Regi Neapolit. Imperium Genuæ in sexennium quare prorogatum.* 423. D.
Robertus Bevania *Abbas populi Genuensis quare creatus.* 410. A.
Robertus Feltrius *unde insignis.* 818. E.
Robertus Rex *Guelphis quantum impense faveat.* 431. A.
Robertus Sanseverinus *Dux Sforciani exercitus adversus Genuenses.* 637. F.
— *Genuensium adversus Sforcianos.* 644. A.
Roccabertinus *quo tempore Ludovici XII. Genuæ Vicarius.* 689. D.
Rochabrunæ *qui situs.* 54. E.
Rodoria *quomodo olim dicta.* ibid. F.
Rodulfus Graidanus *Brixianus Genuæ Prætor se quomodo commendaverit.* 358. A.
Rodulfus Lanojus *Civitati Genuæ cum summo Imperio à Rege Galliæ quando Præfectus.* 706. B.
— *Genua quare discesserit.* ibid. E.
Rogerius Guidobodius *Parmensis Genuæ Prætor quando eligatur.* 380. B.
Roma *Urbis Romanæ fundamenta ubi posuerit.* 23. E.
— *Inter Orbis Terrarum urbes Regia & Regina habita.* 30. B.
— *Reges unde accersiverit.* ibid.
Romæ Secundæ *nomen cui oppido in Italia inditum;* 148. E.
— *Situs quomodo ampliatus.* 30. A.
Romanæ Ecclesiæ Episcopo *Mediolanensis Episcopus quando se submiserit.* 83. A.
Romanesiæ Filii *quid in tota Italia egerint.* 24. A.
Romanessus Subregulus *Montanorum Aboriginum.* 23. F.
— *Quare nuncupatus* Subregulus. 24. A.
Romani Hodierni *quibus indulgeant.* 145. F. 146. A.
Romani Veteres *à quibus, quando & quomodo oriundi.* 216. C.
— *In Regiones devictas tot quare Colonias deduxerint.* 185. E.
— *Quid de animæ immortalitate etiam ante fidem Christianam crediderint.* 21. B.
Romanioli *quomodo olim dicti.* 103. E.
Romanus Populus *unde creverit.* 30. A.
Romulus (Divus) *unde oriundus.* 763. F.
Romulus Genuensis Episcopus. 57. F.
— *Quantis Miraculis clarus.* 237. C.
Romulus Palatinum *Montem muro cinxit & communivit.* 23. F.
— *Ejus Nutrix, quæ?* 30. A.
Roscius Auria *conspicuum se quomodo præstiterit.* 792. F.
Roscius Lucensis *sub Capitaneo Buccanigra Genuæ Prætor.* 362. E.
Rota Genuæ *quid?* 1459. B.
— *A Quibus instituatur.* ibid.
Rozonorum *Familiæ antiquitas.* 89. C.
Rubicon *Fluvius.* 74. E.
— *Galliæ Cisalpinæ limes.* 117. C.
— *Inscriptio in Ponte ejus quæ?* 75. A.
— *Varia ejus appellatio.* 74. E.
Rucuba *Flumen hodie quomodo nuncupetur.* 54. E.
Rudolphus *Imperator Regni Italiæ Coronam consequi quare non potuerit ex Alciato.* 118. E.
Rusca *Familia Mediolani quam antiqua.* 90. C.

S.

SABATIVM *quod Oppidum.* 217. B.
Sabatius *Curetis filius.* 5. C. 14. D.
— *Coloniæ quæ ab illo disposita.* 15. C. 16. B.
— *Janus & Crana illum in Regni Societatem quomodo adsciverint.* 15. C.
— *In Italiam quando venerit.* 5. C. 14. D.
— *Latinos ubi disposuerit.* 16. A.
— *Medius Fidius & Semon appellatus.* 15. C. 37. A.
— *Regio, quam ipse incoluit.* 17. E.
Sabaudiæ Duces *unde ita dicti.* 100. D.
Sabaudius *quidam Genuenses Cives ad Civitatem Cæsari tradendam occulte incitans quo supplicio affectus.* 543. C.
Sabini Populi *unde dicti.* 5. C. 21. C.
— *Hirpum quid vocent.* 47. D.
— *Vestinorum Limites.* 30. D.
Sabinorum Ditio *quantum protensa.* 21. C. 48. C.
— *A Quo aucta.* 16. C.
— *Studium quod?* 48. B.

Sabinorum *Vivendi ratio.* ibid. A.
Sabinus *quæ in Italia obtinuerit.* 30. E.
Sabus *Sabatii filius Sabinis à se oriundis nomen dedit.* 21. C.
—— *Colonias trans Tiberim posuit.* 30. D.
—— *Quibus Populis præfuerit.* 18. C.
Sacerdos *inter Italiæ conditores, quis?* 7. C.
—— *Quod ejus officium.* 1184. E.
Sacerdotium *ambientes quid plerumque spectent.* ibid. C.
Sacerdotum *Mores qui esse debeant.* ibid. F.
Saga *quis dictus sit.* 5. C.
Sagæ *inter Tuscos qui dicti sint.* 14. C.
Sagorum *quæ Sedes.* 5. C.
Sal *Unde in Longobardia hauriatur.* 102. F.
Salagrus à Nigro *Genuensis clarum in quibus se præstiterit.* 61. D. 796. C.
—— *Egregium ejus facinus quodnam?* 429. D. 430. A.
Salarium *Prætoris & officiorum Rotæ Genuensis quod?* 1505. D.
Salassi *hodie quomodo dicti.* 127. F.
Salassorum *quæ Sedes.* 77. A.
—— *Urbes quæ?* ibid. B.
Salazarius *formam ac situm Castrorum Turcarum ad Melitam Insulam quomodo contempletur & observet.* 1160. A.
Sale *Gotthorum opus.* 101. A.
Salii *Populi, vide* Franci.
Saliunca *Herba ubi crescat.* 111. C.
Sallyes *qui Populi.* 80. B.
Sallyorum *Alpes.* 106. E.
—— *Sedes.* 80. B.
Salsubrium *Oppidum quomodo hodie appellatum.* 117. A.
—— *Unde dictum.* ibid.
Salsulæ. 103. A.
Saltus *Alpis Juliæ.* 107. E.
Samnites *Populi.* 47. D.
Samnitum *Coloniæ.* ibid.
Sancti *à quo nomine ita dicti.* 16. E.
Sancti Romuli *Municipium.* 54. D.
—— *Oppidum quid suppeditet.* 1419. D.
Sanctus Angelus *quod Oppidum.* 115. E.
Saona *quando obsessa à Genuensibus.* 345. F.
—— *Obsidio ejus quomodo solvatur.* 347. F.
—— *Qui annonam illi & copias subministrent.* 346. C.
Saonenses *ad angustias redacti à Genuensibus cujus opem implorent.* 346. D.
—— *A Capitaneis Genuensibus Factionis Guelphæ deficiunt.* 414. C.
—— *Genuensibus quibus conditionibus sese dediderint.* 316. D.
—— *Iis conciliantur & quicunque cum ipsis ab iis defecerant.* 357. A. 429. B.
—— *Iterum quare deficiant.* 496. B.
—— *Quomodo ad obedientiam redire cogantur.* 511. C.
Sapis *Fluvius.* 117. B.
Sarca *Fluvius unde effluat.* 115. E.
Sardinia & Corsica *Insulæ à quo Coloniis repletæ.* 22. D.
—— *Insula à Genuensibus & Pisanis capta.* 235. E.
—— *Omnis in quatuor Præfecturas divisa.* 252. E. 269. D.
Sarmatarum *Sedes quæ?* 83. E.
Sarravale. 101. A.
Sarcinam *qui excitaverint.* 40. A. 104. B.
Sarus *quid Sabinorum lingua.* 43. A.
Sassaris Urbs *obsessa à Genuensibus.* 389. A.
—— *Obsessio quare & quomodo mox soluta.* ibid. C.
—— *Quomodo olim dicta.* ibid. A.
Savona. 55. C. 100. D.
—— *Arce quare communiatur.* 1381. C.
—— *Ejus antiquitas quanta.* 1418. E.
—— *Se se Genuensibus quomodo dediderit & ab illis habita sit.* 1342. B.
—— *Unde in primis clara.* 1418. F.
Savonenses *se in libertatem adigere quomodo moliantur.* 733. A. 1333. B.
—— *Genuensibus tandem quomodo sponte subjiciantur.* 741. E.
Scævola *vox quid significet, & unde orta.* 32. D.
Scandrilia *à quo denominata.* 40. A.
Scapha *novo commento facta in quem usum.* 1144. C.
Scaramuciæ *Ticinensis militum cohortis apud Venetos Præfecti quod notabile Responsum.* 1288. F.
—— *Ubi occubuerit.* 1290. A.
Scarincius Pirata *quis & unde oriundus.* 608. A. 612. A.
Schisma *in Ecclesia à quibus.* 528. C.
Sciarra Martinengus *Ulcinium Oppidum dedere quomodo coactus.* 1025. C.
Scipiones tredecim *qui vocati apud Venetos.* 562. D.
Scribæ & Exploratores *mutui per bellum inter Genuenses & Pisanos Genuæ & Pisis quare utrimque permissi.* 384. A.
Scribæ & Secretarii *Genuensis Reipublicæ quomodo secundum Leges eligendi.* 1487. A.
Scrivia *qui Fluvius.* 116. A.
Sculterna *qui pariter Fluvius.* 116. D.
Sebastianus Venerius *quando summus Classis Venetæ Præfectus.* 998. D.
Sebunus Lacus. 115. E.
—— *Hodie quomodo dictus.* ibid.
Securitas *aureæ Ætatis quomodo conservata.* 8. F.
Sedes Consularis *Liguriæ quæ fuerit.* 217. E.
Sedes Antistitis *Metropolitæ Liguriæ quæ exstiterit.* ibid.
Seditio *Genuæ quam ob causam.* 688. E. 689. C.
—— *Neapoli à quo excitata existimetur.* 914. E. 918. E.
Seditiosorum *pœna quæ Genuæ.* 1492. E.
Segestum *Vicus quomodo olim Ptolomæo dictum.* 56. D.
Segistrum *hodie quare dicatur.* ibid.
Segusium *Oppidum.* 156. A.
—— *Quomodo hodie nuncupetur.* ibid.
Selephus *quomodo à posterioribus dictus.* 288. C.
Selim Turcarum Imperator *Cypri Insulæ invasionem quando & quare susceperit.* 947. D.
—— *Quas iras concipiat de Tuneto ab Hispanis in Africa occupato.* 1113. D.
—— *Quo anno obierit.* 721. E.
—— *Venetos quibus modis urgere decreverit.* 999. B.
Selimi *quæ epistola ad Ducem Rempublicamque Venetam.* 961. E.
Semon *vide* Sabatius.
Sena *Urbs à quibus condita.* 165. D.
Senatus Genuensis *quando constitutus.* 736. E. 1455. B.
—— *Ex quot & quibus Viris compositus.* 741. A. 1455. E.
Senatus Romanus *Aras Christo à Tiberio, Adriano, & Philippo Imperatoribus dicari quare noluerit.* 120. B.
Sene *ex vi nominis quid significet.* 22. F.
Senicum *Vicus unde dictus.* ibid.
Senius *Fluvius.* 116. E. 117. A.
Senogallia *quid olim.* 105. A.
—— *Quid hodie.* ibid.
Senones *quæ olim loca in Italia occupaverint.* 104. F. 165. D.
Sententiæ *judiciales quomodo exequendæ.* 1509. B.
Sentiorum *Familia quam antiqua.* 88. D.
—— *Inscriptiones quæ de ea.* 179. A.
Seprii Castrum *unde dictum.* 168. F. 169. A.
Septem-Viratus *Genuensis qui Magistratus.* 1458. C.
Sepulchrorum *locus ubi electus.* 19. F. 20. A.
—— *Eo convenire & convivari Veteres quomodo solerent.* ibid. D.
—— *Quare illis Columnam imminentem imponerent.* ibid. C.
Sergiana Urbs *Belli quomodo causa Genuenses inter & Florentinos.* 651. C.

Sergiana Urbs *Belli quomodo causa Genuenses inter & Florentinos.* 651. C.
—— *vulgo quomodo aliter dicta.* 1421. B.
Sergianenses *Reipublicæ Genuensi quomodo se tradiderint.* 529. B.
Sermo *quis patris ad filium suum postquam ter cum eo à Latronibus spoliatus fuisset.* 665. A.
Serto *quare ornatus Episcopalis Pileus.* 31. D.
Servitus *à Turcis imposita omnium atrocissima.* 1210. A.
Servius Tullus *Romanorum Rex quomodo creditus à favillis progenitus.* 41. B.
—— *Fluvius unde ortus, & ubi irrumpat?* 115. C.
—— *Vicus ubi situs.* 56. B.
Sesites *quis Fluvius?* 111. E.
Setta *obsessa à Cantabris, obsidione quomodo liberetur à Genuensibus.* 321. C.
Sexto-Calendas *Oppidum vetustissimum ubi situm.* 174. B.
—— *Quæ in eo plurima & antiquissima Monumenta.* ibid. C.
Sextum *Oppidum quare ita dictum.* 495. D.
Sfortia Palavicinus *Terrestris Militiæ Dux contra Selimum Turcarum Imperatorem.* 963. E.
Sfortianus exercitus *adversus Genuam quare missus.* 638. A. 644. E.
Sfortiarum Vicecomitum *quæ Familia.* 85. A.
Sicariorum pœna *quæ in Republica Genuensi.* 1493. A.
Siccia *Fluvius ubi?* 11. E.
Siccitas *extraordinaria, in Agro Genuensi, quo Anno.* 561. B.
—— *Tota Italia.* 1286. B.
Siciliæ *quæ figura.* 5. E.
—— *Rex Amicitiam Genuensium quibus affectibus expetat.* 278. A.
—— *Rex Omnia quæ recuperata fuerant ex naufragio, quod Genuenses passi sunt ad Portum Drepani in Sicilia, injuste quomodo sibi applicet.* 376. A.
Sicla *Torrens.* 116. C.
Siderianum *Pagus quomodo olim nuncupatus.* 92. D.
Sigencellus *Prætor Genuensis in quibus clarum se fecerit.* 311. F.
Signia *Urbs omnium commoditatum quantopere inops.* 142. C.
Similitudo *quæ inter* Malum Punicum *& Civitatem bene constitutam.* 1383. F.
Simon *ab* Acona *Genuæ Prætor unde insignem se præstiterit.* 379. E.
Simon Auria *Genuensis unde laudatus.* 273. A.
Simon Buccanigra *in quibus apud Cives suos claruerit.* 799. B.
—— *Capitaneus summus ac Genuæ Dominus à plebe quomodo creatus.* 435. A.
—— *Ducatus perpetuum Imperium quomodo ipsi mandetur.* 436. B.
—— *Legatos ad Imperatorem Trapezuntinum quare mittat.* 441. D.
—— *Magistratum quare abdicet, Pisasque privatus se recipiat.* ibid. A.
—— *Nobilium Genuensium frequentibus conjurationibus quare appetitus.* 437. D.
—— *Ex iis nobilissimos & ditissimos exilio quare & quomodo mulctet.* 455. B.
—— *Pisis Genuam reversus Ducatum quomodo ambiat iterumque obtineat.* 453. E. 454. A.
—— *Qualis & Quantus Vir fuerit.* 435. A.
—— *Turcicam Classem ubi & quomodo vicerit.* 441. D.
—— *Veneno tandem à Quo è vivis sublatus.* 455. F. 456. A.
Simon Grillus *Genuensis Classis Syriam petentis Præfectus.* 369. C.
—— *Virtutes ejus quantæ.* ibid. E.
Simon Golmellus *Bergomas Genuæ Capitaneus quando electus.* 400. E.
Simon Gulmellius *Bergomas Civitatis Genuensis Rector quomodo creatus.* 402. C.
Simon Monachus *Genuensis unde celebrem se præstiterit.* 59. A.
Simon Stella *Arcem Stellæ Genuensibus quomodo tradiderit.* 316. B.
Simon Vignosius *Classis Genuensis Præfectus qua occasione electus.* 445. B. 781. B.
—— *Chium Insulam quomodo occupet.* 446. E.
—— *Filium suum propter uvas ex prædio Chiensis Civis noctu ablatas ad quam pœnam condemnaverit.* ibid. F. 447. A.
—— *Ingiberti Delphini Viennæ præmia quam generose spreverit.* 446. E.
—— *Moriens quot Centum Nummorum in nuptias pauperum puellarum Chiensium legaverit.* 447. A.
—— *Phocæam utramque quomodo occupaverit.* 446. E.
Simon Vignosus *Genuensis quam integerrimum judicem se præstiterit.* 60. D.
Simonis Furnarii *memorabile & audax facinus quomodo male tandem successerit.* 628. E.
Sinibaldi Flisci *Legatio ad Carolum* V. *Quæ?* 1348. B.
Sinibaldus Fliscus *Genuensis quando eligatur Papa dictus Innocentius* IV. 58. D.
—— *Alius ejusdem nominis unde clarus.* 871. D.
Sinus Carthaginiensis *in Africa Descriptio.* 1366. A.
—— Lunensis *hodie quomodo dictus.* 248. A.
—— Rapalli. 56. C.
—— *Quæ statio Navibus.* 1420. A.
Sisinus *Fluvius.* 115. F.
Smyrna inferior *à Christianis in Turcas quomodo recuperata.* 1442. B.
Societas *adversus Quem juncta inter Imperatorem, Hadrianum Pontificem, Angliæ Regem & Venetos.* 727. A.
—— *Adversus Quem inter Pontificem, Galliæ Regem & Venetos juncta.* 728. E.
Solimanus *Turcarum Imperator Captivam à se libertate donatam Uxorem quomodo duxerit.* 1213. C.
—— *Melitam Insulam quibus de causis obsideat.* 1127. C.
Solviatus *Vicus ad quam Diœcesim pertineat,* 194. C.
Solum *Neapolitanum quodnam.* 1230. A.
Somnium *Ambrosii Grimaldi quale.* 565. C.
Sorleo Piper *Intemeliis Prætor à quibus datus.* 309. B.
Sors *Genuæ quæ Longobardorum temporibus.* 234. B.
Sospitator Jupiter *quis dictus.* 23. E.
Spedia *Portus.* 57. B. 1420. E.
Spetta *Hastensis Prætor Genuensis quando nuncupatus.* 395. C.
Spina *quid olim, quid hodie.* 104. D.
Spineta Fulgosius *Dux Genuæ quando creatus.* 619. F.
Spinulæ *&* Auriæ *conjuncti quas turbas Genuensi Reipublicæ creent.* 376. C.
—— *Ante Aurias fugere quomodo coacti.* 412. F.
—— *Genua excedere quare coacti.* ibid. D.
—— *Petunt sese ut cæteri Cives in Civitatem recipi.* 413. C.
—— *Silentio quomodo Auriis insciis in Urbem introducantur.* ibid. D.
Spinus Soresina *Genuæ Prætor quibus in Rebus insignem se præstiterit.* 308. F.
Stabio *Oppidum unde dictum.* 192. A.
—— *Antiquaria quæ ibi conspiciantur.* ibid.
Stabula *quod oppidulum.* 191. B.
Stalimenem *Insulam quo nomine occupent Genuenses.* 463. B.
Statua marmorea *Ambrosio Nigro Genuæ quare erecta.* 674. C. 677. B.
Statuam marmoream *in Ansaldi Grimaldi honorem Senatus Genuensis quare erexerit.* 1370. B.
Status Inquisitores *qui nuncupati in Republica Genuensi.* 1424. C.
Stellata Legio *quanam?* 465. D.
—— *A Genuensibus quomodo victa?* 475. C.
Stephanus Cardinalis Duratius *Archiepiscopus Genuæ quis & qualis Vir.* 1428. A.

Stephanus Justinianus *qua Oratione Ludovicum XII. Regem Galliæ flexerit.* 703. A.
Stephanus Justinianus *unde se clarum & conspicuum præstiterit.* 860. B.
Stephanus Mutinus *quomodo Insignis factus.* 815. E.
Stephanus Squarciaficus *unde conspicuus.* 873. B.
Stephanus Ususmarius *clarum se quomodo inter suos concives præbuerit.* 865. B.
Stipendium Annuum *Ducum Genuensium quodnam.* 554. F.
Sturia *quis Fluvius.* 111. D.
Suburbia *Civitatis Genuæ qualia & quantum pateant.* 1417. E.
Succinus *ubi & quomodo crescere creditus.* 76. C.
Sudarium Sacrum *quomodo recuperent Genuenses.* 742. A.
Sultanus Ægyptius *Tripolim Urbem quomodo expugnaverit.* 396. D.
Sultanus Constantinopolitanus *cujus monitu Regnum Tunetanum in Africa invaserit.* 1360. B.
Summæ Alpes. 109. C.
Surarum *Familia quam antiqua* 817. A.
—— *Inscriptiones quæ de ea.* ibid.
—— *Quomodo hodie nuncupetur.* ibid.
Suza, *vide* Segusium.
Symbolum *quod domesticum Noëtidarum.* 6. F.
Syndicati supremi *qui Genuæ.* 1424. D.
Syndicatores Rotæ Criminalis *Genuensis qui?* 1509. F.
Syndicatus *Ducis & Magistratuum Genuensium.* 1483. F.
Syndicorum supremorum Genuæ *quod officium.* 1458. D.
Syracusa *Urbs in Sicilia à Friderico Ahenobarbo Genuensibus fiduciaria quomodo concessa.* 267. E.
—— *A Genuensibus quomodo recuperata.* 298. B.
—— *Expugnata à Genuensibus solis in gratiam Henrici Cæsaris.* 293. B.
Syriæ Imperium *à Christianis Quando & Quomodo amissum.* 399. F. 400. A.
Syrus *Genuensium Episcopus quantis Miraculis clarus.* 57. F. 237. C. 763. E.
Syrus *Primus Genuensium Archiepiscopus quando obierit.* 269. B.

T.

Tabia *Oppidum unde minimè obscurum.* 54. F. 1419. D.
Tabula *quæ ænea in Agro Genuensi reperta Anno* MD. VI. *quid contineret.* 1319. A.
Tanarus *qui Fluvius.* 116. A.
Tancredus *Rogerii Regis filius Siciliæ Rex à Regni Proceribus quando electus.* 291. C.
Tannetum *quid olim, quid hodie.* 103. A.
Tarabis *Sinopes Domini horrendum quod in Guelphos facinus.* 423. A.
Tarentinus Princeps *Quis in Bello Sacro.* 237. F.
Tarlatinus *Pisis Genuam quare accersitus.* 694. C.
Tarracinenses *in fidem Genuensium quare sese tradiderint.* 446. A.
Tartari *quomodo antiquas Sedes deserentes Asiæ magnamque Europæ partem invadentes quantis cædibus & incendiis omnia repleverint.* 351. E.
Tartariæ Princeps *quibus detrimentis Venetos & Genuenses effecerit.* 441. F.
—— *Pacem quam perfide observaverit.* 442. A.
Tarvisium. 97. E.
Tarus *Oppidum.* 102. B.
—— *Fluvius.* 116. C.
—— *Unde oriatur.* ibid.
Tata *vocabulum unde?* 26. C.
Tatii & Titii *qui dicerentur olim.* ibid. B.
Tatius *qui diceretur.* ibid. C.
Taurini *quos inter Populos recensiti?* 217. A.
Taxæ Notariorum *Rotæ Genuensis quæ?* 1507. A.
Tempestas *Gravissima quot olim damna Genuæ Civitati attulerit.* 1354. A.
—— *Quanta olim inter varias Genuæ Factiones.* 1454. F.
Tempestates *menstruis mulierum purgationibus arceri quomodo credantur.* 42. B.
Templum *in Vulturo Oppido Ditionis Genuensis quam clarum.* 1418. E.
Tenedus *Insula Genuensibus à Quo & Quare donata* 462. C.
Terdulus *Fluvius.* 111. E.
Tergestum *Urbs expugnata à Genuensibus cui dono datum.* 482. D.
Terminatorium *illustre.* 41. E.
Terminus *quod Numen.* ibid. D.
Ternatus *qui Viculus.* 184. D.
Terra *veteribus Romanis quomodo dicta.* 26. D.
Terræ Motus *Genuæ quales.* 1381. A.
Tessaroli Arx *à Marchionibus Gavii in receptaculum latronum communita à Prætore Genuensi quomodo expugnetur & diruatur.* 296. A.
Testrina *Amiternorum Vicus cui rei inserviret.* 26. B.
—— *Ejus situs.* 27. A.
Thalessio *vocabulum quid significat.* 6. D.
Thalia, Thalus, *vide* Cranus Crana.
Theodelinda *Agilulphum Longobardorum Præfectum quomodo sibi matrimonio jungat.* 81. B.
Theodorus Palæologus *Marchio Montisferacis Præses Genuæ quomodo creatus.* 533. B.
Theodorus Trivultius *Regis Galliæ Vicarius Genuam quando missus.* 731. B. 732. E. 1332. E.
Theodosia *Urbs hodie quomodo appelletur.* 405. D.
Theologiæ *Commendatio.* 1187. C.
—— *Dignitas.* 1186. C.
Theramus Adornius *Dux Genuæ ab Exulibus quare & quomodo creetur.* 547. D.
Tholosanus *quis Comes in Bello Sacro.* 237. F.
Thomæ Fulgosii *Caritatis memorabile exemplum.* 545. B.
—— *Oratio ad Genuenses pro fratre suo Ducatum ipsius per proditionem ambiente.* 599. A.
Thomas Anellus *Neapoli quare in custodiam retentus, moxque dimissus.* 911. D.
Thomas Campofulgosus *quæ pro sublevando Bonifacia Corsicæ Insulæ Urbe gesserit.* 1271. F.
—— *Dux Genuæ quando creetur.* 1311. B.
Thomas Comes Sabaudius *Genuensibus auxilium quare ferat.* 311. C.
—— *Vicarius & Legatus Rerum Italicarum quomodo creatus.* 312. D.
Thomas Fulgosius *Dux Genuæ qua occasione & quo tempore Creetur.* 544. E.
—— *Ducatum quare abdicet.* 554. E.
—— *Frustra Ducatum repetere quomodo aggrediatur.* 558. B. 559. E. 560. A.
—— *Istud negotium aggredi à quibus incitetur.* ibid.
—— *Qui in eum conspiraverint.* 546. D.
—— *Quomodo tandem Ducatum obtineat.* 592. A.
—— *Tandem Ducatu abire à Quo cogatur.* 599. A. 1320. A.
—— *Tertium Dux creatur, sed repudiat.* 602. A.
Thomas Marinus *Quomodo se clarum apud omnes præstiterit.* 872. D.
Thomas Murchius *unde conspicuus.* 798. B.
Thomas Saulius *Genuæ quare securi percussus.* 1359. E.
Thomas Spinula *commendabilem quomodo se Patriæ suæ præstiterit.* 786. E.
Thomasini *irritum in Corsicam Insulam consilium quodnam fuerit.* 641. E. 642. A.
Thyum *Urbs in Insula Cypro unde dictum.* 23. B.
Tiberiacum *Oppidum unde insigne.* 117. A.
Ticinum *Urbs.* 94. A.
—— *Ab Attila Hunnorum Rege subversum.* ibid. C.
—— *Ejus Historia.* ibid. B.
—— *Nomen ejus quomodo & quo tempore in nomen Papiæ mutatum.* ibid.
—— *Pannones illud quomodo depopulati sint.* ibid. D

Ticinus *Fluvius unde oriatur.* 111. E. 112. A.
Timavus *Fluvius.* 115. F.
Timocratia *quæ Principatus species.* 140. D.
Titii *vide* Tatii.
Titulus *olim quomodo deferebatur.* 16. E.
Tonsuræ Ecclesiasticæ *quæ origo.* 27. F.
Tortia *Castellum unde memorabile.* 54. E.
Tradate *Oppidum.* 176. D.
—— *Marmoris quod genus ibi inveniatur.* 177. A.
—— *Situs ejus quis.* 176. D.
Transalicum *Oppidum Originem unde duxerit.* 47. B.
—— *Ubi situm.* ibid.
Transpadanæ Regionis *Urbium quatuor quod insigne factum.* 136. F.
Trepidatio *magna Romæ unde.* 223. F. 224. A.
Tribuni plebis Octo Genuæ *quare & quomodo creati.* 692. E.
—— *Eorum quanta superbia.* 695. F.
Tributa *Genuæ in perpetuum quomodo sublata.* 661. D.
Tridentum *in qua Italiæ Regione situm.* 97. F.
Triennorum Forum *quid.* 77. F.
Tripolis *Oppidum in Syria à Balduino adjuvante Classe Genuensi expugnata.* 247. C.
Triremes *quot à privatis Genuensibus quando singulis annis armatæ & instructæ.* 401. D.
—— VIII. *in Portu Genuensi quomodo combustæ.* 1350. C.
—— XII. *incendio quo casu consumptæ.* 1348. D.
Triremium *quarumdam Christianarum error quantus ex cupiditate prædæ.* 1004. C.
Trisia *Fluvius unde emissus.* 194. A.
Triumpilini *qui Populi.* 197. B.
—— *Eorum quæ Oppida.* ibid.
Trivultiorum *Familia unde oriunda, & quam illustris.* 86. B.
Trojani Regni *Origo.* 24. C.
Trophæa Augusti *Ubi?* 54. E. 106. E. 180. B.
Tumultus *ingens in Urbe Chio à Familia Justinianorum quare excitatus.* 531. A.
—— *Neapolitani Origo.* 910. A. 914. A.
—— *Novi Genuæ unde.* 397. C.
——— *Compositi.* ibid. E.
—— *Novus de Vicario Regio Genua expellendo.* 518. C.
——— *Unde ortus.* 485——487. 498. F. 612. A. 613. A.
Tuneti, *Regionisque circumjacentis situs & Descriptio.* 1112. C.
Tunetum *A Quibus obsessum.* 1116. C.
——— *Et vi expugnatum.* 1126. A.
—— *A Quo expugnetur & diripiatur.* 1369. A.
—— *Defensoribus vacuum quomodo occupet Joannes Austrius.* 1116. E.
Tunnus *Torrens quis?* 116. B.
Turcæ *Divinæ Providentiæ quantum tribuant.* 1212. B.
—— *Ex Agro Caneæ quomodo discedere coacti.* 1024. E.
—— *Melitæ obsidionem quomodo solvere coacti.* 1174. A. 1175. 1176. A.
—— *Obedientes suis Ducibus quantum sint.* 1214. C.
—— *Religionis studiosi quantum sint.* 1213. A.
Turcarum *qui astus in Obsidione Melitensi.* 1170. B.
—— *Imperii magnitudinis quæ causa.* 1209. F.
—— *Mos qui in Advenarum & Peregrinorum gratiam.* 950. B.
Turcis *quod adjumentum ad Religionem tuendam.* 1212. E.
Turderia *pro quo dicta existimetur.* 181. E.
Turpilia *Familia unde oriunda.* 29. C.
Turris Babylonica *ædificari quando cœpta.* 14. C.
——— *In media Campestri quare condita.* 7. D.
Turris *Quare ædificata à Genuensibus & Lucensibus in finibus Pisanorum.* 284. D.
—— *Templi Vaticani Quomodo & Quo die dejecta.* 995. D.
Tusci *à Sabatio quomodo dicti.* 14. C.
Tuscorum *sedes quæ?* 5. C. 48. A.
Tyrannici Regiminis *descriptio.* 22. D.
Tyrannis *Quænam Principatus species.* 140. D.
Tyrus *Reptilium sævissimus ex cujus pastillis fit omnium optima venenorum Antidotus.* 100. F.

V.

VACATIONES *Magistratuum Genuensium, Quæ?* 1489. A.
Vada Sabbatia *unde ita nuncupata.* 100. C.
Vadorum *Portus qui dictus.* 55. C.
Valens Focacia *homo gregarius à Picinino quomodo habitus.* 592. C. 1312. A.
Valentia. 100. F.
Valentinus *Genuæ Episcopus Quantis miraculis clarus.* 237. C. 763. B.
Valerandus Lucemburgus *à Rege Galliæ Genuam Vicarius quando missus.* 511. A.
Valeriorum *quam antiqua Familia.* 86. D.
—— *Quæ de ea Inscriptiones.* ibid. E.
Valerius Maximus *unde oriundus.* 86. D.
Valerius Succarellus *quare supplicio affectus.* 1377. F.
Vallexium *sive* Vallexitum *Oppidum quot Inscriptionibus clarum.* 188. E.
Vallis *Cuvia.* ibid. B.
—— *Gannis.* ibid.
—— *Porciferæ Descriptio.* 1339. A.
Vapulantium *Confraternitas & institutum ubi & quando orta.* 367. A.
—— *Habitus & Mores.* ibid. B.
Vari Fluvii *Fons & irruptio in mare ubi?* 54. D.
Varisium *quæ Præfectura.* 187. B.
—— *Frequentissima & opulentissima Unde?* ibid. C.
Vatiæ *nominis quæ significatio & vis?* 33. F.
Vaticanus Mons *unde dictus.* 10. A.
Vatrena Urbs *à Quibus condita.* 45. A.
—— *Quomodo aliter dicta.* ibid.
Vatrenus *Amnis.* 116. E. 117. A.
Ubertas *soli Neapolitani quanta.* 1230. B.
Uberti *Florentia quare exigantur.* 357. D.
Ubertus Advocatus *Genuæ Prætor unde illustrem se præstiterit.* 306. C.
Ubertus Auria *Genuensis Patriæ suæ quam conspicuum se præbuerit.* 777. F.
—— *Genuensis Classis contra Venetos quando Præfectus.* 404. D. 778. D.
—— *Libertatis Capitaneus quomodo creetur.* 377. B.
—— *Magistratu quare se abdicet.* 395. C.
—— *Post maximam in Pisanos Victoriam Genuæ quomodo acceptus fuerit.* 394. E.
Ubertus Olevanus *Papiensis Genuæ Prætor quomodo electus fuerit.* 292. B.
Ubertus Palavicinus *ac* Marinus Ebulius *Imperatoris Vicarii fines Genuensium quare invadant.* 330. C.
Ubertus Recolatus *Consul Genuensis Sardiniam Insulam quare petierit.* 274. E.
Ubertus Rocafolius *Papiensis Genuæ Prætor conspicuus quomodo factus fuerit.* 304. E.
Ubertus Spinula *Genuensis ad Quem Legatus.* 266. C.
—— *Auctor movendarum discordiarum quid consilii dederit.* 372. B.
—— *Consilia de invadendo Genuæ Dominatu quare repetierit.* 376. B.
—— *Consul quando factus.* 266. C.
—— *Elogia ejus.* ibid. E. 275. E.
—— *Libertatis Genuensis Capitaneus quomodo creetur.* 377. B.
—— *Magistratu se quare abdicaverit.* 399. C.
Ubertus Turrius *in quibus rebus se commendabilem præbuerit.* 775. D.
Vectia *gens quam antiqua & illustris.* 40. F.
—— *Quæ de ea Inscriptio.* ibid.
—— *Unde dicta.* ibid.
Vectigal *Corsicæ Insulæ Genuensibus à Pontifice Quare & Quomodo remissum.* 253. E. 254. A.

Vectigal *nullum opulentius toto Terrarum Orbe Pontificis Romani calamo.* 1006. B.
Vedanus *Pagus quid memorabile habeat.* 91. C.
Vehorum *quæ Sedes.* 5. C.
Veji *unde ita appellati.* 30. D.
Velorum *circa Altaria quæ Origo?* 28. A.
Venarum *Arx quæ?* 35. E.
Venerio *Magistratus à Venetis quare abrogatus.* 1075. F.
Veneris Agonalia. 176. B.
Veneta Classis *quare per tres menses littori Dalmatiæ in otio hæserit.* 970. E.
Veneti *Acone in Palæstina Genuensium ædificia privata & publica &c. diripiant quare & solo æquent.* 364. E.
—— *Cisalpinæ Galliæ etiam inter Populos recensiti.* 157. A. 165. D.
—— *Et Genuenses Chium Insulam quomodo æmulati sint.* 445. F. 446. A.
—— *Fœdus quibuscum contra Genuenses inierint.* 448. F.
—— *Cum Bar[illegible] Vicecomite ac Petro Cypri Rege quare inierint.* 4[illegible] E.
—— *Genuenses è vi[illegible]nia sua Quare & Quomodo expulerint.* 479. D. 481. F. 484. A.
—— *Insula Tenedo in Archipelago ad littus Troadis sita quomodo & quo jure potiti sint.* 462. D.
—— *Legatos ad Genuenses quare supplices mittant.* 472. C.
—— *ad Principes Christianos auxilia ab iis contra Selimum Imperatorem Turcarum petituros.* 962. E.
—— *Quomodo aliter dicti.* 97. B.
—— *Se à Fœdere Sacro contra Selimum avertere quare cogitent.* 1009. E.
—— *Solimanum & Selimum Cyprum Insulam invadere velle unde suspicentur.* 949. A.
—— *Triremes* XIV. *Genuenses sine certamine quomodo & ubi invadant.* 448. B.
—— *Hac de invasione quomodo non inulti abierint.* ibid. D.
Venetiæ *Variis cladibus variisque temporibus oppressæ.* 476. E.
Venetiarum *Origo.* 234. B.
—— *Situs Descriptio.* 470. D.
Venetorum Ducum *quantum olim potentia & Imperium.* 388. E.
—— *Imperium quodnam ad Præfectos Classis Christianæ contra Turcas, & quibus rationibus fultum.* 1019. E. 1020. A.
—— *Prælium contra Genuenses terra marique ubi?* 480. A.
—— *Querelæ & indignationes contra Philippum* II. *Hispaniarum Regem quæ?* 1077. E.
—— *Responsa ad Epistolam Selimi.* 962. B.
—— *Ad ea quæ Selimus pro invadenda Cypro prætexebat.* 957. B.
—— *Victoria in Classem Genuensem.* 364. C. 373. B.
Venones *Populi, Qui?* 197. C.
Vennonetes *Populi, Qui?* ibid. E.
Venus *Hepati in corpore humano quare dominari dicatur.* 31. E.
—— *Quid de ea Fabularum Commentatores.* 30. E. 31. E.
—— *Unde dicta Cupræa?* 33. E.
Verbani *Mercurium quare coluerint.* 113. D.
Verborum DO, DICO, ABDICO, *olim qui usus.* 30. F.
Vercellæ *ubi sitæ.* 78. B.
—— *A Quibus dirutæ.* 84. C.
Vergeminum *quod Oppidum.* 80. D.
Veriorum *quæ Sedes, vel Domus.* 184. E.
Verona *A Quibus condita.* 45. B.
—— *Id nominis unde habuerit.* ibid.
—— *Qui illam ornarint & illustrarint.* 98. A.
Verrina *Quis Vir fuerit apud Genuenses.* 887. F.
Vertumnus *Quis.* 18. E.
Vertunus *Quare Cardia & Cardinia nuncupatus.* 8. E.
Vesani *Oppidi in Agro Lunensi Incolæ à Genuensibus ad Pisanos quare defecerint.* 296. C.
Vesta *Aram, Templum, Arcem ubi condiderit.* 9. E.
—— *In Italiam quando venerit.* 5. B.
—— *Occupationes ejus quæ?* 10. C.
—— *Turrito capite quare effingatur.* 9. F.
—— *Virgines quare collectas voluerit.* ibid. E.
Vestales Virgines *qua lege institutæ.* 14. F.
—— *Cognitæ in Italia, etiam ante Babylonem conditam.* 15. A.
—— *Connubia ipsis & Populo Romano quam infausta fuerint.* ibid. B.
Vestini *Populi unde ita dicti.* 5. C.
—— *Comiter susceperunt Lacones.* 12. F.
—— *Reatinum Agrum quare depopulentur.* 25. B.
Vestinorum *Coloniæ Quæ, Quæque Gesta.* 42. A. 45. A.
—— *Elogia.* 37. F.
—— *Vires Bellicæ.* 13. A.
Vestinus Ager *unde ita dictus.* 9. E.
Vesuvium *A Quibus prius habitatum.* 43. B.
—— *Unde auctum.* ibid.
Vetulonius *qui Lacus.* 9. D.
Ughetus Carpena *Castellanus Genuensis ad partes Pisanorum quomodo transeat, & excursionibus suis Genuenses infestet.* 272. F.
—— *Captus quomodo & Genuam missus.* 273. A.
Ugo Genuensis *Archidiaconus quomodo à populo in Solio Archiepiscopali collocatus.* 269. C.
—— *Quomodo obierit.* 287. F.
Ugolinus *Comes & Galluræ judex summus fit Genuæ Magistratus.* 395. E.
Ugolinus Girardescus *Comes Pisarum Prætor.* 395. C.
Ugolinus Madomnæ Domæ *Bononiensis Genuæ Prætor quando electus.* 312. B.
Ugolinus Moncadius *quo in Prælio ceciderit.* 1383. F.
Ugolinus Rubeus *Parmensis Genuæ Prætor conspicuum unde se præstiterit.* 319. B.
Via *ad honores & Opes apud Turcas quæ?* 1216. C.
Vicariæ Regens *quis Neapoli dictus.* 910. D.
Vicarii *Philippi in Regimine Genuæ qui fuerint.* 555. D.
Vicarius *Regis Galliæ Urbe Genua quare discesserit.* 514. D.
—— *Abrogetur quomodo à Popularibus.* 519. B.
—— *Galeacii Mediolani Principis à Quibus Genuæ oppugnatus.* 636. A.
Vicecomes Cicada *unde Insignis.* 824. A.
Vicecomites *Ludovici Bavari Clientes bello quare persecuti fuerint.* 410. B.
—— *Principes Mediolani quare post pacem ipsis Mediantibus cum Venetis factam Genuæ servitutem meditentur.* 453. C.
—— *Sacris quare à Pontifice Maximo interdicti.* 420. E.
Vicentia *à Quibus condita.* 97. F.
Vicheria *Vicus pro quo dicatur.* 101. B. 116. B.
Vici Magister *quis olim?* 26. C.
—— *In Mediolanensi Agro quis?* 90. E.
Vici Magistri *quidam qui à Genuensibus defecerant, ad saniorem mentem quomodo redeant admissorumque veniam impetrent.* 353. F.
Victor Pisanus *Classis Venetæ Præfectus quo morbo vivere desierit.* 482. E.
Victoria *Classis Christianæ in Turcicam quanta ad Sinum Lepantinum Duce Joanne Austrio.* 1070. D.
—— *Quam exigua emolumenta Christiani ex tanta Victoria susceperint.* 1071. F. 1073. 1074. A.
Victoria Genuensium *in Alphonsum ipsum Classem suam ducentem.* 581. B. 1300. 1301. A.
—— *Catalanos.* 430. A. 536. D.
—— *Classes Venetas, Catalanas & Constantinopolitanas simul junctas.* 450. A.
—— *Exules suos.* 484. C.
—— *Gallos.* 618. A.
—— *Legionem Stellatam.* 475. C.
—— *Mauros.* 516. B.
—— *Pisanos.* 299. B.
—— *Saracenos.* 143. E.

Victoria Genuensium *in Sfortianos.* 646. C.
—— *Triremium trium contra Mauros.* 516. B.
—— *Venetos.* 370. C. 381. B. 388. A. 394. A. 403. B. 406. A. 433. A. 467. A. 478. A.
Victoria *Navalis in Alphonsum Regem quantam lætitiam Genuæ attulerit*, 583. D.
—— Perusini *cognomento* Parvuli *in Florentinos*, 1287. B.
—— *Pisanorum in Genuenses.* 333. A. 384. E.
—— *Venetorum in Genuenses.* 563. A.
—— *& Catalanorum in Genuenses.* 451. A.
Vicus Apia *in cujus honorem conditus.* 13. D.
—— Balneus *ubi situs.* 33. D.
—— Cimbrorum *unde dictus.* 181. E.
—— Iriæ. 101. B.
—— Martis *quomodo hodie dictus.* 92. A.
—— *Unde insignis.* ibid. 159. A.
—— Rapallum *unde clarus.* 1420. B.
—— Vigluvium *unde dictus.* 191. F.
Villafranca *quomodo olim dicta.* 54. D. 180. B.
Vinarium vas *quare olim dictum* Calpar. 10. B.
Vincentellus Istria *Capitali supplicio Genuæ quare affectus.* 567. E.
Vincentius Calcanius *quis fuerit.* 890. D.
—— *Quod ejus consilium ad Joannem Ludovicum Fliscum.* ibid. E.
Vicentius Ferrerius *Quis?* 1268. C.
Vincentius Justinianus *Cardinalis unde conspicuus.* 841. A.
Vincentius Vasconius *quam fortis & audax in Obsidione Melitensi.* 1166. E.
Vintimilii *qui situs.* 54. E. 1419. F.
Vinum amabile *quod dictum.* 1420. D.
Violantis Auria *claram & illustrem quomodo sese præstiterit.* 873. D.
Virago *quod Oppidum.* 55. D.
Virginitatis perpetuæ votum *Vestalibus ipsis & Populo Romano quam felix & faustum.* 15. B.
Viri illustres *Genua oriundi qui?* 1447. A.
Virtus & fortitudo *Defensorum Arcis Sancti Hermi in Insula Melita, quanta.* 1143. B.
—— *Militis Gregarii super Classem militantis.* 516. C.
—— *Petri Ludovici Auriliæ Nobilis Neapolitani quæ fuerit.* 595. A.
Visio *quæ pii Monachi per obsidionem Melitensem.* 1171. F.
Visitatio *pauperum Carceratorum quæ Genuæ instituta.* 1510. F.
Vitæ fatum *quod secundum Turcas.* 1212. B.
Ulcinium *Oppidum in Dalmatia à Quo obsessum.* 1024. C.
—— *Quomodo deditum.* 1025. D.
Ulusalis *Astutia quæ in pugna navali cum Classe Christiana.* 1067. D.
—— *Exceptus quomodo à Selimo post cladem Classis Turcicæ.* 1075. C.
—— *Fuga clandestina in Africam quare se proripiat.* 1088. D.
—— *Pirata apud Turcas quam astutus & insignis.* 970. E.
—— *Quare à Turcis* Mons aureus *dictus.* 1119. A.
—— *Unde oriundus.* 970. E.
Umbri *quæ primum in Italia loca incoluere & Quare?* 7. D.
—— *Quare ita nuncupati.* 123. C.
Umbro *qui Lacus.* 115. D.
Unelia *quæ Vallis.* 55. A.
Universitas *Domus Sancti Georgii quid Genuæ.* 1425. A.
Vocontiorum *quæ Sedes.* 80. B.
Vorago *Oppidum unde insigne.* 1418. E.
Vosisium *cum Præfectura Oppidum unde insigne.* 91. D.
Vota *quot requirantur in Decisionibus Collegii Genuæ Gubernatorum.* 1481. B.
—— *In Decisionibus Collegii Procuratorum quot requisita.* ibid. D.
—— *Quot sufficiant in sententiis per Rotam ferendis.* 1509. A.
Ura *Fluvius quare ita dictus.* 33. F.
—— *Lacus.* 111. E. 175. D.
—— *Municipia & Portus quibus ornetur.* 112. B.
—— *Quomodo hodie dictus.* 176. A.
—— *Unde ita nuncupatus.* 112. A.
Urbanus *Pontifex interdixit Sacris Genuensibus ob violatam ab illis pacem cum Venetis in* 367. D.
Urbanus V. *Avenione Romam* ... *ns Genuæ quomodo exceptus.* 458. A.
Urbanus VI. *Pontifex Maximus à Rege Neapolitano Nuceriæ quare obsessus.* 491. B.
—— *A Duce Genuensi liberatur.* ibid. C.
—— *Illius jussu quinque Cardinales saccis insuti in mari demersi.* ibid.
Urbes Aboriginum *quot Plinius & Strabo memorent*, 7. E.
Urbis Genuæ *habitatores quot?* 1416. B.
Urbium *summis in Montium Capitibus collocatarum quæ prærogativa.* 138. B.
Urbs *Animata aut inanimata quæ.* 1229. D.
—— *Quæ prius deleta quam condita.* 355. A.
Urna *pro Seminario majorum Genuæ Magistratuum quomodo componatur.* 1476. D. 1477. A.
Ursus *Poeta Genuensis qui?* 59. A.
Vulnetia, *hodie* Vernatia *quod Castellum.* 56. F.
Vultabium *Oppidum quomodo emant Genuenses.* 250. A.
—— *Obsidetur à Cæsarianis.* 332. D.
—— *Recipitur à Genuensibus.* 1312. F.
Vulturnus *qui Vicus.* 55. D.
Vulturum *quod Oppidum & unde insigne.* 1418. D.
Uxor *Marchionis Anchisæ legatos Genuenses captivos detinet, & mox territa dimisit.* 288. C.

X.

XECHES MAHAMITARUM *Quis fuerit.* 1094. E.
—— *Joannem Cerdam ad colloquium quo consilio vocaverit.* 1096. B.
—— *se Philippo* II. *subjicit, eique Urbem & Insulam Gerbim tradit.* 1097. D.
Xystus IV. *Pontifex Romanus.* 767. A.
Xystus Roborejus *Cardinalis Conspicuum unde se fecerit.* 842. B.

Z.

ZACHARIAS FULGOSIUS *à Quo proditus & occisus.* 712. C.
Zacharias Spinula *unde clarus.* 816. C.
Zelotypiæ *in Catalano quodam horrendus effectus,* 430. C.
Zonarum quinque *Descriptio.* 142. E.

FINIS.

ANTIQ.
ITALIÆ

TOM. I